
Case K
Shelf 5
34267/C
Gordon 503



LEEDS.

T. LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

TOMUS SECUNDUS.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

LIBRI QUARTI

ARGUMENTUM.

I. QUa ſupra libro primo uſus eſt comparatione Lucretius, ut Memmii ſui animum tantiſper à contentione relaxaret; eadem hunc librum quartum à v. 1. ad v. 26. auſpicatur, ut auditorem ſibi docilem reddat, & attentum. II. Libri hujus proponit argumentum, quod ex induſtria cum ſuperioribus connectit. Cum enim primo & ſecundo Libro abunde docuerit quæ, & qualia ſint rerum Primordia, quibus figuris diſtincta, quo motu ferantur, ac cæteras res procreent, Libro vero tertio Animæ atque Animi naturam fuſius explicaverit, merito ſanè à v. 26. ad v. 46. hanc aliam ſubnectit diſputationem de ſenſatione tam vigilantium quam dormientium. Quam diſputationem ut ex ordine abſolvat, à Simulachris exorditur, quibus omnem ſenſationem fieri contendit. Docet itaque III. à rerum ſuperficie tenuia quædam & ſubtiliſſima Simulachra mitti, quæ paſſim per Aëra volitant, ſigillatim tamen ſub viſum non cadunt, niſi a ſpeculis aut Aqua repulſa in oculos incurrant, à v. 46. ad v. 108. IV. Subtilitatem horum Simulachrorum demonſtrat, & ſubinde exiguitatem Primordiorum confirmat ad v. 129. V. Simulachrorum duplex diſtinguit genus, alterum eorum, quæ ſponte ſua generantur in Aëre, qualia nonnunquam videmus fieri in nubibus, quæ modo Gigantum, modo Montium, aut Belluarum imagines imitantur; alterum eorum quæ a rerum ſuperficie avolant, quaſi tenues rerum Exuviæ: & deinde à Rerum ſuperficie has Exuvias perpetuo oriri docet, & ea motus celeritate per Aëra ferri, ut Luminis ſolaris jactum facile ſuperarent, à v. 129. ad v. 217. VI. Quia Viſus Omnium ſenſuum primus habetur, ab eo exorditur, quem ex Simulachrorum ſeu Imaginum incurſu fieri docet: Interim autem explicat ea omnia quæ ad Viſus cauſas ſpectant, variaque de Viſu problemata proponit, quæ rite ſolvit & explicat, a v. 217. ad v. 471. VII.

Ne vero aliquis ex problematis modo explicatis ſenſus fallaciæ arguat, illorum dignitatem copioſe adſtruit, a v. 471. *ad v.* 524. *Et ſubinde* Scepticos, *præcipue a v.* 471. *ad v.* 479. *refutat: & demum aſſerit omnem Veritatem fidei ſenſuum inniti. VIII. His ita de* Viſu *diſputatis, cæteros ſenſus aggreditur, ac primum docet* Vocem *ac* ſonum *corporeas eſſe Imagines, quæ aurem pariter feriant & auditum faciant; Vocis naturam atque formaturam explicat. Cur eadem vox percipiatur à multis, rationem reddit; Quid ſit* Echo, *quomodo fiat, a v.* 524. *ad v.* 619. *IX. Deinde de* Sapore, *&* Guſtu, *de* Odore, *&* Olfactu *docet; Quid nempe ſit* Sapor, *quid* Odor, *& cur non ab omnibus ſentiantur. Cur* Cibus *idem aliis Dulcis, aliis Amarus fiat; Cur* Odor *alius aliis ſit magis aptus, &* Vox *aliis terrorem incutiat, quæ alios juvet, ſaltem non terreat, a v.* 619. *ad v.* 726. *X. de* Imaginatione, *atque* Cogitatione *agit, quas per tenuiſſima rerum* Simulachra *ſeu imagines quæ in mentem incurrant, fieri pariter ait, inde varia de cogitationibus problemata proponit & explicat, Cur v. g. videamur in Somnis videre illos, qui jam mortui ſunt: Cur* Simulachra *rerum ſeu Imagines videantur nobis morari dum cogitamus ea. Cur ſubito quiſque cogitat quæ lubuerit: Cur in Somnis cernimus moveri, a v.* 726. *ad v.* 820. *XI. A v.* 821. *ad v.* 905. *docet* Linguam, Oculos, Aures, Nares, *omnia denique ſenſationis Organa prius nata eſſe quam eorum uſum, ſecus vero in artificioſis rebus, quæ pendent ex præviſa indigentia: XII. De* Somno, *ac* Inſomniis *agit, imprimiſque docet qua ratione fiat Somnus in nobis, & in cæteris Animantibus: Somniorum varias aſſignat cauſas, & demum ad res Venereas delapſus a v.* 1050. *uſque ad finem libri de* Amore, Sterilitate, Fæcunditate *&c. liberius forſan & apertius quam par erat, (ſed Philoſophi in hiſce rebus ſibi maxime indulgent) diſputat.*

T. LU-



Frans van Mieris inv. et delin:

IV.

J. Wandelaar fecit.

T. LUCRETII CARI
DE
RERUM NATURA
LIBER QUARTUS.

AVia Pieridum peragro loca nullius ante
Trita ſolo, juvat integros accedere fonteis:
Atque haurire: juvatque novos decerpere flores,
Inſignemque Meo capiti petere inde coronam,
Unde priùs Nulli velârint tempora Muſae.
Primum quod magnis doceo de rebus, & arctis

Relli-

INTERPRETATIO.

Peragro avias ſedes Muſarum nullius olim pedibus calcatas, placet adire fontes illibatos, & inde Aquas haurire; placet novos flores legere, & ex iis locis nobilem mihi Coronam decerpere, e quibus Muſæ nullius unquam caput ornarunt. Primum quod de rebus maximi momenti cano,

VARIÆ LECTIONES.

1. *Avia.* Omnia Q. *peragro.* perago Q. X. *nullius.* nullus X.
2. *juvat.* vivat Q.
3. *decerpere.* decrepere X.
6. *arctis.* artis Y. Z.

NOTÆ.

1. *AVia Pieridum*] Hi 17. verſus jam ſupra lib. 1. & à Lucretio poſiti ſunt, & à nobis explicati. Quare illinc pete, ſi quid requiris. Atque iis quæ ibi diximus de *ſolo*, hoc adde: Denique *ſolum* idem valere interdum quod *ſoleam*, licet vel ex his verbis Plautinis intelligere, in Bacchidib. 2: 3: 98.

Etiam rogas, qui ſoccis habeat auro ſuppactum ſolum? Lamb.

Iſtos 25. verſus quibus attentum ſibi Memmium ſuum, aut alium quemvis Lectorem reddere conatur vid. lib. 1. v. 925. Creech.

2. *Integros*] Terentius Prol. Adel.
— — — — *Plautus hunc locum*
Reliquit integrum. Creech.

Relligionum animos nodis exſolvere pergo;
Deinde, quod obſcura de re tam lucida pango
Carmina, Muſaeo contingens cuncta lepore:
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur.
Nam veluti Pueris abſinthia tetra Medentes,
Quum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoque liquore,
Ut Puerorum aetas improvida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſinthî laticem, deceptaque non capiatur;

Sed

INTERPRETATIO.

animoſque Hominum arctis Religionis vinculis eximo; deinde quod de rebus tam obſcuris tam lucida ſcribo Carmina, Muſæo lepore cuncta contingens; Neque hoc temere videtur fieri, verum ut Medici cum amara abſynthia Pueris conantur dare, poculi oras dulci flavoque melle circumlinunt, ut incauti Pueri ludificentur labrorum tenus, at interim amarum abſynthii ſuccum epotent, atque ita decepti non damnum aliquod hac fraude patiantur,

VARIÆ LECTIONES.

7. *animos.* animum N. X. Y. Z.
8. *pango.* pando P. Q. X. Y. Z.
9. *contingens.* continguens A. *Lepore.* liquore A marg.
11. *Nam veluti.* ſed veluti D. *tetra.* terra Q.
12. *conantur.* conamur Q.
13. *mellis.* melle X. *liquore.* lepore Q.
14. *Ut.* Et Y. in Z. corr.
15. *tenus.* tenuis Q.

NOTÆ.

7. *Animos*] Sic utraque editio Anglicana, & lib. I. reliquæ *animum* hoc loco habebant, nulla reddita ratione. PR.

7. *Exſolvere*] Vide ſupra. v. 931. GIF.

9. *Contingens cuncta lepôre*] Duo codices manuſcripti habent, *contingens cuncta liquore.* non probo. Quod autem Thraſo ſcribit *continguens*, quaſi à verbo *tinguo*: ſuo more inſanit. eſt enim à verbo *tango*. Nam ſignificat Lucretius levem quendam contactum, non tincturam ad imas parteis permanantem: idque declarat idem verbum paullo poſt poſitum,

Contingunt mellis dulci, &c.

& verbale *tactu*, pro quo mendoſe ſcribitur in quibuſdam libris vulg. *facto.* mendoſiſſime autem Zoilus *tractu* legendum putat. Sic Arnobius lib. 3. dixit: *Quiſquamne eſt hominum, rationis alicujus ſapore contactus, qui pilos & lanugines credat in Deorum corporibus naſci?* LAMB.

9. *Lepore*] Quidam Codd. *Liquore*, imperite: lib. I. v. 29.

Quo magis æternum da dictis, Diva, leporem. CREECH.

17. *Facto*] Ita quidem ſupra. Sed hic in IV. lib. erat *tactu.* Forte *tractu.* *Trahere*, ut σπᾶν Græce, ſit *epotare.* GIF.

17. *Tactu*] Alii pro *Pacto* contendunt, *Tractu* id eſt, *Hauſtu*, Giſanius: Non tanti. CREECH.

24. *Perſpicis*] Ita & lib. quidam; & ſupr. I: 948. 1110. GIF.

25. *Præſentis*] Legitur alibì codicum *perſentis*, hoc ſenſu: volui carmine Pierio rationem expore-

re

Sed potius tali tactu recreata valeſcat.
Sic Ego nunc, quoniam haec Ratio plerumque videtur
Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata, retroque
Volgus abhorret ab Hac; volui tibi ſuaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et quaſi Muſeo dulci contingere melle;
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Verſibus in noſtris poſſem, dum perſpicis omnem
Naturam rerum; ac perſentis utilitatem.
Sed quoniam docui, cunctarum Exordia rerum

Qualia

INTERPRETATIO.

ſed ut hauſto medicamine recreati convaleſcant: Sic Ego, quoniam hæc noſtra Philoſophia videtur horrida & triſtis illis omnibus, quibus nondum fuerat perſpecta, Vulguſque Hominum eam maxime averſatur; dulci Carmine Tibi (Lector) *noſtra dogmata explicare, illaque ſuavi Muſarum melle quaſi circumlinere volui; ſi forſan tali commento in meis libris mentem tuam detinere poſſim, donec totam Naturam rerum penitus habeas perſpectam, iſtiuſque cognitionis utilitatem percipias. Quoniam vero docui qualia ſunt Rerum cunctarum principia,*

VARIÆ LECTIONES.

17. *tali tactu.* tali a tactu E. N. P. Q. X. tali a tacto Y. in Z. *attacto*, ſed *u* eadem manu ſuperſcribitur, & recentiori *attactu.*
18. *ego.* ergo Q. *quoniam.* in Z. *q̄uo.* & ſuperſcr. *q̄n.* man. rec.
19. *non eſt.* aberant Q. *tractata.* tractatque X. Q. Y. Z. *Retroque.* ideoque c. O. P.
20. *ab hac.* ob hoc Q. X.
21. *Pierio.* ſuperſcr. in Z. man. rec. Al. *mi Memmi.*
24. *Perſpicis.* percipis C. N.
25. *Perſentis.* præſentis A. B. C. L. N. P. Z. Perſentis. c. al. codd. Pii. per preſentis Q. Naturam preſens ac perp̄ntis u. X. 26, 27, 28, 29. deſunt P. Q. X. Y. Z. inſeruntur tamen ad 51. verſum.

NOTÆ.

re noſtram dum perſpicis omnem naturam rerum: & dum perſentis utilitatem quam affert philoſophica tractatio. nec hæreas in ultima verbi ſyllaba. *ſ.* enim vim hanc habet ut quandoque reddat ancipitem: quandoque productam: ſed in *ſentis* ultima corripi non poteſt: quod patet in *ſentitis*, ut *dormis*, *dormitis*, *is* ultima producitur: quod in *dormitis* patet. Obiter carmen Propertianum emenda ex ſecundo libro 5: 11.

Me lædet ſi multa ſibi dabit oſcula mater:
Me ſoror & cum qua dormis amica ſimul.

ſcribe *dormit*, id eſt, Cynthia. ordo ſequentis verſiculi pentametri: & me lædet ſoror cum qua ſimul dormit amica Cynthia. quaſi velit innuere. licet prætendantur ſanguinis & cognationis nedum affinitatis vincula: tamen ſi videro ſororem Cynthiæ condormientem: ſuſpicione pellicatus ebulliam: & acerbam diem propter zelum exigam. ſine commatica diviſione legitur ille verſiculus. *me ſoror* & reliqua. Apud eundem Propertium eſt pro nobis exemplum illud ex ſecundo quoque libro 24: 24.

Non audis & verba ſinis me ludere: cum jam
Flectant Icarii ſidera tarda boves. PIUS.

Id eſt, ante ſentis. ſic autem habent quinque libr. Manuſcr. & nonnulli typis excuſi. alii *perſentis.* LAMB. Forte *perſentis.* GIF. *Perſentis*; ut in præcedente verſu *Perſpicis*: *Præſentis* Lambini admitti non debet. CREECH.

26. *Sed quoniam docui &c.*] V. 7. breviter recenſet

Qualia ſint, & quam variis diſtantia formis
Sponte ſua volitent aeterno percita motu:
Quoque modo poſſint res ex his quaeque creari:
Atque, Animi quoniam docui natura quid eſſet,
Et quibus è rebus cum Corpore côpta vigeret;
Quove modo diſtracta rediret in Ordia prima:
Nunc agere incipiam tibi, quod vehementer ad has res
Attinet, eſſe ea, quae rerum Simulacra vocamus:

Quae

INTERPRETATIO.

& quam variis figuris à ſe invicem diſtincta æterno motu agitata ſponte ſua volitant, & quo modo res omnes ex illis fieri & componi poſſunt: Quoniam etiam docui qualis ſit Animi natura, e quibus Principiis compoſita, & quo modo Corpori conjuncta vigeat, & quo modo a Corpore ſeparata in ſua Principia redeat & diſſipetur: Nunc incipiam demonſtrare (& hæc pars operis reliquis partibus mire convenit) eſſe Ea, quæ appellamus Idola *rerum,*

VARIÆ LECTIONES.

27. *ſint.* ſunt P.
28. *æterno.* alterno P. Y. Z.
29. *poſſint.* poſſit P.
31. *côpta.* Ita F. *Reliqui* compta. *vigeret.* vigere X.
34. *eſſe.* & eſſe Z.

NOTÆ.

ſet ea quæ in præcedentibus libris diſputaverat, Primo & ſecundo libro *Atomorum* naturam, affectiones, Motus denique & concilia abſolverat, in tertio Principia Animæ, Animamque ipſam tam Corpori conjunctam, quam a Corpore ſeparatam conſideraverat; & deinde v. 13. hujus libri quarti argumentum complectitur, viz. aget de Simulachris, quæ veluti membranæ corticeſque Corporum a rerum ſuperficie perpetuo fluunt, nobiſque illarum ſpecies & figuras deferunt; Si Sincera integraque adveniant, tum res veras percipimus; Si mutilata, inverſa, aut cum aliis conjuncta, inde Centaurorum, & aliorum id genus monſtrorum phantaſmata; aliquando etiam, (namque Animæ cum Corporibus intereunt) Mortuorum ſpectra. Creech.

v. 31: *Cum corpore compta*] Sic ſupra libro tertio v 260.

——— ——— *Quibuſque Compta modis vigeant.*

utrobique tamen quidam legi volunt *juncta*. Lamb. Adi Emendationes. ad lib. 3. 260. Ceterum cum videam volumen paulo amplius excreſcere quam ſperaram, decrevi me aliquanto etiam, quam antea, breviorem eſſe debere. Fab. *Côpta*, ſeu *Coapta* Faber: ut & lib. 3. v. 260.

——— ——— *Quibuſque Côpta modis vigeant.* ——— Creech.

Nihil certius Fabri emendatione, quam nemo mihi vitio vertet, ſi receperim, quid enim eſt *compta cum corpore?* Natus error eſt ex virgula a librariis ducta ſuper literam *p.* ut paſſim fieri ſolet, ſcriptum videlicet fuerat *cōpta* vel *copta* ſine virgula, ibique eam amiſſam putantes librarii, repoſuerunt *compta.* Eſt vero *côpta*, pro *coapta*, & ita contrahere voces amat Lucretius. Haverc.

32. *Ordia prima*] Primordia. Lamb.

33. *Nunc agere incipiam, &c.*] Nunc de ſimulacris ſeu imaginibus diſputare meditatur, quæ εἴδωλα & τύποι nominantur ab Epicuro apud Diog. Laërt: Καὶ μὴν καὶ τύποι ὁμοιοσχήμονες τοῖς στερεμνίοις εἰσὶ, λεπτότησιν ἀπέχοντες μακρὰν τῶν φαινομένων, &c. τούτους δὲ τοὺς τύπους εἴδωλα προσαγορεύομεν. id eſt, *Atqui & formæ ſunt ſimili figura præditæ, atque ipſa ſolida corpora, ſubtilitate & tenuitate longe diſtantes ab iis quæ oculis cernuntur,* &c. *has autem formas,*

idola,

Quae quaſi Membranae ſummo de corpore rerum
Dereptae volitant ultro citroque per auras:
Atque eadem nobis vigilantibus obvia menteis
Terrificant, atque in ſomnis, quum ſaepe figuras
Contuimur miras, ſimulacraque luce carentum;
Quae nos horrifice languenteis ſaepe ſopore
Excierunt: ne forte Animas Acherunte reamur
Effugere, aut Umbras inter vivos volitare:

Neve

INTERPRETATIO.

quæ veluti pelliculæ de ſummo Corpore detractæ huc & illuc per Aëra vagantur: Quæ aliquando in nos vigilantes incurſantia Animos noſtros terrent, aliquando in nos ſomno ſopitos, cum formas horrendas intueri videamur, & Mortuorum Idola, *quæ nos ſomno ſopitos maximo cum horrore ſæpe excitant: Ne forte credamus Animas e Tartaro evolare, aut Umbras inter Vivos volitare.*

VARIÆ LECTIONES.

36. *Dereptæ.* direptæ. N. P. Q. X. *ultro citroque.* ultroque citroque A. B.
39. *Contuimur miras.* contuitur mirans Macrob. Saturn. 6: 1.
39. *carentum.* carente. X.
40. *horrifice.* ſuperſc. in Z. ead. manu *horrifico.* orifice X. *ſopore.* ſapore X.
41. *Acherunte.* Acheronte N.
42 *Vivos.* Z. vibos. ſed ſuperſcr. ead. m. *vivos.*

NOTÆ.

idola, id eſt, ſimulacra, ſeu imagines appellamus. LAMB.

33. *Vehementer attinet*] Verum eſt; nihil enim excogitari potuit commodius ad explicandam Epicuri rationem. FAB.

34. *Rerum ſimulacra, &c.*] Dictum eſt ad lib. 1. *Spectra* Latinis. FAB. Intelligit ſpecies rerum, quas vulgo intentionales vocant, *εἴδωλα, τύπους, ὑμένας*, membranulas, effluvia ex ſuperficie corporea, quæ ex omnibus omnino rebus perpetuo emanant, & Animos impellunt. Latinis *Spectra: Figuræ, Imagines, Effigies: quarum incurſu*, ut inquit Cicero ex Epicuro 1. de Fin. *non modo videmus, ſed etiam cogitamus.* CREECH.

35. *Membranæ, &c.*] Inde *ὑμενώδεις* à Græcis ſcriptoribus dicuntur; vulgo *ſpecies intentionales.* De iis ita agit Lucretius, nihil ut Phyſico homini jucundius eſſe poſſit. FAB.

35. *Summo de corpore rerum*] Id eſt, de ſumma & extrema rerum circumcæſura, de extremis lineamentis rerum. LAMB.

36. *Dereptæ*] Id eſt, detractæ. ſic autem legendum eſt, & ita ſcriptum reperi in libris manuſcriptis. de quo verbo alibi diximus. LAMB.

36. *Ultro citroque*] Libri manuſcr. habent *ultroque citroque.* quos non ſequor. LAMB. *Ultroque, citroque*, ita veteres libri. Vulgati: *ultro citroque.* GIF.

39. *Simulacraque luce carentum*] Virgil. Georg. 4: 255.

——— ——— Tum corpora luce carentum
Exportant tectis.

ibid. 472.

Umbræ ibant tenues, ſimulacraque luce carentum.

LAMB.

40. *Horrifice*] Lib. 2. v. 609.

Quo nunc inſigni per magnas prædita terras
Horrifice *fertur divinæ Matris imago.* CREECH.

41. *Ne forte animas*] Hoc dico, eſſe ſimulacra quædam, &c. ne forte putemus, animas, &c. LAMB. Huc tendit Lucretius; nam ex inſtituto Epicuri *τὰ φυσικὰ* perluſtranda exiſtimabat, ideo tantum, ut animi hominum ſuperſtitionis vinculis expediri poſſent facilius. FAB.

42. *Aut umbras inter v. vol.*] Virgil. lib. 10. Æneid. 641.

Morte

Neve aliquid noſtri poſt mortem poſſe relinqui,
Cum Corpus ſimul, atque Animi natura perempta,
In ſua diſceſſum dederunt Primordia quaeque.
Dico igitur, rerum Effigias, tenueiſque figuras
Mittier ab rebus ſummo de corpore earum;
Quae quaſi Membrana, vel Cortex nominitanda eſt,

Quod

INTERPRETATIO.

Ne etiam credamus aliquid noſtri relinqui poſſe poſt mortem, cum & Corpus & Anima conſumpta in ſua Primordia redierunt. Dico igitur Simulacra, tenueſque figuras rerum mitti a ſummo rerum Corpore (Superficie) quæ Membrana vel Cortex iſtarum rerum bene dici poſſit, quod formam fert ejus rei a qua emiſſa volitat.

VARIÆ LECTIONES.

43. *aliquid.* aliquis Q. X. *poſt mortem poſſe.* poſſit poſt mortem X.
44. *Animi.* animam Z.
45. *dederunt.* dederint N. L. P. Y. Z.
46. *Effigias.* effigies E. N. P. X.
47. *corpore.* cortice A. B. E. F. I. Gaſſ. N. P. Q. X. Y. Z. *earum.* eorum Q. Y. Z.
48. *Membrana.* membranæ C. E. N. P. X. 48. 49. 50. deſunt in Q. X. Z. ſed ſtatim interferuntur.

NOTÆ.

Morte obita qualeis fama eſt volitare figuras,
Aut quæ ſopitos deludunt ſomnia ſenſus. Lamb.

43. *Neve aliquid noſtri poſt mort.*] Hæc erat Epicuri ſententia, mortem nihil ad nos pertinere. Nam quidquid bonum & malum eſt, inquit, in ſenſu eſt. At mors, privatio ſenſus eſt. Ex quo fit, ut hæc cognitio & perceptio, nihil ad nos mortem pertinere, fructum vitæ dulcem ac jucundum nobis reddat, non addens tempus infinitum, ſed immortalitatis cupiditatem demens. Nihil enim eſt in vita mali ei qui cognoverit & penitus comprehenderit, nihil eſſe in non vivendo mali. Itaque inanis eſt is, qui dicit, ſe mortem extimeſcere, non eo quod dolore afficiet, cum aderit, ſed eo quod dolorem afferat impendens & futura. Nam quod adeſt, dolore non afficit: quod exſpectatur, incaſſum afficit. Quod igitur malorum omnium horribiliſſimum eſt, mors, nihil ad nos, quoniam cum quidem ſumus, tunc non adeſt: cum vero mors adeſt, tunc non ſumus. Neque igitur ad vivos, neque ad mortuos pertinet: quoniam illos quidem non attingit, hi autem eſſe deſierunt. Lamb.

44. *Perempta*] Feſtus: *Peremta, & interemta,* pro interfectis poni ſolet à poëtis. *Lucret.*
Cum corpus ſimul atque animi natura peremta. Lamb.

45. *In ſua diſceſſum dederint primordia*] Id eſt, in ſua primordia reſoluta ſint, & diſceſſerint. quod docuit libr. 1. idemque approbat Eurip. ἱκετ.

Ὅθεν δ᾽ ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ᾽ ἀφίκετο,
Ἐνταῦθ᾽ ἀπῆλθε. πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ᾽ εἰς γῆν. οὔ τι γὰρ κεκτήμεθα
Ἡμέτερον αὐτῶν, πλὴν ἐνοικῆσαι βίον.
Κἄπειτα τὴν θρέψασαν αὐτὸ δεῖ λαβεῖν.

id eſt, *Unde autem unumquicque in corpus pervênit, eo diſceſſit, ſpiritus ad æthera, ſeu cælum, corpus ad terram. nihil enim noſtrum ipſorum poſſidemus, ut vitam incolamus, tanquam inquilini. Deinde terram, quæ aluit, corpus capere oportet.* Lamb. *Dederunt*, ita conjectura ductus emendavi; in aliis *dederint*. Ita & inf. hoc lib. 971. Gif.

46. *Dico igitur rerum effigias*] Quæ v. 34. *Simulachra*, jam *Effigias rerum*, *tenues figuras*, *Membranam*, & *Corticem* appellat; Eaque mitti a rerum ſuperficie v. 5. aſſerit: & deinde v. 19. hoc modo probat. Res multæ (idque ipſi Oculi agnoſcunt) è ſe mittunt Corpora, quædam rara & tenuia

Quod ſpeciem, ac formam ſimilem gerit ejus Imago,
Quoiuſcunque cluet de corpore fuſa vagari.
Id licet hinc quamvis hebeti cognoſcere corde.
Principio, quoniam mittunt in rebus apertis
Corpora res multae, partim diffuſa ſolute,

Ro-

INTERPRETATIO.

Hoc autem, quamvis rudis Tibi ſit animus & minus attentus, ex his quæ dicturus ſum facile percipies. Primo quoniam multæ res (ad ſenſum provoco) Corpora e ſe emittunt, partim rara, nec compacta; ſic Ligna mittunt Fumum, & Ignis Vaporem:

VARIÆ LECTIONES.

49. *ac.* & X.
50. *cluet.* cui & Y. *fuſa.* fuſca N. Y. fuſta Q. X.
51. *corde.* cordi D. Inſerunt 26, 27, 28, 29, 33, 34, 35, 48, 49, 50. P. Y. Z.
52. *mittunt.* mittuntur in Z. ſed punctulis ſubnotatur *in.*
53. *ſolute.* ſolutæ c. E. O. P.

NOTÆ.

nuia, Sic Lignum Fumum, Calorem Ignis; quædam ſpiſſa magis & compacta, ſic Cicadæ & Serpentes pelles ſuas? Quis autem tenuia quædam *Simulachra* avolare a rerum ſuperficie dubitet, cum videat ſpiſſa magis & ſolida deponi? Præſertim cum ſint minuta Corpuſcula in rerum ſuperficie ſeu prima fronte collocata quæ facile ſeſe expedire poſſunt, & avolare. Epicurus ipſe, καὶ μὴν καὶ τύποι ὁμοιοσχήμονες τοῖς στερεμνίοις εἰσὶ, λεπτότησιν ἀπέχοντες μακρὰν τῶν φαινομένων, τούτους δὲ τοὺς τύπους εἴδωλα προσαγορεύομεν. CREECH.

46. *Effigias*] Sic habent libri manuſcripti. Plaut. Rud. 2: 4: 7.

Proh. dii immortales, Veneris effigia hæc quidem eſt. LAMB. Ita libri vet. Vulgati: *effigies.* GIF.

47. *Summo de cortice earum*] Sic omnes Vett. fere. vulgati: *corpore.* GIF. MSS. quidam habent *effugias*, quaſi diceret Lucret. minimum hoc eſſe, quod Orcum non ſubiret, neque annihilareretur; verum ſuperſtes *effugeret* interitum reliquarum partium. ſed præfero vulg. lect. quam ipſe confirmat, nam mox v. 83.

——— ——— ——— *cum corpore fucum*
Mittunt, effigias quoque debent mittere tenueis.

& concludit eſſe ✓. 103.

Sunt igitur tenues formarum conſimileſque
Effigiæ. HAVERC.

47. *Summo de corpore earum*] Secutus ſum cod. Vaticanum. nam ceteri habent *ſummo de cortice:* quam ſcripturam rejeci, quia ferri non poteſt. eam tamen tuetur Zoilus, ne ſit ſui diſſimilis. Atqui ſe ipſa refellit. Nam quid ineptius, quam ita loqui, effigias tenueis ab rebus mitti, de ſummo earum cortice: quæ effigiæ ſunt nominandæ *membrana*, aut *cortex?* Adde quod *ſummo de corpore* idem valet quod ἀπὸ τῆς σωμάτων ἐπιπολῆς. quibus verbis utebatur Epicurus, quæ Latine reddita, ſignificant *de extremo corporum libramento*, ſeu *de corporum extremitate*, ſive, ut vulgus loquitur, *de ſuperficie.* LAMB. Unde & φλοιώδεις vocatæ ſunt. FAB. Recte, ſi unquam alias, Lambinus Gifanium cum ſuo *Cortice* e Codd. deſumpto caſtigat. *Effigies* viz. *de rerum Cortice*, nominanda eſt *Cortex:* quid ineptius? Epicurus autem hæc *Simulachra* excitat ἀπὸ τῶν σωμάτων ἐπιπολῆς. Vid. etiam v. 35. & v. 62. CREECH.

48. *Quæ quaſi membrana, vel cort.*] Profert hunc verſum Nonius Marcellus, ubi docet nomen *cortex* interdum reperiri generis fæminei: & præterea illum Virgilianum in Sileno: ſeu Ecl. 6: 63.

Tum Phaëtontiadas muſco circumdat amaræ Corticis.

membrana autem legitur apud Nonium, non *membranæ*, neque nos movere debet ſyllaba ultima *na* brevis. LAMB. Ita ſcripſi ex Nonio, *Cortex.* In libris *membranæ.* GIF.

51. *Id licet hinc*] *Hinc*, id eſt, ex iis quæ deinceps dicturus ſum. LAMB.

52. *Principio quoniam*] Primum argumentum,

B quo

Robora ſeu Fumum mittunt, igneſque Vaporem:
Et partim contexta magis, condenſaque, ut olim
Cum veteres ponunt tunicas aeſtate Cicadae;
Et Vituli cum membranas de corpore ſummo
Naſcentes mittunt, & item cum lubrica Serpens
Exuit in ſpinis veſtem: nam ſaepe videmus
Illorum ſpoliis vepreis volitantibus auctas.

Haec

INTERPRETATIO.

partim denſa magis & compacta; ut cum Cicadæ veteres tunicas in æſtate deponunt, & cum Vituli naſcentes pelliculas de ſummo Corpore deponunt, & cum Serpens lubrica tunicam in vepribus exuit, ſæpe enim videmus vepres tenuibus illorum exuviis ornatos.

VARIÆ LECTIONES.

54. *ſeu.* ceu N. X.
56. *veteres.* teretes A marg. c. N. V. I. P. cæteris Q. X. *æſtate.* ætate V. Y.
59. *Exuit in ſpinis.* exivit juſpiis Q.
60. *auctas.* auctos Z.

NOTÆ.

quo probat eſſe rerum imagines, eſt à ſimili. multæ res (inquit) mittunt ex ſe corpora quædam partim diffuſa, & tenuia & rara, ut lignum in ignem conjectum mittit fumum, ignis vaporem, ſeu calorem: partim magis contexta, & ſpiſſa, ut cicadæ tunicas tenueis æſtate ponunt: ſic & imagines à rebus fluunt. Lamb.

52. *In rebus apertis*] Manifeſtis, & quæ ſunt in promptu. Lamb.

55. *Olim*] Aliquando, ποτέ. Lamb.

56. *Cum veteres*] Al. *Cum teretes.* Lamb. *Veteres, teretes,* & ita etiam inf. lib. v. ỳ. 801. Gif. *Teretes,* Alii: & pro *Æſtate, Ætate,* fruſtra. Creech.

60. *Illorum ſpoliis, &c.*] Profert hunc verſum Nonius in voce *vepres,* docens eſſe & maſculini generis, ut apud Virgil. lib. 8.

——— *ſparſi rorabant ſanguine vepres,*

& fœminini, ut hic: profert & in voce *ſpolia.* Sed quæri poteſt, cur, cum dixerit, lubricam ſerpentem exuere veſtem in ſpinis: ſubjungat, *Illorum ſpoliis,* videbatur enim dicere debuiſſe, *Illius ſpoliis,* aut certe mutato duntaxat numero, quod ſæpe fieri ſolet, *Illarum,* nempe ſerpentium lubricarum; niſi ita dicamus, *illorum,* nempe cicadarum, vitulorum, & ſerpentium. Lamb. *Exuvias* Virgilius, *ſenectam* alii, Græci γῆρας dixerunt. Virgilii locus hinc expreſſus, eſt lib. 11. Æn. ỳ. 473.

Qualis ubi in lucem coluber, mala gramina paſtus,
Frigida ſub Terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc poſitis novus exuviis, nitiduſque juventa, &c.

Preig.

61. *Hæc quoniam*] Id eſt, *Quæ quoniam.* Creech.

64. *Oſtendi eſt*] Ita in veteribus noſtris & aliis veteribus. Ex uno Codice Lambinus: *hiſcendi.* Vulgati: *oſtendit.* Gifan. *Hiſcendi eſt nulla pot.* Magnam profecto gratiam debemus codici Bertiniano & Memmiano: quorum beneficio hic locus reſtitutus eſt. nam ceteri libri ſcripti nihil me juverunt, niſi quod in eis legitur partim *oſtendi eſt,* partim *hoſtendi eſt.* vulgati autem, in quibus legitur partim *oſtendit,* partim *oſtendi eſt,* multo ſunt depravatiores. Hæc igitur eſt recta ſcriptura, & germana Lucretiana, *hiſcendi eſt nulla poteſtas.* quæ hoc ſignificat, nihil poſſe dici, nullamve cauſam afferri, quare illa quæ cernuntur, nempe membranæ de vitulis naſcentibus, tunicæ de ſerpentibus & cicadis, fumus de ligno, & ſimilia, magis cadant & defluant de rebus, quam quæ ſunt pertenuia & perſubtilia, ut imagines. *Ne hiſcere quidem licet*: hyperbole. Sic Plato lib. α. de legib. ἀφασία ἡμᾶς λαμβάνει.

lo-

Haec quoniam fiunt, tenuis quoque debet Imago
Ab rebus mitti ſummo de corpore earum.
Nam, cur illa cadant magis, ab rebuſque recedant,
Quam quae tenuia ſunt, hiſcendi eſt nulla poteſtas.
Praeſertim quum ſint in ſummis corpora rebus
Multa minuta, jaci quae poſſint ordine eodem
Quo fuerint, veterem & formae ſervare figuram;

Et

INTERPRETATIO.

Quoniam vero certum eſt hæc Corpora emiſſa eſſe, tenue quoque & ſubtile Simulachrum *a ſummo rerum Corpore (ſuperficie) mitti debet, cur enim illa quæ denſa ſunt & compacta potius a Corpore recederent, quam ea quæ ſunt tenuia & ſubtilia, nulla omnino ratio reddi poteſt: Præcipue cum in rerum ſuperficie multa ſunt minuta Corpora, quæ emitti poſſunt eo ordine quo in Corpore ſita erant, & formam figuramque rei retinere;*

VARIÆ LECTIONES.

61. *Hæc quoniam.* quæ quoniam. C. E. N. V. L. Q. X. Y. Z.
62. *Ab.* At X. *earum.* rerum C. E. N. P. Q. X. Y. Z.
63. *cur.* cum X.
64. *Hiſcendi eſt.* oſtendi eſt A. B. E. N. ita verſ. 102. (fuit in Y. vel *diſcendi* vel *hiſcendi*, ſed prima litera eraſa eſt) hiſcendis Z. ſed locus eraſus docet fuiſſe *hiſcendi ſt.* Oſtendit nulla C. O. X. ita verſ. 102. P. Oſtendit Q. (ſed corr.) oſtendi eſt. oſtendi & Q. 2.
66. *ordine eodem.* ordine rerum A marg. c. O. P. priſci codd. *eodem* P. in not. *eorum* Q. V. X. Y. Z.
67. *Veterem & formæ.* fuerint, & con formæ A. B. ſolitam & formæ ſervare E. N. P. abeſt *veterem* a Q. & formai ſervare V. & forma ſervare Y. & cum forma ſervare Z. ſervate. X.

NOTÆ.

loquendi impotentia nos corripit: hiſcere non poſſumus. Hæc Zoilus non probavit. quid mirum? palato corrupto etiam quæ dulcia ſunt, amara videntur. Eſt autem *hiſcere*, os aperire, hiare. Cicer. Philipp. 3. *Reſpondebiſne ad hæc, aut omnino hiſcere audebis?* Arnob. libr. 1. Adverſ. Gent. *Ipſa denique ſi animantia muta hiſcere potuiſſent, &c.* Idem lib. 4. *Experiri volumus, & cupimus ſcire, an mutire, an hiſcere Deorum in mentione poſſitis, an concipere eos mente, quos in animis veſtris nullius ſcripti informaverit notio.* Ovid. Met. 13:230.

Nec Telamoniades etiam nunc hiſcere quicquam
Audet. Lamb. Ne hiſcere quidem licet; nulla omnino ratio reddi poteſt: Ita ex optimis Codd. *Lambinus*, & vani iſti qui *Oſtendi* præferunt. Creech.

67. *Et con formæ ſervare figuram*] Sic veteres libri. In aliis veteribus: *cum forma.* etiam bene. Ita verſ. 98. *Quandoquidem, &c.* Et verſ. 85. *ſunt igitur jam formarum &c.* Et verſ. 103. *ſunt igitur tenues, &c.* Vulgati: *Solitam & formæ.* Lamb. *veterem.* Gif. *Veterem & formæ ſerv. fig.* Videtur hæc quidem ſcriptura integra & plana: ſed tamen libri ſcripti alii habent:

Quo fuerint, & cum formæ ſervare figuram.

alii, *veterem formæ, &c.* lacuna interjecta inter duas voces *veterem* & *formæ.* Vaticanus neque habet vocem *veterem*, neque *ſolitam*, quæ reperitur in vulgatis. Memmian. ſic:

Quo fuerint & cum forma ſervare figuram.

Unde mihi ſuſpicio injecta eſt, hunc locum mendo non vacare, & vocem *ſolitam* eſſe adjectam, ut fortaſſe ſit ita legendum,

Quo fuerint & conformem,

ſeu potius,

conſimilem ſervare figuram.

Hic

Et multo citius, quanto minus endopediri
Pauca queunt, & ſunt in prima fronte locata.

Nam

INTERPRETATIO.

imo tanto citius mitti poſſunt quanto pauca Corpora & ea quæ ſunt in ſuperficie rei locata minus impediri poſſunt, quam ea quæ plura ſunt, & interius locata.

VARIÆ LECTIONES.

68. *citius.* tutus. X. *endopediri.* indupediri Y. induediri X.

69. *& ſunt.* ut ſint X. ut ſunt P. Q. ut ſunt prima ſub *quid. codd. Pii* Q 1. & ſunt prima fronte Y.

NOTÆ.

Hîc Zoilus ab ingenio ſuo non diſcedit. commemorat enim, quod à me eſt editum. quæ in Scholiis notata ſunt, tacet, βασκανὸς πρᾶγμα ποιῶν. legendum tandem cenſet, *con formæ ſervare figur.* fortaſſe non male. nolim enim conjecturis ejus taleis notas apponere, ne ſi eas quidem improbem, qualeis ille ſolet meis: *male, peſſime, ineptiſſime, mendoſiſſime.* Lamb. *Veterem & formæ,* Alii, *Solitam,* Quidam *& conſimilem,* ſeu *& conformem:* Gifanius,

——— *&* con *formæ ſervare figuram.*

viz. *conſervare: Forma* autem ſecundum Epicurum eſt id quod in Corporis ſuperficie continenter remanet, ipſa Imagine tanquam Spolio continenter avolante: Aliquid viz. Coloris Solido inhæret, aliquid deraſum transfertur, quod ſit Simulachrum. Creech.

68. *Et muto citius, &c.*] Agit hoc loco Lucretius de ſpeciebus, quæ vulgo *Intentionales* ideo dicuntur, quod Barbari, qui has literas tractabant, *Intentionem*, pro intellectione uſurpabant; quia ſcilicet in re Phyſica non eſt ut quidquam ſine illis intelligas. Ait autem Poëta, *ſummis in rebus multa minuta corpora eſſe, quæ jaci poſſint*, &c. Et revera longe plurima eſſe ea debent; alioqui unde tandem perenne illud ſpecierum effluvium foret? Quare fieri nulla ratione poteſt, quin in his verſibus error ſit:

Et multo citius, quanto minus endopediri
Pauca *queunt, ut ſunt in prima fronte locata.*

Vides eam eſſe Lucretii ſententiam, corpora *multa* minuta eſſe in ſummis rebus, quæ quanquam ſint *multa*, tamen tanto citius jaciuntur, quanto minus impediri poſſunt *pauca*. Id autem dicere non modo inconſtantis hominis eſt, ſed ejus etiam qui rei Phyſicæ imperitiſſimus ſit. Quid enim? *Modo ait, modo negat*, ut ille Comici ſervulus. Itaque non, *pauca* legi, ſed *parva*, neceſſe eſt. Pergit enim; &, *multa* profundi ex rebus corpora ut probet, hos verſus ſcribit:

Nam certe jaci atque emergi multa videmus
Non ſolum ex alto, penituſque, ut diximus ante,
Verum de ſummis, &c. Faber.

69. *Ut ſunt*] Ita malim ex Vet. lib. quam *&*. Gifan.

70. *Jacier ac tergere*] In veteribus libris: *jacere ac mergiri, corgeri, iergiri.* Vulgati: *jaculari. Jacier* rectum eſt. De *tergeri* dubito. Lambinus *emergere.* Vide Indicem. & ſupra 1: 210. Gifan. *Nam certe jaci, atque emergere multa.* Cum reperiſſem in codicibus manuſcriptis hunc verſum mire depravatum, ſed ita, ut obſcura quædam apparerent. ſcripturæ veteris veſtigia, ſic excudendum curavi. ſic autem habent cod. Bertinian. & Memmian.

Nam certe jacere, ac mergiri, &c.

alii,

Nam certe jacere ac cergiri, &c.

vulgati autem,

Nam certe jacere & jaculari, &c.

ex quibus ſcripturis hanc feci,

Nam certe jaci, atque emergere.

Quod ſi quis malet ita reponi,

Nam jacier certe, atque emergere (ſeu *emergi*) *multa videmus.*

non pugnabo; ſatis eſt mihi lectori ingenioſo ſcripturam veterem expoſuiſſe, ut ex ea veram eliciat. Cum hæc jam ſcripſiſſem, Adr. Turnebus Adverſariorum lib. 7. cap. 12. ſcripſit, ſibi videri legendum,

Nam certe jacere, ac tergeri multa videmus, &c.

cui in eo, quod *tergeri* reſtituit, aſſenſus ſum in

ſe-

Nam certe jaci, atque emergere multa videmus,
Non ſolum ex alto, penituſque, ut diximus ante,

Verum

INTERPRETATIO.

Nam profecto videmus multas res non ſolum ex interioribus partibus Corporis, ut modo docuimus, emergere,

VARIÆ LECTIONES.

70. *Nam certe jaci atque emergere.* nam jacier certe. *Gaſſ.* certe jacier ac tergeri multa A. B. I. jacere ac invergi multa K. jacere ac jaculari C. E. N. P. rea ciergiri Q. jaci ac jaculari Q. jacere atque eſciri V. ac jacenterea aergiri X. jacecereaciergiri Y. jacere ac vergiri Z. verum eadem manu ſuperſcript. & emendatum *ac invergi.* recent. vero m. in marg. *ac mergi.*

71. *penituſque.* penitus ceu diximus C.

NOTÆ.

ſecunda editione: *jacere* autem non probavi. eſt enim verbum activum, nec cum *tergeri*, aut cum *emergere* cohærere poteſt. *tergeri* autem interpretor *eradi*, *excerpi*. *emergere* tamen non eſt fortaſſe rejiciendum, neque à ſcriptura antiqua admodum abhorret. Judicet lector. Licet etiam fortaſſe legere,

Nam detergeri, atque emergere,

ſive,

——— *atque emergi multa videmus, &c.*

Omnino enim, ne quid diſſimulem, adverbium *certe* hîc me ſuboffendit. Quod autem Zoilus noſter vult legi,

Nam certe jacier ac tergeri, &c.

Dii male faciant iſti belluæ, qui taleis numeros ac taleis verſus adſcribat huic politiſſimo poëtæ. LAMB. Verſ. 15. confirmat quod ſuperiori argumento aſſumſerat, idque probat experimento, quo conſtat *Colores* ita delibrari a ſummis Corporibus, ut *Imaginum* quoque direptionem arguant: Quippe Vela Theatris intenta totum ſcænæ apparatum, Populumque ſpectantem ſuo Colore perfundunt:

Nam jacier certe, *atque emergere:*

Gaſſendus: Alii,

Nam certe jaci ac tergeri:

vel,

Nam detergeri *atque emergere*: CREECH. Jo. Fred. Gronovius Obſerv. 2: 7. ſuperſcriptam lectionem MS. Z. ſeu Lugd. Bat. ſecundi, approbans, legi vult *jacere* (videlicet *ſeſe*) *ac invergi*. prout verbum illud de liquidis effuſis uſurpatur a Poëtis. Virg. Æn. 6: 244.

——— ——— ——— *invergit vina ſacerdos.*

aliiſque; quorum loca illuſtrat ibidem Vir Doctiſſ. quibus addi poteſt Ovidius in Metamorph. 7: 246.

Tum ſuper invergens liquidi carcheſia Bacchi,
Æneaque invergens tepidi carcheſia lactis:

& ipſe Lucretius 5: 1007.

Illi inprudentes ipſi ſibi ſæpe venenum
Vergebant.

qui ad ſenſum hujus loci accommode admodum pari ſignificatu verbi *vergere* ſeu *vergi* utitur 2: 212.

Sol etiam ſummo de vertice diſſupat omneis
Ardorem in partes, & lumine conſerit arva:
In terras igitur quoque Solis vergitur ardor.

Sed tamen, quum in omnibus MSS. conſtanter in *iri* exeat verbum illud, & poſtea etiam concedat auctor ℣. 165. momento temporis hoc fieri, neque ſibi admodum in conjectura ſua quoque ſatisfaciat Lambinus, vetus eſſe mendum credo, & ſuſpicor Poëtam ſcripſiſſe,

Nam certe facile impertiri multa videmus
Non ſolum, &c.

quod valde apto ſenſu jungitur cum *colorem*, quod mox ſequitur, & confirmare videtur verſus 78.

Inficiunt, coguntque ſuo fluitare colore.

Illis nempe colorem ſuum impertientes. HAVER.

71. *Ex alto*] Ex intimis & penetralibus partibus, ut declarat vox *penitus*. LAMB.

 72. *De*

Verum de ſummis ipſum quoque ſaepe colorem:
Et volgo faciunt id lutea, ruſſaque Vela,
Et ferrugina, cum magnis intenta Theatris
Per malos volgata, trabeiſque trementia fluctant,
Namque ibi conſeſſum Caveaï ſubter, & omnem

Sce-

INTERPRETATIO.

ſed de ſuperficiebus ipſum Colorem emitti. Et Vela lutei, ruſſi, aut ferruginei coloris id ſæpe faciunt, cum ſpatioſis Theatris intenta per malos & trabes diſpanſa fluitant: namque totum in Cavea

VARIÆ LECTIONES.

73. *id.* ad X. *ruſſaque.* rufaque C. E. N. P. tuſaque Q. tuſque X.

74. *ferrugina.* ferruginea A. B. X. Z. ſed emedante ita m. rec.

75. *fluctant.* fluitant A. B. pendent D. E. N. P. flutant L. R. S. T. fluctant (in Y. ſpacuum eſt vacuum) Z. abeſt a Q. abeſt ab X. *trementia flutant.* tenentia circum *quid. codd.* P. trementia circum Q 1.

76. *conſeſſum.* conceſſum *Gaſſ.* X. conſentum Z. *Caveai.* cavea X. Y. Z.

NOTÆ.

72. *De ſummis*] De partibus extremis. Lambinus.

73. *Et volgo faciunt*] Hoc eſt unum de multis Mathematicis poſtulatis, lucem per res quaſlibet coloratas permanantem colorari. quod demonſtrari poteſt ſimilitudine liquidorum: quæ colorem contrahunt ex iis locis per quæ fluunt. Lambinus.

73. *Lutea*] *Lutei coloris*, id eſt rubicundi, aut crocei. Virgil. Alex. ſeu Ecl. 2: 50.

Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

& apud eundem, *Aurora lutea*; & in Pollione, *croceo luto*, pro croco luteo, ut vult Servius. & apud Horat. epod. oda 10: 16.

Tibique pallor luteus.

Nam *lutum* priore longa eſt color luteus, quali colore eſt ovorum vitellus. Lamb.

73. *Ruſſaque*] Sic legendum, & ita habent codices Manuſcripti. *ruſſus* color autem rubro finitimus eſt, à quo *ruſſata factio* nominata: & fortaſſe idem qui *rutilus*. Lamb. Ita veteres libri. Vulgati: *rufa*. Gifan.

74. *Et ferrugina*] Ferruginea. *ferrugo* autem purpura eſt obſcurior, & propemodum nigra, Hiſpana, ut docet Servius ad illum locum Virg. Georgic. 1: 467.

Cum caput obſcura nigrum ferrugine texit.

Cui ſimile eſt illud T. Petronii Arbitri:

—— namque ore cruento
Deformis Titan vultus caligine texit.

Sic autem legendum eſſe vidit Joan. Paſſeratius. nam vulgo ſic legitur,

Deformis titubans, &c.

Idem Virgil. Georg. 4: 183.

—— & ferrugineos hyacinthos.

idem, Æneid. 11: 772.

Ille peregrina ferrugine clarus & oſtro.

Plaut. Mil. glor. 4: 4: 53.

Facito, ut venias ornatus ornatu nauclerico,
Cauſiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam:
Palliolum habeas ferrugineum. nam is color thalaſſicus eſt.

Feſtus porro, *Ferrugineum, colorem* (inquit) *ferri ſimilem eſſe volunt. Vere autem ferrugineus color, cæruleus eſt.* Cum Feſto congruit auctor vocabularii manuſcripti Latinogræci: in quo ita ſcriptum eſt, *Ferrugineum*, γλαῦκον, κυάνεον. Lamb.

Scenaï ſpeciem, Patrum, Matrumque, Deorumque,
Inficiunt, coguntque ſuo fluitare colore:
Et quanto circum mage ſunt incluſa Theatri
Moenia, tam magis haec intus perfuſa lepore
Omnia conrident conrepta luce diei.

Ergo

INTERPRETATIO.

conſeſſum, Scenam omnem, Patres, Matronas, atque Deos tingunt, ſuoque colore fluitare cogunt: Et quanto magis Theatra ſunt hujuſmodi Velis obducta, tanto magis venuſto colore, qui ſeipſum luci adjungit, omnia lepide perfunduntur.

VARIÆ LECTIONES.

77. *Scenai.* ſcenalem N. P. Q. X. (& ita rec. m. mutatum in Y. ſed antiqua *Scenai.*) ſcenali ſpecimen Z. verum ſubducta litera *m. Deorumque.* Deorum Z.
78. *ſuo.* ſcio Q. fluitare ſuo colorem X.
79. *incluſa.* in clauſtra Q. X. V. P. Y. potes cum priſc. exempl. legere *incluſa* P. not.
80. *magis.* magnis Q. *hæc.* hic P.
81. *conrepta.* concepta A marg. P. C. E. N. Q. X. correpta Y. Z.

NOTÆ.

LAMB. Vide Interp. Virgil. ad illud Æn. 9: 582. *& ferrugine clarus Ibera.* FAB.

75. *Volgata*] Volitantia. Sic lib. 2: ℣. 163. & 364. *Pervolgant*, & jam infra ℣. 208. & lib. 5: ℣. 1161. CREECH.

75. *Trementia fluant*] Cum olim ſecutus eſſem lectionem vulgatam, *trementia pendent*, hæc annotaram: „Non dubium eſt, quin in verbo *pen-„dent* mendum ſubſit. nam librorum manuſcripto-„rum alii habent *trementia fluctus*, alii *trementia „circum*, alii *trementia*, deinde lacunam: in qua „nihil eſt præterea ſcriptum, neque *pendent*, ne-„que *circum*, neque *fluctus*. codices Florent. au-„tem, *trabeiſque tenentia circum.* de hoc igitur lo-„co judicet lector. nam mihi quidem aqua hæret.„ Nunc Turnebi conjectura, ut in malis, mihi non videtur rejicienda, ut *flutant* poſitum intelligamus pro *fluitant*, atque ita edidi. LAMBIN. *Fluitant.* Veteres libri quidam: *fluctus.* quidam: *circum.* alii aliter. Vulgati: *pendent.* Ego ex veterum librorum veſtigiis, & ratione ductus, *fluitant* repoſui. Numerus ſic aptiſſimus peperit errorem. Vide & ſupra III: 190. GIFAN. *Fluctant.* Poſt varias MSS. mendas hanc lectionem ſuppeditat Lugd. Bat. ſec. quod mihi omnium optimum videtur, pro *fluctuant* videlicet dictum, neque tamen neceſſe eſt ideo mutare, quod ſequitur ℣. 78. *fluitare.* nam dum *fluitant*, leni motu ventorum agitata vela ſenſim atque lente amænam colorum oſtendunt varietatem; dum *fluctuant*, majorem motum, pro venti moventis ratione, & non ſine ſuſurro & ſtrepitu cauſantur. HAVERC.

76. *Caveaï*] Cavea hoc loco ſignificat totum illum locum, in quo ſedent ſpectatores. M. Tull. Catone: *Ut Turpione ambivio magis delectatur, qui in prima cavea ſpectat: delectatur tamen etiam, qui in ultima.* LAMB.

77. *Scenaï ſpeciem*] Sic repoſui, cum reperiſſem in lib. Manuſcript. *Scenali ſpeciem.* nam vulg. habent, *Scenalem ſpeciem.* LAMB. Ita veteres libri. In quibuſdam veteribus: *Scænali.* Vulgati *Scænalem.* ſic & infra lib. 5: ℣. 225. GIFAN.

77. *Deorum*] Nam ibi deorum ſimulacra. quippe ludi id genus Religionis pars erant. FAB.

78. *Inficiunt*] Quaſi tingunt ſuo colore. LAMBINUS.

79. *Et quanto circum mage ſunt incluſa*] Ita ut nullus luci pateat aditus à lateribus. LAMB.

81. *Conrident*] Tralatio uſitata ſcriptoribus, omnia ſimul renident, & lætitia diffundunt ſpectatorem: vel hilaritatem ejuſmodi præ ſe ferunt, ut ridere videantur. LAMB.

81. *Conrepta luce diei*] Celeriter & raptim concepta,

Ergo Lintea de ſummo quum corpore fucum
Mittunt, Effigias quoque debent mittere tenueis
Res quaeque, ex ſummo quoniam jaculantur utraeque.
Sunt igitur, jam formarum veſtigia certa,
Quae volgo volitant ſubtili praedita filo,
Nec ſingillatim poſſunt ſecreta videri.
Praeterea, omnis Odos, Fumus, Vapor, atque aliae res
Conſimiles, ideo diffuſae rebus abundant,
Ex alto quia dum veniunt intrinſecus ortae,
Scindun-

INTERPRETATIO.

Igitur cum Vela de ſuperficie ſua colorem mittant, quælibet res debent tenuia Simulachra mittere, quoniam a ſuperficie utraque mittuntur. Sunt igitur certæ rerum imagines, quæ tenues ſubtileſque per Aëra volitant, quæ tamen ſigillatim, & ſeparatæ videri nequeunt; Præterea, omnis Odor, Fumus, Vapor, atque aliæ ejuſdem generis res idcirco raræ & diſperſæ e rebus emergunt, quia dum in partibus interioribus natæ ex alto veniunt,

VARIÆ LECTIONES.

82. *cum corpore.* ceu corpore E. P. N.
83. *Effigias.* effigies N. Q. X.
84. *quoniam jaculantur.* cum jaculentur X.
85. *certa.* veſtigia cæca c. N. P.
88. *Odos.* odor Y. Z. dolor X. *aliæ.* alia X. Y:
89. *diffuſæ è rebus.* à rebus D. *è* deeſt P.
90. *alto.* alta Q. X. *intrinſecus.* extrinſecus E. N. P. Z. Z.

NOTÆ.

cepta, videlicet a parte ſuperna. ſic autem habent lib. Manuſcript. non, ut vulgati, *concepta.* Lamb.

82. *Ergo lintea de ſummo cum corpore*] Id eſt, ergo cum lintea de ſummo corpore, id eſt, de ſua extremitate, *fucum*, id eſt, colorem, *mittant*: non debet mirum videri, ſi res quæque etiam imagines tenueis ex ſe mittant. Lamb.

83. *Effigias quoque debent*] Sic habent lib. manuſcript. non, ut vulgati, *effigies.* Lamb.

83. *Tenueis*] Anapæſtus pro ſpondeo in ſexta ſede: vel *tenueis* hîc diſyllabum eſt. Lamb.

84. *Jaculantur*] Mittuntur. more veterum *jaculare*, ut alia pæne infinita. Faber.

85. *Sunt igitur, &c.*] His tribus verſibus concludit ex diſputatis & probatis hactenus eſſe iſta, de quibus agitur, rerum Simulachra: Pro *certa* quidam legunt *cæca*, quos Ego non Sequor. Creech.

85. *Veſtigia certa*] Sic lib. manuſcript. & nonnulli vulgati. quidam item vulgati, ut Pariſienſ. *veſtigia cæca.* Lamb. *Certa.* *Cæca* quidam Vulgati. Ita variatum ſupra 1: 522. 527. Gifan.

86. *Subtili prædita filo*] Subtili textura. tralatio eſt à tela, ſeu lino, aut lana, quæ digitis carpitur ac deducitur. *Filum* interdum eſt res quæque ad tenuitatem ducta: de qua voce ſupra. Lamb.

88. *Præterea omnis odos*] Sic legit Nonius Marcellus, & ita habent nonnulli libri veteres: vulgati vero, *odor.* Lamb. Supra v. 66. docuit, *Simulachra jaci ordine eodem*

Quo fuerunt, veterem & formæ ſervare figuram.

jam v. 8. oſtendit ſe non inepte illud docuiſſe, ideo enim eundem ordinem ſervant, quoniam avolant a Corporis ſuperficie, unde omnes *Simulachrorum* partes æque facile ſe expediunt, inde per nullos meatus, & viarum anfractus feruntur, ut Odor, Fumus, Vapor, & id genus alia, quæ è rerum partibus interioribus fluunt,
&

Scinduntur per iter flexum; nec recta viarum
Oſtia ſunt, qua contendunt exire coörtae.
At contra, tenuis ſummi membrana Coloris
Cum jacitur, nihil eſt, quod eam diſcerpere poſſit,
In promptu, quoniam eſt in prima fronte locata.
Poſtremo, in Speculis, in Aqua, Splendoreque in omni
Quaecunque apparent nobis Simulacra, neceſſe eſt,
Quandoquidem ſimili ſpecie ſunt praedita rerum,
Eſſe in imaginibus miſſis Conſiſtere eorum:

Nam

INTERPRETATIO.

nec viæ ſunt rectæ per quas egredi conantur, per obliquos & tortuoſos meatus aſcendentes diſcerpuntur: e contra vero cum ſummi coloris tenuis membrana mittitur, nihil eſt quod eam poſſit ſcindere, quoniam eſt in rei ſuperficie locata. Poſtremo, ut illa omnia Simulachra quæ in Speculis, in Aqua, omnique re plana & polita apparent nobis, ſint è miſſis imaginibus compoſita neceſſe eſt, quoniam formam rerum & figuram referunt:

VARIÆ LECTIONES.

91. *per iter.* pariter Q. X. *flexum.* fluxum X.
92. *contendunt.* contendant Y. Z. *exire.* exiere Y. *coörtæ.* coörta Q.
93. *Coloris.* colore X.
95. *promptu.* promtum Y.
96. *in Speculis.* ſpeculis Q. X. Y.
99. *Eſſe in imaginibus.* ex imaginibus A. Q. Y. Z. imaginibus a eſſe & imaginibus M. *miſſis.* miſtis D. *eorum.* earum *Gaſſ.*

NOTÆ.

& eam ob cauſam confuſa volitant, & diſperſa. Creech.

89. *Ideo diffuſæ è rebus abundant*] Ideo hæ res diſperſæ effluunt è rebus, quia dum ex intimis rerum partibus oriuntur, ſcinduntur per vias flexas, ſeu flexuoſas, & tortuoſas: colores autem & imagines quæ ex ſummis rerum corporibus fluunt, rectis viis egrediuntur, nec quicquam eſt, quod illa diſcerpere queat. Lamb.

90. *Extrinſecus ortæ*] Error à corrupto exemplari, quo uſus eſt Typograph. vel puer enim videat legendum *intrinſecus.* Faber.

95. *In promptu, quoniam eſt in prima fronte locata*] Rectius, qui ſic diſtinguit, *In promptu quoniam eſt, in prima,* &c. Faber. Ita interpungendum. Ennius p. 192. *In fronte promptum gero.* Et ſupra alicubi. Gifan.

96. *Poſtremo in Speculis,* &c.] De ſpeculis infra copioſe explicabit. Lamb. Denique probat ỳ. 13. dari Imagines è rerum Superficie dereptas; *Simulachra* quæ a nobis cernuntur in Speculis, in Aqua, & in re qualibet plana & lævigata, ſimillima ſunt iis rebus quarum ſunt *Simulachra*; Ergo neceſſe eſt iſta *Simulachra* ex Imaginibus ab ipſis rebus dereptis componi; Nam nulla alia cauſa reddi poteſt tam exactæ ſimilitudinis, niſi cortex ſummus ille, qui toti rei dudum hærens, quaſi membrana ſeparatur, & appellit in Speculum, aut Aquam: Notabis autem ſingulas rerum imagines, quæ in ſpeculis aut in Aqua cernuntur non unas eſſe, ſed multas, quæ jugi repulſu ad Oculos rejectæ non plures, ſed quaſi una Imago videantur. Sane experientia monſtrat Imagines ex ipſis uſque Corporibus in Specula tranſmitti, quando illis præſentibus appellunt in Speculum; re quapiam interpoſita a progreſſu in Speculum arcentur, ac, ſi moveantur Corpora, moventur & ipſæ, ſi invertantur, invertuntur; ſi diſcedant, abeunt; ſi abſint, ſunt nullæ. Creech.

99. *Eſſe imaginibus*] Sic legendum omnino? Hiatus mendi cauſa. In Vet. libro: *Ex,* quod

C de

Nam cur illa cadant magis, ab rebuſque recedant
Corpora, res multae quae mittunt Corpore aperto,
Quam quae tenuia ſunt, hiſcendi eſt nulla poteſtas.
Sunt igitur tenues formarum, conſimileſque
Effigiae, ſingillatim quas cernere nemo

Cum

INTERPRETATIO.

Nam cur illa Corpora quæ ſub ſenſum cadunt potius a rebus mitterentur, quæ tamen plurima nos videmus mitti, quam illa quæ tenuia & ſubtilia ſunt, nulla profecto ratio reddi poteſt. Sunt igitur tenues rerum imagines rebus ipſis ſimiles, quas cum nemo ſigillatim queat

VARIÆ LECTIONES.

101. Deeſt A. B. Q. Y. *multæ.* multas c. P.

102. *Quam.* Nam Y. *hiſcendi eſt.* oſtendi eſt A. B. iſcendi eſt Y. ſed eraſa, ut videtur litera *d.* oſtendit P. oſtendiſt (ſed. corr. *oſtendis.* Q.

103. *tenues.* tenueſt Z. ſed ſup. m. r. correctione. *conſimileſque.* diſſimileſque C. E. N. P. Q. X. Y. Z.

104. *Effigiæ.* effigies C. E. N. Q. Y. & in Z. m. rec. *effigiem* Q 1. *ſingillatim.* ſingulatim X.

NOTÆ.

de *Eſſ'* factum. Vulgati: *Eſſe in, Eſſe &c.* Vide de hiatu verſuum in Indice. Gif. *Eſſe in, &c.* Miſerabilem in modum hîc verſus laceratus & corruptus eſt in omnibus libris. Nam in Manuſcriptis quidem ita legitur,

Ex imaginibus miſſis conſiſtere eorum:

plane mendoſe. nam quod Zoilus hanc ſcripturam tuetur, cum dicat eſſe choreum pro ſpondeo, ἐῤῥέτω ἐς κόρακας cum ſuis diſconvenientibus ac diſtortis pedibus, homo ingenio diſtorto pravoque. in utriſque Aldinis, Pariſienſibus & Lugdun.

Eſſe in imaginibus miſſis conſiſtere eorum.

in Florent.

Eſſe & imaginibus, &c.

Jovianus Pontanus ſic legebat:

Hæc ab imaginibus, &c.

Ego in tanta varietate mihi licere putavi, quod mihi potiſſimum videretur, probare. Ita ſecutus ſum codices Venetos: cujus mei facti hanc rationem reddere poſſum, quod ex hac ſcriptura, probabiliſſima & Epicuri opinioni maxime conſentanea ſententia elici poſſe mihi videtur, nempe hæc, eſſe, ſeu τὸ εἶναι, καὶ τὴν οὐσίαν, id eſt, *eſſentiam* eorum ſimulacrorum, quæ nobis in aqua, & ſpeculis, & ceteris corporibus lævibus apparent, conſiſtere in imaginibus miſſis, i. e. in iis imaginibus, quas dicimus è ſummo corpore rerum mitti: per quas cernimus, atque adeo cogitamus. Verum hanc Epicuri opinionem non ſequuntur mathematici. dicunt enim illi, cum ex omni lumine radii quidam rectis lineis & directo ad res oppoſitas producantur, tum ex oculis noſtris, qui lumina quædam ſunt, etiam radios quoſdam ad eas res quæ cernuntur, profluere: atque hanc eſſe cauſam viſus. Quod autem ad loquendi genus attinet, ſic infra eodem libro. ℣. 769.

Præterea meminiſſe jacet, languetque ſopore.

Perſpicue ibi poſitum eſt *meminiſſe* pro *memoria*, ut Græci dicunt τὸ μεμνῆσθαι, pro nomine μνήμη. ſic Plautus Bacchidib. 1: 1: 50.

——— ——— *hic vereri perdidit.*

vereri, id eſt, verecundiam, ſeu pudorem. Idem in Curculione. 1: 1: 28.

Ita tuum conferto amare ſemper, ſi ſapis,
Ne id quod ames, populus ſi ſciat, tibi ſit probro.

tuum amare, id eſt, tuum amorem. Lamb. Τὸ *conſiſtere* eorum eſſe in imaginibus. Ἑλληνισμός. Faber. τὸ εἶναι, ἡ οὐσία. Creech.

101. *Corpora, res multæ quæ mittunt corpore aperto*] Verſus hic abeſt a veteribus noſtris. Et gloſſam

Cum poſſit; tamen adſiduo, crebroque repulſu
Rejectae, reddunt Speculorum ex aequore viſum:
Nec ratione alia ſervari poſſe videntur
Tantopere, ut ſimiles reddantur quoique figurae.
Nunc age, quam tenui natura conſtet Imago,

Per-

INTERPRETATIO.

videre, tamen à lævi & æquabili ſpeculo jugiter rejectæ oculos movent, & ſub viſum cadunt: Nec alia ratione videtur fieri poſſe ut Simulachra a ſpeculis rejecta eſſent rebus ipſis tam ſimilia, earumque formam & figuram oſtenderent. Nunc vero diſce quam tenuia & ſubtilia ſint iſta Simulachra,

VARIÆ LECTIONES.

106. *Rejectæ.* rejecta B. E. rejectanc Q. *Speculorum.* ſpecularum Z. ſed ead. m. corr.
108. *Tantopere.* Tanto opere Y. Z.

NOTÆ.

gloſſam ſapit. Et ſupra verſû 51. etiam abeſt. Gifan. *Res multæ*, ſic legendum, non *res multas*. Eſt enim hic ordo: Nam cur ea corpora potius cadant, atque ab rebus recedant, quæ corpora multæ res abs ſe mittunt corpore aperto prædita, quam corpora tenuia, dici non poteſt. ſed non diſſimulabo, hunc verſum,

Corpora res multæ, &c.

abeſſe à codice Bertiniano. Quem verſum poſtea non *delendum cenſuit* Zoilus, ſed *plane delevit*, cum tamen ejus ſententia non ſit abſurda, ſed cum Lucretii ſenſu & totius loci ſententia conſentanea. Si quem autem ego verſum ineptum, & Lucretio indignum, *delendum cenſeo*, dirumpitur, conviciatur, obgannit, atque oblatrat. Tantum ſibi licentiæ ſumit barbarus. Lamb.

102. *Oſtendi eſt*] Ita veteres libri, ut & paullo ante. Vulgati: *oſtendit.* Lambinus: *hiſcendi.* Gifan. Melius Lamb. *hiſcendi eſt nulla poteſtas.* Faber. Ita ſupra ℣. 64. idem ac ℣. 128.

——— ——— *Dicere nemo eſt*
Qui poſſit, neque eam rationem reddere dictis.
Creech.

103. *Tenues formarum, conſimileſque*] Sic legendum, non *diſſimileſque.* atque hanc meam conjecturam Zoilus ſecutus eſt, tacitus & diſſimulans, ſuo more. Lamb.

105. *Aſſiduo, crebroque repulſu rejectæ*] Singulæ enim imagines, quæ in ſpeculis cernuntur, ex ſententia Epicuri, non ſunt unæ: ſed multæ, perpetuo repulſu multarum imaginum à nobis in ſpecula brevi tempore defluentium ita continuatæ, ut, quæ ſunt plures, una videantur. Lamb.

106. *Speculorum ex æquore*] Ex æquabilitate & lævore ſpeculorum. Lamb.

109. *Nunc age quam tenui*] Nunc incipit docere, imagines eſſe tenuiſſima natura præditas, idque à ſimilitudine primorum corporum. Sic Laërtius: *εἶθ᾽ ὅτι τὰ εἴδωλα ταῖς λεπτότησιν ἀνυπερβλήτοις κέχρηται, οὐδὲν ἀντιμαρτυρεῖ τῶν φαινομένων*, id eſt, *Deinde imagines tenuitatibus inexſuperabilibus conſtare, nihil eorum quæ ſunt in promptu refellit.* Lamb. Harum Imaginum affectiones explicaturus primo ℣. 13. docet ſummam tenuitatem, talem quidem quæ vix concipi poſſit, illis convenire: Res ut declaretur, cogita duntaxat: Nihil eſſe aliud Imagines quam Atomorum tenuiſſimas, pellicularum inſtar, contexturas: At quanta ſit Atomorum ſubtilitas, quarum innumeræ Myriades neceſſariæ ſunt minutiſſimo Animalculo, *Acari* v. g. membrulove etiam ejus compingendo? Id nempe ſatis eſt ut intelligas, Si Imago conſtiterit ex ejuſmodi Atomis, quæ non *κατὰ βάθος*, quod eſt *Epicuri* verbum, cohæreſcant, eſſe debere Imaginem multis myriadum myriadibus ipſa unius *Acari* particulæve ejus craſſitudine tenuiorem. Epicurus ipſe, *καὶ μὴν καὶ τύποι ὁμοιοσχήμονες τοῖς στερεμνίοις εἰσὶ, λεπτότητι ἀπέχοντες μακρὰν τῶν φαινομένων, τούτους δὲ τοὺς τύπους*

 εἴδωλα

Percipe: & inprimis quoniam Primordia tantum
Sunt infra noſtros ſenſus, tantoque minora,
Quam quae primum oculi coeptant non poſſe tueri.
Nunc tamen id quoque uti confirmem, Exordia rerum
Cunctarum quam ſint ſubtilia, percipe paucis.
Primum Animalia ſunt jam partim tantula, eorum
Tertia pars nulla ut poſſit ratione videri.
Horum Inteſtinum quodvis quale eſſe putandum eſt?
Quid?

INTERPRETATIO.

& imprimis quoniam rerum Semina (Atomi) ſunt infra noſtros ſenſus, atque tanto minora quam Corpora illa, quæ propter exiguitatem primùm aciem oculorum fugiunt: Ut vero obiter demonſtrarem ſubtilitatem & exiguitatem Atomorum, hæc breviter: Primum ſunt quædam Animalia tam minuta ut eorum tertia pars nullo modo videri poſſit: Quam minutum putandum eſt quodvis horum Animalium Inteſtinum?

VARIÆ LECTIONES.

110. *Percipe.* Percite X.
112. *Quam quæ.* quamquam N. quamquo X.
113. *confirmem.* conformem Q.
114. *ſint.* ſunt X.
115. *tantula eorum.* tantula, ut horum C. E. Q 1. eorum ut N.
116. *nulla ut poſſit.* nulla poſſit E. Q. X. Y. Z. poſſit ut C.
117. *Horum.* Harum A B. Q. X. Z. Voſs. de Conſtruct ad p. 210. in Add. *quodvis quale.* quo quis qualet Z. ſed lit. *q.* in *qualet* ead. m. expungitur. *putandum eſt.* putandum Z.

NOTÆ.

εἴδωλα προσαγορεύομεν: & alibi, ὅτι τὰ εἴδωλα ταῖς λεπτότησιν ἀνυπερβλήτοις κέχρηται), οὐδὲν ἀντιμαρτυρεῖ τῶν φαινομένων. CREECH.

110. *Tantum ſunt infra ſenſus n.*] Id eſt, tanto ſunt à noſtris ſenſibus remotiora, &e. vel, ut poſtea videtur ipſe interpretari, tanto ſunt minora, &c. Vide quæ adnotavimus ad illum verſum libro tertio ℣. 275.

Nec magis hac infra quicquam eſt in corpore noſtro. LAMB.

112. *Quam quæ primum oculi*] Summum eaeumen concretorum. FABER. Summum cacumen concretorum: *Faber*: Vide lib. 1: ℣. 593. CREECH.

116. *Tertia pars*] Hoc eſt, magna, vel bona pars, plane, ut in ſacris Litteris Apoc. VIII. 7. & ſeqq. τὸ τρίτον τῶν δένδρων, τῆς θαλάσσης, τῶν κτισμάτων τῶν ἐν τῇ θαλάσσῃ, &c. PREIG.

117. *Horum inteſtinum, &c*] Sic reſtitui ex omnibus Vett. Vide Indicem: *Generis mutatio.* Vulgati: *Horum.* GIF.

117. *Eſſe putandum eſt*] Nonius: *eis utendum eſt.* In veteribus libris: *quo quis volet eſſe putandum.* GIF. Hune verſum profert Nonius in voce *inteſtinum*, ſed mendoſe. adde quod veteres eodiees diſſentiunt à vulgatis. Sie enim in illis legitur:

Harum inteſtinum quo quis volet eſſe putandum.

quam iccireo propoſui, ut eonſideret lector, ecquid ex ea boni trahi poſſit. Dicam nihilominus quod ſentio, ſeriptura reeepta mihi videtur integra; nam illud *quo quis*, quod eſt apud Nonium, depravatum eſt ex recto *quodvis*, & *p* illud eſt *d* inverſum. *volet* quoque corruptum eſt & perverſum ex *quale.* LAMB.

119. *Quid? præterea*] Aliud argumentum à ſimili, quo doeet, imagines eſſe tenuiſſima natura præditas, & ſubtiliſſimo, ut ita dicam, filo contextas. Eſt autem tale. Quid? primordia, ex quibus conſtat anima, ſunt ſubtiliſſima, longeque ſubtiliora, quam ea, ex quibus corpus hu-

Quid? Cordis globus aut Oculi? quid? Membra? quid Artus?
Quantula ſunt? quid? praeterea Primordia quaeque?
Unde Anima, atque Animi conſtet natura neceſſum eſt,
Nonne vides, quam ſint ſubtilia, quamque minuta?
Praeterea, quaecunque ſuo de corpore odorem
Exſpirant acrem, Panaces, Abſinthia tetra,
Abrotonique graves, & triſtia Centaurea:
Horum unumquodvis leviter ſi forte ciebis,

Quam-

INTERPRETATIO.

Cordis globus, aut Oculi, membra atque artus quam minuta ſunt? Nonne etiam intelligis quam ſubtilia & minuta debent eſſe ſingula illa Semina e quibus illorum Animalium Anima componatur? Præterea, quæcunque Corpora gravem odorem exſpirant, qualia ſunt Panaces, amara Abſynthia, graveolentes Abrotoni & amara Centaurea, ſi Horum corporum unumquodvis leviter motitabis,

VARIÆ LECTIONES.

120. *Anima.* animæ *Gaſſ. neceſſum eſt.* neceſſe eſt Z.

123. *acrem, Panaces.* aëris p. X. acris Panace P. ſunt qui *panacea* ſcribunt, ſed ſcribendum, *acrem, panaces* P. in not. Nunc ſequuntur in Q. Q1. & X. verſus 192. 194. 204. 196. & ſic porro, non interrupto ordine, uſque ad 200.

124. *Abrotonique.* Habrotonique Y. Z. Abrotanique N.

125. *Horum.* quorum C. O. P. V. Z. *unumquodvis.* unumquidvis Y. Z. *ciebis.* duobus; A mar. X. Y. Z. movebis C. E. M. N. P. revolvas V.

NOTÆ.

humanum conflatum eſt, ut expoſitum eſt libro tertio. Non debet igitur cuiquam eſſe incredibile, fluere à rebus omnibus imagines, quas dicamus eſſe natura tenuiſſima & ſubtiliſſima præditas. LAMB.

122. *Præterea, quæcunque ſuo &c.*] Horum 8. v. ſenſus eſt. Cum tanta Corpuſculorum copia ex hiſce Herbis graveolentibus exhaletur, ut vicinum Aërem compleat, dici non poteſt quantula ſit pars quæ ex ſuperficie deripitur, ac proinde cum Imago ſit ex iis duntaxat quæ ex ſuperficie dimanant, & cum Viſus ſenſorio habent Analogiam, excedere fidem, quantæ tenuitatis eſſe Imago debeat, & maxime, cum poſt multum tempus nihil quod ſenſibile ſit exhalatum deprehendatur; Mira ſane tenuitas Vaporis odoriferi, ac proinde Corpuſculorum ex quibus Vapor totus conſtat, cum v. g. ex pomo per aliquot menſes continuos emanat; & Pomum tamen nihilo factum minutius obſervetur. Cogita porro quam craſſus ſit iſte Vapor reſpectu Imaginis, & agnoſces *Imagines*, quæ per plures annos funduntur, ſi compoſitæ fuerint, non effecturas tantam molem; quanta eſt Vaporis uno momento temporis effluentis. CREECH.

122. *Odorem exſpirant*] Sic ſæpe loquitur, ut verbo *exſpirandi* quartum caſum tribuat: ſupra libro tertio ỳ. 720.

Unde cadavera rancenti jam viſcere vermeis
Exſpirant? LAMB.

123. *Panaces*] *Panaceam* vocat Virgil. libro duodecimo Æneid. 419.

Ambroſiæ ſuccos, & odoriferam panaceam.

à nonnullis *Heracleum* nominari ſcribit Dioſcorides libri tertii capite quinquageſimo quinto. *ipſo nomine omnium morborum remedium promittit,* inquit Plin. libri vigeſimi quinti capite quarto. LAMBINUS. Vulgo *panacea.* FAB.

123. *Abſinthia tætra*] Supra libro primo: 935.

Sed veluti pueris abſinthia tætra medentes
Cum dare conantur, &c. LAMB.

125. *Leviter ſi forte ciebis*] Cum in quinque libr.

Quamprimum noſcas rerum Simulacra vagare
Multa modis multis, nulla vi, caſſaque ſenſu.
Quorum quantula pars ſit Imago, dicere nemo eſt
Qui poſſit, neque eam rationem reddere dictis.
Sed ne forte putes ea demum ſola vagare,
Quaecunque ab rebus rerum Simulacra recedunt:
Sunt etiam, quae ſponte ſua gignuntur, & ipſa
Con-

INTERPRETATIO.

facile cognoſces multa rerum Simulachra multis modis vagari, nulla vi, & ſenſu caſſa: quorum Simulachrorum quantilla pars Imago ſit nemo poteſt dicere, aut illius ſubtilitatem dictis explicare: Ne vero forſan credas ea tantum Simulachra, quæ a rebus ipſis emittuntur per Aëra, vagari, ſunt etiam quædam Simulachra, quæ ſponte ſua gignuntur,

VARIÆ LECTIONES.

126. *Quam primum noſcas.* quin potius noſcas Y. Z. jam pote ſis noſcas I. V. *vagare.* vagari A. B. C. O. Y. ita verſ. 130. P.

128. *nemo eſt.* non eſt A marg. P. Verſus hic una cum ſeq. abeſt ab Y. Z.

129. *neque eam.* neque enim P.

130. *ea demum.* eadem Z. *vagare.* vagari N. Y Z.

NOTÆ.

libr. Manuſcriptis reperiſſem ſcriptum, *ſi forte duobus*: quia *ciebis* propius abeſſe ab antiqua ſcriptura mihi videbatur, quam *movebis*, quod eſt in vulgatis, ita excudendum curavi. Lamb. Veteres libri omnes: *duobus.* Hinc Lambinus: *ciebis.* Marullus: *movebis.* Gifan. Alii *Movebis*: Voſſius vero ad Catullum p. 270. *Revolvas*: & in ſequenti verſu è veteris ſcripturæ veſtigiis, *Quin potis es noſcas.* Creech. Hunc ex difficilimis Poëtæ locis eſſe puto, in quo nodum eruditi non ſolverint, ſed ruperint. Legunt Lambinus *ciebis*, Voſſius *revolvas*, Alii *movebis*, omnes ſine MSS. auctoritate, in quibus conſtanter *duobus* ſcribitur. Oritur mihi hinc ſuſpicio, id quod ſæpius huic Poëtæ fraudi fuit, & hic ſenſum corrupiſſe, omiſſum videlicet eſſe verſum aliquem a deſcriptoribus, quod præcedens verſus eodem verbo, quo ſequens, terminaretur. Atque ita forſan in Lucretio hic vel ſimilis interſerebatur olim verſiculus, legebaturque:

Horum unumquodvis leviter ſi forte duobus
Contrectes digitis, digitis exinde duobus
Quin potis es noſcas, &c.

Recte enim ita (innuentibus id etiam MSS.) emendavit Voſſius ad Catullum pag. 270. pro *quam primum*, atque *quin* per *etiam* explicavit; de quo videri quoque poteſt Index Gifanii pag. 178. neque aliter intelligendus eſt verſus qui exſtat 2: 29.

Quin tamen inter ſe proſtrati in gramine molli.

Ubi *quin tamen* idem eſt, quod *tamen etiam.* Haverc.

126. *Quamprimum noſcas*] Quidam codex: *Quando potis noſcas.* Gifan.

127. *Caſſaque ſenſu*] Alii interpretantur *Privata ſenſu*, ut *Aër lumine caſſus*; *Caſſum Anima Corpus* &c. quaſi id ageret *Lucretius*, ne hæc Simulachra ſenſum non habere neſciamus: At vero *Nulla vi, caſſaque ſenſu* melius interpreteris, *Quæ* vi tam debili feruntur, ut Organa movere, ſenſumque excitare non poſſint. Creech.

130. *Sed ne forte putes, &c.*] Poſt expoſitum familiarem illum, ac præcipuum modum generationis Imaginum, quas ἀποστάσεις & ἀποῤῥοίας vocat *Epicurus*, quia fiunt continua quadam direptione avolationeque tenuium quaſi membranularum ab extimis Corporibus; ℣. 14. explicat aliud Genus Imaginum, quas συστάσεις vocat Epicurus, quia ſunt quaſi quædam coagmentationes ſponte ſua in medio Aëre natæ, tanquam

Conſtituuntur in hoc coelo, qui dicitur aër:
Quae multis formata modis ſublime feruntur,
Nec ſpeciem mutare ſuam liquentia ceſſant:
Et quoiuſquemodi formarum vertere in ora.
Ut nubeis facile interdum concreſcere in alto
Cernimus, & mundi ſpeciem violare ſerenam,
Aëra mulcenteis motu: nam ſaepe Gigantum

Ora

INTERPRETATIO.

& in hoc noſtro inferiori Cœlo, qui Aër dicitur, coaleſcunt; Quæ quidem multis modis mire formata in altum feruntur, & cum tenuia ſint & minus compacta formam ſuam ſubinde mutant, & cujuslibet figuræ ſpeciem induunt; Ut aliquando videmus Nubes facile in alto concreſcere, & per Aërem delatas ſerenam Cœli faciem ſua nigredine deturpare; Sæpe enim videmus ſpecies Gigantum

VARIÆ LECTIONES.

133. Inſere 137. 138. P. Y. Z.
134. Inſere 139. 140. 141. 142. 143. P.
134. Hic poſt verſum 138. inſeritur in C.
135. Hic & ſequens collocantur poſt 143. C. E.
136. *ora.* oras c. O. P. Y. horas Z. malit P. legere *ora.* in not.
137. *facile.* facere Z. ſed ſuperſcrib. *facile. in alto.* in altum P.
137. Duo verſus deſunt E.
138. Poſt hunc inſeritur verſ. 134. C. Huic verſui 143. ſubjungit *Gaſſ. Creech.*
138. *violare.* violaſſe P.
139. *mulcenteis.* mulgentes A. B. D. I. mulgentes motum A. B. mulcentes: magnorum ſæpe C. E. N. P. mulcantes *quidam*, id eſt verberantes.

NOTÆ.

quam nubes, neque è rebus ipſis revera profluunt. Inde Gigantes, montes, Urbes, & id genus alia inter nubes ſæpe videmus, & ſtulti admirantur; Diodorus Siculus ſpectra commemorat formari ſponte ſolita in Africæ regionibus, quæ ſunt ultra Syrtes, & Cyrenen ſitæ: περὶ γὰρ τινὰς καιροὺς καὶ μάλιστα κατὰ τὰς νηνεμίας Συστάσεις ὁρῶνται κατὰ τὸν Ἀέρα παντοίων ζώων ἰδέας ἐμφαίνουσαι· τούτων δὲ αἱ μὲν ἠρεμοῦσιν, αἱ δὲ κίνησιν λαμβάνουσι, καὶ ποτὲ μὲν ὑποφεύγουσι, ποτὲ δὲ διώκουσι, &c. Epicuri voce Συστάσεις utitur *Diodorus*, ipſe Epicureus. Similia habet *Pomponius Mela*, de Mauritania quæ retro Atlantem, Similia *Plinius* de Scythiæ regionibus quæ infra Imaum: Nota etiam ſunt, quæ de *Morgana*, ſeu celebri illo Rheginorum ſpectaculo prodidit Kircherus: & in omni fere regione iſtiuſmodi Spectra plurimi vident, ſaltem putant ſe vidiſſe. Creech.

132. *Sponte ſua gignuntur*] Ex mixtione & συγκρίσεως. Fab.

133. *In hoc cælo, qui dicitur aër*] Confer Turneb. Opera p. 80. Lipſ. Ph. Stoic. p. 853. Serv. ad Virg. edit. Comm. pag. 80. 237. 537. 771. 878. Haverc.

134. *Sublime feruntur*) Ultima ſyllaba vocis *ſublime* ſemper corripitur à bonis ſcriptoribus. Jam vero ordinem horum decem verſuum fœde perturbatum reſtitui. Lamb.

138. *Mundi*) Cœli. Faber.

139. *Aëra mulcenteis motu: nam, &c.*) Sic reſtitui ex auctoritate duorum librorum Manuſcriptorum, quibuſcum conſentit Memmianus: alii duo habent,

Aera mulcentes motum.

quàm

Ora volare videntur, & umbram ducere late:
Interdum magni montes, avolſaque ſaxa
Montibus anteïre, & ſolem ſuccedere praeter:
Inde alios trahere, atque inducere bellua nimbos.

Nunc

INTERPRETATIO.

per altum ferri, & latam umbram explicare; Aliquando magni montes, aut Saxa montibus avulſa præcedere ſolem, aut ſubire; & poſt hæc ferarum monſtra in nubibus vagari & tenebras facere videntur.

VARIÆ LECTIONES.

141. *Magni montes.* montes magnos P.

143. Poſt hunc inſeruntur. verſ. 135. 136. C. P. Y. Z. Hunc verſui 138. ſubjungunt *Creech. Gaſſ. Bellua nimbos.* Nubila nimbos *Gaſſ.*

NOTÆ.

quam ſcripturam non damno. Vulgati autem,

Aera mulcenteis, magnorum ſæpe gigantum, &c.

quam lectionem rejeci. Porro autem fortaſſe etiam legere licet,

Aera mulcantes motu.

quod Simeoni Boſio videbatur, hac maxime ratione, quod paullo ante dixerit,

——— *& mundi ſpeciem violare ſerenam.*

mulcare autem, verberare, & pæne mutilare eſt, ut oſtendimus in commentariis ad Æmilium Probum, ſeu Cornelium Nepotem, de vita clarorum Græciæ imperatorum; indicavitque hujus verbi uſum prior Petr. Victorius in notis ad Cic. epiſtolas: reperi etiam in vocabulario Latino græco huic verbo hanc interpretationem Græcam ſubjunctam, *mulcavit*, ἠκίσατο. αἰκίζειν autem, ſive αἰκίζεσθαι, eſt *indecoris verberibus afficere, fœde verberare, fœdare.* Lamb. In libris fere: *mulcentes.* In quibuſdam etiam: *motu.* Vide *Mulgeo* in Indice. G. mutarunt librarii ſæpe in C. vel S. ex pronuntiatione. *Gero, Sero, &c.* Gifan. Simeo Boſius Vir Clariſſimus, cui emendationem Epiſtolarum ad Atticum debemus, legi probabat *mulcantes*; optime, ſi quid ſapio. Fab. Alii *Aëra mulcentes motum*; Gifanius *Aëra* mulgentes *motum*: id eſt, Impellentes, vel agitantes: Sic Ennius p. 72.

Mulſerat *huc navem compulſam fluctibus Pontus.*

Cicero in Arati Phænomen.

At propter ſe Aquila ardenti cum Corpore portat
Igniferum mulgens *tremebundis Aëra pennis.*

Alii: Aëra *mulcantes* motu: *Mulcare* autem verberare, & pene mutilare eſt, modò autem dixit

Cæli faciem violare *Serenam.*

Decem hi verſus ſunt in Codd. miſerè turbati. in aliquem ſaltem ordinem redegit *Lambinus*, forſan non in optimum. Verſum igitur 143.

Inde alios trahere atque inducere bellua *nimbos.*

loco ſuo motum, verſui 138.

Mundi ſpeciem violare ſerenam.

ſubjungas, & cum Gaſſendo legas:

Inde alios trahere, atque inducere Nubila *nimbos.*

Nihil tamen muto. Creech. Rectè, Adde Gronov. Obſerv. pag. 214. Haverc.

139. *Nam ſæpe gigantum, &c.*) Hæc ex *Nubibus* Ariſtophanis adumbrata putem. Fab.

141. *Interdum montes magni*) Sic in libris noſtris. Placet Lucretio hiatus. In quibuſdam veteribus, ut in Vulgatis, *magni montes.* Quidam libri: *montes magnos.* male. Gifan. Sic habent quatuor lib. Manuſcr. Memm. autem,

Interdum montes magni.

ordo eſt: interdum magni montes, & ſaxa montibus avulſa videntur anteire, & præter ſolem ſuccedere, id eſt, ſurſum ire & ſubire ultra ſolem, vel potius ante ſolem, & è regione ſolis. *præter* enim interdum idem valet quod *ante.* ſic orat. in Verr. frumentar. *Apronius interea pocula & cenam poſcebat. ſervi autem ejus, qui & moribus iiſdem eſſent, quibus dominus, & eodem genere ac loco nati, præter oculos Lollii hæc omnia ferebant. Præter oculos Lollii, id eſt, ante oculos Lollii*, inquit Non. ſic & Varro Eumen. *Præter matris*

Deûm

Nunc ea quam facili, & celeri ratione genantur,
Perpetuoque fluant ab rebus, lapſaque cedant.
Semper enim ſummum quidquid de rebus abundat,
Quod jaculentur: & hoc alias cum pervenit in res,

Tran-

INTERPRETATIO.

Nunc autem percipe quam facili celérique ratione iſta Simulachra generantur, jugique fluore a rebus avolantia recedant. Semper enim præſto eſt aliquod extremum in rerum ſuperficie quod iſtæ res emittant:

VARIÆ LECTIONES.

144. *Quam.* quæ Z. *facili.* facile Z. *genantur.* gerantur A. B. C. D. I. N. P. Y. Z.
146. *quidquid.* quicquam P. priſc. cod. *quidquid* P. in not.
147. *jaculentur.* jaculetur C. P.

NOTÆ.

Deûm ædem exaudio cymbalorum ſonitum. Quod autem Zoilus legit,

——— *montes magni, avolſaque ſaxa,*

quia (inquit) Lucretio placet hiatus, conſideret lector hominis confidentiam ſingularem pari ſtultitia & ignorantia conjunctam. LAMB.

143. *Inde alios trahere, atque inducere bellua nimbos*) Sic habent quinque libri Manuſcripti, ne quis forte contendat legendum *nubila*, ut eſt in vulgatis. Et videtur, inquit, bellua trahere, & inducere alios nimbos. quidam tamen hanc ſcripturam modice emendantes, legunt,

Inde altos trahere, &c. LAMB.

144. *Nunc ea quam facili, & celeri ratione genantur*] Nunc incipit docere, quam facile & celeriter gignantur imagines: qua de re ſic apud Laërtium; ἡ γένεσις τῶν εἰδώλων ἅμα τῷ νοήματι συμβαίνει, καὶ γὰρ ῥεῦσις ἀπὸ τῶν σωμάτων ἐπιπολῆς συνεχὴς ἢ μειώσει διὰ τὴν ἀναπλήρωσιν σώζουσα τὴν ἐπὶ τοῦ στερεμνίου θέσιν, καὶ τάξιν τῶν ἀτόμων ἐπὶ πολὺν χρόνον, εἰ καὶ ἐνίοτε συγχεομένη ὑπάρχει. id eſt, *Ortus imaginum celeritate cogitationem æquat. Fluxus eſt enim ab extremitate corporum, continuatione, aut diminutione per ſuppletionem diu conſervans ſitum, & ordinem corpuſculorum primorum in ſolido, &c.* LAMB. Perpetuo & jugi fluore & omni temporis momento Simulachra a rebus mitti ẏ. 18. probat argumento a *Speculis* ducto; Profer Speculum, cujuslibet rei objectæ Imago ſubitò apparet, quod tamen non fieret, niſi iſtius rei Imago ab ipſo Corpore fluens ab iſto Speculo rejiceretur: Si inquiras cur aliæ res non repellant Imagines; Reſpondet, alias eſſe raras, quas *Simulachra* permeant; alias poroſas aut aſperas eſſe, quibus ſcinduntur Imagines & diſſipantur; In læve verò, & æquabile Corpus impingant, quale eſt Speculum, ſubitò ad Oculos reflectuntur. CREECH.

144. *Genantur*] Gignantur. ſic ſine dubio hîc legendum, reclamantibus omnibus codicibus. *gerantur* autem, quod retinet homo βάσκανος, ferri non poteſt neque hîc, neque infra aliquot locis. ſic ſupra paullo ante locutus eſt. ẏ. 31.

Sunt etiam, quæ ſponte ſua gignuntur, &c.

& verba Laërtii meam ſententiam confirmant, ἡ γένεσις τῶν εἰδώλων, &c. & alter Lucretii verſus. infra. ẏ. 161.

——— *celer his rebus dicatur origo.*

nam *origo* quid aliud eſt, quam γένεσις? Deſinant igitur oblatrare barbari, & priuſquam reprehendant, diſcant, neque ſe plumis alienis ornent. LAMB.

145. *Cedant*] Subaudiendum, *oſtendamus*, aut tale aliquid. FAB.

146. *Summum quidquid*] Id eſt, ſummum quidque, ut ſæpe alias. LAMB.

146. *De rebus abundat*] De rebus fluit. LAMB. In quibuſdam libris: *quidquam*. GIF.

147. *Alias cum pervenit in res*] Hoc dicit: cùm ſimulacrum pervenit in res nullo ſplendore, nulloque lævore præditas, aut eæ res ſunt tenues, aut denſæ, ſi tenues, tranſit: ſin denſæ, ſcinditur. LAMB.

Tranſit, ut in primis Veſtem: ſed in aſpera Saxa,
Aut in materiem ut Ligni pervenit; ibi jam
Scinditur, ut nullum Simulacrum reddere poſſit.
At cum, ſplendida quae conſtant, oppôſta fuerunt,
Denſaque, ut in primis Speculum eſt: nihil accidit horum,
Nam neque uti veſtem poſſit tranſire, neque ante
Scindi, quam meminit laevor praeſtare ſalutem.

Qua-

INTERPRETATIO.

& hoc ita emiſſum cum pervenit in alias res, ut cum in veſtem v. gr. pervenerit, illas permeat: ſed ubi in aſpera Saxa, lignumve pervenerit, ibi frangitur & diſcerpitur, ita ut rei ipſius è qua emittitur imaginem reddere nequeat. At cum polita denſaque Corpora illi oppoſita ſunt in quæ incidat, quale Corpus Speculum præcipue eſt, tum nihil horum accidit, (neque permeat, neque frangitur) non enim poteſt permeare iſta Corpora tanquam Veſtem, neve frangitur & diſcerpitur priuſquam læve Speculum integrum reddit & illæſum;

VARIÆ LECTIONES.

148. *ſed in aſpera.* ubi aſpera B. C. D. E. I. N. P. Y. Z.
149. *materiem ut Ligni.* materiam ligni D. E. I. Y. Z.
151. *oppoſta.* oppoſita Y. Z.
152. *accidit.* occidit A. B. c. O. P. accedit M. accedet D. E.
153. *poſſit.* poſſunt C. N. P. Y. Z. *ante.* autem Y. Z.
154. *lævor.* levior P.

NOTÆ.

148. *In primis*] Ut ἤδη, αὐτίκα, *jam*, &c. Notandum; ſignificat enim *Exempli gratia.* Fab.

148. *Veſtem*] Veſtem aliquam tenuiſſimam intellige, ut Coam. Lamb.

151. *At cum ſplendida*] Duo ſunt omnium fere conſenſu neceſſaria ad ſpeculorum naturam, nempe corporis lævitas, ſeu lævor, qui numquam eſt ſine ſplendore: alterum eſt denſitas. nam ſi corpus ſit læve quidem & ſplendidum, ſed ita tenue, ut ſimulacrum à re fluens tranſeat: non erit ſpeculum, neque reddet imagines. Quo magis miror, Platonem in Timæo, ubi de ſpeculis diſputat, & cauſas imaginum, quæ à ſpeculis redduntur, affert, denſitatem omiſiſſe, cum ſplendorem & lævitatem póſuiſſet. ſic enim ille: τὸ δὲ περὶ τὴν τῶν κατόπτρων εἰδωλοποιίαν, καὶ πάντα ὅσα ἐμφανῆ καὶ λεῖα, κατιδεῖν οὐδὲν ἔτι χαλεπόν. ἐκ γὰρ τῆς ἐκτὸς ἐντός τε τοῦ πυρὸς ἑκατέρου κοινωνίας ἀλλήλοις, ἑνός τε αὖ περὶ τὴν λειότητα ἑκάστοτε γενομένου, καὶ πολλαχῇ μεταῤῥυθμισθέντος, πάντα τὰ τοιαῦτα ἐξ ἀνάγκης ἐμφαίνεται, τοῦ περὶ τὸ πρόσωπον πυρὸς, τῷ περὶ τὴν ὄψιν πυρὶ περὶ τὸ λεῖον καὶ λαμπρὸν συμπαγοῦς γιγνομένου· id eſt, *Quamobrem autem ſpecula, & quæ ſunt ſplendida, leviaque adſpectu, reddant imagines, non eſt difficile etiam cognoſcere. Nam ex ignis externi & interni inter ſe communicatione, qui aſſidue & continenter in lævore fit unus, & ſæpe numero ad eum applicatur, atque accommodatur, tales imagines neceſſario repræſentantur, cum is ignis, qui ori & faciei circundatus eſt, ſeſe cum eo igni qui oculis offuſus eſt, in corpore ſplendido & levi conjunxit, & confudit.* Cum ſint autem duæ de ratione ſpeculorum, id eſt, quamobrem ſpecula reddant, & repræſentent imagines, ſententiæ: (alii enim dicunt corporum, quæ ſpeculo oppoſita ſunt, imagines cerni in ſpeculo, non quod ipſæ imagines quæ cernuntur, ſint in ſpeculo, ſed quod ipſa oculorum acies in ſpeculum per rectam lineam projecta, in ſeipſam à ſpeculo per aliam rectam lineam reflectatur: alii ſimulacra ipſa cerni putant à noſtris corporibus miſſa & profuſa in corpus læve, & ſplendidum, & denſum:) horum ſententiam ſequitur Epicurus: Pythagorei & mathematici alteram probant. Lamb.

152. *Nihil accidit horum*) Neque imago ſcinditur,

Quapropter fit, ut hinc nobis Simulacra genantur,
Et quamvis ſubito, quovis in tempore, quamque
Rem contra Speculum ponas, apparet Imago:
Perpetuò fluere ut noſcas è corpore ſummo
Texturas rerum tenueis, tenueiſque figuras.
Ergo multa brevi ſpatio Simulacra genuntur,
Ut merito celer his rebus dicatur origo.

Et

INTERPRETATIO.

& inde fit quod Imagines ad noſtros oculos ferantur: & repente licet, quovis etiam temporis momento rem aliquam ponas contra Speculum, illius rei Imago apparet, unde manifeſtum eſt tenues rerum texturas, & veluti Cortices jugi fluore avolare: Brevi ergo temporis ſpatio multa Simulachra generantur, & merito dicitur illa celeri ratione naſci.

VARIÆ LECTIONES.

155. *genantur.* gerantur C. D. A. B. I. P. redundent C. E. V. Y. Z.
158. *è corpore.* corpore Z.
159. *Texturas.* Exturas *Meurſius.* Deëſt *tenueis* E.
160. *brevi.* brevis Z. ſed man. rec. correct. *genuntur.* geruntur A. B. D. E. I. N. P. V. Y. Z.
161. *celer his.* celeris rebus c. P. quidam legunt *celer his* P. in not.

NOTÆ.

ditur, neque tranſit. quidam libri tamen habent, ——— *nihil occidit horum.* LAMB.

Occidit. Sic in Vett. noſtris, rectiſſime, ut infra *ſcinditur;* excidium indicans. Et mox opponit *ſalutem.* Alii: *accidit.* Quod eſt Marulli. GIF. Gifanius, *Nihil occidit*, viz. Nihil Simulachrorum tum perit; Hæc quidem ferri poteſt lectio, ſed altera probabilior. CREECH.

155. *Ut hinc ſimulacra genantur*) Id eſt, gignantur. In quibuſdam libris & Manuſcriptis & impreſſis legitur *redundent*: in nonnullis *reſultent.* quæ verba puto eſſe ſubdita ab iis qui videbant verbum *gerantur* huic loco convenire non poſſe. LAMB. Quidam veteres, & Vulgati: *redundent.* In quibuſdam libris: *reſultent.* GIFAN.

156. *Et quamvis ſubito*) Et quantumvis ſubito. LAMB.

158. *Perpetuo fluere ut noſcas*) Quamcumque rem ſpeculo oppoſueris, ejus rei quantumvis ſubito imago apparet. ex quo intelligere licet, tenueis rerum quaſi membranas & texturas è ſummis rerum corporibus perpetuo, & continenter, & indeſinenter fluere. Unde efficitur, quod ante dixi, & Plato prôbat, imaginem quæ in ſpeculo cernitur, non eſſe unum quiddam ſtabile & certum, & idem: ſed alias atque alias eſſe imagines, alteram in alterius locum deinceps, & ſine ulla interruptione ſuccedenteis: quod probat & Lucretius à ſimilitudine luminum & radiorum ſolis. LAMB. Ea enim eſt *Epicuri* ſententia, Imaginem, quæ in Speculo cernitur, non eſſe quid unum conſtans, certum, ſtabile, & idem, ſed alias atque alias Imagines, alteram in alterius locum, deinceps & ſine ulla interruptione ſuccedentes. CREECH.

159. *Texturas*) Meurſius *Exturas rerum.* CREECH.

161. *Ut merito celer his*) Nomen *celer* hîc fœminini generis eſt, ut ſit *hic*, & *hæc*, & *hoc celer.* Sic autem legitur in lib. Manuſcriptis: & ita legebat Avancius. LAMB. Ita in libris noſtris, rectiſſime. GIFAN.

161. *His rebus*] His texturis rerum, id eſt, imaginibus. LAMB.

161 *Origo*] Γένεσις. Itaque recte & merito dicuntur *gigni* imagines, ſeu *geni*, non *geri*, ut volunt Thraſones. LAMB.

Et quaſi multa brevi ſpatio ſubmittere debet
Lumina Sol, ut perpetuo ſint omnia plena:
Sic à rebus item ſimili ratione neceſſe eſt
Temporis in puncto rerum Simulacra ferantur
Multa modis multis in cunctas undique parteis:
Quandoquidem Speculum quocunque obvertimus, oris

Res

INTERPRETATIO.

Et ut Sol debet brevi temporis ſpatio multam lucem emittere, ut Cœlum omne ſit illa perpetuo repletum; Sic etiam neceſſe eſt ut Rerum multa Simulachra in puncto temporis a rebus in omnes undique partes jaciantur, quocunque enim Speculum obvertimus

VARIÆ LECTIONES.

162. *Et quaſi.* & ceu C. E. N.
164. *à.* ab Y. Z. *item.* idem P.
167. *Quocunque obvertimus, oris.* quoïcunque obvertimus oræ, *vel* quamcunque obvertimus oram L. quodcunque A. B. K. quocunque c. E. P. N. V. Y. Z. obvertimus, illuc A. obvertimus oris a. K. illud C. E. N. P. omnis V. deëſt *oris.* Y. queiſcunque obvertimus oris *Lamb. & Reliqui illum ſecuti.*

NOTÆ.

162. *Et quaſi*) Hoc ab iis depravatum fuit, contra veteres libros, qui particulæ *quaſi* uſum non tenebant. Gifan. Cum libri Manuſcripti haberent,

Et quaſi multa, &c.

Idque lectori indicare olim ſatis habuiſſem, vulgati autem *Et ceu*: ego conjectura ductus, quod *quaſi* pro *quemadmodum* videretur eſſe minus uſitatum, in prima editione repoſueram *Atque ut:* in ſecunda vero mutavi factum, & libros veteres ſecutus, excudendum curavi, *Et quaſi.* quod item & nunc teneo. *Et quaſi* autem, id eſt, *Et quemadmodum.* Sic libr. 3: 148.

Et quaſi cum caput, atque oculus, tentante dolore,
Læditur in nobis, &c. Lamb.

Perpetuum jugemque Imaginum fluorem ℣. 7. illuſtrat & confirmat; Ut Luce plena ſint omnia, radii a Sole perpetuo mittendi ſunt, pari ratione Simulachra a rebus avolent neceſſe eſt, quocunque enim obvertas Speculum apparet rei oppoſitæ Imago, nec, quamdiu res ſitum ſuum ſervat, iſta diſparet Imago. Creech.

167. *Queiſcunque obvertimus oris, res ibi*) Cum in duobus codic. Manuſc. Bertiniano & Memm. ſcriptum reperiſſem,

——— *quocumque obvertimus oris:*

curavi excudendum,

——— *quiſcumque obvertimus oris,*

id eſt, quibuſcumque regionibus obvertimus. Vaticanus porro habet,

——— *quocumque obvertimus, illuc*
Res tibi reſpondent, &c.

nempe ſpeculum. Adr. Turnebus hanc ſcripturam antiquam,

——— *quocumque obvertimus oris,*

paullum immutatam, tuetur, nempe ex ea faciens,

——— *quoicumque obvertimus æris:*

eamque ſic explicat, *cuicumque æris*, id eſt, cuicumque ſpeculi parti obvertimus, &c. non placet. Alii ſcripturam cod. Vatic. retinent. ego, ſi quid ſit mutandum, ſic malim legi,

——— *quoicumque obvertimus oræ,*

vel,

——— *quamcumque obvertimus oram:*

pro *ob quamcumque vertimus oram.* Lamb. Sic veteres libri. Quidam tamen: *quo.* quidam *æris,* non male. Vide Indicem: *ſpeculum.* quidam: *illuc.* quidam: *advertimus.* Vide in Indice: *Obvertere.* Gif. Alii

——— Quo-

Res ibi reſpondent ſimili forma, atque colore.
  Praeterea, modo quom fuerit liquidiſſima coeli
Tempeſtas, perquam ſubito fit turbida foede
Undique, uti tenebras omneis Acherunta rearis
Liquiſſe, & magnas coeli complêſſe cavernas.
Uſque adeo tetra nimborum nocte coörta,

Im-

INTERPRETATIO.

in illo apparent res ea forma eoque colore quo revera ſunt. Præterea, cum Cœli facies modo fuerit maxime ſerena, ſubito fœdis denſiſque tenebris ex omni parte obducitur, ita ut putes omnes tenebras Inferos reliquiſſe, & ſpatioſa Cœli loca repleviſſe, tam atra & horrenda nox è coactis nubibus coörta

VARIÆ LECTIONES.

168. *Res ibi.* res tibi A. I. res ſibi Z.
170. *fœdè.* ſæpe *Gaſſ.*
171. *uti tenebras.* uti in tenebras I. *uti tenebras.* Z. ſed corr. m. r. *Acherunta rearis.* Acheronte retecto c. P. reamur C. E. M. N.

NOTÆ.

—— Quocunque *obvertimus*, illuc
  Res tibi reſpondent;

Alii

—— *Speculum* quoïcunque *obvertimus* Æris.

Lambinus maluit,

—— Quoïcunque *obvertimus* oræ.

Alius vero neſcio quis legit,

—— Quocunque *obvertimus*, omneis
  Res tibi *reſpondet.* CREECH.

Turnebi verba ſunt lib. XIII. Adv. cap. 20. *Emendandum reor:*

—— *quocunque obvertimus æris.*

Nam e Plinio & Ariſtotele ſcimus, antiquorum ſpecula ærea fuiſſe. Ubi tamen nihil immutat. Speculorum ex ære confectionem in S. litteris etiam commemoratam vide Exod. XXXVIII. 8. Job XXXVII. 18. PREIG. Gronov. Obſ. III: XIX. ſeu pag. 607, 608, 609. multis probare conatur, legendum hîc eſſe *quacunque*, id eſt, qua parte, *oris*, id eſt, extremitatibus, ab *ora*, *oræ*. Ego cenſeo legendum juxta MSS. nulla facta mutatione, niſi in interpunctatione:

Quandoquidem ſpeculum quocunque obvertimus, oris
  Res ibi reſpondent, &c.

ſicuti enim *Veneris res*, dixit 2: 173. 437. & 5: 846. quæ ad amorem; ita hic *Oris res*, quæ ad ſpeciem & ſimilitudinem pertinent. HAVER.

169. *Præterea*] Aliud ſimile. LAMB. Aliud, ſed id minus validum argumentum ỳ. 8. ſequentes continent; Serenum Cœlum videmus ſubito denſis nubibus obductum; Iſtæ vero Nubes è Terra aut è Mari ſurgunt, ſpiſſa ſunt graviaque Corpora: Quid igitur tenues leveſque Imagines moretur? Hos verſus iniquo loco diſpoſitos eſſe exiſtimat *Nardius*, & ſuperiùs collocari debere, quà de Imaginum exilitate agitur; Sed quis iſte *Nardius*? CREECH.

170. *Tempeſtas*] *Tempeſtas* nomen eſt μέσον, id eſt, medium. ſic enim loquuntur Latini, *tempeſtas liquida, idonea, bona, egregia:* & contra, *turbida, adverſa, mala.* Varr. l. 6. de ling. Lat. in XII. tab. *Solis occaſus diei ſuprema tempeſtas eſto.* LAMB.

171. *Acherunta rearis*] Sic habet cod. Vatic. Bert. & Memm. alii *reamur:* nonnulli,

—— —— —— *Acherunte relicto.*

plane mendoſe. Iteratur autem hic verſus cum tribus deinceps ſequentib. lib. 6. LAMB. Ita fere veteres libri. Quidam: *Acherunte retecto.* ut ſit Græce: *uti liquiſſe.* ὥστε. Marullus: *reamur.* GIFAN.

172. *Cœli compleſſe cavernas*] Sic Varro Marcipore, apud Nonium:

Nu-

Impendent atrae formidinis ora ſupernè.
Quorum quantula pars ſit Imago, dicere nemo eſt,
Qui poſſit, neque eam rationem reddere dictis.
Nunc age, quam celeri motu Simulacra ferantur,
Et quæ mobilitas ollis tranantibus auras
Reddita ſit, longo ut ſpatio brevis hora teratur,

In

INTERPRETATIO.

impendet deſuper, & terret. At iſtarum nubium quantilla pars Imago *ſit, nemo poteſt dicere, aut illius exiguitatem verbis explicare. Nunc autem age, quanta celeritate Simulachra hæc moventur, & quam celer ſit eorum tranſitus cum Aëra pervolant, ita ut immenſum Loci ſpatium brevi temporis ſpatio emetiantur*

VARIÆ LECTIONES.

176. *rationem.* ratione Y. Z.

179. *ut ſpatio brevis hora.* ora N. ſpatio ut brevis ora. C. P. ſpatio ut brevis hora Y. Z. priſci codd. *brevis aura* P. in not. *teratur.* feratur O. P. Y. Z.

NOTÆ.

Nubes Aquaī frigido velo leves
Cœli cavernās aureas ſubduxerant.

& M. Tull. in Arato:

Dicitur & late Cœli luſtrare cavernas.

Ennius pag. 327.

Cœli ingentes fornices. Lamb.

Alii locum Varronis protulerunt; ego item alium ex Manilio in 1: 202.

Eſt igitur tellus mediam ſortita cavernam
Aëris.

Ex Lucretio. Faber.

175. *Quorum quantula*] Quidam docti exiſtimant, hunc verſum cum eo qui deinceps ſequitur, alieno loco eſſe inculcatos, cum ſupra ſuo poſiti fuerint. ego eos ſcriptos reperi in quatuor codicib. manuſcript. & excuſis omnibus. neque continuo, ſi ſupra poſiti ſunt, hinc ſunt expungendi. Lamb.

175. *Dicere nemo eſt, qui poſſit*] Idem dicit, quod ſupra ꝟ. 64.

——— *hiſcendi eſt nulla poteſtas.* Lamb.

177. *Nunc age quam celeri*] Nunc de motus imaginum celeritate incipit explicare. Qua de re & Diog. Laërtius pluribus verbis. Sed de multis hæc pauca adſcribam: Καὶ μὴν καὶ ἡ διὰ τοῦ κενοῦ φορὰ κατὰ μηδεμίαν ἀπάντησιν τῶν ἀντικοψάντων γινομένη, πᾶν μῆκος περιληπτὸν ἐν ἀπερινοήτῳ χρόνῳ συντελεῖ, id eſt, *Porro autem motus* (imaginum) *qui fit per inane, nulla re, quæ earum, dum feruntur, impetum remoretur ac retardet, occurrente, longitudinem omnem quæ comprehendi poteſt, in tempore quod cogitatione comprehendi non poteſt, peragrat.* Animadvertat autem lector, hoc loco Lucretium uti verbo *feruntur*, ubi de motu & celeritate imaginum ſermo habetur. ſupra autem, ubi de ortu earumdem loquitur, verbum *gignendi* & *genendi* uſurpaſſe: ibique verbum *gerendi*, quod Zoilus pro *ferendi* verbo poſitum eſſe contendit, nullo modo convenire poſſe. Lamb. V. 7. Monet *Lucretius*, ſe de Imaginum harum mobilitate breviter diſputaturum; nec profecto longa diſputatione opus, cum Simulachra vagari ea motus celeritate, qua nulla major poteſt concipi, Specula demonſtrant. Creech.

179. *Reddita ſit*] Id eſt, attributa ſit, ut ſupra jam non ſemel, & multis verbis, multiſque exemplis docuimus. Lamb.

179. *Ut brevis hora teratur*] Sic legendum cenſeo, ſecutus tamen nonnullos libros typis excuſos. ſignificat autem Lucretius, ſimulacra eſſe mobiliſſima, & celerrime ferri, quia breviſſimo tempore longum ſpatium peragrant. hoc enim ſignificant hæc verba,

——— *Longo ut ſpatio brevis hora teratur,*

ut breve ſpatium temporis longo loci ſpatio contera-

In quemcunque locum diverſo numine tendunt,
Suavidicis potius, quam multis verſibus edam:
Parvus ut eſt Cycni melior canor, ille Gruum quam
Clamor, in aetheriis diſperſus nubibus Auſtri.
Principio, perſaepe leveis res, atque minutis
Corporibus factas, celereis licet eſſe videre.

In

INTERPRETATIO.

in quemcunque locum vario motu ſingula ferantur; ſuavibus potius quam multis verſibus explicabo; ut parvus breviſque Oloris cantus gratior eſt quam iſte Gruum magnus ſtrepitus, qui longe per Aëra diffunditur. Primò, ſæpe videmus leves res, & factas è minutis Corporibus celeri motu ferri:

VARIÆ LECTIONES.

180. *In quemcunque locum.* quem quæque locum. A. B. C. D. E. I. M. N. Y. Z. *Creech.* *numine tendunt.* momine tendit C. E. numine c. nomine tendit N. tendit P. Y. Z. ſcribit *momine.* in not. P.
182. *Cycni.* cygni Y. cycni Z. ſed man. rec. mut. in *cygni.*
183. *ætheriis.* ætherii Z. *diſperſus.* diſperſis C.
185. *factas.* ſtanteis, celeres c. N. P.

NOTÆ.

teratur. Et vero Ariſt. lib. 4. Phyſic. *celere* ſic definit, quod brevi tempore longum ſpatium percurrit: *tardum*, quod longo tempore breve ſpatium permetitur. Lamb. Ita quidam vulgati. In aliis libris: *feratur.* Hypallage ſubeſt. Gifan. Momento temporis magnum ſpatium conficiatur. Fab.

180. *In quemcunque locum diverſo numine tendunt*] Sic habet codex Vaticanus, niſi quod habet *tendit*, plane mendoſe: *tendunt* enim legendum, cum ſubintelligatur vox numeri multitudinis *ſimulacra.* Præterea codex Bertinian. & Memm. habent,

In quem quæque locum.

diverſo numine autem, id eſt, diverſo nutu. quidam tamen legi volunt *diverſo momine*, ut habent nonnulli libri vulgati, id eſt, diverſo motu. Lamb. Male Marullus contra veteres libros: *momine.* Quidam libri: *quemcumque.* Gifan. *In quem quæque*, Alii, melius: & pro *Numine* legunt *Momine.* Creech.

180. *Numine*] Nutu, motu. Jam alibi, & apud Virgilium. Fab.

182. *Parvus ut eſt Cycni melior*] Sic ſupra initio lib. 3. dicit non eſſe, quod hirundo contendat cum cycnis. Sed cum hoc loco maxime congruit illud Antipatri in Erinnam lib. 3. Epigramm.

Λῷτερος κύκνου μικρὸς θρόος, ἠὲ κολοιῶν
Κρωγμὸς, ἐν εἰαριναῖς κιδνάμενος νεφέλαις.

id eſt,

Parvus cycnorum melior cantus, ſtrepitus quam
Graccorum nebulis ſparſus in ætheriis. Lamb.

183. *Ætheriis*] Quidam libri habent *ætherii.* Lamb. *Ætherei*, male. Noſter infra ỷ. 909. & alii poëtæ id epitheton attribuunt nubibus. Gif.

184. *Principio, perſæpe leves, &c.*] ỷ. 15. Celeritatem trajectionis Imaginum explicat, Comparatione facta inter motum Simulachrorum & Radiorum Solarium a Cœlo ad Terram tempore imperceptibili pertingentium. Unde enim iſta Radiorum Solarium celeritas? nempe Exigua ſunt Corpora & ſubtilia, facile emittuntur è Corpore Solari, ab aliis radiis perpetuo inſequentibus protruduntur, & res tam ſubtiles Aër interjacens non impedit? Si vero hæc faciunt ut Radii Solares celerrimè ferantur, Eadem etiam efficient, ut Simulachrorum trajectio ſit celerrima. Creech.

186.

In quo jam genere eſt Solis lux, & vapor ejus,
Propterea quia ſunt è primis facta minutis:
Quae quaſi truduntur, perque Aëris intervallum
Non dubitant tranſire, ſequenti concita plaga.
Suppeditatur enim confeſtim lumine lumen,

Et

INTERPRETATIO.

Cujus generis ſunt lux Solis, atque ejus Calor; quia componuntur è minutis Seminibus, quæ quaſi protruduntur, & per interjacentem Aëra tranſeunt ab alio Calore & Luce a tergo inſequente propulſa: nam jugi fluore Lux Lucem ſequitur,

VARIÆ LECTIONES.

188. *truduntur.* cuduntur A. B. C. E. I. N. P. Y. Z.

NOTÆ.

186. *Solis lux*] Nam etiam Mathematici docent, lumen non impeditum, per totum id ſpatium, quod ei ex proportione reſpondeat, puncto temporis, & tempore, quod ſenſum effugit, diffundi. LAMB.

186. *Et vapor ejus*] Et calor ejus. LAMBIN.

187. *E primis*] E primordiis, ſeu principiis. ſic lib. 2: 935.

Nec quicquam commutari ſine conciliatu
Primorum.

ubi tamen legendum videtur potiùs

——— *ſine conciliatu*
Principium.

& propius accedit ad ſcripturam receptam: vide quæ ad illum locum adnotavimus. LAMB.

188. *Quæ quaſi truduntur*] Sic habet cod. Scipionis Tettii, & item cod. Faërni: ceteri,

Quæ quaſi cuduntur. LAMB.

Cuduntur. Ita plerique omnes libri. Sic infra: *procudit.* In quibuſdam: *truduntur.* Non male; ut infra ſæpe. GIFAN.

189. *Non dubitant*] Sic locutus eſt lib. 6: 1190.

A pedibuſque minutatim ſuccedere frigus
Non dubitabat. LAMB.

191. *Protelo*] Tenore, impulſu viciſſitudinario. Lucilius.

Quem neque Lucanis oriundi montibus tauri
Ducere protelo validis cervicibus poſſent.

Idem.

Hunc juga mulorum protelo ducere centum
Non poſſent.

Protelare in hoc ſignificatu eſt percutere, excludere. PIUS. Impulſu producto, perpetuo, & continuo, ut ſupra diximus. LAMB. Motu continuato. FABER. Lib. 2: ℣. 531.

Ex Infinito rerum Summam uſque tenere
Undique protelo *plagarum continuato.* CREECH.

191. *Fulgure fulgur*] Id eſt fulgore fulgor. Fulgor enim & fulgur pro eodem uſurpantur à Lucretio & nonnullis aliis. LAMBINUS.

193. *Immemorabile*] Adeo prolixum ut vix memorari poſſit. priſci codices habent, *Innumerabile*: latum ſcilicet ut numerari non poſſit. PIUS. Αδιήγητον, καὶ ἀμύθητον, & ita immenſum. LAMBINUS. Ανεκδιήγητον, inexplicabile, immenſum. FABER. Ita Plautus in Captiv. in Prologo ℣. 56.

Neque ſpurcidici inſunt verſus immemorabiles.

Verſus immemorabiles dixit, quales Græci vocant ἀῤῥήτους, obſervante Voſſio de Analogia lib. II. pag. 398. HAVERC.

194. *Quod parvola cauſa eſt, procul à tergo*] Sic edi juſſeram jam in prima editione: quod intelligere licet ex annotatione jam olim adſcripta ad locum illum, *ubi tam volucri*, infra. Neque eſt quod quemquam ſecunda editio, quæ hoc loco cum prima congruit, moveat. Nam ſæpe, & multis locis, me inſcio & imprudente, typographus primam ſecutus eſt, cum juſſiſſem mutari. LAMB. At ego priorem illam rationem (*quod parvola cauſa eſt*,) ſi veritati minus eſſe conſentaneam dixero, id omnes, qui in hoc genere

nere

Et quaſi protelo ſtimulatur fulgure fulgur.
Quapropter Simulacra pari ratione neceſſe eſt
Immemorabile per ſpatium tranſcurrere poſſe
Temporis in puncto: primùm quod parvola cauſa
Eſt procul à tergo quae provehat, atque propellat:
Dein-

INTERPRETATIO.

& perpetuo continuatoque impulſu Splendor a ſplendore protruditur. Quapropter pari ratione neceſſe eſt Simulachra *momento temporis immenſum, & quod vix concipi poteſt ſpatium pertranſire poſſe, primo, quia eſt ſufficiens vis quæ iſta minuta a tergo provehat & protrudat,*

VARIÆ LECTIONES.

193. *Immemorabile.* priſci cod. innumerabile P. in not. ira memorabile X.
194. *parvola cauſa.* plurima cauſa F. parvula cauſa Y. Z. aliique.
195. *Eſt.* Es X. *atque propellat.* & propellat P. in not. *Eſt procul.* & ſatis C. E. eſt ſatis N. codd. P. procul; interſerunt dein v. 204. hoc pacto: Quod ſupereſt, ubi tam volucri levitate ferantur P. Y. Z.

NOTÆ.

nere ſtudiorum aliquid vident, mihi aſſenſuros eſſe confido. Quis enim unquam fando accepit? quis ſomniavit, eo citius moveri aliquid, in quo infirmior cauſa ſit, & principium motûs imbecillius, & languidius? Contra certe faciunt quæ modo de luce ſolis ſcripſerat:

In quo jam genere eſt ſolis lux, & vapor ejus;
Propterea quia ſunt è Primis facta minutis;
Quæ quaſi truduntur, perque aëris intervallum
Non dubitant tranſire, ſequenti concita plagâ,
Suppeditatur enim confeſtim lumine lumen,
Et quaſi protelo ſtimulatur fulgure fulgur.

Hinc igitur ablegandum eſt iſtud *parvola*, & vera ac ingenua lectio in ſuam ſedem jure poſtliminii revocanda:

——— *primum quod* plurima *cauſa*
Eſt, procul à tergo, &c.

Videbit Lector ipſe, (quid enim pluribus opus eſt?) quanta hic abſurditas antea lateret: *monſtrum horrendum, ingens,* &c. Et tamen hoc illud eſt quod omnes legebant, quod omnes probabant. Nos, niſi fallimur, ſanius. FAB. Hæc quidem Faber; ſatis arroganter: Non opus autem iſta emendatione, ſi *Parvola* non voci *Cauſa*, ſed *Simulachra* jungas. vide ℣. 66. CREECH.

195. *Eſt procul à tergo*] Ita Veteres libri. Marullus & Vulgati: *ſatis.* vide Indicem: *Eſt.* GIF.

295. *Atque propellat*] Quidam *& propellat* ſcribunt, evitantes ne *pro* corripiant: cum pluribus ſit ad placitum vel, teſtimonio Satyrici, qui ait:

Profectura domo.

Probum (Edit. Putſchii p. 1429.) in artium inſtitutis audire non erit præter propter. *Pro præpoſitio, cum loquelaris fuerit, ſemper producitur, ut:*

Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto.

At, cum caſualis fuerit, varie ponitur. alibi enim longa, alibi brevis invenitur. Eſt operæ pretium monere quando brevis debeat, quando longa conſtitui. Si hanc præcedentem ſyllabam ſecuta fuerit altera ſyllaba, neceſſario prior corripitur: ut in Lucretio 6: 6.

Omnia veridico quæ quondam ex ore profudit.

At, cum poſitione ſyllaba longa fuerit conſecuta, frequenter producitur in verbis ſive participiis, ut in Virgil. Æn. 12: 280.

Procurrunt Laurentum: hinc denſi rurſus inundant. *alibi autem brevis, alibi longa eſt. In nominibus brevis eſt in hoc: ut* in Virgil. Æn. 1: 62.

Ni faciat, maria, ac terras cœlumque profundum: longa in ultimo verbo brevis ponitur. In his ſane varietatibus quam maxime auctoritas quærenda eſt. *Propago* in nominativo prima ſyllaba brevis eſt, ut in Virgil. Æn. 6: 871.

——— *Nimium vobis Romana propago.*

Propertius 2: 25: 85.

Hæc quoque profecto ludebat Jaſone Varro.

At in ablativo longa eſt. ut in Virgil. Georg. 2: 64.

——— *Melius propagine vites Reſpondent.* PIUS.

199.

Deinde, quod uſque adeo textura praedita rara
Mittuntur, facile ut quaſvis penetrare queant res,
Et quaſi permanare per Aëris intervallum.
Praeterea, ſi, quae penitus Corpuſcula rerum
Ex alto in terras mittuntur, Solis uti lux,
Ac vapor, haec puncto cernuntur lapſa diei
Per totum coeli ſpatium diffundere ſeſe:
Perque volare mare, ac terras, coelumque rigare

Quod

INTERPRETATIO.

deinde quoniam tam tenuia & ſubtilia ſunt, ut res quaſvis facile penetrare queant, & interjacentem Aërem quaſi permanare: Præterea, ſi illa Corpuſbula rerum quæ ex interioribus rerum partibus è cœlo in Terras mittuntur, qualia ſunt Lux & Calor Solis momento temporis per totum Cœli ſpatium ſe diffundunt, ſi per Terras, Cœlumque quod ſupra eſt, volent,

VARIÆ LECTIONES.

198. *permanare.* permanere X. *Aëris.* acris X.
200. *Ex alto in terras.* Ex altoque foras mittuntur c. O. P. Q. V. X. Y. Z. *Creech.* ex alto in terras *priſci codd. Pii.*
202. *diffundere.* defundere Z.
203. *mare.* morc X. *rigare.* rigore X.

NOTÆ.

199. *Præterea, ſi quæ penitus, &c.*] Præterea, ſi ea quæ ex alto & ex intimis rerum partibus mittuntur, puncto temporis per immenſum ſpatium ſeſe diffundunt, tantaque levitate feruntur: quanto celerius moveri, quantoque longius intervallum tranſcurrere credibile eſt ea quæ è ſummis corporibus mittuntur, & quæ ſunt in prima fronte, atque in promptu poſita, nempe imagines? LAMB. Modo probavit Imagines pari celeritate cum Solis radiis ferri, jam majorem ℣. 11. illis attribuit; Quippe ſubtiliores ſunt Imagines, &, quod ad illarum celeritatem vehementer facit, fluunt a rerum Superficie, & ſeſe facile expediunt, dum Calor & Lux ab interioribus Solis partibus mittuntur. Quidam legunt

—— *Quæ penitus Corpuſcula rerum*
Ex altoque foras *mittuntur:*

& forſan rectiùs. CREECH.

201. *Puncto diei*] Eν ἀκαρεῖ. *Dies* tempus eſt. FABER.

203. *Cœlumque rigare*] Per Cœlum diffundi, & illud complere: Sic lib. 5: ℣. 593.

Tantulus ille queat tantum Sol mittere lumen;
Quod Maria, ac Terras omnes, Cœlumque rigando
Compleat, *& calido perfundat cuncta vapore.*

Sic Atomorum trajectiones Epicurus ad Pythoclem vocat ἐπαρδεύσεις. CREECH.

204. *Quod ſupera eſt*] Cœlum, quod eſt ſupra. LAMB.

204. *Ubi tam volucri*) Propterea quod multa interpoſuerat, ab illo loco *ſi quæ penitus*, &c. ut ſuccurrat memoriæ lectoris, ſubjungit quaſi de integro, *ubi hæc*, id eſt, quandoquidem hæc, &c. non diſſimulabo tamen hunc verſum abeſſe hoc loco à quibuſdam libr. Manuſcr. & poſitum eſſe ſuprà poſt verſum,

Eſt procul à tergo, &c.

Ex quo ſuſpicatus aliquando ſum, eum non eſſe Lucretianum. LAMBIN. Hîc verſus in veteribus quibuſdam ponitur ſupra, poſt illum:

Eſt procul à tergo, &c. GIF.

205. *Quid quæ ſunt igitur jam prima in fronte*) Sic habebant aliquot libri veteres, & recentiores. alii, *tam prima fr.* alii, *in prima fr.* Ego ſic legendum puto,

Quid

Quod ſupera eſt: ubi tam volucri haec levitate feruntur.
Quid? quae ſunt igitur jam prima in fronte parata
Cum jaciuntur, & emiſſum res nulla moratur,
Nonne vides citiùs debere, & longius ire:
Multiplexque loci ſpatium tranſcurrere eodem
Tempore, quo Solis pervolgant lumina coelum?
Hoc etiam in primis ſpecimen verum eſſe videtur,
Quam celeri motu rerum Simulacra ferantur,

Quod

INTERPRETATIO.

& illud impleant propter celeritatem motus qua feruntur: Quid nonne manifeſtum eſt illa Corpora quæ in promptu ſunt in rerum Superficie collocata, & quæ cùm jaciuntur nulla res impedit quin libere avolent, debere celerius moveri, & majus loci ſpatium pertranſire eodem tempore quo Solis radii Cœlum percurrunt? Hinc etiam ſumas egregium ſpecimen celeritatis iſtius motus quo Imagines *feruntur,*

VARIÆ LECTIONES.

204. *ſupera eſt.* ſupereſt C. E. P. X. in ſuperioribus poſt v. 195. inſeritur hic verſus Y. Z. *hæc.* abeſt in Q. X. *feruntur.* ferantur Q. X.

205. *jam prima in fronte.* igitur in prima fronte I. jam prima fronte C. E. N. P. X. Y. Z.

206. *jaciuntur.* jacuitur X. *nulla.* ulla X.

207. *Nonne.* Quoneque Y. ſed corr. in *quone.* Quone X. Z. & in marg. Z. man. rec. *Non.*

208. *Multiplexque.* multipliciſque A. B. I. O. P. multiplexque M.

209. *pervolgant.* promulgant I.

210. *ſpecimen verum.* ſpeciem veri P. corrige *ſpecimen veri.* in not. P. ſpecimen uti X.

211. *motu.* motum Y. Z. ſed in utroque m. rec. corr. in *motu in.* *ferantur.* feruntur Z.

NOTÆ.

Quid quæ ſunt igitur jam prima in fronte locata. LAMB. Ita omnino legendum ex veteribus. Vulgati: *jam.* GIF.

206. *Et emiſſum*) Mutat numerum. Debuerat enim dicere, ſi numerum priorem ſequi vellet, *& emiſſa*, nempe illa quæ ſunt prima in fronte locata, &c. LAMBIN. Emiſſionem, ejaculationem, ἀπῤῥολὴν. FAB.

208. *Multiplexque loci ſpatium*) Nihil muto, quamvis Vaticanus codex habeat,

Multipliciſque loci ſpatium.

& item Bertinianus: quamvis eos, qui alteram lectionem probant, non reprehendam. LAMB. Ita in libris noſtris. Marullus & Vulgati: *Multiplexque.* Vide & ſupra. GIFAN.

209. *Pervolgant*) Sic alibi, & lib. 4: ℣. 75. & lib. 5: ℣. 428. *Volgata.* CREECH.

210. *Hoc etiam in primis Specimen, &c.*) Sibi in ſubſidium vocat Experientiam ℣. 7. Omnis viſio per Imagines, at Speculum vel Aquam ſub dio ponas, & momento temporis omnium Stellarum Imagines a Speculo iſto aut Aqua reſilientes in Oculos incurrunt: Quanta igitur trajectionis iſtarum Imaginum celeritas? CREECH.

210. *Verum*] Corrige *ſpecimen veri*, hoc eſt, indicium & ſignum veritatis Perſius 5: 105.

——— *Veri ſpecimen dignoſcere calles*
Ne qua ſubærato mendoſum tinniat auro. PIUS.

Indicium, & quaſi argumentum certum. ſic autem legitur in quatuor libris Manuſcriptis, quo

 modo

Quod ſimul ac primùm ſub divo ſplendor Aquaï
Ponitur, extemplo, coelo ſtellante, ſerena
Sidera reſpondent in Aqua radiantia mundi.
Jamne vides igitur, quam punćto tempore imago
Aetheris ex oris ad terrarum accidat oras?

Quare

INTERPRETATIO.

quod ſimul ac Aqua ſub dio collocetur, extemplo, Cœlo ſtellis fulgente, ſtellarum fulgentium Imagines in iſta Aqua intuemur; Nonne igitur jam vides quam brevi temporis ſpatio Imagines a ſummo Cœlo ad Terras deſcendunt?

VARIÆ LECTIONES.

212. *Quod.* Quo X. *ſub divo.* ſub dio c. ſub diu Y. Z. ſed corr. in Z. *ſplendor.* ſplendore X.

213. *extemplo.* exemplo Q. X.

215. *tempore.* temporis C. E. N. nonnulla exempl. Pii.

216. *ad terrarum accidat.* in terrarum incidat C. E. accidit N. P. excidit *in Not. Pii.* in terr. acc. oras Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

modo & in pleriſque vulg. in uno Manuſcr. & item in impreſſo Pariſ. *ſpecimen veri.* de qua ſcriptura judicet lector. Lamb. Veteres quidam: *veri.* Gifan.

212. *Quod ſimul ac primum*] Hoc ſpecimen & argumentum eſt, quam celeriter ferantur imagines. Lamb.

212. *Sub divo ſplendor aquaï*] Sed longe mirabilius quod inquietus ille aquæ motus per reflexionem in laquear tam varias ſui ſpecies ejaculatur. Virgilii verſus notiores ſunt, quam ut tranſcribi debeant, Æneid. 8: 22.

Sicut aquæ tremulum labris, &c. Faber.

215. *Quam puncto tempore*] Id eſt, quam brevi tempore. Lamb.

216. *Ad terrarum accidat oras?*] Sic habent quinque libri Manuſcr. niſi quod Vaticanus habet *accidit*: & item Pariſienſes. ceteri vulgati, *incidat.* ego puto legendum *accidat.* & ita paucis poſt verſibus hic idem ſcriptor loquitur. Lamb. Sic veteres noſtri. Ita infra hic. Ita in Ennii verſu p. 197.

Cæſa accidiſſet abiegna ad terr., &c.

Vulgati: *cecidiſſet.* Gifan.

217. *Quare etiam atque etiam* &c.] Hic autem fluor Imaginum ad Oculos admittendus eſt, quoniam ỳ. 14. ad omnes alios Senſus è rebus effluxus quidam allabuntur. Eodem argumento uſus eſt *Epicurus*, teſte Macrobio Sat. lib. 7. c. 14. *In propatulo eſt quod decepit Epicurum, a vero enim lapſus eſt aliorum quatuor ſenſuum ſecutus exemplum: quia in audiendo, guſtando, & odorando, atque tangendo nihil e nobis emittimus, ſed extrinſecus accipimus quod ſenſum moveat, quippe & Vox ad Aures ultro venit, & Auræ in Nares influunt, & Palato ingeritur quod gignat ſaporem, & Corpori noſtro applicantur tactu ſentienda; Hinc putavit & ex Oculis noſtris nihil foras proficiſci, ſed Imagines rerum in Oculos ultro meare.* Creech. *Mitti.* Sic reſtitui conjectura ductus, cum in codicibus Man. reperiſſem ſcriptum, *mira*: in aliis, *minima*: quod utrumque ſcilicet depravatum eſt ex antiqua & vera ſcriptura, *mitti.* nam ex *mitti*, factum eſt *mini*: deinde nunc *minima*, nunc *mira.* Meam conjecturam adjuvat verſus ille, qui eſt lib. 4: 680.

Perpetuo fluere, ac mitti, ſpargique neceſſe eſt
Corpora, &c. Lamb.

Ita omnes libri. Lambinus: *mitti.* Forte: *mina.* vel potius, ut in vetere libro: *mira.* Gifan.

219. *Perpetuoque fluunt certis ab rebus Odores*] Secutus eram initio codices Florent. typis excuſos, qui habent,

——— *certis ab rebus obortu.*

nam ceteri omnes & Manuſcr. & typis impreſſi habent,

— cer-

Quare etiam atque etiam mitti haec fateare neceſſe eſt
Corpora, quae feriant oculos, viſumque laceſſant:
Perpetuoque fluunt certis ab rebus Odores:
Frigus ut à fluviis, Calor à ſole, Aeſtus ab undis
Aequoris, exeſor moerorum litora circum.

Nec

INTERPRETATIO.

Omnino igitur fatendum eſt a rebus mitti iſta Corpora quæ in oculos incurrunt, & laceſſunt viſum; A quibuſdam rebus Odores perpetuò fluunt, Frigus inſuper a Fluviis, Calor a Sole, Æſtus (Salſus vapor) ab Æquore qui exedit mœnia juxta oras maritimas poſita.

VARIÆ LECTIONES.

217. *Mitti hæc.* minima hæc A. B. C. E. I. N. priſca exempl. *Pii.* mira hæc c. P. mira Q. X. Y. Z. ſed in Z. m. rec. corr. in *ita.*

219. *fluunt.* fluant D. E. P. Q1. X. Y. Z. *Odores.* obortu M. L. *abortu* ſunt qui ſcribunt, P. in not.

220. *ut à.* & a X. Z. *à ſole.* ab ſole Y. Z.

221. *moerorum.* murorum N. Maurorum Q1. meororum Y. Z. ſed in Z. corr. m. r. in *murorum.* meorum Q. incororum X.

NOTÆ.

——— *certis ab rebus odores.*
idque olim indicaram in commentariis: ſed hanc ſcripturam mendoſam eſſe exiſtimaram, Marullum ſecutus, qui hic *obortu* ſubſtituerat. Nunc ſententia mutata, *odores* probo. ſed primum *fluunt* lego, non *fluant*: deinde exiſtimo, totum hunc locum hoc ordine eſſe legendum,

——— ——— *viſumque laceſſant.*
Frigus ut à fluviis, &c.
Æquoris, exeſor mœrorum, &c.
Perpetuoque fluviis certis ab rebus odores.
Nec variæ ceſſ. &c.

Si quis autem lectionem Florentinam forte probabit,

——— *certis ab rebus obortu:*

quam & Donatus Janotius Florentinus amplectebatur, ego autem nunc minus probo: vox *obortu* conjungenda erit cum adiect. *perpetuo*, ut ſit, perpetuoque obortu, id eſt, & perpetua agnatione atque acceſſione. *oboriri* enim idem valet quod *adnaſci*, ut docet Feſtus. nam *præpoſitionem* ob *ſolitam eſſe uſurpari pro* ad, *teſtis eſt hic verſus* (inquit ille)

Tantum gaudium oboriri ex tumultu maximo:

& hic Ennianus p. 100.

Ob Romam noctu legiones ducere cœpit.

ſuperior autem verſus cum duodecim deinceps ſequentibus iterantur lib. 6. LAMB. Ita omnes libri. Sed Marullus, & Lambinus: *obortu.* Male. commemorat poëta, eſſe corpora, primum quæ oculos, deinde nares, ut ſunt odores; deinde tactum, ut frigus; aures, ut ſoni; linguam, ut ſapores feriant. GIFAN. Id eſt, *Quin etiam*, &c. FABER. Vulg. *Obortu* imperite. *Obortu* vero in ultima editione rejicit Lambinus, & ridiculus eſt *Fayus*, dum Calumnias *Parei* impudenter recitat. CREECH.

220. *Æſtus ab undis*] Æſtus marini impetus vel commotiones inquit Marcellus, advocans hoc Lucretianum carmen. Plautus in Aſinaria 1: 3: 6.

Quo magis te in altum capeſſis, æſtus te in portum refert.

Virgilius Æneid. 3: 577.

Fundoque exæſtuat imo. PIUS.

Commotio, vel impetus maris. & ita Nonius, qui hunc verſum profert. alias apud hunc eundem ſcriptorem, calorem ſignificat, ut lib. 1: 308.

At neque quo pacto perſederit humor aquaï
Viſum eſt, nec rurſum quo pacto fugerit æſtu.

LAMB.

221. *Exeſor mœrorum*] Sic legi debet, & ita

Nec variae ceſſant Voces volitare per auras:
Denique in os ſalſi venit humor ſaepe Saporis,
Cum mare verſamur propter: dilutaque contra
Cum tuimur miſceri abſinthia, tangit amaror.
Uſque adeo omnibus ab rebus res quaeque fluenter
Fertur: & in cunctas dimittitur undique parteis,
Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi:

Perpe-

INTERPRETATIO.

Variæ etiam voces perpetuò volitant per Aures, denique cum juxta mare ambulemus, ſalſus ſapor in ora noſtra ſæpe venit, & cum videamus tetra Abſynthia conteri & miſceri, Sapor Amarus linguam afficit, ita Res aliquæ ab omnibus rebus perpetuo fluunt, & in omnes undique partes dimittuntur: nec ullo temporis momento ceſſant a fluendo,

VARIÆ LECTIONES.

222. *auras.* aures A. B. D.
223. *in os.* in nos Z. *ſalſi.* falſi X.
225. *miſceri.* miſeri Q.
226. *res.* re Y. Z. *fluenter.* fluentum Z. m. pr. ſed rec. *fluenter.*
227. *dimittitur.* dimittuntur Z.

NOTÆ.

ſcriptum eſt in quinque libris Manuſcriptis, niſi quod in Vaticano eſt, *mœororum*: in Faërn. *manrorum.* Pariſienſes plane habent *mœrorum.* dictum autem *mœrorum*, pro *murorum*, antiquè, ut notat Servius ad illum locum Virg. lib. 10: 24.

Aggeribus mœrorum,

his verbis. *Nam veteres pleraque eorum, quæ nos per* u *dicimus, per diphthongum* œ *pronuntiabant: hinc eſt* mœrorum *pro* murorum: *& contra* punio *pro* pœnio: *quod verbum à* pœna *venit: quod Græcum eſt vocabulum* ποινή. *hinc eſt* Punica regna vides, *cum* Pœnos *ubique legerimus* & apud Varron. lib. 5. de Ling. Lat. *Cum circum mœros mittitur, & cum concio advocatur. Exeſor* autem dictus ab *exedendo.* Lamb. Adde & Magium Miſcell. l. 3: cap. 13. Infr. lib. vi. ℣. 926.

Exeſor mœrorum littora propter. Preig.

222. *Per auras*] Turnebus mavult legi *per aureis.* Lamb. Contra miracula vanæ illorum credulitatis, qui à ſe illud aut illud auditum dicerent, cum tamen nemo homo ibi adeſſet. Fab. Ita omnino legendum puto, etiam non conſentientibus libris. Scio, libro vi. ter, quaterve *auras* in quibuſdam libris eſſe pro *aures.* Sententiam vide in adnotatione ad verſum paullo ante poſitum: *Perpetuoque, &c.* Et vide infr. vi. 927. Ita dicit poëta *volitare*, & *transvolitare*, *manare*, *transmittere*, *penetrare*, *pervolitare*, *tranſire*, *meare*, *tranare.* Gifan. Rectius quam *per Aures*, ut patet ex. v. 230. Creech.

225. *Tangit amaror*] Hunc verſum integrum cum duobus ſuperioribus profert A. Gellius lib. 1. cap. 21. eundem reſpexit Servius ad illum Virgilii locum Georg. 2: 247.

——— *& ora*
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror. Lamb.

228. *Nec mora, nec requies*] Hoc imitatus, atque adeo mutuatus eſt Virg. Georg. 3. & Æn. 6. Lamb.

230. *Sentire ſonorem*] Olim conjectura ductus edendum curaram, *exaudire ſonorem*, pro eo quod eſt in libris omnibus vulg. & pleriſque manuſcript. *ſentire ſonorem.* neque hoc temere mihi feciſſe videbar. nam cum ita ſcriptum in uno cod. reperiſſem, *ec ſantire*, ex *c* *ſ* feceram *x*; ex *n*, *u*; ex *t*, *d*. ita ex illis corruptis *ec ſantire*, feceram *exaudire.* quam emendandi rationem omnibus politi judicii hominibus probatum iri ſperabam. Nunc vulgatam lectionem magis probo:

Perpetuo quoniam ſentimus, & omnia ſemper
Cernere, Odorari licet, & ſentire Sonorem.
Praeterea, quoniam manibus tractata figura
In tenebris quaedam, cognoſcitur eſſe eadem, quae
Cernitur in luce, & claro candore; neceſſe eſt
Conſimili cauſa Tactum, Viſumque moveri.
Nunc igitur, ſi Quadratum tentamus, & id nos
Commovet in tenebris; in luci quae poterit res

Acci-

INTERPRETATIO.

ſiquidem perpetuò ſentimus; & ſemper poſſumus videre rem quamlibet, Odores etiam & ſonos ſentire. Præterea, cum Figura aliqua in tenebris (noctu) manibus contacta cognoſcitur eadem eſſe quæ in clara diei luce cernitur, neceſſe eſt Tactum & Viſum pari cauſa moveri: Nunc igitur ſi Figuram quadratam manibus tractamus, & illa nos in tenebris movet, facitque ut ſentiamus quadratam eſſe, quænam res poteſt in luce

VARIÆ LECTIONES.

229. *quoniam.* quõ Z.

230. *& ſentire Sonorem.* exaudire ſonorem L. *ed. pr.* ſentire ſonare A. B. c. O. P. Q1. X. Y. Z. ſed Z. hic repetit omnia a verſ. 227. & verſ. 228. legit *nec requis.* (m. r. *requies.*) *inter d. u. fluendi.*

232. *eadem quæ.* eademque Y. Z.

NOTÆ.

bo: aut certe tutiorem arbitror. Nam *ſentire* commune eſt omnium ſenſuum. exempli cauſa infr. eodem lib. non longe, pro *videre* uſurpavit, ibi:

Et facit, ut prius hunc omnem ſentire queamus, &c. eod. libr. infr.

Et ſeorſum varios rerum ſentire colores. Lamb.

Ita veteres quidam. Vulgati: *Sonorem.* Lambinus: *exaudire Sonorem*, peſſime. *Tempus* Gallice *Tampus*, *Sentire*, *Santire.* Gifan. Recte quidem, & id ipſum agnovit Lambinus, qui aliquando legit *Exaudire Sonorem*: Gifanius tamen *Sentire Sonare.* Creech.

231. *Præterea, quoniam*] Hoc argumentum tale eſt. Figura (inquit) aliqua in tenebris & noctu, manibus tractata, eadem eſſe cognoſcitur, atque ea quæ luce cernitur. At figura non poteſt cognoſci in tenebris, niſi per ſpeciem & imaginem. ergo neque in luce cerni. Sed hæc facile refelli poſſunt ab iis qui Ariſtotelis ſcholam ſectantur. ſunt enim quædam ſingulis ſenſibus proprie ſubjecta, ut color, videndi ſenſui; ſonus, auditui, &c. quædam plurium ſenſuum communia: ut figura & magnitudo communiter aſpectui & tactui ſubjecta eſt, motus & quies, omnibus, præterquam guſtatui, &c. Lamb. Aliud v. 9. continetur argumentum. Corpus aliquod, quadratum v. g. manu in Tenebris tractemus, Illud Corpus quadratum eſſe cognoſcimus, unde vero niſi ex figura ejus quadrata? Idem Corpus in Luce noſtris Oculis uſurpemus, cognoſcimus quadratum, unde vero niſi ex Imagine quadrata? Creech.

233. *In luce, & claro candore*] Quid ſi dicamus ſcriptum eſſe à Lucretio, *in luci claro & candore? luce claro* enim dixiſſe veteres teſtatur Nonius Marcellus. Verum tamen nihil mutandum puto. Attendat autem lector, ſimilitudinem atque affinitatem lucis & candoris vel hoc verſu declarari. Itaque non temere, ut lux tenebris opponitur, quæ nigræ ſunt; ita lux *candida* dici ſolet à poëtis. Lamb.

235. *Si quadratum tentamus*] Legendum fortaſſe eſt *tractamus.* Immo vero *tentamus* retinendum. tentat enim quis figuram in tenebris, qui eam tractat ea gratia, ut ſciat qualis ſit: tractat autem etiam is, qui, qualis ſit figura, ſcire non laborat. Lamb.

236. *In luci*] *Luci* pro *luce.* Lamb. Luce: *Accidere ad Speciem* Interpretor *ad Oculos pervenire*: &

Accidere ad ſpeciem, Quadrata niſi ejus imago?
 Eſſe in Imaginibus quapropter cauſa videtur
Cernendi, neque poſſe ſine his res ulla videri.
Nunc ea, quae dico, rerum Simulacra, feruntur
Undique, & in cunctas jaciuntur didita parteis;
Verùm, nos oculis quia ſolis cernere quimus,

Pro-

INTERPRETATIO.

illam figuram noſtris oculis repræſentare, præter quadratam ejus Imaginem? Cauſa igitur videndi Simulachra ſunt, neque ſine illis poteſt ulla res videri. Nunc illa quæ dico rerum Simulachra a rebus miſſa in omnes undique partes feruntur: At verò quoniam ſolis oculis videre poſſumus,

VARIÆ LECTIONES.

241. *didita.* dedita Q1. X. Y. Z.
242. *nos.* non N.

NOTÆ.

& rectè quidem, cum *Species* ℣. 243. Oculos ſignificet. Creech.

238. *Eſſe in Imaginibus quapropter*] Ex imaginibus rerum perpetuo effluentibus, & in oculos noſtros advolantibus, atque incurrentibus, fit viſus, ex ſententia Epicuri. Platoni ex conjunctione & cognatione duorum ignium, ſeu luminum, alterius ex oculis noſtris exeuntis, alterius à ſole manantis, efficitur viſus. Mathematici ajunt, radios quoſdam ex oculis noſtris effluenteis, & ad rem quæ cernitur, accidenteis, videndi cauſas eſſe. Ariſtot. lib. 2. de anima, docet, non ex emiſſione radiorum ab oculis, viſum effici: ſed ex functione & actu rerum, quæ ſub aſpectum cadunt, in oculos crebro ventitante. Arnobius libr. 2. Adverſ. genteis, nihil horum ſciri poſſe putat, quorum hîc & deinceps cauſas explicat Lucretius, quibus cauſis mergamur in ſomnos, quibus evigilemus, quibus modis fiant inſomnia, quibus viſa, &c. ſequitur mox: *Radiorum & luminis intentione videamus, an rerum imagines advolent, & noſtris in pupulis ſidant: utrum ſapor in rebus ſit, an palati contagionibus fiat, &c.* Lamb. Adde Modii Novant. Lectiones Epiſt. 57. Hav. Hanc Epicuri ſententiam ita explicat A Gellius Noct. Att. lib. 5. c. 16. *Epicurus autem affluere ſemper ex omnibus Corporibus Simulachra quædam Corporum ipſorum, eaque ſeſe in Oculos inferre, atque ita fieri ſenſum videndi putat.* Macrobius autem Sat. lib. 7. c. 14. *Cenſet Epicurus ab omnibus Corporibus jugi fluore quædam Simulachra manare, nec unquam tantulam moram intervenire, quin ultro ferantur inani figura cohærentes Corporum Exuviæ, quarum receptacula in noſtris Oculis ſunt, & ideo ad deputatam ſibi a natura ſedem proprii ſenſus recurrunt.* Epicurus ipſe apud Laërtium docet Simulachra ἐπεισιέναι: Et apud Plutarchum εἰδώλων εἴσκρισις Simulachrorum inſinuatio, & apud Ciceronem εἰδώλων ἐμπτώσεις occurrunt. Creech.

240. *Nunc ea quæ dico*, &c.] V. 5. docet Imagines a Corporum ſuperficie perpetuo fluentes ubique adeſſe, noſque circumſtare, ita ut per ipſas videre nihil nos prohibeat, ſi Oculos modo converterimus illis percipiendis ſolos deſtinatos. Δεῖ δὲ καὶ νομίζειν ἐπεισιόντος τινὸς ἀπὸ τῶν ἔξωθεν τὰς μορφὰς ὁρᾶν ἡμᾶς, καὶ διανοεῖσθαι. οὐ γὰρ ἂν ἀποσφραγίσαιτο τὰ ἔξω τὴν ἑαυτῶν φύσιν τοῦ τε χρώματος, καὶ τῆς μορφῆς, διὰ τοῦ ἀέρος τοῦ μεταξὺ ἡμῶν τε κἀκείνων· οὐδὲ διὰ τῶν ἀκτίνων, ἢ οἵων δήποτε ῥευμάτων ἀφ' ἡμῶν πρὸς ἐκεῖνα παραγινομένων· οὕτως, ὡς τύπων τινῶν ἐπεισιόντων ἡμῖν ἀπὸ τῶν πραγμάτων ὁμοχρόων τε, καὶ ὁμοιομόρφων κατὰ τὸ ἐναρμόττον μέγεθος εἰς τὴν ὄψιν, ἢ τὴν διάνοιαν, ὠκέως ταῖς φοραῖς χρωμένων. Epicurus ad Herodotum. Creech.

241. *Didita*] Diſtributa, diſſipata, diſperſa: nonnulli libri ſcripti habent *dedita*: ego *didita* retineo. Lamb.

243.

Propterea fit, uti, ſpeciem quo vertimus, omnes
Res ibi eam contra feriant forma, atque colore.
Et quantùm quaeque à nobis res abſit, Imago
Efficit ut videamus, & internoſcere curat.
Nam cum mittitur, extemplo protrudit, agitque
Aëra, qui inter ſe cumque eſt, oculoſque locatus;
Iſque ita per noſtras acies perlabitur omnis:

Et

INTERPRETATIO.

Inde fit ut quoquoverſum oculos vertimus Res eo modo quo figuratæ & coloratæ ſunt in illos incurrant. Imago etiam efficit ut ſentiamus & cognoſcamus quantum res viſa a Nobis diſtat; Nam cum a re mittitur Imago, extemplo protrudit & propellit Aërem omnem, qui jacet inter ſe & Oculos. Omnis autem iſte Aër per Oculos noſtros perlabitur,

VARIÆ LECTIONES.

243. *Propterea.* præterea Q.
244. *eam.* cauſa Q. ibi cauſa X.
245. *a nobis.* ab nobis X. Y. Z.
247. *protrudit.* procudit A. B. E. N. X. item v. 281. P. protudit Q 1 prodit Z.
249. *Omnis.* omneis L.

NOTÆ.

243. *Propterea fit uti*, &c.] Propterea (inquit) quòd ſolis oculis cernimus, ideo fit, ut, tametſi imagines ex omnibus rebus in omneis parteis affluant, ea parte tamen duntaxat rem cernamus, in quam os & faciem vertimus. LAMB.

243. *Speciem*] Os, faciem, ὄψιν, adſpectum. Quamvis autem ſic habeant omnes libri, quos quidem viderim, malim tamen legi *faciem*. LAMB.

245. *Et quantum quæque*] Id eſt, & cujuſque rei diſtantiam cognoſcimus, ſeu internoſcimus per imagines. LAMB. Multa ſunt, eaque Inſignia de Viſu problemata, quorum nonnulla proponit & explicat Lucretius: Primo certum eſt, Nos non tantùm Colores formaſque Rerum cernere, ſed unà ſimul intelligere quantùm Res viſæ a nobis diſtant. Qua autem ratione id efficiant Imagines a Rerum ſuperficie fluentes? Reſpondet poëta v. 12. Imago in Oculum contendens protrudit Aërem ante ſe, prolixiorem quidem dum eminùs appellit, compendioſiorem dum cominùs: Quò longior autem aut brevior ſit iſte Aëris tractus qui ab Imagine protruſus Oculum perlabitur, eò longius breviuſve Intervallum inter rem objectam & Oculum intercipi ſentitur. CREECH.

246. *Curat*] Tralatio. ſic infra 5: 821.

Quod ne miremur, ſopor atque oblivia curant.

LAMB.

247. *Protrudit, agitque*] Sic repoſui fretus auctoritate trium librorum manuſcriptorum. alii *procudit* legi malunt. LAMB. Quidam veteres: *protrudit.* Vide verſ. 188. GIFAN.

249. *Iſque ita per noſtras acies perlabitur omnes.*] In plurimis editionibus legitur, ut & in hac quoque ſcriptum eſt, *omnes*; ſed legendum *omnis.* Neque enim intelligit *totam* aciem penetrari, (quod tamen fieri poſſet ſecundum Epicurum, neque video qui id negari poſſit.) Itaque ſic alibi loquitur: inf. ỳ. 283.

Et facit ut prius hunc omnem ſentire queamus.

Item, ỳ. 563.

Qualia ſunt vitri, ſpecies quæ tranſvolat omnis.

Cui loco opus eſſe aliquo temperamento videtur. Fortaſſe in Notis dicetur, ſi notas faciemus. FAB. *in Emend.* Legendum neceſſariò *omnis*, non *omnes*; quod oſtendi facile erat, ni Gaſſendus ὁ πάνυ id jam tranſactum dediſſet pag. 284. Phyſiologiæ. FABER. *in Notis.* Ita neceſſario legendum ut edidit *Giſanius*, etiam confitente *Fabro*,

F acri

Et quaſi perterget pupillas, atque ita tranſit.
Propterea fit, uti videamus quam procul abſit
Res quaeque: & quanto plus aëris ante agitatur,
Et noſtros oculos perterget longior aura,
Tam procul eſſe magis res quaeque remota videtur:
Scilicet haec ſummè celeri ratione geruntur,
Quale ſit ut videamus: & una quam procul abſit.
Illud in his rebus minimè mirabile habendum eſt,

Cur

INTERPRETATIO.

pupillas quaſi perterget, atque ita tranſit: Inde fit ut videamus quantum à nobis diſtant ſingulæ res viſæ; & quanto plus Aëris propellitur ante Imaginem, & quanto longior Aeris tractus noſtros Oculos perterget, tanto remotior res quæque viſa a nobis videtur. Hæc autem quam celerrime (uno eodemque momento) fiunt, Ita ut ſimul ſentiamus qualis ſit illa res quæ videtur, & quam procul diſtat. Minime autem mirari debes

VARIÆ LECTIONES.

250. *perterget.* præterget. c. O. P. pertegit Y. Z. pertergit X. *tranſit.* cum ſit Q 1.
251. & 252. permutantur & tranſponuntur in Q. X. Y. Z.
253. *perterget.* perteget Z.
254. *remota.* nemota Y. *revota* Z. ſed m. rec. corr. remotu Q.
255. *ſummè celeri.* ſumma & celeri. c. P. ſumma O.
256. *Quale ſit.* quale fit I. X. Quali' ſit. *Creech.*

NOTÆ.

acri nimis & nonnunquam iniquo *Giſanii* Cenſore: Lambinus *Omnes.* Creech.

250. *Perterget*] Permulcet. Lamb.

255. *Summe celeri*] Valdè celeri. Lamb.

256. *Quale ſit ut videamus*] Ut eodem tempore videamus, & qualis res ſit, & quam longe diſtet. Fortaſſe legendum,

Quali' ſit ut videamus.

Id eſt, Qualis res ſit. alioqui dicemus eum mutaſſe genus. Lamb.

257. *Illud in his rebus*] Non debet (inquit) mirum videri, quamobrem, cum ſimulacra ſingula non cadant ſub adſpectum: res ipſæ per ſimulacra cernantur: & ita ipſa univerſa ſimulacra quodammodo videantur. Lamb. Inquirat vero aliquis, cur res ipſæ cernantur cum Imagines quæ oculos feriunt ſingulæ videri non poſſunt? Reſpondet pro more ſuo *Lucretius*, & ỿ. 13. a pari confirmat illud eſſe minime mirabile. Singulas partes Venti aut frigoris non ſentimus, ipſum vero Univerſum Ventum ſeu Frigus ſentimus; Imagines autem ſingulis partibus Frigoris aut Venti, Res vero ipſas Univerſo Frigori aut Vento pares exiſtima, & rem declaratam habebis: Idem de Tactu duri Lapidis dicendum. Creech.

260. *Ventus enim quoque*] Id probat non eſſe mirandum, à ſimili. Cujus hæc ſententia eſt: Quemadmodum cùm à vento pellimur, & verberamur, cumque acri frigore urgemur; non ſentimus ſingulas venti & frigoris particulas, ſed univerſum ventum, & univerſum frigus: ita cum rem aliquam cernimus, (quam ſine imaginibus cernere ſcilicet nequimus!) ſingulas imagines, quarum adjumento & interventu rem cernimus, videre non poſſumus, ſed rem ipſam totam. Lamb.

261. *Non primam quamque*] Sic legendum, & ita habent non ſolùm omnes, quos vidi, vulgati cod. verum etiam Manuſcripti. Qui autem *privam quamque* legi volunt, falluntur, meo quidem judicio. *quiſque* enim ſignificat ἕκαστον, ſeu, ſi

Cur ea, quae feriant oculos Simulacra, videri
Singula cum nequeant, res ipſae perſpiciantur:
Ventus enim quoque paullatim cum verberat, & cum
Acre ferit Frigus, non privam quamque ſolemus
Particulam Venti ſentire, & Frigoris ejus;
Sed magis unverſum: fierique perinde videmus
Corpore tum plagas in noſtro, tanquam aliquae res
Verberet, atque ſui det ſenſum corporis extra.

Prae-

INTERPRETATIO.

Cur cum ea Simulachra *quæ Oculos feriant nequeant ſingula videri, Res ipſæ tamen cernantur. Nam cum Ventus lenis flat, ejuſque frigus vehemens ferit, non tamen ſingulas Venti illius frigidi particulas ſentimus; ſed totam particularum congeriem potius ſentimus, & tum percipimus quaſi rem aliquam nobis ictus infligere, ſenſumque ſui Corporis quod extra nos eſt in nobis excitare.*

VARIÆ LECTIONES.

258. *feriant.* friant Z.

259. *Perſpiciantur.* percipiantur I.

261. *Acre ferit Frigus.* at refluit Q 1. *ferit.* fluit Y. Z. ſed hunc & ſeq. v. tranſponunt Q. X. Y. Z. *privam.* primam E. L. N. P. Q 1. X. Y. Z.

262. *ſentire.* ſtatire Q. X.

263. *Unverſum.* morſum Q. unorſum X. univorſum A. B. univerſum D. E. N. invorſum. c. P. ſunt qui ſcribunt *unverſum.* P. in not. unorſum Y. Z. ſed in Z. corr. m. r. *unvorſum.*

264. *aliquæ.* aliqua A. B. C. D. E. K. N. *Gaſſ.* aliquas P. ſunt qui ſcribunt *aliqua* P. in not.

NOTÆ.

ſi dicere licet, *ſingulum*: deinde *privum* ſignificaret etiam ἕκαστον. Quid igitur hoc ſibi vellet, *ſingulam ſingulam?* Nunc autem *primus quiſque homo*, *prima quæque particula*, & ſimilia, Latine luculente dicitur. Adjuvat tamen ſcripturam *privam quamque* verſus ille in lib. 3.

Sentimus, nec priva pedum veſtigia quæque.

Lamb. *privam.* Ita ex vet. cod. id eſt, *ſingulam*; ſequitur enim: *Sed magis univerſum.* Sic etiam ſupra III. 390. quidam codices habent: *prima*, pro *priva*, mendoſe. Gifan. Lambinus legit *Primam*, & defendere conatur, ſed fruſtra; *Privam* enim rectius opponitur voci *Univerſum* ℣. 263. & lib. 3: ℣. 390.

Sentimus nec priva *pedum veſtigia* quæque.

Creech.

263. *Unverſum*] Pro, *univerſum*; neque id mirandum magis quam *dextrorſum*, *ſurſum*, &c. pro dextrovorſum, ſupravorſum, &c. Fab. *univorſum.* Ita legendum. Ut ſit Creticus. Vel fiat contractio, ut infra VI. 1065. Gif. Sic contrahitur in ſcandendo apud Lucillium *Frigdaria*, apud Ennium *Optmates* & propterea, ait Rutgerſius Var. Lect. lib. 6. cap. 5. imo juxta Voſſium ad Catull. p. 269. inferius in hoc poëta 6: 540. legi debet,

Volvere vi fluctus, ſubmerſo capte putandum eſt.

pro vulgato,

——— *ſubmerſaque ſaxa putandum eſt.*

Qualia ibidem ad Catullum plura recenſet. Hav.

264. *Tanquam aliquæ res*] Sic habet codex Bertinianus: quæ ſcriptura ſi recta eſt, *aliquæ res* dictum intelligetur pro *aliqua res.* Alii *aliqua res* legendum putant, ajuntque *a* ultimam vocalem eſſe longam, etiam ſi ſit recti caſus. quidam docti legendum cenſent, *tamquam aliqua re*, in

ſepti-

Praeterea, Lapidem digito cum tundimus, ipſum
Tangimus extremum Saxi, ſummumque colorem.
Nec ſentimus eum tactu, verum magis ipſam
Duritiem penitus Saxi ſentimus in alto.
Nunc age, cur ultra Speculum videatur Imago
Percipe; nam certe penitus remota videtur.
Quod genus illa, foris quae verè tranſpiciuntur,

Janua

INTERPRETATIO.

Præterea, cum lapidem digito tundimus, ſummam extremamque ſuperficiem iſtius Lapidis tangimus, nec tamen ſuperficiem iſtam tactu ſentimus, ſed potius ipſam duritiem lapidis quæ per totum Lapidis Corpus diffuſa eſt, & in intimis partibus ſita. Nunc age, rationem audi, cur Imago videatur ultra Speculum; nam certè longè ultra Speculum videtur: Quod genus illæ res ſunt quæ foris (extra januam) cernuntur,

VARIÆ LECTIONES.

266. *cum tundimus.* contudimus Q. X. Y.
271. *remota.* remmota Alii, ita v. 289. ſemota C. E. N.

NOTÆ.

ſeptimo caſu. *verberet* autem, nempe ventus. ego *aliquæ res* legendum arbitror. *aliqua res* rejicio. Lamb. *aliqua res* Ita recte. Eſt autem verſus Miurus. In aliis: *aliquæ*. Alii aliter. Gifan. *Aliquæ res.* Ex antiqua Latinitate pro *aliqua*. Faber. At *aliqua* mavult Gronov. Obſerv. l. 2. c. 7. p. 261. producta ultima, more Græcorum, ſequente *r*. Haverc.

266. *Ipſum tangimus extremum*] Negaret Ariſtoles tangi colorem. color enim non tangitur, ſed cernitur: niſi quis dicat, extremum colorem ſaxi hic accipiendum pro ipſa ſaxi extremitate, quam ſuperficiem vulgus appellat. Præterea ſtatim Lucretius, quaſi ſe ipſe reprimens & corrigens, negat nos ſentire tactu colorem, ſed potiùs ipſam duritiem. Lamb.

267. *Colorem*] Intellige ſuperficiem; neque enim *colorem tactu*, &c. Faber.

269. *Penitus ſentimus in alto*] *In alto* & *penitus* idem valent. ita fit χῆμα ἐκ παραλλήλου. Lamb.

270. *Nunc age, cur ultra Speculum*] Imago, quam reddit ſpeculum, non apparet in ſummo ſpeculo, ſed ultra ſpeculum. Nunc igitur quamobrem id fiat, rationem affert, eamque illuſtrat à ſimili. Lamb. Rerum Imagines a Speculi Superficie repulſæ non videntur in iſta Superficie, ſed intus quaſi, & in profundo: Hoc verò v. 23. Explicat Poëta: Quantum Res viſæ diſtant ab Oculo cognoſcitur per appulſum Aëris ab Imagine ad Oculum protruſi. Ubi igitur duplex Aër protruditur, Intervallum quoque magis extendi & duplicari neceſſe eſt: Imago autem Speculi (Speculum enim ipſum una cum re cujus Imago reflectitur videmus) unum Aëra propellit: Imago repulſa alterum, ideoque non in Superficie Speculi, ſed intus quaſi, & in profundo hæc Imago apparet. Hanc explicationem illuſtrat allato exemplo rerum, quæ directe & procul cernuntur ex loco intra ædificium, Simulachris Aërem protrudentibus tum per extraria ad Limen uſque Spatia, tum per interiora a Limine ad Oculum uſque. Creech.

271. *Remmota videtur*] Sic habet codex Bertinianus: Memmianus *remota*, vulg. *ſemota*. *remmota* autem eadem ratione dictum pro *remota*, qua *repperit* pro *reperit*, *rettulit* pro *retulit*, *reccidere*, *refferre*, & ſimilia pro *recidere*, *referre*. Lamb. *Remota*. Ita melius ex veteribus quibuſdam. In aliis: *ſemota*. Male. Vide *Re* in Indice. Et infra, ℣. 289. *penituſque remota* Gifan. Seu *Remota* legas, ſeu *Remmota*, perinde eſt; *Semota* vero rejice. Creech.

272. *Quod genus*] Cujus generis, quemadmodum. Lamb.

273.

Janua cum per ſe tranſpectum praebet apertum,
Multa facitque foris ex aedibus ut videantur.
Is quoque enim duplici, geminoque fit Aëre Viſus.
Primus enim eſt, citra poſteis qui cernitur Aër.
Inde fores ipſae dextra, laevaque ſequuntur.
Poſt extraria lux oculos perterget, & Aër
Alter, & illa, foris quae verè tranſpiciuntur.

INTERPRETATIO.

cum Janua aperta liberum proſpectum præbet, & permittit ut multæ res foris ex ædibus videantur. Viſus enim iſte fit duplici Aëre; Primus enim eſt Aër qui citra januam videtur, poſt hunc valvæ dextra lævaque poſitæ ſequuntur. Poſt iſtas Lux extra januam & Aer alter permulcet Oculos, & tandem res illæ quæ ultra januam cernuntur;

VARIÆ LECTIONES.

273. *cum.* tum Q. *tranſpectum.* Inſpectum Q.
274. *foris.* foras P.
275. *Is quoque enim.* ipſe etenim A. B. P. ipſo etenim I. ipſo enim Q. X. *ſit.* fit A. B. C. E. L. *Creech* P. F. *Viſus.* viſis Q.
276. *enim eſt citra.* enim citra E. N. P. V. X. Y. Z. *poſteis.* poſitus *Gaſſ.* poſt æſtum Z. potes cum X. *qui cernitur.* quam cernitur A. concernitur P. cum c. I. tum V. qúin Q. quum Q 1.
278. *perterget.* pertinget & C. E. N. P. X. Y. perteget. Z.
279. *alter &.* Alter ut Q1. Alterat Q2.

NOTÆ.

273. *Janua cum per ſe tranſpectum præbet apertum*) Cavendum eſt ne nobis arrideat doctorum quorumdam conjectura, qui legunt, *aperta.* Neque enim, quantumvis vera videtur, neceſſaria eſt: Quippe *apertus*, ſignificat *liberum*, *patentem*, &c. Virgilius expreſſe Æn. 1: 399.

——— *Jovis ales aperto*
Turbabat cœlo ———.

& Æn. 9: 25.

——— *campis exercitus ibat apertis.* FABER.

273. *Apertum*] Liberum. FABER.

275. *Ipſe etenim*] Ita ex veteribus noſtris lego. In aliis tamen: *Is quoque enim*; durius. GIFAN.

276. *Primus enim eſt, citra poſteis qui cernitur aër*] Sic repoſui, ſecutus partim libros vulgatos, partim Manuſcriptos. Sic enim habet codex Bertinianus,

——— *citra poſt æſtum cernitur aër.*

Memmianus autem & Vatican. habent

——— *poſtes cur cernitur aër:*

Pariſ.

——— *poſtes concernitur:*

Veneti & Lugdun.

Primus enim, citra poſtes qui cernitur aër.

Quidam *tum cernitur* probant: & *tum* referunt ad illum verſum qui antecedit,

Janua cum per ſe tranſp. &c. LAMB.

Citra poſtes quum cernitur. Ita fere in omnibus veteribus. Vulgati: *qui.* GIFAN.

276. *Citra poſteis*] Id eſt, citra oſtium, ſeu foreis, ſeu januam. ſic ſup. lib. 3: pag. 325.

Jam magis exemptis oculis debere videtur
Cernere res animus, ſublatis poſtibus ipſis.

poſtibus ipſis ſublatis, id eſt, janua ipſa ſublata. atque ita Adr. Turneb. explicat. Idem locum illum apud Varron. lib. 4: de ling. Lat. *Reſponſum eſt, Deum manium poſtuleonem poſtulare, &c.* ſic reſtituendum putat: *Reſponſum eſt, Deum manium poſti leonem poſtulare. manium poſti.* (inquit ille) *id eſt januæ, ſeu oſtio inferorum, leonem, id eſt, virum fortem.* LAMB.

278. *Extraria Lux*] Externa, ſeu Extranea. Terentius Phorm. 4: 1: 13.

Sic ubi ſe primum Speculi projecit Imago,
Dum venit ad noſtras acies, protrudit, agitque
Aëra, qui inter ſe cunque eſt oculoſque locatus:
Et facit, ut prius Hunc omnem ſentire queamus,
Quam Speculum: ſed ubi Speculum quoque ſenſimus ipſum;
Continuò à nobis in id haec, quae fertur, Imago
Pervenit, & noſtros oculos rejecta reviſit:

At-

INTERPRETATIO.

Sic ubi primum Speculi Imago ſe projecit, dum ad noſtros oculos venit, protrudit & propellit Aëra qui inter ſe & Oculos jacet, & facit ut prius ſentire poſſimus omnem iſtum Aëra, quam Speculum ipſum: Sed quando ipſum quoque Speculum ſenſimus, continuò Imago iſta quæ a nobis mittitur illud Speculum attingit, & ad noſtros Oculos remiſſa redit,

VARIÆ LECTIONES.

281. *protrudit.* pertrudit D. procudit N. P. Q. protudit Y. percudit X.
283. *ut prius.* prius Z. ſed m. r. *ut prius. Hunc.* habent Q.
284. *Ubi Speculum.* in ſpeculum P. Q1 X. Y. Z.
285. *Continuo à nobis in id hæc.* Continuò hæc in id, a nobis quæ A. B. D. nobis in eum, quæ X. in eum, quæ C. E. N. V. P. Q1. Y. Z.
286. *&.* ac X.

NOTÆ.

Nam hanc conditionem ſi cui tulero Extrario.

Et Scriptor ad Herennium: *Aſſumtiva pars eſt, cum per Se defenſio infirma eſt, ſed aſſumta extraria re comprobatur.* Creech.

280. *Speculi projecit imago*] *Speculi imaginem* accipe, non eam imaginem, quam reddit & repræſentat ſpeculum, ſed eam quæ ex ſpeculo mittitur & jacitur, quemadmodum docuit ſupra, ex omnibus rebus ſummis fluere imagines. Lamb.

281. *Protrudit, agitque aëra*] Hic eſt primus aër, nempe is quem imago à ſpeculo miſſa & projecta, dum ad oculos noſtros pervenit, protrudit ac propellit: qui quidem aër eſt inter oculos & ſpeculum interjectus. Lamb.

283. *Hunc omnem*] Faciet ad probationem illius quod pag. 99. dictum eſt, ad ea, *Acies perlabitur omnes.* Faber.

285. *Continuo à nobis in id hæc, &c.*] Sic mihi nunc legendum videtur: non, ut in vulgatis, *à nobis in eum, &c.* neque, ut olim,

Continuo hæc in id, à nobis, quæ fertur imago.

nimis enim longe aberat à recepta ſcriptura. Et tamen eam ſecutus eſt Zoilus, tacitus, ut ſuam, non ut à nobis acceptam, ſuum inſtitutum tenens, ſuoque ingenio indulgens. Sententia autem horum verborum hæc eſt. continuo (inquit) imago, quæ à nobis fertur, ad ſpeculum pervenit, & à ſpeculo rejecta, noſtros oculos reviſit. Lamb. Vulgati: *a nobis in eum.* Gifan.

287. *Atque alium præ ſe*] Hic eſt, ſecundus aër, nempe is quem imago à nobis fluens, & in ſpeculum adjecta, atque inde in oculos noſtros rejecta, præ ſe pellit: quem quia prius cernimus, quam imaginem noſtri, iccirco fit, ut imago à ſpeculo remota videatur. Lamb.

289. *Remmota videtur*] *Semota*, Vulgati. Gif. V. 271. *Penitus remmota*: tantùm enim ultra Speculum Imago apparet, quantum a nobis diſtat ipſum Speculum. Creech.

290. *Quare etiam atque etiam, &c.*] Hunc verſum cum duobus ſequentibus delendos cenſeo, ut ſpurios. eos tamen excudendos curavi, ut leguntur in codicibus Manuſcriptis. Cum hæc ſcripſiſſem, Zoilus, gravis auctor, ſic de his verſibus pronuntiavit, *me peperam eos delendos cenſuiſſe, cum ſit eorum ſententia optima*, inquit.

Vel-

Atque alium prae ſe propellens Aëra volvit,
Et facit, ut prius hunc, quam ſe, videamus: eoque
Diſtare à Speculo tantum remota videtur.
Quare etiam atque etiam minime mirarier eſt par
Illis, quae reddunt Speculorum ex aequore viſum,
Aëribus binis, quoniam res conſit utroque.
Nunc ea, quae nobis membrorum dextera pars eſt,
In

INTERPRETATIO.

& ante ſe alium Aera protrudit, & facit ut iſtum alium Aera ſentiamus prius quàm Se: & ob hanc cauſam eſſe tam procul ultra Speculum videtur. Quapropter iſta obſervatio de rebus, quarum Imagines ab æquabili Speculo remittuntur per duplicem Aera, minime admirabilis habenda eſt, quoniam per duplicem iſtum Aerem commodè explicari poteſt. Inſuper, fit ut illa pars Corporis, quæ nobis dextera eſt,

VARIÆ LECTIONES.

287. *Atque.* At Z.
288. *facit ut.* facta ut Z. m. rec. ſed m. priore videtur fuiſſe *facta eſt*, ſeu *facta 'ſt.*
289 *Remota.* ſemota P. X. Y. Z.
290. Hos tres delendos cenſent L. Creech. *mirarier eſt par.* mirari par eſt B. C. D. E. P. Q. X. mirarier es (man. rec. *eſt*) par Z. priſca exempl. *mirarier eſt par* P. not.
291. *Quæ.* qui C. P. Q.
292. *Aëribus.* aciebus A. marg. c. O. P. X. corrigit *Aëribus* P. in not. *Utroque.* utrimque A. utrâque. a. B. X. Z. utrimque M. c. P. utræque Y.
293. *ut in.* uti Q 1. ut leva videantur X. uti læva *Muret.*

NOTÆ.

Vellem oſtendiſſet, ὄνος πρὸς λύραν. Præterea ego non delevi. quod ille me feciſſe ſcribit, impudentiſſime mentiens. *Delet hos verſus Lambinus*, inquit ille. Mentiris nebulo. aliud enim eſt *delere*, aliud *delendos cenſere*, addit deinde, *perperam.* Ain'tu, omnium mortalium audaciſſime, atque impudentiſſime? itane? *perperam?* Unde tibi iſta de quoquam, ne dicam de me, ſic pronuntiandi anctoritas, ſycophanta nequiſſime? LAMB. Hos tres ut ſpurios contra omnes libros delet Lambinus; perperam, cum bonus ſit ſenſus. *Mirari par eſt*, Aliis: *mirari eſt par.* GIFAN. Hos tres verſus delendos cenſet Lambinus, nec ſane video cur unquam Cenſuræ pudeat, nam hic loci otioſi ſunt, & nihil agunt. CREECH.

292. *Aëribus binis*) *Aciebus.* GIFAN.

292. *Utraque*) Ita in veteribus. Vulgati: *utroque.* Marullus: *utrimque.* GIFAN.

293. *Nunc ea, quæ nobis, &c.*] Cum ex hoc loco, tum ex aliis multis intelligere licet, quod traditum eſt, Epicurum neque Mathematicis artibus, neque ullis aliis diſciplicinis, quibus qui inſtructi ſunt, eruditi dicuntur, politum fuiſſe. Affert enim rationem admodum ineptam, & infirmam, & popularem, quare quæ nobis dextra ſint, in ſpeculis læva videantur, & contra: nempe quia imago à nobis in ſpeculum jacta, & in id offendens, non revertatur ad nos incolumis, ſed retrorſum elidatur: quemadmodum ſi quis perſonam aliquam è creta etiam nunc humidam & madidam allidat ad columnam, aut trabem, & ea retro convertatur expreſſa, ita ut ſervet priorem figuram. tum enim fiet, ut qui antea dexter erat oculus, nunc ſit lævus, & contra. Sic igitur Epicur. ſeu Lucr. At Mathematici longe aliter, quemadmodum & quamobrem hoc fiat, demonſtrant: exſtatque hujus rei cogni-

In Speculis fit ut in laeva videatur, eo quod
Planitiem ad Speculi veniens cum offendit Imago.
Non convertitur incolumis; ſed recta retrorſum
Sic eliditur, ut ſiquis prius, arida quam ſit

Cretea

INTERPRETATIO.

in Speculis cernatur in læva, quoniam Imago lævi planoque Speculo illiſa non repellitur immutata, ſed ita retrorſum invertitur, ut ſiquis Larvam luteam, dum uda & mollis eſt,

VARIÆ LECTIONES.

297. *arida quam ſit.* arida arida X. *ſit.* ſic Q.

NOTÆ.

gnitio & perceptio (ſeu θεώρημα) ordine 19. apud Euclidem. docent igitur illi, reflexionis angulum, ei angulo quem facit linea à puncto rei viſæ in ſpeculum incidens, æqualem eſſe. Itaque ſemper fit reflexio in partem oppoſitam ei parti ſpeculi, in quam incidit linea à puncto rei viſæ producta. Præterea imagines quæ in ſpeculo cernuntur, qualecumque ſit ſpeculum, quam breviſſimis fieri poteſt lineis continentur. Cum igitur pars dextera rei viſæ, lineæ reflexionis ſiniſtræ reſpondeat ac ſubjaceat potius quam dexteræ, & contra pars læva rei viſæ, dexteræ reflexionis lineæ ſubjecta ſit potius quam lævæ: fit ut linea reflexionis, quæ magis dextera ſit, ſub dexteram imaginis partem cadat: & quæ ſit magis læva, lævam imaginis partem tangat. Quare læva rei viſæ pars, dextræ imaginis parti opponitur: & contra dextera rei viſæ pars, lævæ imaginis parti reſpondet. Denique viſæ imago & res viſa ſic ſe habent inter ſe, ut duo gladiatores, qui frontibus adverſis inter ſe certant. hîc enim alterius oculus lævus, alterius oculo dextro opponitur, & contra. Plato denique in Timæo paucis verbis hanc rationem affert, ὅτι τοῖς ἐναντίοις μέρεσι τῆς ὄψεως περὶ τὰ ἐναντία μέρη γίνεται ἐπαφὴ κατὰ καθεστὼς ἔθος τῆς προσβολῆς. id eſt, *quia contrariis partibus aſpectus contrariæ partes ſpeculi attinguntur, pro conſuetudine adjectionis, ſeu commiſſuræ.* Sciendum eſt autem hoc fieri dumtaxat in ſpeculis planis & convexis: nam in concavis reſpondent dextra dextris, & læva lævis, cujus rei rationem diſces etiam ex Platone & Euclide. Lamb. Opinioni Epicuri repugnat, quòd in Speculis Imago adverſa contemplatorem ſuum reſpicit, cum debeat, ſiquidem a nobis orta recto meatu proficiſcitur, poſteram ſui partem, cum diſcedit, oſtendere, ut læva lævam, dextra dextram reſpiciat; nam & Hiſtrio perſonam ſibi detractam ex ea parte videt, qua induit, viz. non faciem ſed poſteriorem cavernam. Hæc *Macrobius* Saturnal. lib. 7. c. 14. Huic difficultati ut ſatisfaciat Poëta, illo exemplo, quo Adverſarii utuntur, ſuam ſententiam tuetur. Perſonam (larvam) fictilem, non induratam quidem, ſed madidam adhuc, ad trabem aut columnam aliquam allidas, ita ut retrorſum invertatur, & Facies Cavernam impleat, tum enim in Perſona videbis id factum quod jam in Speculo miraris. Imagines autem, utpote res tenuiſſimas, ad Speculum alliſas ita retrorſum inverti poſſe non eſt dubitandum. Creech.

294. *In ſpeculis fit ut in læva*] Sic quidem habent libri omnes & Manuſcripti, & typis excuſi, niſi quod in codice Tettiano non eſt præpoſitio *in*: in eoque ita ſcriptum eſt, *fit, ut læva videatur*, ex qua ſcriptura Muretus ſuſpicabatur eſſe legendum, *uti læva videatur*, cum diceret ille, non eſſe quòd quemquam moveat *va* ſyllaba brevis: ſæpe enim poni tribrachum pro dactylo, & choreum pro ſpondeo. Cum hæc ſcripſiſſem, Zoilus hanc Mureti conjecturam tacitus arripuit: & damnavit eam quam ſecuti ſumus, non ſolum injuſte, verum etiam imperite. nam genus hoc loquendi, *fit, ut, quæ pars nobis membrorum dextera eſt, ea in læva ſpeculi parte videatur* (hoc eſt cernatur) non eſt barbarum, meo quidem judicio. Mureti conjecturam tamen neque olim damnavimus, neque nunc improbamus: quam

ille

Cretea perſona, adlidat pilaeve, trabive:
Atque ea continuo rectam ſi fronte figuram
Servet, & eliſam retro ſeſe exprimat ipſa:
Fiet ut, ante oculus fuerit qui dexter, hic idem
Nunc ſit laevus, & è laevo ſit mutua dexter.
 Fit quoque, de Speculo in Speculum ut tradatur Imago:
Quin-

INTERPRETATIO.

columnæ aut trabi allidat, atque iſta Larva ſi rectam figuram fronte continuo ſervet, & ſeipſam retrò eliſam exprimat, fiet ut iſte Oculus qui ante fuit dexter, nunc ſit ſiniſter, & viciſſim iſte qui fuit ſiniſter ſit dexter: Fit quoque ut Imago de Speculo in Speculum tradatur,

VARIÆ LECTIONES.

298. *Cretea perſona.* cerea perſona C. N. cretta p. Z. Cretæ perſonam c. O. P. Q 1. Creteam perſonam, Creſſam perſonam L. probat. cætera perſona ad ludum Q. X. *pilæve, trabive.* quidam legunt. *palove trabive.* P. in not.

299. uſque 325. interſeruntur poſt 348. P. Q. X.

300. *retro.* tetro Q. *ipſa.* ipſam D. X. in Z. multi verſus confuſi man. rec. in ordinem rediguntur.

301. *oculus.* oculos X. ſubſcrib. in Z. m. rec. *fuerit.* fieret Q. *hic idem.* ut idem X. Y. Z.

302. Fit. *ſit* P. X. *e lævo.* lævo Z.

303. deſunt uſque ad 325. P. Omittuntur hoc loco 22. verſus, quorum 16. poſt 353. inſeruntur reliqui ſex poſt 364. E. C. N.

NOTÆ.

ille non debuit præreptam ſibi vindicare. LAMB. Vulgati: *ut in læva.* Sed barbarum eſt. GIFAN. *Fit uti læva*, Muretus. CREECH.

295. *Planitiem ad Speculi*) *Planitiem Speculi*, hîc dicit, quam alias *æquor ſpeculi*, & lib. 1. *glaciem æris.* LAMB.

298. *Cretea Perſona*) Sic mihi legendum videtur, & ita ſcriptum eſt in cod. Bertin. & Memm. In Vaticano autem *cetera*, litteris tranſpoſitis. Quod autem in nonnullis impreſſis legitur *Cerea perſona*, ferri non poteſt. nam neque, quod hîc dicit Lucretius, ex cerea perſona fieri poteſt, neque cera areſcit, ſed dureſcit potius. quidam putant legendum *Terrea*, quod minus probo. malim tamen legi, *Creſſam perſonam.* Liceat etiam *Creteam* legere, ut *c* & *a* per συνίζησιν coëant in unam ſyllabam. LAMB. Quæ olim *è gypſo & luto figulari* fiebat. Res è Comicis Græcis notiſſima. FABER. Vulgati: *Cerea.* GIFAN. Nam è gypſo aut Luto figulari fiebat; ideo *Cerea Perſona* rejicitur: Lambinus verò amat *Creſſam* ſeu *Creteam Perſonam.* Vetuſti Codd. quos *Heinſius* vidit conſtanter exhibent *Cretea Perſona.* In Catalectis Petronianis.

Dum ſumit creteam faciem Sertoria, cretam
Perdidit illa ſimul, perdidit & faciem: CREECH.

298. *Pilæve*) Apulejus, *Pila*, media quæ Stabuli trabes ſuſtinebat. Virgilius Æneid. 9. ℣. 710.

Qualis in Euboico Bajarum littore quondam
Saxea Pila cadit: CREECH.

299. *Rectam ſi fronte figuram*) Quidam legendum cenſent, *rectam ſi forte figuram.* LAMB. & CREECH.

302. *Mutua*) Mutuo: Sic infra, ℣. 946.
—— *Nec motu mutua fungi.* CREECH.

303. *Fit quoque de ſpeculo*) Fit etiam (inquit) ut de ſpeculo in ſpeculum transferatur imago, adeò ut quinque aut ſex ejuſdem rei ſimulacra reddantur, dum è ſpeculo in ſpeculum tranſlucent. Nam ſi qua ſunt in ædibus quantumvis remota atque abſtruſa, & retro condita, ea, pluribus ſpeculis adhibitis, per flexos quoſ-

Quinque etiam, ſexve ut fieri Simulacra ſuërint.
Nam quaecunque retro parte interiore latebunt:
Inde tamen, quamvis tortè, penituſque remota,
Omnia per flexos aditus educta licebit
Pluribus haec Speculis videantur in aedibus eſſe;

Uſ-

INTERPRETATIO.

ita ut quinquies aut ſexies eadem Imago repræſentari poſſit: Nam quæcunque in interioribus ædium partibus collocata latent, licet longe & penitus a noſtris oculis removeantur, tamen per plura Specula hic & illic rite diſpoſita e latebris ſuis veluti educta in ædibus eſſe cernuntur.

VARIÆ LECTIONES.

304. *ſexve.* ſex ut A. B. P. X. Y. Z. *ſuerint.* fuerint X.
305. *latebunt.* latebit X. Y. Z.
306. *tortè.* forte D.
308. *hæc.* è X.

NOTÆ.

quoſdam aditus, in ædibus eſſe videbuntur. Immò verò pluribus ſpeculis certo modo ſitis & compoſitis fieri poteſt, ut tergum tuum cernas. Exempli gratia: ſumito duo ſpecula plana, eorumque alterum à tergo ita collocato, ut ſit reſupinatum, id eſt, neque prorſus rectum, neque prorſus ſupinum; alterum ſublime & ſuſpenſum ſupra caput teneto, ita ut ob oculos tuos obverſum ſit, prono & proclivi ſitu. ſine dubio tergum tuum in ſpeculo illo ſublimi, & tuis oculis ſuperne oppoſito cernes, tui videlicet tergi imagine à poſteriore & reſupinato ſpeculo in alterum tranſlata. Erat autem ordo verſuum hoc loco in libris vulgatis mirum in modum perturbatus: quem ego invita invidia princeps reſtitui. Lamb. Hic melior eſt ordo quam qui in aliis quibuſdam. Gifan. Imaginum eliſionem atque inverſionem ulterius v. 9. confirmat, nam ex interiori ædium parte per Specula ritè diſpoſita veluti educitur Imago, & in quamlibet partem transfertur; Illa autem Imago quæ ſiniſtram partem dextræ objecti parti in primo Speculo oppoſitam exhibebat, in Secundo Speculo convertitur, & dextras partes dextris objecti partibus adverſas refert. Creech.

304. *Quinque etiam ſexve ut fieri*) Codex Bertin. non habet disjunctivam *ve.* ſic enim in eo ſcriptum eſt, *Quinque etiam ſex ut.* atque ita fortaſſe legi debet. ſic Horat. Epiſt. 1. lib. 1: 5.

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt.

quem verſum tamen aliter, quam vulgo intelligi ſolet, explicavi in ſecunda editione Horatiana. Zoilus ſuperiorem hanc annotationem arripuit, & ſecutus eſt, ab ingenio ſuo non diſcedens. Lamb. *Sex ut.* Ita ex quibuſdam libris veteribus malim, ut *ſex ſeptem* Horat. Epiſt. 1. lib. 1. & Terent. Eunuch. in aliis: *ſexve.* Gifan.

311. *Inde retrorſum reddit ſe, & convertit eodem*) Cum in codicibus quatuor Manuſcr.

Inde retrorſum redit,

ſcriptum reperiſſem ſine copulatione *que*, continuò judicavi ab aliis ita eſſe repoſitum, ut habent libri vulgati,

Indeque retrorſum redit:

ab aliis,

Inde retrorſum etiam redit, &c.

ut habent tres Manuſcripti. Nam Bertin. neque habet copulationem *que*, neque *etiam.* Itaque ſic reſtitui,

Inde retrorſum reddit ſe, & convertit eodem.

ſententia autem hæc mihi videtur eſſe: Inde, id eſt, ex primo ſpeculo. vel ex parte dextra, imago reddit ſe retrorſum, id eſt, in lævam partem, in ſecundo ſpeculo ſcilicet, & convertit ſe eodem, nempe in lævam. Cum hæc ſcripſiſſem, Zoilus exortus legendum dixit,

Inde retrorſum reddit, & convertit eodem:

ut ſit choreus pro ſpondeo, & *reddit & convertit* ſint abſoluta: quod fieri non poteſt: neque reperietur in tota Lingua Latina. Adde quòd ver-

Uſque adeo è Speculo in Speculum tranſlucet imago,
Et cum laeva data eſt, fit rurſum ut dextera fiat:
Inde retrorſum redit, & convertit eodem;
Quinetiam, quaecunque latuſcula ſunt Speculorum
Adſimili lateris flexura praedita noſtri:
De-

INTERPRETATIO.

Uſque adeo e Speculo in Speculum Imago traditur, & cum ab uno Speculo alteri ſiniſtra tradatur, ab illo rurſum fit dextra, Inde iterum retrorſum Se reddit, & eodem convertit (fit læva ut prius): Quinetiam quæcunque Latera Speculorum prædita ſunt flexura ſimili noſtri lateris, nobis

VARIÆ LECTIONES.

309. *è Speculo.* ſpeculo Q. X. Z.

310. *ut dextera.* Ita N. Y. Z. *Alii* dextera.

311. *Inde retrorſum redit &c.* Indeque retrorſum redit, & C. N. P. X. retroverſum redit, & V. retrorſum redit, & (*prout a nobis editum eſt*) K. E. Z. retrorſum reddit, & A. B. Inde retro rurſum redit Q. Y. ſed man. rec. corrigit *retrorſum.* retrorſum etiam redit & Q 1.

313. *lateris.* latere X.

NOTÆ.

verſus erit inconcinnus. cujuſmodi verſus ipſe facit: non cujuſmodi ſunt Lucretiani. Lamb. *Reddit &c.* Ita veteres libri, niſi quod antiquo more, de quo Pierius, habebant *redit.* Lambinus addidit *ſe.* Recte forſan; ut olim fuerit *s' &c.* Ego veram ſcripturam repoſui. Nam &, *reddit*, ut *convertit*, abſolute accipi poſſit; & in, *reddit*, choreus pro ſpondeo. Infra etiam vſ. 324. utitur: *reddita.* Gifan. Giſanius, qui integros verſus non amat, omittit *Se*, Quidam tamen Codd.

Inde retroverſum redit, &c. Creech.

Oblitus eſt ſui Giſanius, cum in Indice notat *reddere* abſolute hic accipi. Sed, quum omnes Veteres habeant *redit* : & hoc orationis filum requirat, retinere id malim; poſteriorem *ẽ* *Inde* producere auctoritate Græcorum Poëtarum, quia *r.* prima litera ſequenti eſt voci, ut verſus ſibi conſtet; ſimiliter hoc eodem libro verſu 362.

——— ——— *Fierique perinde videmus*
Corpore tum plagas in noſtro, tanquam aliqua res
Verberet.

Ubi eadem vis literæ ad ultimam in *aliqua* producendam. Gron. Obſerv. ſcil. lib. II. cap. VII. pag. 261. eamque lectionem ſumus ſecuti. Hav.

312. *Quin etiam quæcumque*] Significantur, opinor, multa ſpecula conjuncta, columnæ figura, convexa. numerantur autem à Mathematicis ſeptem ſpeculorum genera, ex quibus fiat uſitata & rata reflexio: ſpeculum planum: ſpeculum columnare, convexum: ſpeculum columnare, concavum: ſpeculum pyramidis in morem conformatum, convexum: huic ſimiliter conformatum, concavum: ſpeculum globoſum, ſeu ſphæricum, convexum: globoſum, concavum. Lamb. v. 7. Subjungit de Speculis quorum ſunt latuſcula (faciecuIæ) varia, inſtar viz. Speculorum plurium ad dextram lævamque ſic oppoſitorum, ut ex reflexione unius in aliud, & porro in Oculum ſitus reſtituatur; aut potiùs quorum latera ſint partes, regioneſve ejuſdem Speculi concavi, è quo reflexa, & poſt factam radiorum decuſſationem ſpectata Imago eo exhibeatur ſitu, ut dextra ad dextram, ſiniſtra ad ſiniſtram ſit; tametſi aliunde pars ſuperior inferior, & inferior ſuperior evadit. *Gaſſendus.* Creech.

313. *Adſimili lateris*, &c.] Hoc eſt, exhibeant partes Imaginis reſpondentes iiſdem noſtris partibus, nempe dextras dextris, lævas lævis, *Fayus.* Imperitè, Iſta enim *flexura adſimilis lateris noſtri* ad ipſum Speculum pertinet, & idem ſignificat quod *Flexa Figura Speculi.* verſ. 318. Creech.

 314.

Dextera ea propter nobis Simulacra remittunt,
Aut quia de Speculo in Speculum transfertur Imago,
Inde ad nos eliſa bis advolat; aut etiam quod
Circumagitur, cum venit Imago, propterea quod
Flexa figura docet Speculi convertier ad nos.
  Indugredi porro pariter Simulacra, pedemque
Ponere nobiſcum credas, geſtumque imitari,

Pro-

INTERPRETATIO.

reddunt Imagines dextras, quoniam Imago traditur a Speculo in Speculum, & inde venit ad nos bis eliſa, aut quoniam Imago, cum ad nos redit circumagitur; nam flexa figura Speculi demonſtrat Imaginem ad nos converti. Porro putes Simulachra cum nos movemus pariter movere, geſtumque noſtrum imitari,

VARIÆ LECTIONES.

314. *remittunt.* mittunt Q.
318. *Flexa.* flexea Y. ſed corr. Flexa Z.
319. *porro pariter.* pariter porro Z.
320. *nobiſcum.* nobis quum Q.

NOTÆ.

314. *Dextera*] Id eſt, quorum dextræ partes noſtris dextris reſpondent. Lamb.

318. *Flexa figura*] Teres ſpeculi figura, inſtar columnæ. Lamb.

318. *Docet*] *Efficit*, &, ut alibi loquitur, *curat*. Faber.

318. *Convertier*] Videlicet imaginem. Lamb.

319. *Indugredi porro pariter*] Hæc etiam ad ſpeculorum conſiderationem pertinent. idcirco hos ſex proximos verſus hoc loco excudendos curavi, eoque magis, quod hoc ordine leguntur in cod. Bertiniano. Sive *Indugredi* autem, ſive *Endogredi* legatur, nihil refert. Nam utroque uſos eſſe veteres, *endo* & *indu* pro *in*, & veteres grammatici teſtantur & multorum antiquorum ſcriptorum teſtimonia probant. Adde quod libri veteres ſic habent hoc loco. Poſtremò vocabularium Latino-Græcum mihi à Cl. Puteano commodatum ſic habet; *Induperat*, ἐπιτάσσει· & *indu*, εἰς, ἐν, ἔνδον, ἐντός. Et Lucil. apud Nonium in verbo *concelebrare*:

Multis indu locis ſermonibus concelebrarunt.

ſic enim legendum, non, ut vulgò, *inductis*; neque, ut habent libri vet. *inde locis*. Lamb. His v. 6. docet imagines in Speculis videri nobiſcum incedere, noſtrumque geſtum imitari, quoniam qua de parte Speculi recedamus, ſtatim ex ea Imago nequeat reverti, nam quæcunque ab rebus Simulachra mittuntur, ea ad æquos & pares angulos referuntur; Itaque appoſitè id refert ad variatas Speculi partes, ex quibus aliis ac aliis neceſſarium eſt reflexionem in oculum fieri, ac proinde Imaginem progredi videri. Creech.

321. *Propterea, quia de ſpeculi*] Hæc ratio eſt admodum arguta, facilis, atque illuſtris. ſimulacra (inquit) videntur nobiſcum ingredi in ſpeculo, quia, qua de parte ſpeculi recedas, ſtatim ex ea parte non poſſint ſimulacra reverti. hujus rationis ratio eſt, quia quæcumque ab rebus ſimulacra mittuntur, ea ad æquos & pares angulos referuntur. Mathematici autem docent, idcirco imaginem rei viſæ in ſpeculo moveri videri, quia cùm omnia puncta rei viſæ ab aliis atque aliis identidem punctis reflectantur, nova totius rei viſæ efficitur imago. unde per motum rei viſæ puncta à quibus facta eſt reflexio, permutantur. ita forma moveri videtur, cùm re vera non moveatur, ſed potiùs nova imago, ſitu rei viſæ mutato, gignatur. id autem accidit propter continuationem punctorum reflexionis, quæ fit in extrema cæſura ſpeculi. Sed videtur legendum,

Continuò nequeunt illuc ſimulacra rev. Lamb.

322. *Nequeunt illinc*] Lambinus *Nequeunt illuc*, quæ

Propterea, quia de Speculi qua parte recedas,
Continuò nequeunt illinc Simulacra reverti:
Omnia quandoquidem cogit natura referri,
Ac reſilire ab rebus ad aequos reddita flexus.
Splendida porro oculi fugitant, vitantque tueri:
Sol etiam caecat, contra ſi tendere pergas,
Propterea, quia vis magna eſt ipſius: & alte
Aëra

INTERPRETATIO.

quia cum ab aliqua parte Speculi recedas, Imagines non poſſunt remitti ab iſta parte, Lex enim naturæ ſtatuit ut omnis Reflexio fiat ad æquales angulos. Porro Oculi Splendida objecta fugiunt, nec intueri audent: Imo ſi pertinaciter intendas Oculum in Solem, inde Cæcitas, quia Solis magna eſt vis, & illius

VARIÆ LECTIONES.

322. *nequeunt.* nequeant P. N. Y. *illinc.* illuc ſimulacra L. emendat. *reverti.* remitti. *Gaſſ.*
325. *vitantque.* vitamque Q.
326. *tendere.* cernere A. B.

NOTÆ.

quæ lectio admitti non poteſt, *Remitti* Gaſſendus pro *Reverti.* CREECH.

325. *Splendida porro oculi*) Abſoluta de ſpeculis diſputatione, & eorum ratione, docet quamobrem ſplendida oculos offendant. maxime ſi nimiùm ſint ſplendida, cujus rei hanc etiam cauſam afferri poſſe puto. Quæ ſub ſenſum videndi cadunt, actionem quandam in eum explicant, ita ut videndi ſenſus à rebus quæ cernuntur, patiatur. Cùm igitur actio & perpeſſio ſunt intra modum, & altera alteri ex proportione reſpondet, juvatur videndi ſenſus à re, quæ cernitur potiùs, quàm offenditur, & probè ſuo munere fungitur. Cùm verò perpeſſio actionem ſuperat, id eſt, cùm id quod cernitur, plus æquo acre & validum eſt; oculùm & videndi ſenſum offendit. ex quo fit, ut ingens & immoderatus ſonitus, audiendi ſenſum corrumpat; & nimius ſplendor, videndi ſenſum exſtinguat: de qua re mox dicemus. Huc tamen antè adſcribam Laberii verſus de Democrito, & quodam ſene, quos profert Gell. lib. 10. cap. 17. quòd ad hunc locum mihi maximè pertinere videantur, & eo magis, quòd mendoſe & perturbatè apud Gellium legantur:

Democritus Abderites phyſicus philoſophus
Clypeum conſtituit contra exortum Hyperionis,
Oculos effodere ut poſſet ſplendore æreo:
Radiis ſolis ſibi aciem effodit luminis,
Malis bene eſſe ne videret civibus:
Sic ego ſplendore fulgentis pecuniæ
Volo eludificare exitum ætatis meæ,
Ne in re bona videam eſſe nequam filium. LAMB.

Splendida objecta Oculi pati non poſſunt, & Sol excæcat, quoniam v. 8. Splendidum objectum emittit multa Ignis ſemina quæ oculos adurunt, vel eſt Senſibile exuperans ſenſorium, atque ideo corrumpit, quòd ipſius texturam ſolvens, debitam in eo temperiem commenſurationemque pervertat, ac deſtruat, adeo ut aliis ſenſibilibus deinceps excipiendis incapax evadat. CREECH.

326. *Sol etiam cæcat, &c.*] Sic M. Tull. lib. 6. de repub. Hic verò tantus eſt totius mundi incitatiſſima converſione ſonitus, ut eum aures hominum capere non poſſint: ſicut in terris intueri ſolem nequitis adverſum, ejuſque radiis acies veſtra ſenſuſque vincitur. Ariſtot. libr. 3. de anima, tradit hoc eſſe commune omnium ſenſuum, ut ea quæ ſub eos cadunt, ſi modum ſuperent, corrumpant ſenſus, aut certè ſenſuum in-

Aëra per purum graviter Simulacra feruntur,
Et feriunt oculos turbantia compoſituras.
Praeterea, Splendor, quicunque eſt acer, adurit
Saepe oculos, ideo quod ſemina poſſidet ignis
Multa, dolorem oculis quae gignunt inſinuando.
Lurida praeterea fiunt quaecunque tuentur

Ar-

INTERPRETATIO.

Imagines per purum Aëra, qui minime impedit, cum impetu feruntur, Oculos feriunt, illoſque lacerant, Præterea, omnis vehemens Splendor ſæpe urit Oculos, quia continet multa Ignis Semina, quæ incurrentia in Oculos, eoſque penetrantia dolorem excitant. Præterea, omnia objecta quæ Icterici vident

VARIÆ LECTIONES.

332. *gignunt.* gignitur Q. X.
333. *Lurida.* lutea ex Varrone P. in not.

NOTÆ.

inſtrumenta. verbi gratia, ſonitus nimius, & modum ſuperans, exſurdat: nimius ſplendor, oculorum aciem præſtinguit, atque adeò exſtinguit: & ita de cæteris ſentiendum. cujus rei hanc rationem affert, quòd ſenſus, ratio quædam eſt: omnis autem ratio corrumpitur ab eo quod eſt nimium, & ab eo quod eſt parum. quemadmodum ſymphonia corrumpitur, ſi chordæ vehementiùs, quàm par ſit, pulſentur: aut ſi vel nimis remiſſæ, vel nimis contentæ fuerint. LAMB.

326. *Contra ſi tendere*] Sic habent noſtri omnes libri veteres; & item vulgati. In *tendere* autem ſubintelligendum oculos. Sic autem loquuntur boni ſcriptores, *tendere*, & *contendere oculos*. Sic ſuprà libro 1: 67.

Primum Grajus homo mortaleis tendere contra
Eſt oculos auſus.

neque eſt quòd quiſquam mihi dicat, vocem *oculi* aut nimis longè abeſſe, aut nuſquam hîc eſſe poſitam. Eſt enim in ſuperiore verſu proximo, ſic in hoc eodem dixit, *Sol etiam cæcat.* nempe *oculos.* Quod ſi in his verbis *Sol etiam cæcat*, rectè ſubintelligitur *oculos*: cur non & in *contra tendere?* Sic enim procedit ſententia: Sol cæcat oculos, ſi pergas oculos contrà tendere. Zoilus autem legit *cernere*, non rectè, & contra omnium librorum auctoritatem. LAMB. *Contra ſi cernere*, Ita ex veteribus malim. Vulgati, & in aliis: *tendere*, GIFAN.

329. *Compoſituras*] Τὰς ἁρμογὰς, τὰς συναφάς. LAMB. Συναρμογάς. FABER.

332. *Inſinuando*) Παθητικῶς, inſinuantur, jam alibi. FABER.

333. *Lurida præterea fiunt*) *Luridi* (inquit Feſtus) *ſupra modum pallidi. Luridum* autem à *lura*, id eſt, corio. Auctor vocabularii Latino-Græci, *Luridus*, inquit, ὠχρὸς, πήλιος, ἰκτερικός. In quibuſdam libris vulgatis tamen impreſſum eſt *lutea*. *Lutea* autem, id eſt, crocei coloris, ſeu qualis eſt color ovorum vitellis. Varro: *Sed Cynicis involucrum & pallium luteum non eſt.* Sed quærat aliquis, cur hoc fiat. propter oculi vitium ſcilicet. nam cùm viſus fiat per adventum formarum adſpectabilium in oculos: quicquid autem recipit, debeat eſſe omnis qualitatis expers, ſi futurum eſt, ut formas probè recipiat, quemadmodum materia debet eſſe omnium formarum expers, & informis, ut ſit formarum capax: meritò oculis arquatorum, cum ſint lurore infecti, quæ non ſunt lurida, lurida videntur. LAMB. Ictericis omnia objecta apparent Lurida, quia viz. v. 5. lurida multa ſemina ab Ictericis fluunt, & venientia rerum Simulachra tingunt, ſaltem in oculos intrantia inficiunt. CREECH.

334. *Arquati*) Preſſi morbo regio: quod ei nomen hæſit quoniam victu regio curantur; Græci vocant *Icteron*: unde nomen avi, quæ Ictericum morbum curat. *Arquatus* dicitur hic morbus quod

Arquati, quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt Simulacris obvia rerum,
Multaque ſunt oculis in eorum denique miſta,
Quae contage ſua palloribus omnia pingunt.
E tenebris autem quae ſunt in luce tuemur,

Pro-

INTERPRETATIO.

videntur eſſe viridi pallore tincta, quia multa Semina viridis iſtius Palloris fluunt de eorum Corpore, & venientibus Rerum Imaginibus fiunt obvia, multa etiam in ipſis Eorum Oculis cum iſtis Imaginibus miſcentur, quæ omnia objecta viſa inficiunt, & ſuo pallido colore tingunt. Nos autem in tenebris poſiti videmus illa quæ in Luce poſita ſunt,

VARIÆ LECTIONES.

334. *luroris.* lutoris P. in not.
335. *multa.* mault Y. mavult Q. Z. ſed in Z. m. rec. corr.
337. *pingunt.* tingunt. *Gaſſ.*
338. *tuemur.* tenemur Q.

NOTÆ.

quod *arquus* ſit concolor de virore: vel quod ita ſtringat corpora ut in arcum ducat. Lucilius:

Qui nos eſſe arquatos ducunt, ſurgamus, eamus, agamus.

Hic morbus in ſacris literis *aurigo* nuncupatur. Hieronymus in interpretatione Hieremiæ. *Interrogate & videte ſi generat maſculus: quare ergo vidi omnis viri manum ſupra lumbum ſuum quaſi parturientis & converſæ ſunt univerſæ facies in auriginem.* Celſus libro tertio Medicinæ. *Æque notus eſt morbus, quem interdum arquatum: interdum regium nominant: quem Hippocrates ait ſi poſt ſeptimum diem febricitante ægro ſupervenit, tutum eſſe mollibus tantummodo præcordiis ſubſtantibus. Diocles ex toto ſi poſt febrem oritur etiam prodeſſe: ſi poſt hunc febris: occidere. Color autem morbum detegit maxime oculorum: in quibus quod album eſt fit luteum. per omne autem tempus utendum eſt exercitatione, frictione, ſi hiems eſt balneo, ſi æſtas frigidis natationibus; lecto etiam & conclavi cultiore; clauſo loco: uti ludis: laſcivia: per quæ mens exhilaretur. ob quæ regius morbus dictus videtur.* PIUS. Qui morbo regio laborant. *Arquatus morbus* (inquit Nonius) *dictus (qui & regius appellatur) quod arquo ſeu arco, id eſt iridi, ſit concolor virore: vel quod ita ſtringat corpora, ut in arcum ducat.* Varro Eumenid. *Nam, ut arquatis & veternoſis, quæ lutea non ſunt, æque ut quæ ſunt, lutea videntur: ſic inſanis ac furioſis, ſani & inſani videntur eſſe inſani.* Profert iterum eadem verba in voce *Luteus*, ſed utrobique mendoſe, ut intelliget qui attentius conſiderabit. Ego, quomodocumque potui, emendavi: ſed non omni ex parte. nam manet mendum in voce *veternoſis*, cui quomodo hîc locus eſſe poſſit, non video. fortaſſe delenda. LAMB. Icterici, quorum color & oculi virent quaſi in *Arqui*, quem poëtæ Irim vocant, ſimilitudinem: Lucretius lib. 6: 525.

Tum color in nigris extabat nubibus Arqui.
Nonius. CREECH.

337. *Contage*) Contagione, ut ſupra. LAMB.

337. *Palloribus*) Notabilis hujus vocis apud poëtam uſus in numero multiplicato, quum ſingularia agnoſcat Chariſius tantum illa rerum nomina, quæ nec videri nec tangi poſſunt. Verba ejus hæc ſunt pag. 22. Edit. Putſc. *Item ſingularia ſemper ſunt, quæ nec videri, nec tangi poſſunt.* Verum ſicuti idem in fine addit: *Sed auctores non uſquequaque hæc obſervaverunt*; ita videmus inter illos etiam noſtrum eſſe Lucretium. HAVERC.

338. *E tenebris autem*) Quamobrem è tenebris ea quæ ſunt in luce, cernamus, non contrà, per longas ambageis hoc loco rationem exponit. Sed ex Ariſtotelis & Mathematicorum ſententia, multo brevior ratio reddi poteſt, hoc modo;

Propterea, quia cum propior caliginis Aër
Ater inît oculos prior, & poſſedit apertos:
Inſequitur candens confeſtim lucidus Aër,
Qui quaſi purgat eos, ac nigras diſcutit umbras
Aëris illius; nam multis partibus hic eſt
Mobilior, multiſque minutior, & mage pollens.
Qui ſimul atque vias oculorum luce replevit:
Atque patefecit, quas ante obſederat ater:

Con-

INTERPRETATIO.

quia cum tenebroſus Aër qui propior eſt noſtris Oculis prior Oculos ingreſſus eſt, & apertos occupavit, ſtatim lucidus Aër a tergo ſequitur, ingreditur Oculos, eos quaſi purgat, diſſipatque tenebras prioris Aëris. Hic enim lucidus Aër eſt altero Aëre multo mobilior, multo minutior, & vi majori pollet; Qui lucidus Aer cum meatus Oculorum luce implevit, & aperuit quos tenebroſus Aër occupaverat,

VARIÆ LECTIONES.

339. *propior.* proprior Y. Z. *& 2. Edit. Creechii.*
340. *inît.* iniit. P. in & Q. *poſſedit.* poſſidit A. B. I.
343. *illius.* ullius X. Y. Z.
344. *Mobilior.* nobilior X.
346. *obſederat.* obſiderat D.

NOTÆ.

modo: Nihil per ſe videtur præter lucem & colorem. Itaque quicquid cernitur, opera & beneficio coloris, à luce illuſtrati, cernatur neceſſe eſt. At videndi ſenſus fit per contactum quendam, nempe forma rei quæ cernitur, ad oculos perveniente, & ſuam vim in videndi ſenſum explicante. Ita fit, ut è tenebris ea quæ ſunt in luce poſita, cernamus. LAMB. Deinde ex tenebris ea videntur quæ ſunt in luce, non item in luce quæ in tenebris: Id nempe fit v. 16. propter protruſionem diverſi Aëris, nam cùm lucidus Aër tenebroſum ſequitur, purgat meatus oculi, ita ut rerum Simulachra intrare poſſint, Aër enim lucidus eſt tenuior, mobilior ſaltem, & majori vi pollens; Cùm verò tenebroſus Aër lucidum Subſequatur, tum meatus Oculi ab iſto inerti Aëre ita implentur, ut advenientibus rerum Simulachris excipiendis incapax evadat. CREECH.

340. *Ater inît oculos*) *nit ocu-* tribrachus pro ſpondeo, ſeu dactylo: niſi dicamus, *inît* dictum pro *iniit*: propter eaque *nît* eſſe longum: quod malo: ut ſupra libr. 1: 71.

Inritât animi virtutem.

itaque ſequitur *poſſedit* ejuſdem temporis. Quod ſi quis *init* in præſenti legere malet, quod probari poteſt, neque eſt inuſitatum; *poſſidit* erit legendum, in præſenti, à verbo *poſſido, dis*: ut jam dicam. Sed omnino malo legi *poſſedit*, & *inît* ſic accipi, ut ſit præteritum. LAMB. Sive Init, & Poſſidit & ℣. 346. *Obſiderat*, ut *Obſiditque vias* ℣. 352. perinde eſt: omnino autem legendum *è luce* non *à luce* ℣. 349. & ℣. 353. *Conjecta*, non *Contecta*, ut Lambinus contendit, quoniam vox *adaperta* in ℣. 347. legitur. CREECH.

340. *Et poſſedit*) Quidam legunt *poſſidit*, à verbo *ſido, dis*: ut infrà ℣. 352.

Obſiditque vias oculorum.

& lib. 1: 387.

——— ——— *poſſidat inane.*

& alibi *perſidit*, & *reſidit.* ego nihil muto. LAMB. *Et poſſidit*, Ita malim, petente id ſententia. In libris: *poſſedit.* Ita ſæpe variatum. GIFAN.

341. *Lucidus Aër*) Ariſtoteles diceret, ad oculum

Continuo rerum Simulacra adaperta ſequuntur
Quae ſita ſunt in luce, laceſſuntque, ut videamus.
Quod contra facere in tenebris à luce nequimus,
Propterea, quia poſterior caliginis Aër
Craſſior inſequitur, qui cuncta foramina complet:
Obſiditque vias oculorum, ne Simulacra
Poſſint ullarum rerum conjecta moveri.
Quadrataſque procul turreis cum cernimus urbis;

Pro-

INTERPRETATIO.

ſtatim Imagines rerum quæ in luce ſitæ ſunt ſequuntur, feriunt Oculos, & faciunt ut videamus. At vero e contra nos in luce poſiti non poſſumus videre Objecta quæ in tenebris ſunt; Quia Aër qui eſt tenebroſus & craſſior priori lucido Aëre iſtum lucidum Aërem ſequitur, omnia foramina & meatus Oculorum occupat & implet, ut advenientes rerum Imagines illos attingere, aut in eos ingredi nequeant. Denique cum procul videamus quadratas alicujus Urbis turres,

VARIÆ LECTIONES.

347. *Simulacra adaperta.* quidam ſimulacra. c. quædam ſimulacra P. pariter adaparta Q1. pariter ſimulacra X. *adaperta* deeſt Q. X. Y. Z.

348. *laceſſuntque* laceſſunt quæ N. *videamus.* videmus Q. Inſerunt verſ. 303. ad vſ. 325. P. Q.

349. *facere.* jacere Z. *in tenebris a luce.* e luce A. B. L. Q. Y. Z. e tenebris in luce P. Q. X.

352. *Obſiditque vias.* Obſidit quia Q. X. Y. Z. ſed m. rec. adſcr. in Z. leg. *Obſeditque vias.*

353. *conjecta.* conlecta A. contecta B. L. Q1. X. Y. Z. Poſt hunc verſum inſeritur v. 303. cum 15. ſequentibus C. E.

NOTÆ.

lum pervenire ἐνέργειαν, id eſt, actionem coloris luce perfuſi. Lamb.

349. *E luce*] Sic habent libri Manuſcripti duo, in quibus eſt Memmianus: non, ut alii, *à luce.* ſic ſupra dixit ℣. 338.

E tenebris autem. Lamb.

In aliis: *à.* Gifan.

353. *Contecta moveri*] Omnes ferè libri Manuſcripti habent *contecta*: unde olim ſuſpicabar legendum *conjecta*, aut *conlecta.* nam apud hunc ſcriptorem *conjectus* idem valet interdum quod *collectus & congregatus.* niſi dicamus ubique legendum *conlectus.* Sed placet nunc retineri ſcripturam veterem, *contecta*: quod opponitur illi quod ſuprà poſitum eſt, *adaperta.* Verumtamen judicet lector eruditus. Lamb. *Conlecta.* ſic legendum ex omnibus veteribus. Marullus & Vulgati: *conjecta.* Gifan.

354. *Quadrataſque procul turreis*] Nunc nonnullas viſus fallacias ſeu captiones proponit: quas tamen negat eſſe fallacias ſenſus, ſed animi opinationes. qua de re legendus Q. Septimius Florens Tertullianus libr. de anima, ubi de quinque ſenſibus diſputat. cujus ſententia neque ſenſus mentitur, neque opinio. ita partim aſſentitur Epicuro, partim diſſentit. Satis autem probabilem & acutam rationem reddit, quare quadrata figura procul rotunda videatur: quoniam ſcilicet omnis angulus, ſi longiùs diſtet, obtuſus videtur, ſeu potiùs non videtur: cujus rationis cauſa eſt, quòd, dum ſimulacra rei quæ cernitur, per multum aëra feruntur, ab eo aëre anguli ictus, ſive ipſe angulus, obtunditur; & ita videndi ſenſum effugit. quo fit, ut quæ ſunt quadrata, tamquam rotunda videantur. Mathematici & optici hoc ſic demonſtrarent. Quic-

Propterea fit uti videantur ſaepe rotundae,
Angulus obtuſus quia longe cernitur omnis,
Sive etiam potius non cernitur; ac perit ejus
Plaga, nec ad noſtras acies perlabitur ictus:
Aëra per multum quia dum Simulacra feruntur,
Cogit hebeſcere eum crebris offenſibus Aër.
Hinc, ubi ſuffugit ſenſum ſimul angulus omnis,

Fit,

INTERPRETATIO.

ideo fit ut Turres iſtæ appareant rotundæ, quia omnis Angulus, qui e longinquo cernitur apparet Obtuſus, ſeu potius non omnino apparet: non enim ſentimus illius ictum, neque ad noſtros Oculos unquam venit; quia dum Imagines feruntur per longum Aëris tractum, Aër crebro in illas offendens obtuſiorem reddit: Hinc fit, ut cum nullus Angulus Oculos pertingit,

VARIÆ LECTIONES.

357. *ac.* at Q.

358. *nec.* hæc Q. *noſtras acies.* noſtras ates Z. ſed ead. m. corr. *acies. perlabitur.* allabitur A. illabitur C. E. N. P. *in not.* adlabitur D. delabitur P. derivabitur X. deriabitur Y. Z. ſed ead. m. in Z. ſcribitur. ſupra *derivabitur.*

359. *feruntur.* ferantur Q1.

360. *eum.* cum O. P. X.

361. *Hinc.* Hæc O. P. Q. X. Hoc Q1. Y. Z.

NOTÆ.

quid cernitur, definitam habet loci diſtantiam, ultra quam non poteſt cerni. finge igitur; magnitudinem aliquam in ultima diſtantia cerni. cernetur igitur ſub quam minimo fieri poteſt angulo. removeatur nunc hæc magnitudo longius ab oculo; proculdubio non cernetur. alioqui ſub minore angulo cerneretur, quam qui eſt minimus. quod fieri non poteſt, magnitudo autem angulis prædita circa ſuos angulos minor eſt, quam circa quaſlibet alias ſuas parteis. Ita fiet, ut oculus, corporis quadrati longiſſimè diſtantis angulum, quamvis ſibi propinquiorem, minus cernere poſſit, quàm reliquas illius corporis parteis. ex quo efficietur, ut quadratum, rotundum videatur. Huc pertinent illa Alexandri Aphrodiſ. lib. 1. probl. trigeſimo ſeptimo: *Διὰ τί τετράγωνα πόῤῥωθεν στρογγύλα νομίζονται, ἢ τῷ τὴν ὄψιν μὴ δύνασθαι μακρόθεν ὁρᾶν τὰς γωνίας, ὡς ὀξείας, μὴ βλέπειν αὐτὰς ὡς γωνίας; τούτων δ' ὑπεξῃρημένων, κατ' ἀπάτην τῆς ὄψεως τὸ λοιπὸν σῶμα στρογγύλον φαίνεσθαι;* id eſt, *Quamobrem quadrata è longinquo loco rotunda putantur? An quod viſus cum angulos procul cernere nequeat, ut acutos, non cernat eos, ut angulos? His autem detractis fallacia oculorum reliquum corpus rotundum videtur?* LAMB. Turres quadratæ nobis procul aſpicientibus apparent Rotundæ, quia viz. ℣. 11. Turris quadratæ imago dum procul ad nos per Aëra advolat ſæpius percutitur Aëre occurſante, quo fit ut anguli illius deterantur, ſaltem ita obtundantur, ut cùm ad nos pervenit quaſi tornata, & rotunda ſub forma ferit Oculos noſtros, licet iſta rotunditas non ſit adeo diſtincta, ac ſi Turris ipſa rotunda foret, & cominùs ſpectaretur. CREECH.

358. *Neque ad noſtras acies perlabitur*] Sic nunc repoſui. Olim autem cùm ex libris vulgatis alii haberent *illabitur*, alii *delabitur:* ex Manuſcriptis autem alii *delabitur*, cum vulgatis aliquot conſentientes, alii *deriabitur*, cujus ſcripturæ rationem exputare non poteram: *adlabitur* edideram; pro quo vulgati ferè omnes habent *delabitur.* Placet igitur nunc mihi *perlabitur:* quod ego ex *deriabitur* corrupto elicio: ex *der* ſcilicet, *per*, ex *i*, *l:* omnino facilè & ſine vi, & uſitato more. nam *d* eſt *p* inverſum. LAMB. *Perlabitur*, ita

ex

Fit, quaſi tornata ut ſaxorum ſtructa tuantur:
Non tamen ut coram quae ſunt, vereque rotunda,
Sed quaſi adumbratim paullum ſimulata videntur.
Umbra videtur item nobis in Sole moveri,
Et veſtigia noſtra ſequi, geſtumque imitari,
(Aëra ſi credas privatum lumine poſſe
Indugredi, motus hominum, geſtuſque ſequentem.

Nam

INTERPRETATIO.

tota Moles viſa appareat rotunda; non tamen ita rotunda, ut illa quæ cominus viſa & vere rotunda, ſed quandam imperfectæ rotunditatis ſimilitudinem præ ſe fert. Item Umbra noſtra videtur una cum nobis moveri, ſequi veſtigia, atque imitari geſtum; (ſi modo credere potes Aëra luce privatum ambulare poſſe, & ſequi motus & geſtus Hominum;

VARIÆ LECTIONES.

362. *quaſi tornata ut.* quaſi ut ad tornum A. B. C. E. I. N. quaſi ut ad turnum X. Y. Z. turrim. c. P. Q. tortum O. *tuantur.* tuentur X.

364. Poſt hunc inſeritur v. 319. cum ſ. ſequentibus C. E. *adumbratim paullum ſimulata videntur.* adumbrantim p. ſimulachra videtur X.

366. *geſtumque.* greſſumque E. *corrigit.*

367. *credas.* credis P. Q. X. Y. Z. recte in not. P. reponit *credas.*

368. *geſtuſque ſequentem.* geſtumque frequentem. c. geſtumque ſequentem O. X. Y. Z. greſſumque frequentem P.

NOTÆ.

ex veſtigiis veterum librorum, in quibus ſic erat in *derivab.* & *deriabitur*, reſtitui. Vulgati: *delabitur, labitur.* Alii: *allabitur.* GIFAN.

360. *Hebeſcere eum*] Obtundi angulum, ſive anguli ictum. LAMB.

362. *Quaſi tornata ut ſax.*] Ordo eſt: fit ut ſtructa ſaxorum, id eſt, ſaxa quæ ſtructa ſunt, tuantur, id eſt, videantur, quaſi tornata, τετορνευ-μένα, id eſt rotundata, & torno facta. *ſtructa ſaxorum* autem ſic dictum, ut *ſepta & clauſa domorum*, apud eundem: *ſtrata viarum*, apud Virgil. & apud hunc eundem: *ficta rerum*, *amara curarum*, apud Horat. & ſimilia, quæ in commentariis Horatianis notavimus. Cum hæc ſcripſiſſem, Adr. Turnebus lectionem receptam,

Fit, quaſi ut ad tornum ſaxorum, &c.

defendere conatus eſt in libris Adverſ. XIII. 20. ſed fruſtrà. Ferri enim non poteſt. hoc autem *ad tornum* natum ex interpretatione eſt, quæ poſtea in contextum irruit. ad vocem enim *tornata* adſcripſit aliquis, *ad tornum facta.* Hinc nata hujus loci depravatio eſt. *tornare* autem idem interdum valere quod *teres* aut *rotundum efficere*, declarant illa Ciceronis in Timæo: *Idque ita tornavit, ut nihil effici poſſit rotundius.* LAMB. *Quaſi ut ad tornum*, ita in veteribus. In quibuſdam: *turrim.* Lambinus: *quaſi tornata ut.* GIFAN.

364. *Adumbratim*] Τυπωδῶς, non ad amuſſim, non exquiſitè rotunda. LAMB.

364. *Simulata*] Id eſt, ſimilata. LAMB.

365. *Umbra videtur item*] Cum corpus inter ſolem & locum à ſole illuſtratum, interpoſitum, umbram efficiat, eo quod locum illum, qui à ſolis radiis percuſſus erat luminoſus, ſua interpoſitione lumine privet (nihil enim aliud eſt umbra, quàm aër à lumine vacuus,) cumque, quocumque in loco, in ſole ambulantes, ſoli officimus, is locus lumine privetur: non eſt mirum, ſi unà cum corpore noſtro umbra moveri videatur. Quòd ſi quis quærat. quamobrem umbra nigra videatur: ratio eſt in promtu. umbra omnis lumini contra-

 ria

Nam nihil eſſe poteſt aliud niſi lumine caſſus
Aër, id, quod nos Umbram perhibere ſuëmus.)
Nimirum, quia Terra locis ex ordine certis
Lumine privatur Solis, quacunque meantes
Officimus: repletur item, quod liquimus ejus.
Propterea fit, uti videatur, quae fuit Umbra
Corporis, è regione eadem nos uſque ſecuta.
Semper enim nova ſe radiorum lumina fundunt,

Pri-

INTERPRETATIO.

Id enim, quod nos ſolemus appellare Umbram, nihil aliud poteſt eſſe quam Aër luce privatus,) nimirum quia, dum nos ambulamus certæ partes Terræ, a quibus viz. nos ambulantes prohibemus radios Solis, non luce illuſtrantur, illuſtrantur vero ſimul ac iſtas reliquimus, inde fit ut eadem Umbra Corpus e regione uſque ſequi & comitari videatur; Novi enim Radii a Sole perpetuo mittuntur,

VARIÆ LECTIONES.

370. *Umbram perhibere.* umbra prohibere X.
371. *aliud quam.* aliumi Z. ſed corr. m. recent. *aliud quam.*
372. *quacunque.* quæcumque I. P. Q. X.
374. *videatur.* videantur I.

NOTÆ.

ria eſt, ut privatio habitui. at lumen omne clarum eſt. ergo umbra obſcura. at quod obſcurum eſt quodammodo nigrum eſt. Poteſt & hoc dici: Omne lumen candidum eſt: umbra privatio luminis eſt: umbra igitur lumini contraria, meritò nigra eſt. Lamb. Non ſolùm Imago in Speculis ſed Umbra Corporis videtur nobiſcum incedere, & geſtum imitari; quoniam viz. v. 15. Umbra nihil aliud eſt niſi Aër lumine privatus a Corpore aliquo denſo Soli obverſo, ideoque ut Corpus iſtud denſum moveatur, ut ſeſe erigat aut inclinet, Umbram etiam variari neceſſe eſt, quoniam ab iſto Corpore movente, erecto, inclinato &c. alius aliuſque Aër alio alioque modo lumine privatur. Creech.

369. *Lumine caſſus*] A lumine vacuus, lumine privatus. Lamb.

373. *Officimus*] Obſtamus ſoli. Lamb.

376. *Semper enim nova*] Numquam manet idem lumen, ſed primum quodque perit, & aliud atque aliud continuè a ſole fluit. idem de flamma ſentiendum. qua de re pluribus verſibus diſſeret lib. 5: 282. eo loco, ubi probare conatur, hunc mundum eſſe interiturum:

Largus item liquidi fons luminis ætherius ſol, &c. Lamb.

377. *Primaque diſpereunt, quaſi in ignem*] Illuſtri & luculenta ſimilitudine demonſtrat, prima quæque lumina diſperire, & ſemper recens ſuboriri: nempe, quemadmodum ſi lana in ignem aut flammam aliquam traheretur: quicquid lanæ in ignem incideret, abſumeretur: ita & de lumine ſentiendum. videtur non longè abludere à proverbio, εἰς πῦρ ξαίνειν· quod eſt, *in ignem*, ſeu *in igni nere.* quod uſurpat Plato libr. 6. de legibus, cujus verba adſcribam: τὸ δ' ἑξῆς τούτῳ πεφυκός τε ὀρθῶς ἂν γίγνεσθαι, γιγνόμενον, νῦν τε οὐδαμῇ γινόμενον, ὀλίγου τε ποιοῦν τῶν νομοθέτην τὸ τῶν παιζόντων, εἰς πῦρ ξαίνειν, καὶ μυρία ἕτερα τοιαῦτα ἀνήνυτα ποιοῦντα δρᾶν, οὐ ῥᾴδιον οὔτ' εἰπεῖν, οὔτ' εἰπόντα ἀποτελεῖν. id eſt, *Deinceps autem, quod & rectè fieri poteſt, ſi fiat, & nunc nulla ratione fit, & propemodum facit, ut ſcriptor legis in igne lanam trahat, & ſimilia ſexcenta inania faciens agat, non eſt facile neque dicere, neque cum dixeris, perficere. Trahere lanam* autem pro *nere* dixerunt veteres. Varro

Ta-

Primaque diſpereunt, quaſi in ignem Lana trahatur.
Propterea facile & ſpoliatur lumine Terra:
Et repletur item, nigraſque ſibi abluit Umbras.
Nec tamen hic Oculos falli concedimus hilum.
Nam, quocunque loco ſit Lux, atque Umbra, tueri
Illorum eſt, eadem verò ſint lumina, necne:
Umbraque, quae fuit hic, eadem num tranſeat illuc:

An

INTERPRETATIO.

& priora modo miſſa evaneſcunt, eo modo quo lanæ fila per Ignem tracta: Et hinc fit ut Terra facile luce privetur, facile item rurſus illuſtretur, nigraſque tenebras ſibi abluat. Nec tamen in hoc caſu concedimus Oculos vel minimum falli, Oculorum enim officium eſt Umbram Lucemque intueri, quocunque loco ſint; eadem vero ſit Lux, necne, & an Umbra quæ fuit hic eadem illuc tranſeat,

VARIÆ LECTIONES.

377. *in ignem Lana.* carmine lana B. agmine V. in agmine P. *in not.* Q 1. margine E. P. O. imaginem Q. X.
378. *& ſpoliatur.* exſpoliatur P. ut ſpoliatur Q. ut ut diſpoliatur X.
379. *abluit.* adluit. 1. 2.
380. *hic.* Hoc P. Q. X. *falli.* facili X.
382. *ſint lumina.* ſine lumine P. Q. *nec ne.* nec re Q.
383. *quæ fuit.* quæque fuit Y. Z. *hic.* abeſt ab X. *num tranſeat.* unum tranſeat I. nunc X. Y. abeſt vero Z.

NOTÆ.

Γέξουλ διδασκ. *Sed ſimul manibus trahere lanam, nec non oculis obſervare ollam pultis ne aduratur.* Ex quo *tractum genus dicendi*, id eſt perpetuum, & uno tenore tractuque procedens. Hunc locum autem ſic reperi ſcriptum in duobus libr. Manuſcript. Bertiniano & Memmiano, ut excudendum curavi, cùm in vulgatis miſerabilem in modum ſit depravatus. alii enim habent *quaſi imagine*, alii *qua margine*, alii *quaſi margine.* Lamb. Ita Lambinus, & veteres quidam conſentiunt. In aliis: *quaſi margine.* Alii: *quaſi imagine.* Haud ſcio tamen, an quid lateat. Gifan. Proverbium Græcum, quo uſus Plato, ξαίνειν εἰς πῦρ, de re inutili, ἀνηνύτῳ, & quæ abſolvi non poſſit. Quod autem exiſtimavit Eraſmus ξαίνειν εἰς πῦρ eſſe, *ignem diſſecare, ignem diverberare*, alibi erat cum id ſcriberet. Faber. Proverbium Græcum, quo uſus eſt Plato, ξαίνειν εἰς πῦρ, de re inutili, ἀνηνύτῳ, & quæ abſolvi non poſſit: *Faber*: Et hæc optimè conveniunt menti Poëtæ, & perpetuum iſtum radiorum Solis interitum ſatis aptè exprimunt: *Scaliger* autem Obſerv. ad Tibullum legit.

Quaſi Carmine *lana trahatur.*

Carmen autem eſt inſtrumentum lanificum. Creech.

379. *Nigraſque ſibi abluit umbras*] Cur umbræ *nigræ* dicantur, ſuprà probabileis rationes attulimus. *abluit umbras* autem tranſlate dictum. Lamb.

380. *Nec tamen hic oculos*] Senſus enim certos eſſe defendebat Epicurus; at ex opinatu animorum naſci falſa illorum judicia. Senſus autem omnes ſunt ἄλογοι; quare non judicant. Faber. Abſoluta de Viſu & Viſione diſputatione, a duobus problematis ultimò propoſitis occaſionem arripit defendendi certitudinem ſenſuum, quam non tantùm iſta problemata, ſed alia etiam, quæ uſque ad v. 470. enumerat, labefactare videantur: Quæ omnia explicare non opus eſt, dum plana ſint & familiaria: Senſus verò certos eſſe

ideo

An potiùs fiat, paullo quod diximus ante:
Hoc Animi demum Ratio diſcernere debet:
Nec poſſunt Oculi naturam noſcere rerum.
Proinde Animi vitium hoc Oculis adfingere noli,
Qua vehimur Navi, fertur, cum ſtare videtur:
Quae manet in ſtatione; ea praeter creditur ire:
Et fugere ad puppim colles, campique videntur,
Quos agimus praeter navim, veliſque volamus.

Si-

INTERPRETATIO.

vel an potius illud accidat quod modo docuimus, Ratio Animi diſcernere debet, & definire; Nec poſſunt Oculi rerum Naturam noſcere, Ideoque Hunc Animi errorem aut defectum ne Oculis affingas. Navis illa, qua navigamus, movetur dum videtur ſtare, Illa vero navis quæ in ſtatione manet creditur moveri, illique Montes & Campi præter quos remis agimur veliſque ferimur a puppi recedere videntur & fugere.

VARIÆ LECTIONES.

385. *debet.* poſſit debet Z. ſed m. rec. prius expungitur.
387. *adfingere.* effingere O. P. affingere P. *in not.* effindere Q. effingere O. X.
389. *Quæ:* hæc O. P. Q1. X. Hæc quæ Q1. quæ. *not.* P. *præter.* propter X.
391. *navim.* navem Y. Z. navis X.

NOTÆ.

ideo arguit, quia accipiunt rerum Imagines quales ſibi deferuntur; non cognoſcunt naturas rerum, non judicant, neque aliquid pronunciant, ideò nullus in iis error, omnes autem errores ex opinatu Animi naſcuntur. Creech.

384. *Paullo quod diximus*] Nempe nova ſe radiorum lumina identidem fundere, & prima quæque diſperire. Lamb.

387. *Proinde animi vitium*] Si quid fallimur (inquit) in rebus cernendis, animi vitium eſt, non oculorum. quare noli hanc culpam oculis adſcribere. Pergit multa exempla commemorare, ex quibus & ſenſus oculorum, & alii falſi videntur: quod negat ita eſſe. Volebat enim Epicurus, ſenſus eſſe certos ac veros: qua de re lege M. Tullium in Lucullo, & in primo de natura Deorum, nos item nonnihil ex Epicuro ipſo infrà referemus. Lamb.

388. *Qua vehimur navi*] M. Tullius in Lucullo, *Videſne* (inquit) *navem illam? ſtare nobis videtur. at iis qui in navi ſunt, moveri hæc villa:* Mathematici docent, ac demonſtrant, ex immoderato atque intemperato habitu octo circumſtantiarum, in motu & quiete cernenda, errorem objici poteſtati ſeu virtuti ad res diſtinguendas valenti. in octo autem circunſtantiis illis numeratur nimia diſtantia. itaque per immoderatam rei quæ cernitur, diſtantiam, fit ut & eo qui cernit, quieſcente, res quæ cernitur, cùm movetur, quieſcere: & eo qui cernit, locum mutante, res quæ cernitur, cùm quieſcit & fixa manet, moveri videatur. Itaque qui navigant, ſi è portu ſolvunt, & in altum provehuntur, iis urbes recedere videntur: contrà ſi ex alto portui appropinquant, urbes ad eos accedere. Ex hac opinione dixit Virgil. Æneid. lib. 3: 72.

Provehimur portu: terræque, urbeſque recedunt.

ibidem,

——— *& anguſti rareſcunt ſumma Pelori.*

Ibid. 205.

Quarto terra die primùm ſe attollere tandem
Viſa, aperire procul monteis ac volvere fumum.

Ibid. 274.

Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo Lamb.

Amicus quidam opinabatur, legendum eſſe *navis.*

Sidera ceſſare aetheriis adfixa cavernis
Cuncta videntur: at adſiduo in ſunt omnia motu:
Quandoquidem longos obitus exorta reviſunt,
Quom permenſa ſuo ſunt coelum corpore claro:
Solque pari ratione manere, & Luna videtur
In ſtatione, ea quae ferri res indicat ipſa.
Exſtanteſque procul medio de gurgite Montes,
Claſſibus inter quos liber patet exitus, îdem

Ap-

INTERPRETATIO.

Cuncta ſidera videntur in Cœlo quieſcere, at omnia motu aſſiduo feruntur; Oriuntur enim, & poſtquam lucido ſuo Corpore magnum Cœli ſpatium permenſa ſunt, Occaſus longe diſtantes attingunt. Similiter etiam Sol & Luna videntur manere in ſtatione, cum tamen motu celeri ferri res ipſa indicat. Montes denique procul medio de æquore extantes, inter quos numeroſæ Claſſes libere feruntur, apparent iidem;

VARIÆ LECTIONES.

392. *ætheriis.* ætheris X.

393. *videntur.* videmus Z. *at adſiduo in ſunt.* & aſſiduo ſunt D. E. N. P. Q. X. Y. Z. aſſiduo ſunt A. B. *motu.* mota Z.

394. *reviſunt.* reviſant Z. reviſent Y. *ſed corr. manu eadem.* reniſcuit Q. reviſci Q 1.

396. *quæ.* ſuperſcrib. in Z. ead. m. *quam. manere, & Luna.* maneret & lumine Z. ſed m. eadem corr. *manere moveri.* Q.

397. *ea.* eo Q. *indicat.* judicat P. Q. X.

399. *inter quos.* inter aquas. c. O. P. *exitus, îdem.* exitus ingens O. X. Y. Z.

NOTÆ.

vis. Verum quis non videt Græcos ſuos hic ſecutum eſſe Poëtam? HAV.

389. *In ſtatione*] Portu: Virgilius
Statio *maleſida carinis.* CREECH.

391. *Quos agimus præter navim*] Id eſt, præter quos agimus & impellimus navim. LAMB.

392. *Ætheriis adfixa cavernis*] Sic infrà libro ſexto, ℣. 251.

—— *magnas cæli compleſſe cavernas.* LAMB.

393. *At adſiduo in ſunt omnia motu*] Cod. Bertin. habet *omnia mota.* ego hanc ſcripturam, quam ſecutus ſum, ſic declaro: & omnia ſunt in aſſiduo motu. illam autem Bertinianam ſic paullum immutatam adjuvarem,

—— *& aſſiduè ſunt omnia mota.*

Fortaſſe etiam *at* pro *&* legendum eſt, ut hoc totum ſic legatur:

—— *at aſſiduo in ſunt omnia motu,*

id eſt, at in aſſiduo ſunt omnia motu. quo modo edi juſſi. LAMB. *Motu*, quidam libri: *mota.* GIFAN.

398. *Extanteſque procul*] Huc apprime facit, quod de freto Siculo ſcribit Juſtinus. FABER.

399. *Iidem apparent*] Id eſt, conjuncti & continentes apparent: unum montem efficere videntur: ſeu, cùm duo montes ſint, unus mons videntur eſſe, ſeu una inſula. Sed non celabo lectorem, hoc totum,

—— —— —— —— *iidem*
Apparent, & longe divulſi licet.

abeſſe à tribus lib. Manuſcriptis, in eiſque ita legi:

—— —— *patet exitus, ingens*
Inſula, &c.

de qua ſcriptura judicet lector eruditus. ego quidem probo: atque eam confirmant codices Parienſ. & Veneti antiquiores. Quare delendum

hoc

Apparent, & longe divolſi licet, ingens
Inſula conjunctis tamen ex his una videtur.
Atria verſari, & circumcurſare columnae
Uſque adeo fit uti pueris videantur, ubi ipſi
Deſierunt verti, vix ut jam credere poſſint,
Non ſupra ſeſe ruere omnia tecta minari.
Jamque rubrum tremulis jubar ignibus erigere alte
Quom coeptat Natura, ſupraque extollere monteis;
Quos

INTERPRETATIO.

quamvis ſint longe disjuncti, tamen ex iis conjunctis una Inſula fieri videtur. Deinde ſæpe accidit, ut Parietes domorum circumagi, & Columnæ circumcurſare uſque adeo videantur Pueris, cum ipſi Pueri deſierunt verti, ut vix poſſint credere omnia Tecta non minari ruinam, & caſura eſſe. Quando etiam Natura incipit alte erigere rubrum jubar tremulis ignibus, (cum Sol oritur) & ſupra montes evehere,

VARIÆ LECTIONES.

400. *idem, Apparent, & longe divolſi licet.* deeſt L. P. Y. Z.
403. *uti.* ut X.
404. *Deſierunt.* deſierint P.
405. *ſeſe ruere.* ſe ſtruere Q. X.

NOTÆ.

hoc tctum, quod veruculis confoſſum eſt. Lamb. Hæc: *iidem Ap. e. l. d.* abſunt a veteribus quibuſdam libris. Gifan. Quidam Codd. non agnoſcunt, & *Lambinus* rejicit. Creech.

402. *Atria verſari, & circumcurſare*] Atria (inquit) ubi pueri circumcurſarunt & circumacti fuerunt, videntur ipſa pueris circumvolvi & circumagi, ubi illi ſe circumagere deſierunt. hujus animi opinationis hæc cauſa eſt, quòd ſpiritus ad viſum pertinentes, intus concuſſi, ex motu totius corporis, huc & illuc oberrant, & circumaguntur, neque, movendi corporis fine facto, & quieſcente corpore externo, ſpiritus interni quieſcunt. Nam cùm multo ſint leviores corpore concreto, multo etiam ſunt mobiliores, & minor animæ poteſtas eos commovet: illi autem commoti formas & imagines rerum commotas atque agitatas poteſtati ſeu virtuti res diſtinguenti atque internoſcenti objiciunt ac repræſentant. ea enim omnia, quorum formæ commotis ſpiritibus animæ poteſtati objiciuntur, etiam quieſcente eo qui cernit, moveri videntur: quemadmodum rota ab aliquo impulſa diu movetur, poſtquam manus, à qua impulſa eſt, moveri deſita eſt. Lamb. Eleganter in ebrium iſta dicuntur apud Juvenal. Sat. vi. vſ. 303.

Cum bibitur concha, cum jam vertigine tectum
Ambulat, &c.

Inde jocus ille apud Athenæum lib. vi. pag. 245. f. παρὰ Πτολεμαίῳ ἡ Ματτύης περιφερομένης, καὶ κατ' ἐκεῖνον ἀεὶ λειπούσης, Πτολεμαῖε, ἔφη, πότερον, ἐγὼ μεθύω, ἢ δοκεῖ μοι ταῦτα περιφέρεσθαι; id eſt, *Apud Ptolemæum cum Mattya circumferretur, & ut ventum erat ad Corydum, illa ſemper deficeret, Ptolemæe, an, inquit, ebrius ſum, an hæc mihi videntur circumagi? Mattya,* noviſſimè convivio inferri ſolita, cibus exquiſitiſſimus. Preig. Inter Græcos ebrietatis iſtum effectum deſcribit Quintus Calaber Smyrnæus lib. xiii. ẏ. 9.

Καί ῥά οἱ μεγάρῳ κειμήλια, καὶ δόμος αὐτὸς
Φαίνετο, κινυμένοισιν ἐοικότα· πάντα δ' ἐώλπει
Ἀμφὶ περιστρωφᾶσθαι ἀνὰ πτόλιν.

id

Quos tibi tum ſupra Sol monteis eſſe videtur,
Comminus ipſe ſuo contingens fervidus igni,
Vix abſunt nobis miſſus bis mille ſagittae;
Vix etiam curſus quingentos ſaepe veruti:
Inter eos, Solemque jacent immania ponti
AEquora, ſubſtrata aetheriis ingentibus oris:
Interjectaque ſunt terrarum millia multa,

Quae

INTERPRETATIO.

Iſti montes ſupra quos Sol extare videtur illis propinquus, ſuoque fervido corpore tantum non contingens, vix diſtant a nobis bis mille jactus Sagittæ, vix aliquando quingentos jactus veruti: Attamen revera inter eos & Solem jacet immenſus Oceanus, vaſto & infinito pene Cœlo ſubſtratus: Interjacent etiam longi multique Terrarum tractus,

VARIÆ LECTIONES.

408. *tibi tum.* ubi cum P. Q. X.
409. *Comminus.* communis Q. *fervidus.* & ruidus Z. ſed m. rec. corr.
411. *veruti.* ita Z. ſed m. rec. mutatur in *veluti.*
413. *ætheriis.* æternis ingentibus. c.
414. *quæ ſunt.* queunt X.

NOTÆ.

id eſt,

Quin etiam res in ædibus reconditæ, ac domus ipſa
Illi videntur, ac ſi ſe commoveant, omniaque in urbe
Circum rotari putat. HAVERC.

406. *Jamque rubrum tremulis jubar*] *Stella ante ſolem ortum vocatur jubar, quod ſit jubata,* inquit Varro de Lingua Latina libro 5. Sic item & Feſtus: *Jubar, ſtella, quam Græci φωσφόρον, id eſt luciferum, appellant, quod ſplendor ejus diffunditur in modum jubæ leonis.* quidam tamen putant hîc à Lucretio poſitum eſſe *jubar* pro ſplendore & lumine ſolis orientis: à quibus diſſentio. accedat ad Varronis & Feſti auctoritatem, Servii ſententia, qui notat ad illum locum Virgil. 4. Æn. 130.

It portis jubare exorto delecta juventus, &c.

jubare exorto, *id eſt,* orto Lucifero. *nam proprie Lucifer jubar dicitur, quod jubar lucis effundat.* LAMB. Varro, Feſtus, Servius ad 4. Æn.

It portis jubare *exorto delecta juventus*

docent *Jubar* Luciferum eſſe; Hos ſequitur Lambinus, at nihil certius quàm unam eandemque rem in hoc verſu *Jubar*, & ℣. 408. Solem appellari. CREECH.

408. *Quos tibi tum ſupra, &c.*] Ordo eſt: ii montes, ſuprà quos monteis ſol tibi eſſe videtur, è propinquo loco eos ſuo igni contingens, vix abſunt nobis, id eſt, noſtro judicio, vel vix à nobis abeſſe videntur bis mille miſſus ſagittæ, atque adeò quingentos teli curſus, ſeu jactus, cùm tamen inter eos & ſolem immania, id eſt, ingentia atque immenſa, maria interpoſita ſint, &c. tres lib. manuſcripti habent, *Quos ubi tum, &c.* LAMB. In quibuſdam veteribus: *ubi cùm.* In quibuſdam: *ubi tum.* GIFAN.

411. *Veruti*] Nonius: *Veruina*, ſeu, ut alii ſcribunt, à quibus diſſentio, *verbina, genus teli longi, quod nonnulli* verutum *nominant.* LAMB. Verutum eſt telum breve & acutum, *Saluſt.* lib. Hiſt. 3. *Saxaque ingentia, & Axe vinctæ trabes per pronum incitabantur, Axibuſque eminebant in modum Ericii militaris* Veruta *binum pedum.* Nonius. CREECH.

Quae variae retinent gentes, & ſaecla ferarum.
At conlectus aquae digitum non altior unum,
Qui lapides inter ſiſtit per ſtrata viarum,
Deſpectum praebet ſub terras impete tanto,
A terris quantum coeli patet altus hiatus:

Nu-

INTERPRETATIO.

quos variæ Hominum gentes, & feræ poſſident. Aquæ etiam collectio, quæ in publicis viis inter lapides ſtat, licet unum tantum digitum ſit alta, præbet tamen deſpectum ſub Terris tantæ profunditatis quanta eſt inter ſummum Cælum & Terram diſtantia;

VARIÆ LECTIONES.

416. *At.* Ad Z. ſed m. ead. ſuperſcr. *At.* Et Q 1. *conlectus.* conjectus C. E. 2. *Priſc. codd.* N. P. X. Y. Z. commiſtus. c. Q. commictus P. convictus O. *digitum.* digito X.

417 *inter ſiſtit.* interſiſtit. E. P.

NOTÆ.

415. *Retinent*] Colunt, inhabitant. Lamb.

416. *At conlectus aquæ*] Sic repoſui, ſecutus trium librorum manuſcriptorum obſcura quædam veſtigia. *conlectum aquæ* autem interpretor *collectionem aquæ*, ſeu *aquam collectam.* Horat. Epiſt. ad Vaalam. 1: 15: 15.

Collectoſne bibant imbreis, puteoſne peremneis.

Quod ſi quis malet legi *conjectus*, ut habent nonnulli libri manuſcripti, & quidam typis excuſi, non pugnabo: ut conjectum aquæ intelligamus aquam conjectam, & quæ ex pluribus locis in unum confluxit. in quibuſdam libris vulgatis, ut in Pariſienſ. impreſſum eſt, *commictus*: quæ ſcriptura fortaſſe depravata eſt ex ea quæ reperitur in Memmiano codice, *commixtus. commixtus* autem, ſeu *commiſtus*, idem valet (opinor) quod *commixtio*, *confuſio*, & *colluvies.* Lamb. *At conlectus aquæ*, ita malim. In aliis veteribus: *conjectus.* In quibuſdam vulgatis: *commictus.* Gifan.

417. *Qui lapides inter ſiſtit*] Qui inter lapides ſiſtit, ſive ſtat. ἀνασρέφῃ. Lamb.

417. *Per ſtrata viarum*] Per vias lapidibus ſtratas, vel per viæ parteis, quæ ſunt lapidibus ſtratæ. ſup. lib. 1: 320.

Strataque jam volgi pedibus detrita viarum.

Lamb.

418. *Deſpectum præbet*] *Deſpectum*, id eſt, adſpectum è loco ſuperiore. Cæſ. libr. 2. *Quod cum ex omnibus in circuitu partibus altiſſimas rupeis, deſpectuſque haberet*, &c. idem libr. 3. *Et loca ſuperiora, unde erat propinquus deſpectus in mare ab exercitu tenebantur.* Lamb.

418. *Impete tanto*] Id eſt, tanta altitudine. Lamb.

419. *Terris quantum cœli*] Sic Virgil. lib. 6: 578.

Bis patet in præceps tantum, tenditque ſub umbras,
Quantus ad ætherium cœli ſuſpectus Olympum.

Lamb.

421. *Corpora mirando ſub terras*] Si ſcripturam vulgatam retinebimus, ut non ſequatur copula verbum *videre*, in verſu ſuperiore: & (quod primum eſt) ſi hunc verſum Lucretianum eſſe judicabimus, *mirando* interpretabimur *dum miraris*, ſcilicet corpora, &c. ſin addemus copulationem, *mirando* cohærebit cum voce *cœlo*: ut intelligamus, id cœlum eſſe mirabile, quod ſub pedibus noſtris cernatur. ſed libri ſcripti reclamant, in quibus partim ſcriptum eſt *mirandæ*, partim *mirande*: cujus lectionis rationem explicare nequeo. nam *mirande* adverbium inauditum & inſolens. Ego ſic putabam reponendum,

——— *cœlum ut videare videre, &*
Corpora mirari ſub terras abdita cœlo:

vel ſic,

Corpora mirandi ſub terras abdita cœli

Omnino ſi hic verſus tollatur, nihil de ſententia hujus loci depereat. Verum tamen judicet lector? Lamb. *Corpora mirande, ſub.* &c. Ita veteres. In quibuſdam veteribus: *mirandæ.* Marullus & Vul-

Nubila deſpicere; & coelum ut videare videre, &
Corpora mirandè ſub terras abdita coelo.
  Denique, ubi in medio nobis equus acer obhaeſit
Flumine; & in rapidas amnis deſpeximus undas;
Stantis equi corpus tranſverſum ferre videtur

Vis,

INTERPRETATIO.

ita ut videaris nubes deſpicere, Cœlum ſub terras, & Corpora in mirando iſto Cœlo abdita ſpectare. Denique cum in medio flumine fortis alicujus Equus hæſit, & deſpexit ille in rapidas fluminis iſtius undas, Impetus aliquis videtur ferre tranſverſum Corpus Equi ſtantis,

VARIÆ LECTIONES.

420 *ut.* deeſt Q. X. Y. Z. *videre &.* videre C. E. L. N. P.

421. Spurium cenſet L. Rubricâ notatur a V. *mirandè.* ita A. B. Y. mirandæ Z. munda X. *Reliqui* mirando. *cœlo.* cœli *quidam.* pacto F.

422. *ubi in medio.* ubi medio C. E. N. Q. X. *obhæſit.* adhæſit C. E. N. P. X.

423. *amnis.* animis X. *deſpeximus.* diſpeximus Y. Z.

NOTÆ.

Vulgati: *mirando.* Male. GIFAN. Recte quidem hîc Gifanius; & pluribus Lucretii in locis librarii quum non adverterent illud *mirandè* ſtudioſe adverbialiter poſitum a Poëta, corruperunt in adjectivum *mirandus, da, dum*, uti & inferius ў. 464.

Cætera de genere hoc mirandè multa videmus.

Quomodo ibi quoque optimæ habent Membr. Lugd. Bat. in editis tamen paſſim legas *mirando.* HAVERC.

416. *At conlectus aquæ digitum non altior unum,*
Qui lapides inter ſiſtit per ſtrata viarum,
Deſpectum præbet ſub terras impete tanto,
A terris quantum cœli patet altus hiatus:
Nubila deſpicere & cœlum ut videare videre, &
Corpora mirando ſub terras abdita cœlo.]

Prolixiori ſermone opus non ſit, mihi ſi probandum fuerit poſtremum illorum verſuum eſſe corruptum. *In lacunula, quæ aquâ plena ſit, videmus,* ait Lucretius, *& cœlum, & alia corpora, abdita cœlo* mirando *ſub terras.* Qui hæc intelligent, næ ego illorum ἀγχίνοιαν & ſolertiam dilaudabo; ſed judicium tamen haud equidem ſcio an æque celebrari debeat. Nam qua ratione *corpora ſub terras abdita videantur in collectu aquæ*, res notiſſima eſt vel pueris, qui vagi per vias & ludibundi laſciviunt; Sed, ſi quis dicat, *corpora ſub terras abdita ſunt mirando cœlo*, id vero eſt quod nec adulti, nec ſenes ipſi, opinor, intellexerint: Error itaque ibi ſit neceſſe eſt; cujus ſedem, cauſamque ſi quæres, en tibi, in proximo eſt. Quippe in verſu ſuperiori legitur,

Nubila deſpicere & cœlum *ut videare videre.*

Atque ibi cum forte ſcriptori librario oſcitanti, ut fit, aut properanti, occurriſſet illud *cœlum*, effectum ex eo eſt, ut in verſu quoque ſequenti τ' *cœlo* ſcripſerit, cum tamen, uti legendum arbitror, ſcribere debuiſſet,

Corpora mirando ſub terras abdita pacto.

id eſt,

——— *mira ratione, miris modis.* FABER.

Corpore mirando, &c. Huic verſui iniquus eſt *Lambinus*, & rejicit; emendat *Faber*, legitque

Corpora mirando ſub Terras abdita pacto.

quippe quid ſit iſtud *mirandum ſub Terras Cœlum* Ipſe non intellexit, nec alios unquam intellexiſſe putat: Quaſi verò iſtud Cœlum in collectione Aquæ apparens, non admirabile & ſub terras videatur, cùm tam profundus ſit & admirabilis in iſtud Cœlum deſpectus. Alii verò

Corpora mirandi *ſub terras abdita* Cœli.

CREECH. *Corpora mirando, &c.* Rubrica procul dubio, ſicut ille, lib. I. ў. 883.

Cum lapide lapidem terimus, manare cruorem.

VOSS. Conſtructio eſt: videris *mirandè* (ita lege) ſub terras videre corpora cœlo abdita. HAV.

422. *Equus acer obhæſit*] Sic habent duo codd.

 manu-

Vis, & in adverſum flumen contrudere raptim:
Et, quocunque oculos trajecimus, omnia ferri,
Et fluere adſimili nobis ratione videntur.
  Porticus aequali quamvis eſt denique ductu,
Stanſque in perpetuum paribus ſuffulta columnis;
Longa tamen parte ab ſumma cum tota videtur,
Paullatim trahit anguſti faſtigia coni,

Te-

INTERPRETATIO.

& magna vi in flumen adverſum contrudere; & quocunque oculos transfert, omnia videntur pari modo fluere & moveri. Denique Porticus, quamvis ſit in omni parte ejuſdem dimenſionis, & in longum extenditur æqualibus Columnis ſuſtentata, cum tamen ab una extrema parte tota Porticus videtur, paulatim trahit faſtigia anguſti Coni (in Conum contrahitur)

VARIÆ LECTIONES.

425. *flumen contrudere.* fulmen contundere Z. *raptim.* raptum Q. X.
426. *quocunque.* quacunque D.
427. *adſimili.* hac ſimili. c. O. P. ac ſimili Q. X. at ſimili Q 1.
428. *ductu.* dictu Q X.
429. *in perpetuum.* imperpetuum P. *paribus ſuffulta.* partibus ſe fulta Z. ſed ſupr. ead. m. *paribus efulta.*
430. *Longa.* longe a. B. D. I.

NOTÆ.

manuſcripti, Bertin. & Memmian. Cum hæſit equus (inquit) in medio flumine, deſpicientibus nobis in aquas celeriter labenteis, equus videtur rapi in adverſam & ſuperiorem partem fluminis, & flumen ſcilicet ſtare. Lamb. Ita recte Lambinus ex veteribus libris. Vulgati: *adhæſit*, ut & in veteribus quibuſdam. Gifan.

425. *Raptim*] Celeriter, & rapientis in morem. ſic ſuprà lib. 1: 663.

——— *nil ab ſe quod poſſit mittere raptim.*

Lamb.

428. *Stanſque in perpetuum*] In longum extenſa: Servius ad Æneid 7: 176.

Perpetuis *ſoliti patres conſidere menſis.*

Perpetuis menſis, Longis, ad ordinem exæquatis ſedentum. Creech.

130. *Longe tamen parte ab ſumma.*] Sic reſtitui conjectura ductus, ut ſupra verſ. 354. *procul.* ℣. 456. *longè*, ut hic. Vulgati: *longa*, nullo ſenſu. Vide & Indicem: E. Gifan. *Longa*,. Alii *Longè*, id eſt *procul.* Creech.

431. *Paullatim trahit anguſti*] Porticus (inquit) quæ eſt tum æqualibus columnis in perpetuum ſuffulta, & ita æquali omni ex parte conſtat altitudine; tum parietibus æqualiter inter ſe perpetuo diſtantibus, atque ita æquali perpetua conſtat latitudine: ſi eam ſpectes à ſumma parte, videbitur tibi paullatim ſupernè atque infernè, à dextra & læva contrahi & coarctari, & coni ſimilitudinem præ ſe ferre. eſt autem conus vertex rotundus atque obtuſus cujuſcumque pyramidis ſive rotundæ, ſive quadratæ, & lateribus præditæ. Cauſam autem, cur ita videatur, afferunt Mathematici pluribus quidem verbis, ſed ego in pauca conferam. Parallelarum linearum partes ab adſpectu remotiores ad extremum ferè concurrere videntur: quod ſic demonſtratur. Primùm lineæ parallelæ plures eandem neceſſariò ſoli ſeu planitiei extremitatem occupant. fingamus igitur, duas lineas parallelas eſſe centum pedes longas, atque inter ſe diſtare pedes decem. ducantur lineæ decem tranſverſæ ab altera illarum duarum parallelarum in alteram. hæ ſingulæ ſcilicet erunt inter ſe æquales, & denos pedes longæ. eſto igitur oculus in ſumma parte hujus planitiei, in qua parte

Tecta ſolo jungens, atque omnia dextera laevis:
Donicum in obſcurum coni conduxit acumen.
  In pelago nautis ex undis ortus, in undis
Sol fit uti videatur obire, & condere lumen:
Quippe ubi nil aliud niſi aquam, coelumque tuentur,
Ne leviter credas labefactari undique ſenſus.
  At maris ignaris in portu clauda videntur
Na-

INTERPRETATIO.

ſumma Tecta pavimento, dexteraſque partes lævis conjungens, donec tandem in obſcurum (tenue vel anguſtum) Coni faſtigium conduxit. Nautis in Pelago Sol videtur oriri ex undis, in undas etiam deſcendere, & in illis lumen condere, quippe Illi nihil præter Aquam & Cœlum vident, ne temerè credas Senſum undique labefactari, aut fallaciæ argui. Illis qui Maris ignari ſunt Naves in portu apparent mutilæ

VARIÆ LECTIONES.

432. *jungens.* ingens Q. X.
433. *Donicum.* donec N. Q. X. Y. Z.
434. *ex undis ortus.* Fuit in Z. *exeundis portus.* ſed ead. m. corr.
435. *videatur.* videtur Z. *condere.* tendere O. P. Q 1. contendere X. Y. non condere Z. ſuperſcr. ead. m. & *cond.*
436. *ubi.* ibi P.
437. *Ne.* nec P.
438. *portu.* porta X. *clauda.* clauſa c. O. P. ponto clauda. Creech.

NOTÆ.

parte ducta eſt prima linea tranſverſa. dico, ſecundam lineam, quæ eſt oculo proxima, (nam primam non numero, quæ oculum tangit) ei qui cernit, longiorem videri tertia, & tertiam quarta, & quartam quinta, & ita deinceps. adeò, ut ultima linea tranſverſa & decima, quæ ab oculo remotiſſima eſt, breviſſima videatur: cujus rei ratio eſt, quod, quo quæque magnitudo à nobis longius abeſt, eo angulum, qui ſub oculum cadit, efficit minorem: & contrà, quo quæque magnitudo à nobis propius abeſt, eo angulum, qui ſub oculum cadit, habet majorem. ex quo ſequitur, magnitudinem tanto nobis videri majorem, quanto à nobis propius abeſt: & contrà, tanto videri minorem, quanto remotior eſt. Sic fit, ut extrema & remotiſſima pars tectorum porticus, ſolum propè tangere, & dexter paries lævo confuſus eſſe videatur. Lamb.

433. *Donec in obſcurum*, &c.] Nam cùm Tectum deſcendere, Pavimentum ſurgere, & Parietes concurrere videantur, in acutum Conum proſpectus deſinat neceſſe eſt. Creech.

433. *Conduxit*] Συνήγαγε. Lamb.

435. *Condere*] Abſcondere, occultare. Lamb.

437. *Ne leviter credas*] Sic legendum, & ita ſcriptum eſt in libris manuſcriptis: non, ut in vulgatis, *nec leviter.* pendet autem hic verſus à ſuperiore, & *ne* idem valet quod *ut ne*, vel *ut non*; proinde ac ſi ita dicat: non eſt mirum, ſi nautis ſol in undis obire & occidere videatur, quippe cùm præter cælum & aquam nihil cernant, ne fortè leviter ac temere credas ſenſus undique labefactari. Lamb. *Ne leviter credas*, Ita in veteribus libris. Vulgati: *Nec.* male. Gifan.

438. *At maris ignaris*, &c.] In omni re cernenda aut radii ab oculis incidunt duntaxat in rem viſam, quamvis tales radii non ſint cauſa viſus; & hic viſus fit rectà per unum corpus diaphanes ſeu pellucidum: aut radii, qui ab oculis in rem viſam inciderunt, reflectuntur in oculos: aut iidem illi radii franguntur. Incidunt dun-

Navigia, apluſtris fractis, obnitier undis.
Nàm quaecunque ſupra rorem ſalis edita pars eſt
Remorum, recta eſt; & recta ſupernè Guberna:

Quae

INTERPRETATIO.

& fractis apluſtris contra undas niti: nam illa Remorum pars quæ eſt ſupra Mare recta eſt, pars etiam gubernaculi quæ eſt ſupra Aquam Maris recta apparet,

VARIÆ LECTIONES.

439. *apluſtris.* plauſtris I. ampluſtris Z. *fractis.* fractas Q1. X. Y. Z. *undis.* unda. X. Y. Z.

440. *rorem.* rore X.

441. *ſuperne Guberna.* ſuperne gubernacla C. E. N. ſuperna gubernat c. O. P. pars eſt ſuperna X.

NOTÆ.

duntaxat in rem viſam, cum verbi gratia, equum, aut corpus aliquod, aut colorem in corpore non lævi, aut ſi lævi, non tamen denſo cernimus. reflectuntur radii, cùm ſpeculum, id eſt, corpus aliquod politum & denſum cernimus. franguntur, cùm rem aliquam per plura corpora pellucida, verbi gratia, per aërem, & vitrum, aut aquam cernimus. Quod igitur dicit hîc Lucret. maris ignaris navigia in portu clauda, & eam remorum partem, quæ in mari merſa eſt, fractam & curvam videri: is error oculorum naſcitur ex tertio cernendi modo, qui fit per duo corpora διαφανῆ, quorum alterum ſit magis pellucidum, quàm alterùm: ut aër magis pellucidus eſt, quàm aqua: aqua denſior eſt aëre. Nam cùm (verbi gratia) remum ſeu potiùs remi partem ſub aqua cernimus, eam remi partem non rectè, ſed obliquè cernimus, neque ipſa remi pars re vera cernitur in eo corpore pellucido, quod eſt denſius aëre, ſed imago & ſimilitudo duntaxat, quia linea à re viſa non reflectitur rectâ ad oculum, ſed in extremitate ſecundi corporis pellucidi, nempe aquæ, refringitur. Quo fit, ut oculus rem non ſuo loco cernat, ſed alio; immo non rem ipſam, quippe quæ recta ſit, ſed umbram quandam rei incurvam ac refractam videat. & cùm remi partes continuæ directæ apparere non poſſint, appareant continuatæ indirectè. LAMB.

438. *Clauda*] Remos enim Navigiorum crura pedeſque exiſtimes quibus per fluctus incedunt: Ideo cùm hi Remi fracti appareant, Navigia dicuntur clauda. CREECH.

438. *In Portu*] Legendum *in Ponto*, Quid enim Navigia *in Portu* obnitantur undis? CREECH. Sed legetur ita contra omnes MSS. qua ego violentia non delector. Quid, *ignari maris*, an non priuſquam jam in *pontum* provecti ſint, etiam talia effecta in *portu* vident? Maneat itaque Poëtæ ſua vox & ſententia. HAV.

439. *Apluſtris fractis*] Quid ſint apluſtra, diximus ſuprà lib. 2: 55. ad illum locum,

—— *fluitantia apluſtra.* LAMB.

Undis, veteres quidam: *undas*, etiam rectè. GIF. Apluſtra propriè Navis ornamenta. Hoc autem loco omnes navigii partes, quæ aquis extant, ſignificant, ut ſequentia demonſtrant. CREECH.

440. *Nam quæcumque*] Quæcumque (inquit) remorum pars exſtat ſupra *rorem ſalis*, id eſt, aquam maris, recta eſt: quæ merſa eſt, refracta videtur. M. Tull. Lucullo: *Neque vero hoc loco exſpectandum eſt, dum de remo inflexo, aut de collo columbæ reſpondeam.* Plutarchus πρὸς Κολώτην, eo loco, ubi diſputat adverſus ſenſus, oſtendens, eos non ſemper eſſe veros, aut veri nuntios, ait, rei quidem, quæ ſub aqua eſt, imaginem, à qua imagine viſus afficitur, atque (ut ita dicam) patitur, eſſe fractam; remum autem, ex quo fluit imago, non eſſe fractum. τὸ γὰρ εἰδωλον, ὑφ᾽ οὗ πέπονθεν ἡ ὄψις, κεκλασμένον ἐστὶν· ἡ κώπη δὲ, ἀφ᾽ ἧς τὸ εἰδωλον, οὐκ ἔστι κεκλασμένη. Huc pertinent ea quæ ſcribit Seneca natur. Quæſt. lib. 1. cap. 3. *Nihil acie noſtra fallacius, non tantum in his, à quibus ſubtiliter pervidendis illam colorum diverſitas ſubmovet, ſed etiam*

Quae demerſa liquore obeunt, refracta videntur
Omnia converti, ſurſumque ſupina reverti:
Et reflexa prope in ſummo fluitare liquore.
Raraque per coelum quom venti nubila portant
Tem-

INTERPRETATIO.

omnes vero partes quæ ſunt infra maris ſuperficiem videntur refractæ, ſurſum etiam flecti, & tantum non ad ipſam Maris ſuperficiem aſcendentes in illa fluitare. Cum etiam Venti nocturno tempore tenues nubes per Cœlum agunt,

VARIÆ LECTIONES.

442 *Quæ.* qua A. mar. *demerſa.* diverſa Q. X. *refracta.* refacta Q. X.
444. *reflexa prope in.* & flexa prope jam P. *fluitare.* volitare D. fluvitare X.
445. *Raraque per.* Nam quæ per Q. X.

NOTÆ.

iam in his quoque quæ ad manum cernit. Remus integer in tenui aqua fracti ſpeciem reddit: Poma per vitrum aſpicientibus multo majora ſunt: Columnarum intervalla porticus longiores jungunt. Sed quæret aliquis φιλομαθὴς, hoc Senecæ loco, quem modò protuli, lecto de pomis per vitrum adſpectis, quamobrem majora videantur. Hanc rationem affert Alexander Aphrod. lib. 1. probl. 36. niſi fallor, *quia* (inquit) *aqua pomo, aut alii corpori merſo circumdata, colorem corporum illorum in ſe recipit, & ſenſum videndi fallit, quaſi illa ſint majora, quam re vera ſunt. Hac nempe ratione etiam ſol, & luna, & ſtellæ errantes cum in finiente ſeu horizonte orientali, aut occidentali* (liceat mihi his nominibus uti) *verſantur, majores, quam alio in loco, putantur, eo quod aër, qui corpora illa complectitur, cujuſdammodi ab illis fiat.* Hactenus ille. Quæ ratio autem in aqua locum habet; eadem in vitro valet. LAMB.

440. *Rorem Salis*] Aquam Maris: Virg. Æn. 1: 39. *Spumas* Salis *ære ruebant.* CREECH.

441. *Et recta ſuperne guberna*] Sic legendum, & ita habent libri quinque manuſcripti. Nonius autem docet *guberna* poſitum eſſe ab antiquis pro *gubernacula.* ut à Lucill. libro 20. Satyr.

Proras deſpoliate, & detondete guberna.

Auctor vocabularii Latino-Græci, *Gubernum*, inquit, κυβέρνιον. ſupr. libro ſecundo ℣. 553.

Disjectare ſolet magnum mare tranſtra, guberna.

Juvabit Tertullianum legere libro de anima, cap. de quinque ſenſibus, de his omnibus ſenſuum fallaciis diſputantem. Cujus hæc pauca verba adſcribam, loci duntaxat indicandi gratia. *Itaque mendacium* (inquit) *objicitur: quod remos in aqua inflexos, vel infractos adſeverat adverſus conſcientiam integritatis; quod turrem quadrangulatam de longinquo rotundam perſuadeat; quod æqualiſſimam porticum anguſtiorem in ultimo infamet; quod cœlum tanta ſublimitate ſuſpenſum mari jungat. Perinde auditus fallaciæ reus: ut cum cæleſte murmur putamus; & plauſtrum eſt, &c.* LAMB. Ita optime in veteribus. In quibuſdam tamen: *Gubernat*, male. Id & Lambinus, recte. In quibuſdam etiam: *ſuperna.* male. GIFAN. Illos nimirum, qui *ſuperna* repoſuerunt, movit, quod non adverterunt adverbia derivata ab adjectivis ſecundæ declinationis, ut ſunt *ſupernè* & *infernè*, ultimam penes Lucretium habere correptam; uti videre eſt hoc loco & lib. 6: 543.

Terra ſupernè tremit magnis concuſſa ruinis.

& ibid. 596.

Tecta ſupernè timent, metuunt infernè cavernas.

atque rurſus ℣. 186.

Nec tibi ſit fraudi, quod nos infernè videmus.

ſicuti & ℣. 766.

Ducere forte Deos Maneis infernè reamur. HAV.

442. *Obeunt*] Ultro citroque moventur. FABER.

444. *Et reflexa prope in ſummo*] *Jam ſummo* rectius forte. Ut *Et*, in metiendo, adnectatur verbo: *reverti.* Quidam: *flexa.* *A* longum ob pr. GIFAN.

445. *Raraque per cœlum cum*] Tempore nocturno (inquit) cœlo ſereno, cùm ven.us *nubila rara,*

Tempore nocturno; tum ſplendida Signa videntur
Labier adverſum nimbos, atque ire ſupernè
Longe aliam in partem, quàm quo ratione feruntur.
At ſi fortè oculo manus uni ſubdita ſubter
Preſſit eum, quodam ſenſu fit, uti videantur
Omnia, quae tuimur, fieri tum bina tuendo;
Bina Lucernarum florentia lumina flammis,
Binaque per totas aedeis geminare Supellex:

Et

INTERPRETATIO.

tum Luna ſtellæque ſplendidæ videntur moveri adverſus Nubes, & ſupra illas ferri in aliam longè partem quam quo revera feruntur a natura. At ſi forte manus una unius oculi inferiori parti applicita illum preſſit, tum omnia quæcunque videmus objecta bina apparebunt, Lucerna igne micans gemina apparebit, per totam domum ſingulæ partes ſuppellectilis binæ,

VARIÆ LECTIONES.

446. *Tempore.* tempora X. *tum.* quum Q. X.
447. *nimbos.* Ita A. B. E. I. N. P. Q. X. Y. Z. *Lamb. & illum ſecuti* nubeis.
448. *quam quo.* aque X. Y. atque Z. abeſt *quam* a Q.
450. *Preſſit eum.* preſſit cum quodam A. B. P. X. *uti.* ut P. Q 1. Y. Z.
451. *quæ.* quem X. quaſi vellet *quæ int. tum bina.* um (ſupraſcr. *ut.*) bina Z.
452. *florentia.* flagrantia C. E. N.

NOTÆ.

rara, id eſt, nubeis inaneis & pellucidas, portat., ſtellæ videntur adverſum nubila moveri, & nubila ſtare. Lamb.

446. *Splendida ſigna*] Stellæ. Lamb.

447. *Adverſum nubeis*] Sic legendum, reclamantibus libris omnibus, qui habent *adverſum nimbos.* rara enim nubila, *nimbi* dici poſſe non videntur. Lamb. Satis pro imperio. Quod tamen editiones poſteriores fere ſequuntur; immerito, ut opinor. Nam & lib. vi. verſ. 483. dixit:

Corpora, quæ faciunt nubeis nimboſque volanteis.

Et ut *rara nubila* dici, ita & nimbi poſſunt, qui interrupti, & ſeparati non continuo tractu per aëra feruntur. Preig.

448. *Ratione*] Ἀληθῶς, ὄντως. Faber. *Quam quo ratione*, Quidam Codd. *Ac vera ratione.* Creech.

449. *At ſi forte oculo*) Quamobrem hoc fiat, rationem afferens Ariſtot. problem. Sect. 3. *Idem accidit*, inquit, *ſi quis inferne oculum premat, quod ebriis, nempe, ut unum cernentibus, duo videantur. motum eſt enim principium aſpectus, ita, ut oculus alter convenire in unum non poſſit, hoc tantum intereſt, quod hic motus fit extrinſecus: ille autem, qui fit à vino, intrinſecus.* hactenus Ariſt. Licet & hanc cauſam afferre. Tum oculus directè videt, cùm radii à re viſa in pupillam cadunt ad perpendiculum, & rectà ad principium viſus conjunctionemque nervorum ad viſum conferentium feruntur. At cùm oculus alter manu premitur, curvatur aſpectus, & nervi ſurſum ac deorſum moventur, & huc & illuc diſtrahuntur. ita fit, ut unum plura videantur. Lamb.

450. *Preſſit eum*) Sic habent codices manuſcripti, Memm. & Bertin. Hoc eò dico, quòd Thraſo aſſeverat (qua audacia & confidentia eſt) in omnibus libris manuſcriptis eſſe ſcriptum,

Preſſit, cum quodam ſenſu, &c.

Marullum autem ex *cum*, feciſſe *eum*. Atqui certè ſcio Marullum hos duos lib. manuſcript. numquam attigiſſe, aut vidiſſe. Lamb. *Preſſit; cum*

quodam

Et duplices Hominum facies, & corpora bina.
Denique quom ſuavi devinxit membra ſopore
Somnus, & in ſumma corpus jacet omne quiete:
Tum vigilare tamen nobis, & membra movere
Noſtra videmur, & in noctis caligine caeca
Cernere cenſemus Solem, lumenque diurnum:

Con-

INTERPRETATIO.

& quilibet Homo videbitur duplici facie & gemino Corpore inſtructus. Denique cum Somnus placido ſopore devinxit membra, & totum Corpus in ſumma quiete jacet, tum tamen videmur nobis vigilare, membra noſtra movere, & in ſpiſſis noctis tenebris Solem videre, & diei lumen;

VARIÆ LECTIONES.

455. *cum.* dum X.
457. *nobis.* abeſt a Q. & *membra.* at (Supraſcr. *ac.*) membra Z.
458. *videmur.* videatur Y. Z. videntur Q. X. *&.* ut P. Q. X.
459. *diurnum.* divinum Q. X.

NOTÆ.

quodam &c., Sic veteres. Marullus & Vulgati: *eum*; *quodam.* GIFAN.

451. *Omnia quæ tuimur*, &c.] Exemplum talis ebrietatis in virgine Nicæa, cujus virginitati inſidias ſtruebat Bacchus, habet Nonnus Dionyſ. lib. XVI. pag. 452. ℣. 31.

Καὶ διδύμην ἐδόκησεν ἰδεῖν πολυχανδέα λίμνην,
Ὄμματα δινεύουσα. βαρυνομένου δὲ καρήνου
Δέρκετο θηροβότου διπλούμενα νῶτα κολώνης.

Id eſt:

Et duplex videbatur videre multum capax ſtagnum.
Oculos rotans; gravato vero capite,
Videbat a feris depaſta duplicata dorſa rupis.

HAVERC.

452. *Bina lucernarum*] Porphyrio in Commentariis ad Horat. Sat. 2: 1: 24.

——— ——— *ut ſemel icto*
Acceſſit fervor capiti, numeruſque lucernis,

verſum noſtrum ita legit:

Tecta lucernentur florentia lumina flammis.

Quaſi totus locus ita eſſet concipiendus:

——— ——— ——— *Fieri tum bina tuendo*
Tecta, lucernarum florentia lumina flammis
Binaque, per totas ædes, &c.

Quæ quidem lectio ferri ſatis poteſt; ſed vulgata omnibus corroboratur MSS. ideoque nihil mutandum cenſeo. HAVERC.

452. *Bina lucernarum florentia lum.*] Sic habent quatuor libri manuſcripti, quibuſcum congruunt libri Pariſienſ. & Veneti antiquiores. ceteri vulgati habent *flagrantia.* quidam vir doctus putabat legendum *flammantia*, ut apud Virg. lib. 3: Georg. 433.

Exſilit in ſiccum, & flammantia lumina torquens
Sævit agris:

à quo diſſentio, maloque legi, vel, ut eſt in nonnullis vulgatis, *flagrantia*; quod tamen minùs probo, & ſuppoſitum puto: vel, ut in manuſcriptis, *florentia*, ut ſit metaphora ducta ab arborum aut aliarum rerum floribus. Atque hanc ſcripturam amplector. ſic ſuprà 1: 899.

Donec fulſerunt flammaï flore coorto. LAMB.

Florentia, hæc veriſſima ſcriptura, quæ & in veteribus noſtris eſt. Vulgati: *flagrantia.* peſſime. GIFAN. Lumina *florere* eleganter dicuntur propter lucis lætitiam & hilaritatem, unde de Sole & Luna ſimiliter, & quidem ex noſtri (ut videtur) imitatione loquitur Tertullianus in Apologetico cap. XI. pag. 117. *Vani erunt homines, niſi certi ſint, a primordio & pluvias de cœlo ruiſſe, & ſidera radiaſſe, & lumina floruiſſe, & tonitrua mugiſſe, & ipſum Jovem, quæ in manu ejus ponitis, fulmina timuiſſe.* HAVERC.

455. *Denique cum ſuavi*] De ſomniis diſputabit pluribus verbis infrà eod. libr. ſub extrem. LAMB.

459. *Cenſemus*] Putamus: & ita ſæpe uſurpat Plautus. LAMB.

Concluſoque loco Coelum, Mare, Flumina, Monteis
Mutare, & campos pedibus tranſire videmur:
Et ſonitus audire, ſevera ſilentia noctis
Undique quom conſtent, & reddere dicta tacentes.
Caetera de genere hoc mirandè multa videmus

Quae

INTERPRETATIO.

Et licet in cubiculo parvo incluſi jaceamus, videmur tamen Cœlum, Mare, Flumina, montes peragrando mutare, & campos pedibus tranſire; Sonos inſuper audire, cum quieta noctis ſilentia ex omni parte cingunt; loqui denique, cum omnino taceamus. Multa alia ejuſdem generis ſentimus & admiramur,

VARIÆ LECTIONES.

460. *Concluſoque.* concluſique A mar. Q 1.
461. *Mutare.* Nutare T. *videmur.* videmus X.
462. *ſilentia noctis.* ſilentia montis Z. ſed ſuperſcr. *noctis.* ſilentia montis Q. X.
464. *mirandè.* Ita Y. Z. miranda Q. X. Male etiam reliqui *mirando.*

NOTÆ.

460. *Concluſoque loco*] Lib. Vatic. & Faërn. habent, *Concluſique loco.* verum tamen nihil muto. Lamb.

461. *Mutare*] Notandum ab Interpretibus fuerat: iſtud *mutare* imitatio Græci ſermonis eſt, γῆν ἀμείβειν, item ἄλλην ἄλλοτε ἀμείβων, &c. Plato, Plutarch. Lucianus. Ita apud Herodotum in Terpſichore τὰς θύρας ἀμείβειν, *ingredi.* quem locum Valla minus bene convertit. Locus eſt pag. 314. edit. Aubrianæ. Faber. Vide *Fayi* interpretationem, & ride. Creech.

462. *Severa ſilentia*] Cur *ſeverá?* an quia triſtia? ut libro quinto princip. vſ. 36.

——— ——— *pelageque ſevera.*

an quia ſeveros decent, & σπουδαίους? an quia ſacra? an legendum *ſonora?* Uſu nempe didicimus, nocte ſilente maximè ſonitus audiri etiam leviſſimos. an *ſerena?* ſic nempe ſupr. lib. 1: 143.

——— *nocteis vigilare ſerenas.*

Sic ferè tamen, ut hîc, lib. 5: 1189.

Luna, dies, & nox, & noctis ſigna ſevera.

Lamb. Lambinus *Sonora,* quod putidum eſt, aut *Serena.* Creech. At præſens Lambini nota oſtendit magis iniquum, vel minus attentum fuiſſe Creechium, quam putidum Lambinum. Haverc.

462. *Severa ſilentia noctis*] Non erat cur locum hunc mutari vellet Lambinus: Nec enim eſt ut quidquam homini poëtæ placeat magis quam Severum illud noctis ſilentium; *Morne ſilence de la nuict.* Faber.

464. *Cætera de genere,* &c.] Fallimur in iis rebus circa quas ſenſus verſantur, id certum eſt, inde vero fallaces ſenſus quis arguat? cùm iſti v. 7. rerum Imagines accipiunt, quales ſibi deferuntur; non cognoſcunt naturas rerum, non judicant, neque aliquid pronunciant, ideo nullus in illis error, omnes autem errores ex opinatu Animi naſcuntur: Repræſentant ſenſus, judicat Ratio, ſæpe autem temerè & inconſideratè. Hæc Ipſe *Epicurus* ad Herodotum. Καὶ πᾶσα μὲν φαντασία εἴτε διανοίας, εἴτε αἰσθητηρίων καταλαμβανομένη, ὃ μέν τοι διαλαμβανομένη, ἐστὶν ἀληθής. τὸ δὲ ψεῦδος, καὶ τὸ διημαρτημένον ἐν τῷ προσδοξαζομένῳ ἀεὶ ἐστιν· κατὰ τὴν κίνησιν ἐν ἡμῖν αὐτοῖς συνημμένην μετ' ἤνι φανταστικῇ ἐπιβολῇ, διάληψιν δὲ ἔχουσαν, καθ' ἣν τὸ ψεῦδος γίνεται, &c. Et appoſitè Cicero in Lucullo, *Timagoras Epicureus negat ſibi unquam, cum oculos torſiſſet* (vide ℣. 450.) *duas ex lucerna flammulas eſſe viſas, Opinionis enim eſt mendacium, non Oculorum.* Creech.

464. *Mirandè*] Ita & hic repoſuimus ex MSS. Lugd. Bat. approbante etiam Tollio Fortuitor. c. 20. pag. 149. vide ſuperius ad verſ. 421.

Corpora mirandè ſub terras abdita cœlo. Hav.

466. *Quoniam pars horum maxima fallit Propter*] Hoc tenebat mordicus Epicurus (ut ſuprà diximus) ſenſus eſſe veros: & ſi quid erroris nobis

ob-

Quae violare fidem quaſi ſenſibus omnia quaerunt;
Nequidquam: quoniam pars horum maxima fallit
Propter opinatus Animi, quos addimus ipſi,
Pro viſis ut ſint, quae non ſunt ſenſibus viſa.
Nam nihil egregius, quam res ſecernere apertas

A du-

INTERPRETATIO.

quæ ſenſuum certitudinem tollere, eoſque fallaciæ convincere conantur. Fruſtra vero: nam in maxima parte harum rerum decipimur, quia illis applicamus Animi opinionem, atque ideo ſumimus pro viſis ea quæ non ſunt viſa ſenſibus. Nihil autem magis egregium eſt quam diſtinguere res apertas (eas quæ ſenſibus apparent)

VARIÆ LECTIONES.

466. *Nequidquam.* ne quidquam B. *quoniam.* quin Q. inquam X.
467. *opinatus.* opinatos Z.
469. Hos duos ὀβελίζει L. *egregius.* egregius eſt D. Q1. X. ægrius eſt V. Y. Z. *Tollius* in Fortuit. p. 149. *ſecernere.* diſcernere A. eſt cernere. c. P.

NOTÆ.

objiciatur in videndo, aut audiendo, &c. eum errorem naſci ex opinione, non ex ſenſibus dicebat: quod propemodum probat Ariſt. cum alibi, tum lib. 3. de Animo: ἡ μὲν γὰρ αἴσθησις τῶν ἰδίων, ἀεὶ ἀληθής, &c. id eſt, *ſenſus propriorum ſemper verus eſt.* ibidem: ἡ αἴσθησις τῶν μὲν ἰδίων ἀληθής ἐστιν, ἢ ὅτι ὀλίγιστον ἔχουσα τὸ ψεῦδος, id eſt, *ſenſus quidem propriorum ſubjectorum ſemper verus eſt, aut quàm minimum mentitur.* Hac autem de re ſic M. Tull. in Lucullo: *Itaque Timagoras Epicureus negat ſibi umquam, cum oculos torſiſſet, duas ex lucerna flammulas eſſe viſas: opinionis enim eſſe mendacium, non oculorum.* ibidem ſuprà: *Eò enim rem demittit Epicurus, ſi unus ſenſus ſemel in vita mentitus ſit, nulli umquam eſſe credendum.* Idem lib. 1. de Finibus: *Judicia rerum in ſenſibus ponit: quibus ſi ſemel aliquid falſi pro vero probatum ſit, ſublatum eſſe omne judicium veri & falſi putat.* LAMB. Vitruvii hunc locum appoſite adfert Tollius libro memorato pag. 149. *Non enim veros videtur habere viſus effectus; ſed fallitur ſæpe ab ejus judicio mens. Quemadmodum etiam in ſcenis pictis videntur columnarum projecturæ, mutulorum ecphoræ, ſignorum figuræ prominentes, cum ſit tabula ſine dubio ad regulam plana: ſimiliter in navibus remi, &c. Hoc autem, ſive ſimulacrorum impulſu, ſeu radiorum ex oculis effuſionibus, uti Phyſicis placet, videamus, utraque ratione videtur ita eſſe, uti falſa judicia oculorum habeat adſpectus.* Exſtat Vitruvii hic locus lib. VI. cap. II. p. 106. HAV.

467. *Opinatus*] Opinationes. utitur eodem nomine Arnobius libr. I. *Explorata fidei veritate, an rumoris caſſi opinatione ſit creditus.* LAMB. *Quos addimus ipſi.* Opinatum ita exprimit *Epicurus* ad Herodotum: κίνησις ἐν ἡμῖν αὐτοῖς συνημμένη μὲν τῇ φανταστικῇ ἐπιβολῇ διάληψιν δὲ ἔχουσα. CREECH.

469. *Nam nihil egregius*] Secutus ſum libros vulgatos. nam manuſcr. tres habent,

Nam nihil ægrius eſt:

Memmianus,

Nam nihil gregius eſt:

Bertinianus,

Nam nihil ægrius eſt, quàm res cernere apertas,

verſu ſyllaba una claudicante. ex qua ſcriptura videri poſſit legendum,

Nam nihil ægriu' ſit, quàm res ſecernere apertas, &c.

quidam legendum cenſent,

Nam nihil egregiu' eſt.

id eſt, egregium eſt. Paucis complectar quod ſentio. hic verſus cum proximo non videtur mihi τοῦ ποιητοῦ, non quòd comparativum *egregius* me offendat (quamquam offendit) nam à Catone dictum eſt *induſtriorem, iter arduius, innoxiorem*; à Lucillio *ſtrenuior*; à Plauto *induſtrior*; à Pacuvio *egregiiſſima forma*, &c. quæ refert

Priſci.

A dubiis, Animus quas ab ſe protinus addit.
Denique, nil Sciri ſi quis putat, id quoque neſcit,

An

INTERPRETATIO.

a dubiis quas Animus protinus ab ſe addit (ab opinionibus Animi.) Denique Siquis credit nihil Sciri poſſe, neſcit quoque

VARIÆ LECTIONES.

470. *A dubiis.* Ab dubiis X. Y. Z. *Animus.* animis X. *addit.* abdit A. c. D. P. Q 1. X. Z. addit A. marg. *Creech.*
471. *Sciri.* ſcire Q. X.

NOTÆ.

Priſc. lib. 3. ſed quia hi duo verſus ſententiam continent perplexam, & abſonam, & ineptam. quis enim interrogatus quamobrem non fallantur ſenſus, ſed opinionum ſit mendacium & fallacia: reſpondeat, quia nihil egregius eſt, quàm res apertas à dubiis diſtinguere, ac ſecernere? Præterea quid ſibi volunt illa, *animus quas ab ſe protinus abdit?* Nam ſi hoc ſignificant, animum ſtatim res dubias à ſe repellere, atque à perſpicuis & apertis diſtinguere, quia has intelligat, illas comprehendere non poſſit: falſum eſt nihil eſſe magis egregium, quàm res apertas à dubiis ſecernere. Omnino in hoc loco mihi aqua hæret, neque quidquam aliud dicere poſſum, quàm quod modò dixi, mihi hos verſus non videri Lucretianos. Lamb. *Nam nihil egregius eſt, quam res diſcernere apertas.* Ita hunc verſum ex veteribus libris ſcripſi. In quibuſdam veteribus: *ægrius.* Marullus, *ſecernere,* contra veteres libros. Lambinus hos duos ὀβελίζει. Gifan. Hi duo verſus ab imperita manu ſunt. itaque delendi. Faber. *Nam nihil egregius,* &c. Alii Codd. *Nam nihil ægrius eſt,* & recte: Hos duos verſus rejiciunt Interpretes, improbè: v. 467. docuit *Nos addere opinatus Animi,* Igitur in ŷ. 470. pro *Abdit* legatur *Addit,* & tum omnia plana erant & facilia: Fallimur in omnibus iſtis exemplis quæ modò enumeravit, idque etiam admoniti, difficile enim profectò eſt non addere opinionem Animi rebus à ſenſu delatis. Creech. *Nam nihil egregius, quam res eſt cernere apertas,* Sic Sanct. in Min. lib. 1. cap. XI. Ceterum ut *proprior* a *proprius* apud Plaut. in Moſt. II. II. 60. auctore Salmaſio, ita *egregior* ab *egregius,* unde & neutrum Comparativum: *egregius,* quod ſic occurrit. Preig. Adde Jo. Ger. Voſſium de Analogia lib. 2. cap. 27. ubi ſicuti *arduius* & *arduiſſimus* a Catone dici oſtendit; atque *aſſiduiores* ab aliis; ita docet *egregius* quoque ex ſeſe augeri; quomodo Pacuvius in Medo dixit, *Mulier egregiiſſima forma.* Imo comparativo quoque uſus invenitur Juvenalis Sat. 10:

Egregius cœnat, meliuſque miſerrimus horum.

ubi *egregius* pro *egregiius* poni & Priſcianus teſtatur, & ſententia clamat. Hæc Voſſius. At vero ſpecioſa ſatis eſt altera illa multorum MSS. lectio *ægrius eſt,* ſed minus videtur ſatisfacere & reſpondere inſtituto Poëtæ noſtri, qui docere vult ſenſus non falli, licet falli videantur; & illum, qui percipiat ſenſus ſuos non falli, virum eſſe egregium &c. ut lib. 2: 7.

Sed nil dulcius eſt, bene quam munita tenere
Edita doctrina ſapientum templa ſerena, &c.

ſcripſi vero *ſecernere,* cum MSS. optimis. Hav.

471. *Denique nil Sciri*] Hæc, quæ ſequuntur, dicuntur in Academicos: qui nihil comprehendi poſſe, ſenſus eſſe fallaceis ac mendaceis contendunt. Sic Metrodorus Chius, ut refert M. Tull. in Lucullo: *Nego ſcire nos, ſciamuſne aliquid an nihil ſciamus: ne id ipſum quidem neſcire, aut ſcire, ſcire nos: nec omnino ſitne aliquid, an nihil ſit.* Idem ibid. *Parmenides, Xenophanes minus bonis quamquam verſibus, ſed tamen illis verſibus increpant eorum arrogantiam, quaſi irati, qui, cum ſciri nihil poſſit, audeant ſe ſcire dicere.* ibidem: *Dubitari non poteſt, quin Socrati nihil ſit viſum ſciri poſſe. excepit unum tantum, ſcire ſe, nihil ſe ſcire: nihil amplius. quid dicam de Platone? qui certe tam multis libris hæc perſecutus non eſſet, niſi probaviſſet.* Lamb. Verſu 9. Academicos novos quorum princeps fuit *Arceſilas,* aggreditur, & Veteres qui Socratem ſecuti ſunt: Siquis enim di-

An Sciri poſſit, quoniam nil Scire fatetur:
Hunc igitur contra mittam contendere cauſam,
Qui capite ipſe ſuo in ſtatuit veſtigia ſeſe.

Et

INTERPRETATIO.

an id ipſum Sciri poſſit, dum fatetur ſe nihil Scire: non amplius igitur diſputabo contra eum, qui ipſe capite ſuo retro inſtituit veſtigia:

VARIÆ LECTIONES.

472. *quoniam nil.* qui ſe, *Creech.* quo L. N. P. Q1. cum I. quo nihil Y. quoniam nihil Z. quom ſe nil *Jonſt.* quod &c. *Quidam.*

473. *Hunc.* Nunc c. N. P. Q. X. Hos duos verſus ſuſpectos habet L. *mittam contendere cauſam.* quidnam contendere curem? L. mutuam Q1. mituam cont. cauſam X. Y. Z.

474. *in ſtatuit veſtigia ſeſe.* Ediderunt Creech. Jonſt. Fab. Lamb. Gif. & Alii *inſtituit veſtigia retro.* veſtigaſſe Q1. inſtatuit K. X. Y. Z. inſiſtit. *Gaſſ.* ſeſe K. Q. V. reſe X. Z. ſed ead. m. corr. in *ſeſe.* ſuſo V. i. e. ſurſum.

NOTÆ.

dixerit *nihil ſciri poſſe*, id etiam ipſum *Nihil ſciri poſſe* neſciat neceſſe eſt, alioquin aliquid ſciret. Inde *Metrodorus Chius* apud Ciceronem in Lucullo. *Nego ſcire nos, ſciamuſne aliquid, an nihil ſciamus, ne id ipſum quidem neſcire, aut ſcire nos, nec omnino ſitne aliquid aut nihil ſit:* Sed cùm iſtiuſmodi Hominibus non eſt diſputandum, qui quid ſit Verum, quid Falſum, quid Certum, quid Incertum, quid ſit Scire, quid Neſcire pariter ignorant, & ſe ignorare gloriantur. CREECH.

472. *Quo ſe nil ſcire fatetur*] Libri ſcripti tres habent,

——— *quoniam nil ſcire fatetur.*

ego malim legi,

——— *quod ſe nil ſcire fatetur:*

vel:

——— *quom ſe nil ſcire fatetur.*

quanquam ſcriptura illa antiqua probari poteſt, ut ſubintelligamus *ſe.* Hæc autem omnia diſputantur & dicuntur adverſus novos Academicos, quorum fuit princeps Arceſilas. *Hic* (ut ſcribit Lactantius, ſeu Lutatius Firmian. lib. 3. de falſa ſapientia) *introduxit genus Philoſophiæ ἀσύστατον, id eſt, inſtabile, ſeu inconſtans. Ut enim nihil ſciri poſſe ſciendum ſit, aliquid ſciri neceſſe eſt. Nam ſi omnino nihil ſcias, ipſum nihil ſciri poſſe tolletur. ita ſi nihil ſciri poteſt, neceſſe eſt id ipſum non ſciri, nihil ſciri. Si autem ſcitur, nihil poſſe ſciri: falſum eſt ergo quod dicitur, nihil poſſe ſciri.* Hæc ille. LAMB.

Quom ſe nihil. Veteres libri fere, *quoniam.* Hinc feci: *quom.* Vulgati: *quo.* GIFAN. *Qui.* Alii *Quo*, & Gaſſendus *Quom.* CREECH. Ego cum Gronovio Obſ. p. 259. ſecutus ſum optimi MS. Lugd. Bat. auctoritatem, ſenſu ſatis plano & perſpicuo; in eo autem legitur *nihil*, nam perinde eſt, an *nil* an *nihil* ſcribas. in ſcanſione enim eliduntur mediæ literæ *hi.* HAVERC.

473. *Hunc igitur*] Hos verſus, ut vulgo leguntur, edidi, eoſque primùm explicabo meo arbitratu: deinde quid de iis ſentiam, & quomodo ſcripti ſint in libris manuſcriptis, lectori indicabo. *Hunc igitur contrà*, id eſt contra hunc igitur, ἀναστροφή. Sed quidam legi volunt, *Hanc igitur.* LAMB.

473. *Mittam*] Omittam. LAMB.

473 *Contendere cauſam*] Sic loquitur M. Tull. Catil. *Si cauſas contendere velimus.* Sed ſi legamus *Hanc igitur, contendere* erit verbum abſolutum. LAMB.

474. *Qui capite ipſe ſuo*] id eſt, qui capite ſuo retro graditur. ſignificat (opinor) eos præpoſtero & perverſo eſſe judicio, qui ita ſentiunt. Sed primùm quorſum hæc? contra hunc igitur diſputare deſinam, qui capite ſuo retro graditur: cùm præſertim continuò ſubjiciat,

Et tamen hos quoque, &c.

Deinde ſi horum verſuum ſententia illa eſt, nonne videtur parum planè expreſſa? Omnino verſus mihi ſuſpecti ſunt, augent ſuſpicionem codi-

ces

Et tamen hoc quoque uti concedam ſcire, at id ipſum
Quaeram, (quom in rebus veri nil viderit ante,)
Unde ſciat, quid ſit Scire, & Neſcire viciſſim:

No-

INTERPRETATIO.

Tamen ut concedam illum hoc ſcire, id tamen inquiram, unde (cum nihil ante in rebus viderit unde cognitionem iſtam hauriat) ſciverit quid ſit ſcire, & quid ſit neſcire,

VARIÆ LECTIONES.

475. *hoc quoque uti.* hunc quoque ubi. *Gaſſ. concedam.* concedo X. *at id.* ad id E. Z. Sed ſupr. *at.*

NOTÆ.

ces aliquot manuſcripti, in quibus legitur partim *mittuam*, partim *mittnam*, pro *mittam*: deinde pro *cauſam*, partim *cuſem*, partim *cauſa*: deinde pro *retro*, *ſeſe.* Omnino ſi hi duo verſus tollantur, nihil de ſententia depereat. Verumtamen quoniam reperiuntur in libris omnibus manuſcr. (tametſi cognovimus jam, verſus non Lucretianos etiam in veteribus libris eſſe ſæpe inculcatos) videamus ecquid ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis boni trahere poſſimus. Quid igitur ſi ex *mittnam*, faciamus *quidnam*, ex *cuſem*, *curem*, & ſic legamus?

Hunc igitur contra quidnam contendere curem
Qui capite ipſe ſuo inſtituit veſtigia retro?

Lamb. *Qui capite ipſo ſuo inſtituit veſtigia retro*, Locus ſane luculentiſſimus: & quem Vir Doctus ſollicitare non debuerat. Qui manibus ingrediuntur, prono in terram capite, quod hiſtrionum pueri vulgo faciunt, nonniſi retro incedere poſſunt. Quod facile ad explicandam Lucretii ſententiam transferre poſſis. Faber. MSS. *inſtituit*, ſeu *in ſtatuit eſſe.* Sed malo *ſeſe.* Vide Plautum in *capite ſiſtere*, & Scalig. ad Manil. p. 400. Rectius tamen legas

Qui capite ipſe ſuo inſtatuit veſtigia Suſo

Suſo, id eſt *ſurſum*; vide in Gloſſario *Suſu* & *Suſo.* Vossius. Hos duos verſus omnes Codd. agnoſcunt, ſuſpectos tamen habet *Lambinus*, tandem verò legit

Hunc igitur contra quidnam *contendere* curem:

Creech. Alia eſt *Fabri* ſententia. Ego quum plane cum MSS. (quorum varietas cerni poteſt) ſentiam Lugd-Bat. operæ pretium judicavi integram doctiſſimi Gronovii notam ſubjicere, ex Libro Obſ. 3. c. 19. p. 601. Hav.

Hunc igitur contra mittam contendere cauſam,
Qui capite ipſe ſuo inſtituit veſtigia retro.

Jure Lambinus offenditur illo, *qui capite inſtituit veſtigia retro.* Quid enim intereſt, ſi capite inſtitui veſtigia poſſunt, ante an retro fiat? Neque tamen ſtatim hi duo verſus expungendi erant, aut ſollicitandum *τὸ contendere cauſam.* Primo quidem ſic loqui ait Tullium in Catilinam: *ſi cauſas contendere velimus.* At hic *contendere* eſt comparare. Dein conjicit: *Hanc igitur:* ut *contendere* ſit abſolutum. Sed ſi tollimus *Hunc*, ad quid referetur *τὸ Qui?* Rurſus, quia in quibuſdam libris eſt *mittuam* vel *mittnam* pro *mttam*, *cuſem* pro *cauſam*, *ſeſe* pro *retro*, ariolatur: *quidnam contendere curem.* Palmerius eodem impetu, *mutim jam aut tendere cuſem:* aut modeſtius, *minuam contendere cauſam.* Mihi quoque *contendere cauſam* ſatis placet. Eſt enim *contendere aliquid* ſæpe magna contentione ac ſtudio, ſumma opum vi, conari atque agere: ut Ciceroni, *Hoc contendo*, & *tantum contendere in republica*, *quantum probare civibus poſſis.* Monuit autem idem Tullius orationem eſſe duplicem, alteram *contentionis*, alteram ſermonis; & *contentionem tribui diſceptationibus judiciorum*, *concionum*, *ſenatus*, lib. 1. de Officiis. Accipio igitur *contendere cauſam*, ut *cernere vitam*, *cernere bellum*, *pugnare pugnam*, *militare bellum*, *certare mulctam.* Nec moverim facile; *Mittam*, ob ſermonem Terentianum, *Mitte orare.* Membranæ tamen Voſſianæ quoque *mituam*: ut non abſonum ſit illud *minuam* Palmerii, aut *metuam*, ut Horatio ſolet poni pro nolle aut cavere. In altero Palmerius, *inſtitit in veſtigia ſeſe.* Giſanius *inſtituere*

Notitiam veri quae res, falſique creârit;
Et dubium certo quae res differre probârit.
Invenies primis ab Senſibus eſſe creatam

No-

INTERPRETATIO.

& quæ res notitiam veri & falſi creavit, quæ etiam res docuit Certum a dubio differre? Invenies autem a Senſibus Veri notitiam primum ortam eſſe,

VARIÆ LECTIONES.

480. *primis*, primus X.

NOTÆ.

tuere veſtigia ſcribit eſſe gladiatorum, aut pugilum περιβολὴν. Equidem *in ſtatu ſtare, gradum componere* novi: ſed qua re his illud ſimile ſit, nondum intelligo. Neque id docet Virg. Æn. 7: 689.

—— —— *veſtigia nuda ſiniſtri*
Inſtituere pedis.

Nihil enimaliud dicit, quam πιζετέξους eſſe, altero tantum pede ocreatos vel peronatos. Quid eſt autem: *Non adverſus illum pugnabo, qui ſtatum componit capite ipſe retro?* Non enim voluerit exprimi illud Virgilii in quinto ℣. 428.

Abduxere retro longe capita ardua ab ictu:

aut Statii lib. 6:

—— —— *tuto procul ora receſſu*
Armorum in ſpeculis.

Hoc artis eſt, neque cauſa, cur quiſquam ea utentem recuſet parem. Decurramus igitur ad membranas, in quibus: *in ſtatuit veſtigia ſeſe.* Prima quidem manus *eſſe*: ſed id correctum juxta veteri manu in *ſeſe*. Accipiamus igitur:

Qui capite ipſe ſuo in ſtatuit veſtigia ſeſe.

Deſinam contra illum diſputare, qui ſibi non conſtat, qui ſe ipſe evertit, qui cernuat & ſe ipſe capite ſuo in veſtigia ſtatuit. Amant ſic transmovere præpoſitiones Poëtæ, interdum citra neceſſitatem metri. Virgilius Ecl. 6: 19.

—— —— *injiciunt ipſis ex vincula ſertis.*

Potuiſſet enim, *ex ipſis*. Ovidius de Rem. Amor. ℣. 113.

Poſt tamen hic multos ſervatus creditur annos.

Potuiſſet: *Poſt multos tamen hic.* eodem numero. quo Virgilius Æneid. 1: 481.

Lora tenens tamen: huic cervixque comæque trahuntur.

Et ipſe Naſo alibi:

Judicium tamen hic noſtrum non decipit error.

Sic prima Metamorphoſi ℣. 231.

In domino dignos everti tecta penates.

Ubi poterat: *In dignos domino converti.* GRONOV.

475. *Hoc*] Scilicet, τὸ μηδὲν εἰδέναι. FABER.

480. *Invenies primis ab Senſibus*] De hoc conſentiunt inter ſe omnes philoſophi. præter Academicos, ſcientiam oriri à ſenſibus. Sed, quod dicebat Epicurus, κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις, οὐδ' εἶναι τὸ δυνάμενον αὐτὰς διελέγξαι, id eſt, *judicium veritatis penes ſenſus eſſe, neque eſſe quicquam quod eos refellere queat.* id negabant etiam veteres Academici, & multi alii. Mentem enim volebant eſſe rerum arbitram atque judicem: ſenſus autem omneis, hebetes & tardos, nec ullo modo res eas percipere, quæ ſibi ſubjectæ viderentur: utpote quæ eſſent aut ita tenues & parvæ, ut ſub ſenſum cadere non poſſent: aut ita mobiles & celeres, ut nihil unquam unum & idem eſſet, quia omnia continenter fluerent & laberentur. LAMB. Jam tandem v. 22. ſenſus eſſe Criteria Veritatis demonſtrat. Id enim Veritatis Criterion ſit neceſſe eſt quod falſum corrigere & refutare poſſit: Illud verò faciunt Senſus. Ipſos autem Senſus quid corrigat, aut refellat? An Ratio? Ratio autem a Senſibus tota pendet. An alii Senſus alios convincent? Hoc minimè dicendum, Nam ſinguli Senſus circa propria ſua Objecta verſantur; Nec quid alii Senſus agunt curant, aut cognoſcunt: An iidem igitur Senſus ſeipſos emendent? Id fieri non poteſt, quoniam Senſibus æqua fides eſt ſemper adhibenda. Simplici igitur Senſuum repræſentationi (id eſt *primis Senſibus*) fidendum.

481. Ne-

Notitiam veri, neque Senſus poſſe refelli:
Nam majore fide debet reperirier illud,
Sponte ſua veris quod poſſit vincere falſa.
Quid majore fide porro, quam ſenſus haberi
Debet? an ab ſenſu falſo Ratio orta valebit
Dicere eos contra, quae tota ab Senſibus orta eſt?
Qui niſi ſint veri, Ratio quoque falſa fit omnis.
An poterunt Oculos Aures reprehendere? an Aureis
Tactus? an hunc porro Tactum Sapor arguet oris?
An

INTERPRETATIO.

neque Senſus refutari poſſe. Nam majori certitudine præditum exiſtimandum eſt id quod per ſe & ſua vi poteſt falſum vero oppoſito convincere. Quid etiam eſt quod majorem fidem quam Senſus poſtulat? An Ratio a falſo Senſu orta, cum tota ab illis Senſibus pendeat, poteſt refutare illos ſenſus, Qui Senſus niſi veri ſint, omnis Ratio quoque falſa ſit neceſſe eſt? An poterunt Aures reprehendere oculos? *An Tactus Aures? An Guſtus denique refutabit Tactum?*

VARIÆ LECTIONES.

481. *neque Senſus.* Senſibus poſſe A. B. I. ſenſu poſſe P. X.
482. *ſenſus.* ſenſu Q 1.
485. *Ratio orta v.* r. quoque orta Q.
486. *eos contra.* nos contra c. O. P.
487. *niſi.* mihi. Q 1. *ſint.* ſunt X. Y. Z. *fit.* ſit X.
488. *poterunt.* poterint Q. poterit X. Y. Z.

NOTÆ.

481. *Neque ſenſus*] Sic legendum eſt: & ita ſcriptum eſt in libris omnibus. Denique, ut ita legatur, ſententia poſtulat. neque ulla opus eſt conjectura: & Zoilus, qui *neque ſenſibus* vult legi, nihil aliud quàm ſtuporem ſuum indicat ac declarat. Lamb. *Neque ſenſibus poſſe refelli.* Ita conjectura ductus ſcripſi, poſtulante ſententia. In libris *ſenſus.* Gifan. *Neque Senſus. Senſibus* Gifanius: imperitè. Creech.

487. *Qui niſi ſint veri*] Si ſenſus non ſint veri (inquit) ne ratio quidem ipſa vera ſit cùm ſit orta à ſenſibus. ſic Epicurus, πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται· πᾶσα δὲ αἴσθησις ἄλογός ἐστιν, id eſt, *omnis enim ratio à ſenſibus pendet; ſenſus autem omnis rationis expers eſt.* M. Tullius lib. 1. de natura Deor. *Timuit Epicurus, ne ſi unum viſum eſſet falſum, nullum eſſet verum; omneis ſenſus veri nuntios dixit eſſe* Lamb.

488. *An poterunt oculos*] Sic Epicurus: Οὔτε ἡ ὁμοιογενὴς αἴσθησις τὴν ὁμοιογενῆ διελέγξαι δύναται διὰ τὴν ἰσοσθένειαν· οὔτε ἡ ἀνομοιογενὴς τὴν ἀνομοιογενῆ, οὐ γὰρ τῶν αὐτῶν κριτική, id eſt, *Neque enim ſenſus ſimilis generis, ejuſdem generis ſenſum refellere poteſt, propter virium & poteſtatis æqualitatem: neque qui diſſimilis generis eſt, eum qui diſſimili genere eſt: propterea quod diſſimilis generis ſenſus de iiſdem judicandi facultatem non habent.* Lamb.

494. *Quod molle aut durum eſt, gelidum fervenſve ſeorſum*] Quis non videt, hunc verſum deëſſe, librariorum negligentia prætermiſſum? hoc enim ſentit Lucret. ſuum cujuſque ſenſus munus eſt, ſua cuique vis & poteſtas data eſt. ideo neceſſe eſt, ſeorſum id videri molle, aut durum; gelidum, aut fervens; quod ſit molle, aut durum; aut fervens: nempe hæc tactu ſolo judicari: & ſeorſum colores, eaque quæ ſunt coloribus conjuncta, ſentire neceſſe eſt, videlicet oculis, & videndi ſenſu, & ita de ceteris. *deorſum* autem & *ſeorſum* interdum eſſe diſyllaba, interdum triſyllaba, ſuprà oſtendimus, ibid. l. 3: 499.

———— &

An confutabunt Nares, Oculive revincent?
Non (ut opinor) ita eſt: nam ſeorſum quoique poteſtas
Diviſa eſt: ſua vis quoique eſt: ideoque neceſſe eſt,
Quod molle, aut durum eſt, gelidum, fervenſve, ſeorſum
Id molle, aut durum, gelidum, fervenſve videri;
Et ſeorſum varios rerum ſentire Colores,
Et quaecunque coloribus ſunt conjuncta, neceſſe eſt.
Seorſus item Sapor oris habet vim, ſeorſus Odores
Naſcuntur, ſeorſum Sonitus: ideoque neceſſe eſt,
Non poſſint alios alii convincere Senſus.

Nec

INTERPRETATIO.

vel an Viſus & Olfactus erroris arguent? Non, uti puto, ita fiet: nam ſingulis ſenſibus ſua propria vis & poteſtas diſtribuitur; atque ideo neceſſe eſt ut quod molle aut durum eſt, quod gelidum aut calidum eſt, id ab uno tantum ſenſu Molle aut durum, gelidum aut calidum ſentiatur: Neceſſe eſt etiam ut unus tantum Senſus percipiat varios colores, & ea quæ ſunt Coloribus conjuncta: Unicus etiam Guſtus Sapores ſentit, unicus Olfactus Odores, unicus Auditus ſonos, ideoque neceſſe eſt ut alii Senſus non poſſint alios refutare:

VARIÆ LECTIONES.

490. *Oculive.* oculique D. oculi, atque P. oculi quoque X.
492. *quoique.* cui X. *ideoque.* adeo Q 1.
493. deeſt N. P. Q. X. Y. Z.
494. *Id molle, aut durum gelidum,* Id quod molle ſit, & gelidum C. E. N. egelidum c. Q 1. Et quod molle ſit & gelidum fervenſque videri Q. Et quod molle ſit egelidum P. & quod molle ſit Y. & quod molleſſit Z. & gelidum fervensve videri X.
496. *ſunt.* ſint E. Y. Z.
497. *ſeorſus.* ſeorſum X. Y.
498. *Naſcuntur.* naſcantur X. Y. Z. *oculive revincent.* oculi quoque vincent.
499. *poſſint.* poſſunt Q.

NOTÆ.

—— *& (ut docui) diviſa ſeorſum.* Lamb. Ita Lambinus, recte, ut puto. Vulgati aliter multo. Gifan.

493. *Gelidum*] Tepidum. eſt diminut. hac dictione uſus eſt Ovidius, ita loquens Amor. 2: 11: 10.

Et gelidum borean egelidumque notum.

Sed cum præceptor Ovidii Portius Latro tria loca dixiſſet eſſe in poëmate Ovidiano: quæ illum offendiſſent: juſſo tacere Portio ipſemet Ovidius illa ex fide retulit: inter quæ hoc carmen dignum nota fuit.

Et gelidum borean egelidumque notum.

Cum Auſonius inquit:

Impiger egelido movet arma Severus ab Iſtro.

nonnulli *egelidum* pro valde gelidum capiunt, tanquam tractus ille magis ad rigorem quam ad teporem vergat: & ea figura dicetur *egelidum*, qua *eduræ* coryli a Virgilio pro valde duris. nunc vitio depravantium ſcripturas in poëmate Ovidiano *præcipitem* poſitum eſt ubi fuit *egelidum.* Pius.

493. *Seorſum*] Unicuique ſingillatim, ita ut hanc aut illam qualitatem ſenſus quidam noſcat, ille alter non poſſit. Faber.

Nec porro poterunt ipſi reprendere ſeſe,
Aequa fides quoniam debebit ſemper haberi.
Proinde, quod in quoque eſt his viſum tempore, verum eſt.
Et, ſi non poterit ratio diſſolvere cauſam,
Cur ea, quae fuerint juxtim quadrata, procul ſint
Viſa rotunda; tamen praeſtat rationis egentem
Reddere mendoſe cauſas utriuſque figurae,
Quam manibus manifeſta ſuis emittere quaequam;

Et

INTERPRETATIO.

Neque iidem Senſus poſſunt ſeipſos reprehendere, quoniam eidem Senſui æqua fides eſt ſemper adhibenda: Ideoque id verum eſt quod his Senſibus quolibet tempore viſum eſt. Et ſi forſan Animus nequeat reddere rationem, cur ea Corpora, quæ cominus viſa quadrata videntur, eminus viſa rotunda appareant. Melius tamen ille, qui hanc difficultatem non valet explicare, falſas cauſas utriuſque figuræ aſſignaret, quam manifeſta & aperta e ſuis manibus emitteret,

VARIÆ LECTIONES.

500. *poterunt.* poteſt Z. ſuperſcr. *poſſunt.* *reprendere.* reprehendere X.
501. *Æqua.* Æque X. Y. Z. *haberi.* habere Z. ſed ſuperſcr. *haberi* *quoniam.* quando Q1.
504. *juxtim.* in juſtim Z. viſtim Q. *quadrata.* quadratam Y. Z.
506. *mendoſe.* mendoſæ O. P. Q. *cauſas.* cauſam X.
507. *manifeſta.* in feſta Q. X. *quæquam.* quæque A. B. *Gaſſ.* quoquam C. D. E.

NOTÆ.

500. *Nec porro poterunt*] διὰ τὴν ἰσοσθένειαν, id eſt, *propter æqualitatem poteſtatis.* non poterit (inquit) viſus viſum refellere, nec auditus auditum, nec guſtatus guſtatum, propter æqualem utriuſque poteſtatem, fidem atque auctoritatem. quidam libri habent,

Nec porro poſſunt.

ego nihil muto. Lamb.

500. *Nec ipſi ſe ſe reprehendere poterunt*] Sunt enim inter ſe ἰσοσθενεῖς, uti illos vocabat Epicurus. Faber.

501. *Æqua fides*] Melius forſan per hyphen legas, *Æque-fides*, eo ducentibus MSS. Hav.

503. *Et, ſi non poterit*, &c.] Cùm verò ſæpe fallimur, cùm v. g. Turris quadrata eminus viſa appareat rotunda, quid agendum eſt? Reſpondet Lucretius vſ. 13. Satius eſſe negligere iſta Problemata, aut quamcunque cauſam aſſignare, quàm Senſibus diffidere, quibus tota Vita & Salus innitatur, nam ſine illis Salubria eligere, aut Noxia, Præcipitia, v. g. Flammas, & ejuſmodi alia vitare non poſſumus: Hic verò tangit *Scepticos*, de quorum Principe Pyrrhone Diogenes Laertius. Μηδὲν ἐκτραπόμενος, μηδὲν φυλαττόμενος ὤν, ἅπαντα ὑφιστάμενος, ἁμάξαις, εἰ τύχοι, καὶ κρημνοὺς, καὶ κύνας, καὶ ὅσα τοιαῦτα, μηδὲν ταῖς αἰσθήσεσιν ἐπιτρέπων. Creech.

506. *Mendoſe*] Perperam, male. Lamb.

507. *Quàm manibus manifeſta ſuis emittere quæquam*] Quàm emittere ſeu amittere res manifeſtas de ſuis manibus. *amittere* autem legendum videtur, non *emittere.* *amittere* enim valet idem quod apud Græcos ἀποβάλλειν, ἀφιέναι, ἢ παριέναι. *quoquam* autem olim excudendum curavi, quemadmodum habent aliquot libri manuſcripti, & omnes vulgati, præter Florentin. qui habent *quenquam*, & Pariſienſ. in quibus eſt *quæquam*, quibuſcum conſentiunt nonnulli etiam veteres. atque hanc poſtremam lectionem nunc magis probo: & *quæquam* interpretor *ulla* ſeu *aliqua.* licet tamen etiam legere *quemquam*, id eſt, aliquem. Lamb. *Emittere quæque*, Ita in veteribus, optime. In aliis: *quæquam.* In Vulgatis & in quibuſdam veteribus: *quoquam.* Gifan.

508. Et

Et violare fidem primam, & convellere tota
Fundamenta, quibus nixatur Vita, Saluſque.
Non modo enim Ratio ruat omnis, Vita quoque ipſa
Concidat extemplo, niſi credere ſenſibus auſis,
Praecipiteiſque locos vitare, & caetera, quae ſint,
In genere hoc fugienda; ſequi, contraria quae ſint.
Illa tibi eſt igitur verborum copia caſſa
Omnis, quae, contra ſenſus inſtructa, parata eſt.
Denique ut in Fabrica, ſi prava eſt Regula prima,
Nor-

INTERPRETATIO.

fidem primam violaret, & convelleret omnia iſta fundamenta quibus Vita Saluſque Hominum innititur: Non enim tantum Ratio omnis corruat neceſſe eſt, ſed ipſa etiam Vita collabatur, niſi audeas credere Senſibus; & ab illis monitus præcipitia fugere, & alia ejuſdem generis noxia vitare, eaque ſequi quæ ſunt his contraria (*innoxia*:) *Omnia igitur Argumenta quæ contra Senſuum certitudinem colligere & explicare potes vana ſunt & futilia. Denique ſicut in Fabrica ſi prima Regula prava ſit,*

VARIÆ LECTIONES.

512. *Præcipiteiſque.* præcipitique X.
513. Abeſt Q. O. X. Y. Z.
514. *caſſa.* cauſa X.
515. deeſt A. B. P. Q. X.

NOTÆ.

508. *Et violare fidem primam*] Eam ſcilicet, quæ debetur ſenſibus. M. Tull. in Lucullo ait, *Chryſippum, dum ſtudioſe omnia conquiſierit contra ſenſus, & perſpicuitatem, contra omnium conſuetudinem, contraque rationem, ipſum ſibi reſpondentem, ſe inferiorem fuiſſe. Itaque ab eo armatum eſſe Carneadem Academicum contra ſenſus diſputantem.* LAMB.

510. *Non modo enim*] Sic Q. Sept. Fl. Tertullianus lib. de anima, cap. de quinque ſenſibus. *Quid agis Academice procaciſſime? totum vitæ ſtatum evertis: omnem naturæ ordinem turbas: ipſius Dei providentiam excæcas: qui cunctis operibus ſuis intelligendis, incolendis, diſpenſandis, fruendiſque fallaceis & mendaceis dominos præfecerit ſenſus.* LAMB.

511. *Niſi credere ſenſibus auſis*] Id eſt, ſi diffidas, & fidem deroges ſenſibus: ſi dicas, ſenſus eſſe fallaceis & incertos. LAMB.

513. *Sequi, contraria quæ ſint*] Sequi quæ ſint *contraria fugiendis*, id eſt, quæ ſint expetenda. LAMB.

514. *Illa tibi eſt, &c.*] Verſum illum ſequentem:

Omnis, quæ contra ſenſus inſtructa parata eſt.

Qui in Vulgatis quidem exſtat; a veteribus libris autem aberat; atque adeo ineptum, non admiſi. GIFAN.

514. *Caſſa*] Vana, inanis. LAMB.

515. *Omnis, quæ contra ſenſus inſtructa parata eſt*] Hunc verſum habent codex Vaticanus, Tettianus, & Memmianus: & ejus ſententia eſt non inconcinna, meo quidem judicio. Thraſo autem non delendum judicavit, ſed funditus delevit. Si quos verſus negamus eſſe Lucretii, tragœdias excitat, clamat indignum facinus. Cur tam indulgens in ſe ipſe, in alios tam ſeverus eſt? LAMB.

516. *Denique ut in Fabrica*] Vult ſenſus eſſe tamquam omnium rerum normas ac regulas. Quemadmodum igitur ſi fabri regulis, normis, libellis fallacibus utantur, ædificia quæ ſtruunt, prava & diſtorta ſint: ita ſi ſenſus noſtri ſint fal-

Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et Libella aliqua ſi ex parti claudicat hilum;
Omnia mendoſe fieri, atque obſtipa neceſſum eſt,
Prava, cubantia, prona, ſupina, atque abſona tecta;
Jam ruere ut quaedam videantur velle, ruantque,
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.

Sic

INTERPRETATIO.

ſi Normæ Angulus non ſit rectus, ſi ſit aliquis in Libella defectus, neceſſe eſt ut tota moles mendoſa fiat & curvata, ut tecta prava ſint, cubantia, prona, ſupina & abſurda; ita ut quædam ruitura videantur, & ruant; cum omnia primis judiciis fallacibus ſint prodita, ad falſas & mendaces regulas conſtructa.

VARIÆ LECTIONES.

517. *ſi.* ſe X. ſibi Q 1. Z. ſed corr. in Z. Deeſt Q.
519. *obſtipa.* obſtita *Feſtus.*
520. *Prava.* parva Q. X. Y. Z. *abſona.* obſona. c. O. P. Q. X.

NOTÆ.

fallaces, actiones omnes noſtræ, ratio quoque ipſa, quæ ſenſibus nititur, incerta, abſurda, prava, perverſa ſit. Licet etiam hoc modo ſenſus defendere. Scientiæ certæ ſunt. Principia ſcientiarum oriuntur à ſenſibus. nam inductiones conſtant ex ſingularibus. ſingularia autem in ſenſibus poſita ſunt. At ſyllogiſmi, qui ſunt principia & cauſæ ſcientiarum, confirmantur & probantur inductionibus. Ergo ſenſus certi ſunt, minimeque fallaces. alioqui ſcientiæ, quæ oriuntur à ſenſibus, eſſent ipſæ quoque fallaces atque incertæ. *Regula*, lignum eſt rectum, oblongum, & latum, quo fabri utuntur ad rectitudines exigendas, & parietes ædificiorum dirigendos. fiunt etiam è ferro regulæ. *regulam* Græci *κανόνα* appellant. *Norma* autem ex duabus regulis conſtat inæqualibus, ita conjunctis, ut angulum rectum efficiant: *γνώμονα* Græci, *ſquadram* fabri noſtri nominant. LAMB. Longam hanc diſputationem ℣. 9. concludit: Senſus ii ſunt, ad quorum fidem res omnes exigimus; Ideoque ſi iſti fallaces ſint, de omni certitudine & Scientia erit actum. Nec minùs nos erraremus quàm Faber ille, qui fallaci regula, Norma, & Libella utitur. CREECH.
Si prava eſt regula *Pravum* proprie diſtortum notat, ut exemplis egregie oſtendit vir incomparabilis Joh. Fr. Gronovius ad Senec. Ep. CII. PREIG.

518. *Et Libella*] *Libella* conſtat regulis duab. æqualibus ita junctis inter ſe alteris duobus capitib. & divaricatis duob. alteris, ut rectum angulum efficiant. additur tertia regula, & ab utroque ſuo extremo cum ceteris duabus per medias circiter parteis compingitur. pendet præterea è filo ab angulo, quem efficiunt duæ majores regulæ, plumbea parvula maſſa turbinata. collocatur jam libella hoc modo, ut duarum regularum longiorum extremis nitatur, & illæ regulæ pronæ altera in alteram incumbant: ab angulo autem plumbum deorſum demiſſum ita filum ad tranſverſam regulam adplicet, ut eam mediam tangat, & æqualiter à ceteris duabus regulis diſtet. LAMB.

518. *Aliqua ſi ex parti*] Id eſt, ſi aliqua ex parte. *parti*, pro *parte*, ut ſuprà *contagi* pro *contage*, & ſimil. LAMB.

519. *Atque obſtipa*) Id eſt curvata, obliqua, inflexa. Ennius libr. 18. p. 118.

Montibus obſtipis, obſtantibus, unde oritur nox.

M. Tull. Arato:

Obſtipum caput, & tereti cervice reflexum.

Horat. Sat. 5. lib. 2:

Davus ſis comicus, atque
Stes capite obſtipo, multum ſimilis metuenti.

Per-

Sic igitur Ratio tibi rerum prava neceſſe eſt,
Falſaque ſit, falſis quaecunque ab Senſibus orta eſt.
Nunc alii Senſus quo pacto quiſque ſuam rem
Sentiat, haud quaquam ratio ſcrupoſa relicta eſt.
Principio, auditur Sonus, & Vox omnis, in Aureis
Inſinuata ſuo pepulêre ubi corpore ſenſum.
Corpoream quoque enim Vocem conſtare fatendum eſt,
Et

INTERPRETATIO.

Pari modo neceſſe eſt ut Ratio rerum falſa ſit, quæ a ſenſibus falſis oritur. Jam vero explicare quo modo alii Senſus quiſque ſuum objectum ſentiat non erit opus difficile. Primo Omnis vox & Sonus auditur, quando in Aures inſinuata Senſum Auditus pulſârunt ſuo corpore: fatendum enim eſt Vocem eſſe Corpoream,

VARIÆ LECTIONES.

523. *Sic igitur.* Sic etiam quidam. *prava.* parva X.
524. *ſit.* fit *Quidam.*
525. *quo.* pro Q. X.
526. *ſcrupoſa relicta.* ſtupoſa Q. ſcrupor elicta Z. ſed corr. *ſcrupore relicta.*

NOTÆ.

Perſius Sat. 3: 79.

——— ——— *ærumnoſique Solones,*
Obſtipo capite, & figentes lumine terram.

Ne quis autem dubitet de hac ſcriptura, ſic reperi ſcriptum in quinque libris manuſcriptis. quod eò teſtatus ſum, quòd apud Feſtum legitur *obſtitum*, non *obſtipum*, fortaſſe mendoſe: niſi dicamus aliud eſſe *obſtipum* quàm *obſtitum*: qua de re judicet lector. LAMB. *Obſtipa.* Ita fere in veteribus libris. Apud Feſtum: *obſtita.* *Sed* ego Feſti librum ibi mendoſum eſſe contendo. Et pro *obſtitum* legendum *obſtipum*. Nam *obſtitum* aliud ſignificat. Vide & *Nixare* in Indice. GIFAN.

525. *Nunc alii ſenſus*) Nunc docebit quo pacto rem ſibi ſubjectam quiſque ſenſus ſentiat: atque initium ducet ab auditu. LAMB. Hactenus de *Viſu*, & *Simulachris*. Jam uſque ad ℣. 618. de Voce & Auditu: Primo autem ℣. 14. docet quid ſit *audire:* Audimus verò cùm Vox Aures attingit, ſuoque Corpore movet & impellit Senſum Voci iſti percipiendæ deſtinatum. Quòd autem Vox Corporea ſit id verò eſt manifeſtum, Radit enim fauces, facit aſperas & lædit, ideoque tangat neceſſe eſt, at quod tangit, aut tangitur, eſt Corpus. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ἀκούειν γίνεται ῥεύματος τινὸς φερομένου ἀπὸ τοῦ φωνοῦντος ἢ ἠχοῦντος, ἢ ψοφοῦντος, ἢ ὅπως δήποτε ἀκουστικὸν πάθος παρασκευάζοντος. Epicurus ad Herodotum. CREECH.

526. *Scrupoſa*) Difficilis, aſpera. tralatio à viis. *Scrupi* autem dicuntur ſaxa aſpera: ex quo *ſcrupoſam* rem dicimus, quæ aliquid habet in ſe aſperitatis. Propriè dixit Plautus in Capt. *ſcrupoſam viam*, id eſt, aſperam, & ſaxis impeditam: quamvis totus ille ſermo ſit allegoria tectus. Sic igitur Plautus, Capt. 1: 2. 81.

I modo; venare leporem: nunc irim tenes.
Non meus ſcrupoſam victus commeat viam.

LAMB. *Scrupi* dicuntur aſpera Saxa, & difficilia attrectatu, unde rem aliquam *Scrupuloſam* dicimus, quæ in ſe habet aliquid aſperi: *Feſtus.* CREECH.

528. *Inſinuata*) Ordo eſt, vox & ſonus inſinuata in aureis. LAMB.

529. *Corpoream quoque enim*) Quia dixerat *pepulere*; pellere autem quicquam nulla res poteſt, niſi corpus:

(*Tangere enim & tangi niſi corpus, nulla poteſt res*)

iccirco ſubjunxit,

Corpoream quoque enim, &c.

Plato (ut ſcribit Gellius libri quinti capite deci-

 mo-

Et Sonitum, quoniam poſſunt impellere Senſus.
Praeterradit enim Vox fauceis ſaepe, facitque
Aſperiora foras gradiens arteria Clamor.
Quippe, per anguſtum turba majore coörta

Ire

INTERPRETATIO.

ut & Sonum, quoniam impellere poſſunt & movere Senſus: Nam Vox ſæpe radit fauces, & clamor foras egrediens aſperat Os, & raucitatem facit: Quippe cum Vocum Semina confertim magnaque turba

VARIÆ LECTIONES.

530. *quoniam.* quando Q1. cum X. *poſſunt.* poſſint E. P. Q. X. *impellere.* implere Q. X.
531. *Præterradit enim.* præterea radit vox. c. K. O. V. P. Y. propterea radit Y. Z. Delet *enim.* Q.
532. *foras.* foris A. Q. X.
533. *coörta.* coarcta. c. P. Q1. X. ita v. 629.

NOTÆ.

moquinto) *non putat vocem corpus eſſe: quia non percuſſus aër, ſed plaga ipſa, atque percuſſio, vox eſt. Neque vero quævis aëris plaga, vox eſt; aërem enim verberat etiam digitus motus, neque tamen vocem efficit; ſed acris & valida plaga; tanta denique ut aureis feriat, auditumque laceſſat.* quo loco videtur φωνῆς (id eſt *vocis*) nomen pro ſono poſuiſſe. Oportet enim vocem ab aëre per aureis, & cerebrum, & ſanguinem ad animum pervenire. alioqui plaga aëris, ſonus erit, non vox. Stoici autem vocem corpus eſſe volunt. quicquid enim facit, aut patitur, corpus eſſe: vocem facere & pati: facere quidem, cùm aureis & aërem, qui eſt in capite, verberat, cùmque ab ea imprimitur auditus, tamquam cera ab annulo: pati autem, cùm ea incidens in loca lævia & ſolida refringitur ac repellitur. Plato in Timæo ſic vocem definit, τὴν δι' ὤτων ἀπ' ἀέρος, ἐγκεφάλου τε, καὶ αἵματος μέχρι ψυχῆς πληγὴν διαδιδομένην· id eſt, *plagam, quæ ab aëre per aureis, cerebrum, & ſanguinem uſque ad animum diditur.* Ariſtot. autem libr. 2. de animo, ſic: Φωνή ἐστὶ πληγὴ τοῦ ἀναπνεομένου ἀέρος ὑπὸ τῆς ἐν τούτοις τοῖς μορίοις ψυχῆς πρὸς τὴν καλουμένην ἀρτηρίαν, id eſt, *Vox eſt plaga aëris, qui reſpiratur ab anima quæ eſt in his particulis, ad eam, arteria quæ appellatur.* hunc verſum cum tribus deinceps ſequentibus profert A. Gell. lib. 10. cap. 26. LAMB.

530. *Quoniam poſſunt*) In Noct. Attic. lib. x cap. 26. *quantum.* Mendoſe credo, ex ea nota *q̄m.* GIFAN.

531. *Præterradit enim vox fauces ſæpe, facitque*
Aſperiora foras gradiens arteria clamor.
Quippe per anguſtum turba majore coörta,
Ire foras ubi cœperunt primordia vocum,
Scilicet expletis quoque janua raditur oris
Rauca ſuis, & iter lædit qua vox it in auras.

Sic olim publicatum eſt. Sed ultimum verſum obelo confixit Lambinus: eundemque ab optimo, ut ait, veteri libro exſulem delevit Gifanius. Quod ille factum indignatur, & gloriam tanti facinoris ſibi præreptam dolet. Proponit hic auctor ſecundum argumentum, quo vocem demonſtret eſſe corpoream. Primum fuerat, quia inſinuans per aures ſenſum illarum impellit. Secundum incipit à primo verſu hic producto: ubi τὸ *enim* incommodum, nec connectit orationem. MS. *Propterea radit.* Scribe:

Præterea radit vox fauces ſæpe.

Atque ita MSS. Gellii lib. x. cap. XXVI. unde ſic edidit H. Stephanus. Probat igitur hoc altero argumento vocem conſtare ex corporeis elementis, quia corpus lædere poteſt. Nempe per anguſtum guttur turba majore ſoni aut vocum coörta, & ſic expletis nec ſatis patentibus viis, per quas tranſit vox, urgentibus tamen aliis, rauca redditur janua oris, ſive guttur, & vox, quæ

in

Ire foras ubi coeperunt primordia Vocum,
Scilicet expletis quoque janua raditur oris
Rauca viis; & iter laedit qua Vox it in auras.
Haud igitur dubium eſt, quin Voces, Verbaque conſtent
Cor-

INTERPRETATIO.

foras egredi per anguſtum cœperunt, Janua rauca oris ab iſtis Seminibus anguſtas vias nimis implentibus raditur, & vox lædit iſtum meatum quo foras egreditur. Minime igitur dubitandum eſt Voces & verba e Principiis corporeis conſtare,

VARIÆ LECTIONES.

535. *expletis oris.* ex pletis — auris V. *raditur.* redditur E. N. P. Q. X. roditur Q 1. reditur Y.

536. deeſt A. B. I. X. ſpurium cenſet L. *viis.* ſuis & L. P. *iter lædit qua.* lædit iter qua K. radit, qua c. O. reddit P. radit *in not.* P. quo D.

537. *eſt.* abeſt X.

NOTÆ.

in auras exit, lædit ſuum iter. Sic apparet legendum eſſe:

Scilicet expletis quoque janua redditur oris
Rauca viis, & lædit iter quæ vox it in auras.

Sic conjeceramus, & poſtea in Florentina Juntæ editione plene expreſſum vidimus. Ovidius lib. II. Metamorph. 828.

Vitaleſque vias & reſpiramina clauſit.
Nec conata loqui eſt: nec, ſi conata fuiſſet,
Vocis haberet iter.

Statius lib. V. Thebaidos:

——— ——— *tandem laxata dolore*
Vox invenit iter, gemituſque in verba ſoluti.

Guntherus lib. III. Ligurini, utriuſque imitator: *vix hæc fauces in verba ſolutæ Vocis iter præſtare valent.* Putarunt *expletas oras* dici: ſed quid eſt *expletis oris januam radi?* Immo vacuum & ſpiramentum ipſum expletur: oræ autem raduntur. GRONOV.

532. *Foris gradiens*] Sic veteres libri. Marullus: *foras.* Et ita Vulgati. GIFAN.

532. *Arteria*] Arteria uſurpavit in neutro genere, numero multitudinis, cùm ſit uſitatius in fæminino. M. Tull. de nat. Deor. lib. 2. *Primum enim à pulmonibus arteria uſque ad os intimum pertinet: per quam vox principium à mente ducens, percipitur & funditur.* lege apud eundem eodem lib. præclara de auditu & auribus. LAMB. Τὰς, neque enim minus analogum eſt τὸ ἀρτήριον, quam ἡ ἀρτηρία. FABER. Sic Codd. Memm. Suetonii in Vitellio c. 2. etiam *arteria* habet pro Vulg. *arterias.* VOSSIUS.

536. *Rauca ſuis*] Sunt qui ſcribunt *viis*, & jungunt cum *expletis.* cum explentur viæ vocis & obſtipantur ab agmine vocis egredientis tunc vox rauca procedit. poteſt defendi lectio promiſcua, ſi *oris* pro extremitatibus intelligis: ut innuat vocem raucam reddi expletis ſuis oris: cum regiones per quas vox pertranſit ſunt oblimatæ & oppletæ: quo liquida vox impeditur egredi. PIUS. Verſum:

Rauca ſuis, & iter lædit, qua vox it in auras.

Qui ſequebatur hunc: *Scilicet.* Ab optimis veteribus libris exulem, non admiſi. GIFAN. Sic excudendum curavi, ſecutus quinque librorum manuſcriptorum auctoritatem. verſum autem, qui proximè ſequitur in vulgatis libris,

Rauca ſuis, & iter lædit, qua vox it in auras,

vel, ut eſt in aliis,

Rauca ſuis, & iter reddit, qua vox, &c.

vel, ut in aliis,

Rauca viis, & iter lædit, &c.

ego veruto confodi juſſi, quia eum non reperi in libris manuſcriptis. *oris* autem *expletis* ſunt ablativi caſus abſolutè poſiti. *oris* enim non eſt ab *os, ris*, ſed ab *ora, æ.* Cùm hæc ſcripſiſſem, Zoilus, gravis auctor, ſcripſit ſe hunc verſum non admiſiſſe. dicere voluit, non recepiſſe: quaſi verò ei primo hoc venerit in mentem. Sed non eſt hoc in hac bellua novum. LAMB. Verſus νόθος.
FA-

Corporeis è principiis, ut laedere poſſint.
 Nec te fallit item, quid corporis auferat, & quid
Detrahat ex Hominum nervis, ac viribus ipſis
Perpetuus Sermo, nigraï noctis ad umbram
Aurorae perductus ab exoriente nitore;
Praeſertim ſi cum ſummo eſt clamore profuſus:
Ergo corpoream Vocem conſtare neceſſe eſt,
Mul-

INTERPRETATIO.

cum poſſint lædere. Nec omnino te latet, quantum Corporis auferat, quantum e Nervis ipſis Hominum detrahat, ac vires diminuat perpetuus Sermo, ab exoriente Auroræ nitore uſque ad umbram nigræ noctis perductus, præſertim ſi cum magno clamore ſit prolatus: Ergo neceſſe eſt ut Vox ſit Corporea,

VARIÆ LECTIONES.

539. *fallit.* fallat P. fallit *in not.* P.

NOTÆ.

Faber. *Expletis oris*, id eſt *locis*, Lambinus, qui verſum ſequentem rejicit: Retineri autem poteſt, dum ad rem facit, & commodam interpretationem patitur. Creech.

536. *Iter reddit*] Legendum *iter radit*: hoc eſt offendit meatum oris. Pius.

539. *Nec te fallat*] Lego *fallit.* hoc ſenſu. non te decipiat quæ vox multum detrahit viribus hominis cum loqui perſeverat: ſignum eſt igitur corpoream eſſe vocem. Pius. *Nec Te fallit item*, Priori argumento aliud v. 7. ſubjungit ab experientia ductum: Aliquis magna contentione loquatur, debilis fiet & languidus. Non autem dubitabit Vocem Corpoream eſſe cùm magnam Corporis ſui partem, dum loquitur, detractam ſenſerit. Creech.

541. *Nigraï noctis ad umbram*] Uſque ad noctem perductus. Lamb.

542. *Auroræ perductus ab exoriente nitore*] Ab aurora, ſeu à matutino tempore. Lamb.

546. *Aſperitas autem Vocis*] Docet unde naſcatur vocis aſperitas, & *lævor*, ſeu lævitas: & oſtendit, creari vocis aſperitatem à principiis aſperis, lævorem lævibus. Ordo autem horum verſuum perturbatus erat in libris vulgatis, & in nonnullis manuſcriptis; quem reſtitui, ab aliis libris & ratione ipſa admonitus. Præterea cùm libri vulgati ſic haberent, *lævis leviore creatur:* manuſcripti, partim *lævor lætiore*, partim *lætio lætiore*, partim *lævor lævore:* hanc poſtremam, ut rectam, amplexus ſum. Eſt enim hæc, ut dixi, ſententia: lævor vocis, lævore principiorum creatur. Lamb. *Aſperitas autem vocis*, &c. Jam aliud quoque argumentum v. 7. deſumitur ex ipſa voluptate & moleſtia, qua nos Sonus, prout concinnus, inconcinnuſque eſt, afficit: Siquidem cenſet *Epicurus*, quæ Corpuſcula ſubingrediuntur aurem, organumque afficiunt certa ratione configurari, & omnem Suavitatem aut acerbitatem Soni non aliunde eſſe, quàm ex eo quòd hujuſmodi Corpuſcula in organum ſubeuntia ipſum deliniant, exaſperentve, pro conditione lævitatis, aut aſperitatis qua configurantur. Creech.

548. *Nec ſimili penetrant aureis*, &c.] Id eſt, nec ſimili forma prædita primordia vocum, aureis penetrant, cùm tuba gravi cum murmure mugitum edit, atque cùm cycni moribundi canunt: hoc eſt, alius eſt tubæ ſonitus, aliterque aureis afficit, quàm cycni cantus, & diverſæ ſunt primordiorum utriuſque ſonitus figuræ. Lamb.

550. *Et reflexa retro dant cornua Barbara bombum*] Sunt *reflexa retro*, Retrorſus intorta in ſimilitudinem litui. *Cornua barbara*, Tubæ barbaricæ. *Tubæ* dictæ ſunt cornua: quoniam apud antiquitatem rudem ex cornu bubulo fiebant & ex tibiis. *Bombum*, Vocem colliſam fremitu tumultuoſo. Perſius. 1:113. Tor-

Multa loquens quoniam amittit de corpore partem.
  Aſperitas autem Vocis fit ab aſperitate
Principiorum, & item laevor laevore creatur.
Nec ſimili penetrant Aureis primordia forma,
Quom Tuba depreſſo graviter ſub murmure mugit,
Et revocat raucum Retrocita Barbara bombum:

Val-

INTERPRETATIO.

quoniam ille qui multa loquitur aliquam partem ſui Corporis amittit. Vocis autem aſperitas oritur ab aſperitate Principiorum, lævor autem a lævore Seminum: Nec Vocis Principia unius & ejuſdem figuræ intrant Aures, cum Tuba ſub depreſſo murmure graviter mugit, aut Retrocita Cornua raucum bombum reboant;

VARIÆ LECTIONES.

545. *Multa.* muta Q.

546. 547. Hi duo leguntur poſt verſum 556. A. B. C. D. E. I. P. Q. Y. Z..

547. *lævor lævore.* lavis lævore E. N. P. levo letiore Y. Z. lenis leniore Q. levor letiore Q 1. levo leture Q 2. X.

549. *murmure.* ſub murmura Q. Y. ſu murmura Z.

550. *Et revocat raucum retrocita barbara bombum.* aut reboant raucum retrocita cornua bombum R. S. T. Delendum cenſet L. Abeſt I. Et reboat A. B. D. Et revocat C. E. N. P. *in not.* Et inflexa retro dant cornua b. b. O. Aut ruorant, *ſuperſcr.* revocant Q 1. Et reflexa retro dant cornua barbita c. barbyta Q 1. barbara N. P. *& codd.* P. retro cita C. E. L. cita Barbara bombum A. B. C. D. E. P. *not.* Et reverſa tantum retro cita barbara bombum Q. Et reverſa tamen retrocita barbara bombum X. Berecynthia barbara bombum. V. Et revocat raucum retrocita barbara bombum Y. & revorat (*ſuperſcr.* vel reboat) raucum retrocita barbara bombum Z.

NOTÆ.

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.

Barbara vocavit *cornua* ſambuccam, & barbitum: quibus utebantur barbari. Magna eſt eruditorum hæſitatio in hoc carmine cum varii variam ſcripturam ſequantur. Sunt qui legunt fulti veterum exemplarium fide.

Et revocat raucum retro cita barbita bombum.

Cæterum ulterius quærendum cenſeo. Quidam codices habent.

Et reflexa retro dant cornua barbara bombum.

PIUS. *Et reboant raucum retro cita cornua bombum.* Hunc verſum olim ὠβέλιζα, tanquam ſpurium & interjectum, quamvis eum repererim in libris manuſcriptis, non tamen uno modo ſcriptum. in nonnullis enim ita ſcriptus eſt,

Et revocat raucum retro cita barbara bombum:

in Memmiano verò ſic,

Et reboant raucum retrocita cornua bombum.

in Tettiano,

Aut reboant raucum retro cita cornua bombum:

quam ſcripturam ſecutus ſum in ſecunda editione ut longè omnium optimam, eandemque nunc retineo. Pariſienſes autem cum quibus congruunt Aldini antiquiores, in ejus locum habent,

Et reflexa retro dant cornua barbara bombum.

Ego neque hunc, neque illos, Lucretianos eſſe arbitror. ſuſpicor autem, quiſquis hos verſus affinxerit, eum Catullianos illos ſpectaſſe in carmine de nupt. Pelei & Thet.

Multaque rauciſonos efflabant cornua bombos,
Barbaraque horribili ſtridebant cornua cantu.

LAMB. Ita partim conjectura ductus, partim a veteribus libris adjutus reſtitui. Ita & Catullus

M de

Vallibus & Cycni gelidis orti ex Heliconis

Quom

INTERPRETATIO.

& cum Olores ex gelidis vallibus Heliconis orti (*dulce canentes*)

VARIÆ LECTIONES.

551. *Vallibus & Cycni gelidis orti ex Heliconis.* Et gelida cycni nece torti ex antro Heliconis C. E. N. Vallibus & g. c. n. t. e. a. Heliconis O. antro ex P. *in not* Vallibus & cycni nece torti ex antro Heliconis. c. P. Et validis Cycni torrentibus ex Heliconis V. Et validis nece tortis ex Heliconis X. Et validis nect tortis ex Heliconis Y. Et validis nece tortis ex Eliconis Z. *atque ita quoque* Y. *habuit a prima manu.* Et validis cygni nece torti ex a. Hel. A. B. I. M. Et validis cygni nece detorti D. P. Et validis nece tortis ex Heliconis Q. Et validi ſurgunt Q1. Et validis ſurgunt Q2. Vallibus & cycni detorti ex Heliconis P. *in not.*

NOTÆ.

de Nuptiis Pelei. Lambinus hunc tollit. male. In veteribus quibuſdam & vulgatis: *revocat.* In quibuſdam: *barbita.* male. Gifan. *Retrocita cornua.* Al. *barbara.* Hunc verſum Lucretio abjudicat Lambinus; ſed Lucretius, opinor, ſi viveret, ad alios judices provocaret. Interpres ſcilicet non viderat, neque multi vident, quid tandem illud ſit, *retrocita barbara*, vel *retrocita cornua.* At ego videor firmare poſſe, intelligi illud inſtrumentum muſicum, Syriacæ, opinor, originis, quod *ſacbute*, vel *ſaque-boute*, vocamus à veteri voce Gallica *ſaquer* quod trahere eſt, & *bouter*, quod pulſare ſignificat. Qui inſtrumentum illud muſicum norunt, facile intelligent cur *retrocita* dicatur à Lucretio. Si qui meliora dabunt, paratus illis apud me plauſus eſt. Faber. Voſſius ad Catullum p. 227. dicit *Retrocita* vulgò ineptè legi, ſcribit autem,

Et Reboat raucum Berecynthia barbara *bombum.*

Berecynthia barbara, id eſt, Tibia Phrygia, Αὐλὸς Βερεκύντιος, ut habet Heſychius in Βερεκύντ· &c. Creech. *Et revoçat raucum retrocita barbara bombum.* Ita edidi, ſecutus optimorum MSS. fidem, & ipſius Lucretii genium, gemino enim (ut ſæpius) adjectivo utitur, & Tubam eandem *retrocitam* vocat & *barbaram.* Haverc.

551. *Nece*] Propter interitum ſupervenientem. *Detorti*, i. e. excluſi ab impetu mortis. Quidam legunt:

Et gelida cycni nece torti antro ex Heliconis.

Torquentur nece olores qui, cùm morte cruciantur, cantillant: quod fabuloſum Plinius putat: cum tamen Plato illos animæ immortalitatem præſagire putet. Torquentur tamen in morte etiamſi cantent. De his a Matone dictum. Æn. 7: 700.

——— ——— *Et longa canoros*
Dant per colla modos.

Vel *torti* poſitum pro *extorti*, hoc eſt, extracti cycni morte ex collibus Heliconis. in codicibus emendatis ſcriptum ſic:

Vallibus & cycni detorti ex Heliconis:

ut in *detorti* nihil abjiceretur. quod alibi docuimus factitaſſe priſcos. Pius. *Vallibus & Cygni nece torti ex Heliconis.* Hanc puto veriſſimam ſcripturam. Cygni *nece torti*, id eſt, morti vicini. Veteres libri: *ne tortis*, *ne torti*, *nete*, *nece tortis.* Quidam Vulgati: *nece detorti.* In pleriſque Vulgatis: *& gelida Cygni*: *nece torti ex antro Helic.* quod Marullus commentus eſt. Lambinus: *gelidis orti ex Helic.* Quidam veteres etiam: *Et validis nece tortis ex Hel.* mendoſiſſime. littera *i.* in verbo *torti*, mendo cauſam dedit. Gifan. *Vallibus & cycni gelidis ortis ex Heliconis.* Sic reſtitui, partim codices manuſcriptos & nonnullos impreſſos ſecutus: partim conjectura ductus. nam cùm in manuſcriptis ſic ſcriptum reperiſſem,

Vallibus & validis ne tortis ex Heliconis:

in Pariſienſ. autem,

Vallibus, & cycni nece detorti ex Heliconis:

in aliis ferè omnib. vulg.

Et gelida cycni nece torti ex antro Heliconis:

ego veteris ſcripturæ, tametſi mendoſæ, veſtigia ſagaciter (abſit verbo invidia) odorans, & cum vulgata comparans, hanc eſſe putavi veram & rectam ſcripturam, aut certè veræ proximam, non pugnaturus, ſi quis vel ingenioſior conjecturam afferat meliorem, vel emendatiores codices nactus, ſcripturam veriorem.

ordo

Quom liquidam tollunt lugubri voce querelam.

Ha-

INTERPRETATIO.

flebilem querelam lugubri voce tollunt.

NOTÆ.

ordo autem & ſententia eſt; Nec primordia ſimili forma prædita aureis penetrant, cùm tuba graviter mugit ſub murmure gravi & demiſſo, atque cùm cycni ex vallibus gelidis Heliconis orti liquidam querelam voce lugubri tollunt. De cycnorum cantu ſuprà diximus ad illum locum:

Parvus ut eſt cycni melior canor, &c.

Cum hæc olim ſcripſiſſem, Zoilus hanc ſcripturam verbo damnavit, & hanc ſubſtituit,

Vallibus & cygni nece torti ex Heliconis:

re magnam partem approbavit. Atque ubi probavit, non peccavit: ubi ſibi indulſit, fœde lapſus eſt. Nam primum verſus ab eo ſubſtitutus, numeris & verbis ineptus eſt: deinde ſententia abſurda eſt. quid enim ſibi vult *cycni nece torti?* nam *cycnos morte torqueri*, dici Latinè poteſt: *nece torqueri*, ſi ſine vi moriantur, non poteſt. præterea quid ſibi vult hoc totum, *cycni torti nece ex vallibus Heliconis?* neminem eſſe puto in his litteris mediocriter exercitatum, & judicio aliquo, ſenſuque communi præditum, qui non intelligat, verſum eſſe & ſuo auctore dignum, & Lucretio indignum. LAMB. Mirifica vero, ſicubi alias, circa locum hunc variantium lectionum multitudo eſt; nam in quibuſdam lib. legitur,

Vallibus & validis ne tortis ex Heliconis;

Quod qui intelliget, eum ego Oedipum, eum Tireſiam eſſe putabo: Sed in aliis ita eſt,

Vallibus & cycni nece detorti ex Heliconis;

Tenebræ, ἀφασία, nihil. In aliis,

Et gelida cycni nece torti ex antro Heliconis.

Nihilo ſanius, ut vides. Ad eum locum Interpres, ille, inquam, Interpres, cui prope uni ſalutem & nitorem ſuum debet Lucretius, de lectione, quæ in hac noſtra editione eſt, ſic inter cetera ſcribit: *Hanc eſſe putavi veram & rectam ſcripturam, aut certe veræ proximam, non pugnaturus, ſi quis vel ingenioſior conjecturam afferat meliorem, vel, emendatiores codices nactus, ſcripturam veriorem.* Hæc ad ſeſe pertinere ratus Giſanius, ſic locum hunc legendum eſſe monuit:

Vallibus & cycni nece torti ex Heliconis.

In quo vel pueris deridiculo eſſe poteſt; ut in III. editione annotavit Lambinus. Idque niſi ipſe demonſtraſſet, nos levi brachio facere potueramus. Quapropter cum Giſanius hîc ſe turpiſſime dederit, nec Lambinus ſuæ conjecturæ confidat ſatis; videndum an quis Giſanio ſagacior eſſe poſſit aut felicior; Quod fiet, ubi rationem expoſuerimus quamobrem Lambinus, conjecturam ſuam, quæ ipſa tamen certa videri poteſt, non tamen uſque quaque probarit. Uno verbo dicam, Latine dici non poteſt, ut ii probe norunt, qui ſtudioſe ſermonis Latini proprietatem conſectantur, dici, inquam, non poteſt; *Cycni orti ſunt ex vallibus Heliconis;* alioqui ſignificaret originem duxiſſe ex vallibus, inde ortos eſſe, &c. quod nugatorium eſt. Sed enim ut jam in l. indicaveram, dicendum fuerat, ne dubita, *cycni ex vallibus Heliconis coorti*; atque adeo ſic legendus eſt hic locus:

Vallibus & gelidis cycni côrti *ex Heliconis.*

Fundamentum conjecturæ noſtræ eſt in uſu Latini ſermonis; tum præterea in veſtigiis MSS. codicum, in quibus conſtanter legas vel *torti*, vel *ne tortis*, vel *ne torti*, &c. FABER. Mirifica, ſicubi alias, circa hunc locum variantium lectionum multitudo eſt, nam in quibuſdam legitur.

Vallibus & validis ne tortis ex Heliconis,

in Aliis

Vallibus & Cycni nece detorti ex Heliconis,

in Aliis

Et gelida Cycni nece torti ex antro Heliconis.

Lambinus,

Vallibus & Cycni gelidis orti ex Heliconis.

loco *Orti* Faber ſubſtituit *côrti.* Voſſius tandem ad Catullum legit

Et validis *Cycni* torrentibus *ex Heliconis.*

Ex Helicone nempe, tum alii torrentes, tum ipſe Helicon amnis profluit. Breviter, *Nece torti*, vel *nece detorti* omnino rejiciendum; Iſtarum enim vocum ſententia, ſiqua eſſet, in ſequenti

M 2 verſu

Haſce igitur penitus Voces quom corpore noſtro
Exprimimus, rectoque foras emittimus ore,
Mobilis articulat verborum daedala lingua;
Formaturaque labrorum pro parte figurat.
Atque ubi non longum ſpatium eſt, unde illa profecta
Perveniat vox quaeque, neceſſe eſt Verba quoque ipſa
Planè exaudiri, diſcernique articulatim.

Ser-

INTERPRETATIO.

Has igitur voces cum ex intimis noſtri corporis partibus exprimimus, foraſque emittimus recto ore, Lingua mobilis verborum perita formatix articulatas facit, & aliqua ex parte formaturæ Labrorum figurat. Et cum intervallum non magnum eſt unde vox profecta ad aures noſtras perveniat, neceſſe eſt Verba quoque ipſa clare exaudiri, & diſcerni articulatim:

VARIÆ LECTIONES.

554. *rectoque.* retroque P. *emittimus.* mittimus Z. *ore.* ictu *Gaſſ.*
555. *Mobilis.* Nobilis Q. X. *verborum.* nervorum C. E. N. V. X.
556. Poſt hunc verſum inſeruntur 546. & 547. A. B. C. D. E. I. P. Q. *formatura* formatur aquæ Q. Formatur atque Z.
557. *Atque ubi.* ac ubi A. B. C. D. E. Hoc ubi P. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

verſu continetur; Sed *Fabrum* aut *Voſſium* ſequaris, perinde eſt. Creech. Multiplici Lectionum varietate impulſi variè locum hunc tentarunt interpretes. Eadem de ratione, & quod nulla eorum emendatio plene mihi ſatisfaciat, ipſe quoque tentavi ita emendare:

Vallibus & cycni melicis forte ex Heliconis
Quom liquidam tollunt lugubri voce querelam.

Valles Heliconis, ut cycnorum conventus locum proprium deſcribit Poëta, ſicut *Aſia prata* Virgil. Georg. 1: 383.

Jam varias pelagi volucres, & quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri.

Aves enim illas de cygnis explicat Ovid. Metam. 5: 327. & ipſe Virg. Æn. 7: 701. Dein *melicos* eoſdem appellat, uti lib. 5:335. ſonores organicorum hiſce:

——— *modo Organici melicos peperere ſonores.*

Imo *mele cycnea*, proprius avium iſtarum cantus Lucretio dicitur 2: 504.

Et cycnea mele, Phœbeaque dædala chordis
Carmina conſimili ratione oppreſſa ſilerent.

Et hinc crocitationi corvorum picarumque ſtridulæ garrulitati opponitur a Perſio in Prologo verſu ultimo:

Corvos poëtas & poëtrias picas
Cantare credas Pegaſeium melos.

Denique verbum *forte*, quod noſtro admodum eſt familiare, proxime ad *torti* vel *tertis*, quod unanimi conſenſu exhibent MSS. accedit, longius vero abit ab iiſdem *torrentibus*, quod alias non inepte ſubſtituit Voſſius; neque ita tranſponi verba neceſſe habemus, ut facit Faber, legens *gelidis cycni côrti*, ſed contra poſitionem verborum, quæ in omnibus MSS. obſervatur. Hav.

553. *Has igitur penitus voces*] Vocem hanc Corpoream ℣. 4. Lingua & Labra formant & figurant, & inde Verba. Cicero lib. 2. de Nat. Deorum: *Deinde in ore ſita lingua eſt finita dentibus, ea vocem immoderate profuſam fingit & terminat, ſonoſque vocis diſtinctos & preſſos efficit, cum & ad dentes & ad alias partes pellit oris. Itaque Plectri ſimilem linguam noſtri ſolent dicere, chordarum*

rum

Servat enim formaturam, ſervatque figuram.
At ſi interpoſitum ſpatium ſit longius aequo:
Aëra per multum confundi Verba neceſſe eſt,
Et conturbari Vocem, dum transvolat auras.
Ergo fit, Sonitum ut poſſis audire, neque hilum
Internoſcere Verborum ſententia quae ſit,
Uſque adeo confuſa venit Vox, inque pedita.
Praeterea, Edictum ſaepe unum perciet aureis

Omni-

INTERPRETATIO.

Vox enim iſta Servat formaturam & figuram iſtam qua a Labris & lingua donabatur. Si vero Intervallum ſit æquo longius, neceſſe eſt ut verba multum Aëra permeantia confundantur, & figura ipſius vocis mutetur, dum Auras pervolet: & Inde fit quod Sonum tantum audias, quænam vero verborum ſit ſententia noviſſe non potes, tam conturbata venit Vox, & crebris Aëris offenſibus impedita. Præterea, ſæpe unum Edictum ab ore Præconis

VARIÆ LECTIONES.

560. *enim.* tamen X.
561. *ſit longius.* fit longius A marg. P. X.
564. *audire, neque hilum.* ſentire: neque illam C. E. N. Q1. X. Y. ſervare neque illam Z. illa. a. B. I. ſentire: neque illa P. illim V.
567. *Edictum.* peditum Q. X. & Quidam codd. *Pii.* verbum Y. Z. *Perciet.* Prociet. c. O. P. porciet X.

NOTÆ.

ram dentes, Nares cornibus iis, quæ ad nervos reſonant in cantibus. CREECH.

555. *Articulat*] Format, figurat per quædam quaſi membra. *Articulata* vox explanata, formata, & ſcriptilis dicitur. hac voce utitur Apulejus. PIUS.

555. *Verborum Dædala lingua*] Id eſt, verborum opifex, formatrix, fictrix, figuratrix. M. Tull. de natura Deorum libro ſecundo: *Deinde in ore ſita lingua eſt, finita dentibus. ea vocem immoderate profuſam fingit & terminat, ſonoſque vocis diſtinctos & preſſos efficit, cum & ad denteis, & ad alias parteis pellit oris. Itaque plectri ſimilem linguam noſtri ſolent dicere, chordarum denteis, nareis cornibus iis quæ ad nervos reſonant in cantibus.* LAMB.

557. *Ac ubi non longum*, &c.] Varia ſubjungit Problemata, primum v. 10. Voces longius progrediendo hebetantur, & ex diſtinctis confuſæ fiunt, nempe quia illæ moleculæ, ſeu ſingulares voculæ crebro Aëris offenſu laceratæ amittunt illam figuram, & conformationem quam a Lingua & labris acceperant. CREECH.

561. *Sit longius æquo*] *Fit* rectius, ut puto. GIFAN.

564. *Neque hilum internoſcere*] Sic reſtitui, probabiliſſima conjectura ductus, cùm in libris eſſet partim *illa*, partim *illam*. Hunc porrò verſum profert Nonius in nomine *ſententia*: quam interpretatur hoc loco *ſenſibilitatem*: in quo eum falli puto. LAMB. *Neque illa Internoſcere.* Sic omnino legendum ex veteribus. Quidam veteres & Vulgati: *illam.* non male. GIFAN. Rectè Lambinus, quamvis tam *illa* quàm *illam* recipi poteſt. CREECH. Poteſt recipi *illam*, eo more, quo & Virgil. & Lucretius in ſenſu prægnantiore adhibent, ſed cum *hilum* quoque uſitatiſſima Poëtæ vox ſit, & facilius in *illam*, quam *illam* in *hilum* potuerit depravari, vulgatam lectionem retinui. HAV.

567. *Præterea, Edictum*, &c.] Deinde ỷ. 5. Loquatur aliquis, Innumeræ aures adſtantes verba percipient, Unde verò hoc? Concipiendum eſt unam eſſe quaſi totalem, ſive mavis, generalem vocem, quæ ab ore emittitur, ſed quæ diſſiliat tamen in voculas innumeras, inter ſe conſimiles; Ideo cùm emittitur Vox, Corporum erumpentium formatura ita comprimitur, eliditur, ac veluti conteritur, ut abeat in fruſtu-

M 3 la,

Omnibus in populo emiſſum praeconis ab ore:
In multas igitur Voces Vox una repente
Obſignans formam verbis, clarumque ſonorem,
Diffugit, in privas quoniam ſe dividit aureis
At quae pars Vocum non aureis accidit ipſas,
Praeterlata perit fruſtra diffuſa per auras:
Pars ſolidis adliſa locis, rejecta ſonorem

Red-

INTERPRETATIO.

in magna plebis multitudine miſſum omnium aures percellit; Vox igitur una ſubito in multas diſpergitur, quoniam in ſingulas aures ſe dividit, Verba etiam defert figurata, & liquido ſonantia. Pars vero vocum, quæ in aures non incidit, præterlata perit, fruſtra per Aërem diſperſa, Pars vero in res duras impingens rejecta ſonum

VARIÆ LECTIONES.

568. *emiſſum.* miſſum E. L. N. P. Y. Z. *præconis.* pedonis. *Pii* Quidam codd.
569. *multas.* multis Z.
570. *quoniam ſe.* dum ſeſe Q 1. dum ſecli vidit Q. dum ſe X.
572. *At quæ.* Atqui P. *accidit.* incidit A. B. C. D. E. I. P. X. Z.

NOTÆ.

la, ſeu in parvas moleculas, omnino conſimiliter formatas, quæ & confeſtim conſimiles & diſſiliant per Aëra, ſeu per circumfuſum ſpatium, & ſimilitudinem eam conſervent uſque dum ad Aures perveniant. Quo fit ut eadem Vox a multis audiri poſſit, licet ab uno dicatur. Creech. *Dictum*, Aliquot libri manuſcripti habent, *Præterea verbum* Lamb.

567. *Perciet aureis*] Permovet aureis omnibus in populo ad concionem vocato: ad omnium aureis pervenit. & ab omnibus exauditur. Lamb.

568. *Præconis ab ore*] Præconum munus erat, præter cetera, concionem advocare, ſilentium indicere; cauſam & ſententiam dicturos citare. Itaque concione advocata, attentionem comparabant, audientiamque faciebant & ſibi, & aliis dicturis: hoc modo, εὐφημεῖτε, id eſt, *favete linguis*: ἀκούετε λαοὶ, id eſt, *audite cives, ſeu populi.* ſed in ſacris potiùs illo utebantur, & jubebant εὐφημεῖν, in edictis altero, ἀκούετε λαοί. in concione verò, in qua de bello, aut pace, & ſimilibus rebus conſultabatur, ita prædicabant, Τίς ἀγορεύειν βούλεται, id eſt, *quis vult dicere?* Lamb.

570. *Privas*] Proprias, aut ſingulas. lege Nonium, Gellium, Feſtum. Lamb.

572. *At quæ pars* &c.] Quæcunque partes Vocis aures attingunt, illæ audiuntur; aliæ partes per Aëra diffuſæ evaneſcunt; Aliæ in Corpora ſolida, & utcunque lævigata (quippe & poroſa nimis prætermittunt, & Scabroſa nimis concidunt atque diſſipant) incidentes, & inde repercuſſæ efficiunt ut eandem vocem iteratò audiamus; Inde *Echo:* Inde etiam nocturni ſonitus, quos, ad ℣. 589. Superſtitioſum Vulgus agreſtibus Numinibus acceptos refert. Creech.

571. *Non aureis accidit ipſas*, Sic repoſui, à Plauto & ceteris Latini ſermonis auctoribus admonitus, qui ita loqui ſolent. Plautus Rudente:

Certo enim mihi paternæ vocis ſonitus aureis accidit.

ſi quis tamen malet legi, *non auribus accidit ipſis*, non repugnabo. *incidit*, quod erat in omnibus libris, rejeci. ſolet enim conjungere hoc verbum cum dandi caſu, ut lib. 2: 227.

Incidere è ſupero levioribus. Lamb.

574. *Pars ſolidis adliſa locis*] Hæc eſt ea, quæ à Græcis *Echo* nominatur, id eſt, vocis imago, ſeu redditio rejectio, & repulſio. *Reſonam* appellant Latini, ut docet auctor vocabularii Latinogræci. quæ fit in locis lævibus, tortuoſis, & concavis, ut vallibus, & antris, & parietibus, & muris, & ædificiis cameratis, maxime vetuſtis. Ex quo Virg. Georg. 4: 49.

——— ——— *aut ubi concava pulſu*

Saxa

Reddit, & interdum fruſtratur imagine Verbi.
  Quae bene quom videas, rationem reddere poſſis
Tute tibi atque aliis, quo pacto per loca ſola
Saxa pareis formas Verborum ex ordine reddant,
Palanteis comites quom monteis inter opacos
Quaerimus, & magna diſperſos voce ciemus.
  Sex etiam, aut ſeptem loca vidi reddere Voces
Unam

INTERPRETATIO.

reddit, & nos Verbi imagine fruſtratur. Quæ cum perſpecta habeas, Tu Tibi ipſi atque Aliis poſſis reddere rationem quo pacto per deſerta loca Rupes & Cavernæ verba noſtra diſtinctè reddunt, dum quærimus noſtros ſocios inter montes opacos errantes, & magna voce diſperſos vocamus. Novi etiam quædam loca ſex aut ſeptem verba reddere,

VARIÆ LECTIONES.

574. *Pars ſolidis.* pars ſolis A marg. P. *locis.* lapſis Q. lopis Y. Z. *ſed in* Z. *eſt corr.*
575. *Reddit.* Redit X.
576. *bene.* bone Q. X. vene Z. *ſed ſuperſcr.* bene. *rationem.* ratione X.
580. *magna diſperſos.* magnus diſperſus Z. *ſed ſuperſcrib. vera lectio.*
581. *etiam.* & jam ſeptem A. B. *vidi reddere.* videre odore Y. Z.

NOTÆ.

Saxa ſonant, vociſque offenſa reſultat imago. Ἠχὼ γίνεται (inquit Ariſtotel. lib. 2. de Anima) ὅταν ἀπὸ τοῦ ἀέρος ἑνὸς γινομένου διὰ τὸ ἀγγεῖον τὸ διορίσαν καὶ κωλῦσαν θρυφθῆναι, πάλιν ὁ ἀὴρ ἀπωσθῇ, ὥσπερ σφαῖρα. id eſt, *Echo fit, cùm ab aëre qui unus efficiatur, propter vas definiens & prohibens ne frangatur, aër repulſus ſit, ut globus.* Sed non diſſimulabo, in quibuſdam libris veteribus ſcriptum eſſe *pars ſolis*, pro *pars ſolidis*; & *lopis*, pro *locis*. Et verò ſic habet cod. Bertinian. *Solis* quid ſit, in promtu eſt: quin fortaſſe ferri poteſt, ut per *ſola* loca, deſerta ſignificari intelligamus, ut infrà non longè. *Lopis* quid valeat, non video. mihi quidem corruptum videtur. LAMB. *Pars ſolidis adliſa.* In quibuſdam: *Solis.* Fortaſſe non male. GIFAN.

575. *Imagine verbi*] Horatius ad Auguſtum 1:12:3.

——— ——— *Cujus recinet jocoſa*
Nomen Imago
Aut in umbroſis Heliconis oris
Aut ſuper Pindo, gelidove in Hæmo?

CREECH.

576. *Quæ bene cùm videas*] Ita veteres quidam. GIFAN.

577. *Per loca ſola*] Per loca deſerta. Terent. Phorm. 5: 7: 85.

Nonne hoc publicitus ſcelus hinc deportarier in ſolas terras?

Catull. carm. de Pelei & Thet. nupt.

Deſertam in ſola miſeram ſe cernit arena.

Plautus Rudente 1: 4: 6.

——— *neque qua quæram, conſultum eſt,*
Neque quem rogitem, quemquam interea invenio:
Neque magis ſolæ terræ ſunt, quam hæc loca, atque hæ regiones. LAMB.

580. *Et magna diſperſos*] Lectorem non me pigebit admonere de re levi quidem illa, ſed tamen non negligenda, in codice Bertiniano ſcriptum eſſe *magna diſperſus*, mendoſè, *u.* pro *o.* LAMB.

581. *Sex etiam, aut ſeptem*] Plutarchus refert περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσ. βιβ. β. in Ægypti pyramidibus vocem unam intus editam, quattuor & quinque reddere. Idem lib. περὶ ἀδολεσχ. in princip. commemorat porticum quandam, quæ Olympiæ fuit, ἑπτάφωνον appellatam, quia ſcilicet vocem ſepties iteraret. Pauſanias Corinth. narrat ad dextram templi Chthoniæ Cereris, porticum eſſe, quam incolæ Echonis porticum nominant: cujus ea natura ſit, ut imaginem vocis triplicet. Nos in vico Lutetiæ admodum propinquo, (diſtat enim ab urbe non

Unam quom jaceres: ita colles collibus ipſis
Verba repulſantes iterabant dicta referre.
Haec loca capripedes Satyros, Nymphaſque tenere
Finitimi fingunt, & Faunos eſſe loquuntur;
Quorum noctivago ſtrepitu, ludoque jocanti
Adfirmant volgo taciturna ſilentia rumpi,

Chor-

INTERPRETATIO.

cum unam tantum ipſe pronuntiares; Ita montes verba repellentes iterabant aliis montibus dicta quæ referant. Vicini fabulantur Satyros capripedes & Nymphas hæc loca incolere, & dicunt Faunos eſſe, quorum nocturno ſtrepitu, jocoſoque ludo affirmant tacita noctis ſilentia frequenter rumpi;

VARIÆ LECTIONES.

582. *colles collibus.* colles & collibus X. *ipſis.* ipſi Y. Z.
583. *Repulſantes.* propulſantes O. P. Q. X. *iterabant.* tradebant F. *referre.* referri A marg. C. P. X. Y. Z. referti. *Quidam codd.* P. Q.

NOTÆ

non multo amplius quàm tria millia paſſuum) cui nomen eſt *Charento*, Echonem audivimus voces ſepties iterantem. Sed quid mirum ter, quater, quinquies, ſexies & ſepties imaginem vocis iterari, ac multiplicari, cùm Ticini in aula magna Baſilicæ ter & decies referatur? Eadem autem propemodum ratio eſt vocis imaginis ſæpius redditæ atque imaginum à ſpeculis in ſpecula tranſlatarum. Jam Echonis exquiſitæ & perfectæ hæc propria ſunt, ut citò reſpondeat, ut longam verborum ſeriem connectat, ut aliquoties, & iterum atque iterum vocem articulatam referat. LAMB. *Sex etiam ſeptem.* In libris *etiam aut ſeptem.* Ego auſus ſum illud *aut* inducere. Vide Indicem: *Sex ſeptem.* GIFAN. De echone, ſeu *vocis imagine*, uti plus ſemel vocavit Horatius, verba faciens Lucretius hæc ſcribit:

Sex etiam aut ſeptem loca vidi reddere voces,
Unam cum jaceres: ita colles collibus ipſis
Verba repulſantes iterabant *dicta referre.*

Sed ego iſtud *iterabant referre*, vitioſiſſimum eſſe ſemper arbitrabor. Tam enim eum patienter feram qui dixerit, *iterabant iterare*, quam qui dixerit, *iterabant referre.* Scripſerit itaque Poëta neceſſe eſt, non, ut vulgo legitur,

——— *iterabant dicta referre,*

ſed,

——— *tradebant dicta referre.*

Ingenioſa ſcilicet & admirabili metaphora; ab iis ducta qui exceptum aliquid aliis perferendum mandant. quò etiam ducit τὸ *repulſantes.* Vim autem hujus vocis in verſu quodam hujuſce libri notabis:

Fit quoque de ſpeculo in ſpeculum ut tradatur *imago*;

Quod vides huic loco geminum germanum eſſe. Itaque finem facio. Erroris origo videtur eſſe ἐν τῷ ἀκροτελευτίῳ verſus ſuperioris, quod incogitans exſcriptor reſpexit; in eo enim elementorum ſimilitudo hominem in fraudem conjecit. *ita colles.* Sed unde unde ſit, mendum eſt, & quidem ejuſcemodi ut à nemine adhuc animadverſum fuerit. FABER.

583. *Repulſantes*] *Propulſantes* veteres quidam. GIFAN. *Iterabant dicta referre.* Codd. *Iterabant dicta referri: Fabro* autem ingratum eſt illud *Iterabant*, ideoque legit *Tradebant.* CREECH. Si ingenioſa fabri placet conjectura, ita diſtinguas:

——— ——— *ita collles collibus, ipſis,*
Verba; repulſantes, tradebant dicta referre.

id eſt, ita colles repulſantes collibus verba dicta, tradebant ipſis referre. HAVERC.

584. *Capripedes*] τραγόποδας. utitur eadem voce Horat. odarum lib. 2. od. 193.

Nymphaſque diſcenteis, & aureis
Capripedum Satyrorum acutas LAMB.

585. *Et Faunos eſſe loquuntur*] Cic. 11. de Nat. Deor. cap. 2. *Sæpe Faunorum voces exauditæ, ſæpe viſæ formæ deorum, quemvis non àut hebetem, aut impium Deos præſenteis eſſe confiteri coëgerunt.* PREIG. Huc refert etiam Turneb. Adv. VIII. 15. Oden Ho-

Chordarumque ſonos fieri, dulceiſque querelas,
Tibia quas fundit digitis pulſata canentum:
Et genus Agricolûm late ſentiſcere, quom Pan
Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans,

Un-

INTERPRETATIO.

Chordarum etiam ſonos fieri, & ſuaves querelas, quas Tibia pulſata digitis canentum fundit: Et Agricolas undique per agros ſentire, cum Pan quatiens Pineam coronam qua Caput ſemiferum tegitur

VARIÆ LECTIONES.

588. *ſonos.* ſonus Z.
589. *fundit.* findit Q. Tibi quas fingit X.
590. *quom Pan.* Ita in Z. *ſed ſuperſcr.* pompam.
591. *ſemiferi.* ſemifieri Z. *velamina.* ullamina Y. Z. vallamina V.

NOTÆ.

Horatii decimam ſeptimam libri primi, quæ incipit:

> *Velox amœnum ſæpe Lucretilem*
> *Mutat Lycæo Faunus, & igneam*
> *Defendit æſtatem capellis.*

& verſum ibidem 10.

> *Utcunque dulci, Tyndari, fiſtula*
> *Valles, & Uſticæ cubantis*
> *Levia perſonuêre ſaxa.* Hav.

587. *Silentia rumpi*] Id eſt, vocem mitti. Virgil. 10. Æneid. 63.

> ——— *quid me alta ſilentia cogis*
> *Rumpere?*

pro eodem fere dicimus, *rumpere vocem*, quod Græci dicunt ῥῆξαι φωνὴν, ut notavimus in commentariis Horatianis. Lamb.

588. *Chordarumque ſonos*] Permutari & promiſcue poni *chordas* & *tibias*, licet revera diverſæ ſint notat Voſſius ad Catull. pag. 167. atque hic tibias eſſe intelligendas, unde & inf. 5: 1390. legit:

> *Hæc animos ollis mulcebant atque juvabant*
> *Cum ſatiate cibi: Nam tum ſunt omnia Chordæ.*

Unde & Juvenalis dixerit, Sat. 3: 63.

> ——— ——— *& cum tibicine chordas*
> *Obliquas.*

quod ſcilicet obliquare caput cogatur tibicen, inflaturus genus iſtud tibiarum. Hav.

590. *Et genus Agricolûm*] Pro agricolarum: ut apud Maronem Georg. 3: 27.

> *Gangaridum faciam: victoriſque arma Quirini.*

ubi vel auctore Servio pro *Gangaridarum* poſuit: dicunt agricolæ finitimi ſentire cantus & choreas horum ſatyrorum. Pius. *Et Genus Agricolûm*, &c. Caprarius apud Theocritum.

> Οὐ θέμις ὦ ποιμὰν, τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ θέμις ἄμμιν
> Συρίσδεν, τὸν Πᾶνα δεδοίκομες, ἦ γὰρ ἀπ' ἄγρας
> Τανίκα κεκμακὼς ἀμπαύεται· ἐντὶ γε πικρὸς,
> Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

Creech.

590. *Cum Pan Pinea ſemiferi*] Pan pineam coronam in capite gerit, cornutuſque fingitur. cornua autem, radiorum ſolis, & cornuum Lunæ ſimilitudinem quandam præbent. Fiſtulam ſeptem calamis compactam altera manu tenet, altera pedum, id eſt, baculum inflexum & incurvum. pedibus caprinis præditus eſt. adde, quòd ſolitudine delectatur, & maximè loca maritima colit. ideoque ἁλίπλαγκτος à Græcis appellatur, & Echonem amare exiſtimatur. mare autem πολύηχον eſt, id eſt, *ſonorum, vocale, & clamoſum.* Lamb.

591. *Velamina quaſſans*] Quoniam uterque Codex Voſſian. nunc Lugd. Bat. *ullamina* habent, unde ipſe Voſſius teſte Codice meo, Beverlandi quondam, legebat *Vallamina*. Cui conjecturæ roborandæ adducere poſſum verſum etiam Lucretianum, qui exſtat 5: 27.

> *Hydra venenatis poſſet vallata colubris?*

N item

Unco ſaepe labro calamos percurrit hianteis,
Fiſtula ſilveſtrem ne ceſſet fundere muſam.
Caetera de genere hoc monſtra, ac portenta loquuntur,
Ne loca deſerta ab Divis quoque forte putentur
Sola tenere: ideo jactant miracula dictis.
Aut aliqua ratione alia ducuntur, ut omne

Hu-

INTERPRETATIO.

hiantes calamos unco labro ſæpe percurrit, ut Fiſtula ſemper carmen ſylveſtre funderet; Multas ejuſmodi monſtroſas & portentoſas fabulas narrant, & ne forte deſertas a Divis ſedes incolere putentur ideo portentoſas hujuſmodi fabulas effingunt: vel aliqua alia neſcio qua ratione ad illas fingendas impelluntur;

VARIÆ LECTIONES.

594. *Cætera.* Potere Q. Petere X. Y. Z.
595. *ab Divis.* de Divis Q. declivis X.
597. *omne.* omen X.

NOTÆ.

item alterum, ubi de Elephantis agit, 2: 538.

——— ——— ——— India quorum
Millibus e multis vallo munitur eburno.

Et ita ſertorum pineorum amplitudo Sylvam quaſi circa tempora Panos facit, ejuſque ora inumbrat, prout de coronis iſtis frondoſioribus dicit Lucretius 3: 926.

——— ——— & inumbrant ora coronis.

Potuit enim *vallamina* degenerare in *velamina*, ſcripto in Codd. *vllamine*, & recta ducta linea ſupra literam primam, ex qua ſcribendi ratione altera fluxerit in deſcribendo lectio. Hav.

592. *Calamos percurrit hianteis*] L. 5: 1406.

Et ſupera calamos unco percurrere labro.

Ex ſeptem calamis imparibus ordine junctis conflat fiſtula. Virgil. Alex. ſeu Ecl. 2: 37.

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula.

Pan autem fiſtulæ inventor. Idem Virg. ibid. 32.

Pan primus calamos cera conjungere plureis
Inſtituit. Lamb. *Percurrit.* Quod neceſſe eſt, ſi fiſtula compoſita utaris, qualis erat, *fiſtula comparibus ſeptem compacta cicutis.* Faber. Quod neceſſe eſt ſi fiſtula compoſita utaris, qualis eſt *Fiſtula comparibus ſeptem compacta cicutis.* Faber lib. 5. ℣. 1406.

Et ſupera calamos unco percurrere *labro.*

Creech.

595. *Sola tenere*] Ita omnino legendum; Agricolæ enim ſuum cum Divis commercium jactant. Creech.

597. *Ut omne Humanum genus eſt avidum nimis auricularum*] Ut omnes homines ſunt immodicè cupidi auditorum, quia autem homines ſunt auditorum avidi, idcirco res admirabileis & portenti ſimileis confingunt, quibus alliciant & retineant auditores. Lamb. Id eſt, Omnes homines portenta & miracula libenter narrant; eaque à multis audiri jucundiſſimum illis eſt. Faber. Hinc amarum illud Perſii 1: 36.

Tunc vetule auriculis alienis colligis eſcas? Hav.

599. *Quod ſupereſt non eſt*, &c.] Igitur Voces accipimus ab illo qui loquitur expreſſas & formatas, æquè ac Simulachra a Rerum ſuperficie fluentia; Cur igitur audimus aliquem quem videre nequeamus? Reſpondet Lucretius ℣. 20. Voces formatæ obliquos meatus, & tortuoſa Corporum foramina integræ tranſeunt, in quibus franguntur, ut ſuprà docuit, Imagines: Seu potiùs hoc fit quia Vox in Voculas diſſiliat,

quæ

Humanum genus eſt avidum nimis auricularum.
Quod ſupereſt, non eſt mirandum, qua ratione
Quae loca per nequeunt Oculi res cernere apertas,
Haec loca per Voces veniant, Aureiſque laceſſant,
Quom loquimur clauſis foribus: quod ſaepe videmus.
Nimirum, quia Vox per flexa foramina rerum

In-

INTERPRETATIO.

Humanum enim genus plus æquo fabulis delectatur. Deinde, non eſt mirandum quam ob cauſam per ea loca, per quæ Oculi rem aliquam nequeunt cernere, Voces venirent, & Aures laceſſerent; ut cum clauſis foribus, quod tamen ſæpe facimus, colloquamur. Quoniam viz. Vox poteſt tranſire per curvos & tortuoſos meatus

VARIÆ LECTIONES.

598. *auricularum.* auricula ramus Q. amicula ramis X.

600. *Quæ loca per nequeunt.* Per loca quas. c. P. Q. X. Per loca quæ N. Z. Quæ loca quæ Q 1.

602. *Cum loquimur* ——— *quod ſæpe videmus.* Spurium cenſent. L. F. Conloquium. A. B. P. Y. Z. colloquium O. Q. X. quoque ſæpe tenemus A. B. I. quoque ſæpe videmus O. P. Q 1. Y. Z. Cum loquimur D. E. F. N. *Gaſſ. Creech. in not. codd.* P.

NOTÆ.

quæ ſurſum, deorſum, prorſum, retrorſum, dextrorſum, lævorſum, & in omnem obliquitatem, ut ſcintillulæ a ſcintilla diſſultantes, abeunt; ſicque in Aures etiam alibi, quàm in directum conſtitutas incidant; tale verò quid ipſis Imaginibus non contingat: Vox autem hujuſmodi meatus penetrans debilior fit, atque indiſtinctior. Creech.

600. *Quæ loca per*] Ἀναστροφὴ, *quæ loca per*, pro *per quæ loca*, ut proximo verſu *hæc loca per*, pro *per hæc loca.* Nunc docebit, quamobrem acies oculorum, ſeu vis & poteſtas videndi eò penetrare non poſſit, quò vox & ſonus permanant: neque illa eà tranſire poſſit, quà hæc tranſeunt. Interpoſito enim inter nos qui audimus, & eos qui loquuntur, pariete, audire eorum ſermonem poſſumus: faciem, aliamve corporis partem cernere non poſſumus. Nam & M. Tull. ſcribit in Topicis, *Stalenum quendam ea locutum eſſe, bonis viris ſubauſcultantibus, pariete interpoſito, quibus patefactis, in judiciumque prolatis, rei capitalis jure damnatus eſt:* & Thucydides lib. I. ſimile quiddam de Pauſania tradidit. Lamb.

602. *Colloquimur*] Codices alii ſic habent. *Cum loquimur.* hoc ſenſu. videmus vocem penetrare per loca: per quæ non poteſt oculus ſe intromittere. hoc apparet cum loquimur in cœnaculo clauſo: vox tamen erumpit & egreditur extra parietes, quos oculi non tranſeunt. Pius.

Conloquimur clauſ. forib. Sic excudendum curavi, non ita longè diſcedens à vulgata ſcriptura: quæ talis eſt, *Cum loquimur, &c.* Nam & Bertinian. & Memm. & Tettian. codex, & item vulgati Pariſienſes habent, *Conloquium cl. forib.* hoc differt Memmianus ab illis, quòd habet, *quod ſæpe videmus:* alii, ut vulgati omnes, *quoque ſæpe videmus*: nonnulli etiam, *tenemus*, pro *videmus*. judicet lector emunctæ naris. Mihi quidem, ut dicam quod ſentio, verſus ſuſpectus eſt, ſive legamus *Conloquimur, &c.* ut edidi: ſive *Cum loquimur*, ut habent vulgati cod. ſive

Conloquium cl. for. quoque ſæpe videmus, ſeu *tenemus.* Nam & ſententia inepta eſt, neque id dicitur quod ſentit Lucret. Natum autem puto eſſe ex annotatione ad oram libri poſita è regione hujus loci, hoc modo, *ut cum loquimur clauſis forib.* quæ verba librarius aliquis conjecit in contextum & ſeriem verſuum: alius neſcio quis ſupplevit quod verſui deerat. hæc mea conjectura eſt. Omnino hoc verſu detracto, nihil de ſententia hujus loci demitur. Supervacaneus igitur videtur eſſe, & idcirco de-

Incolumis tranſire poteſt, Simulacra renutant;
Perſcinduntur enim, niſi recta foramina tranant:
Qualia ſunt vitri, ſpecies quae transvolat omnis.
Praeterea, parteis in cunctas dividitur Vox,
Ex aliis aliae quoniam gignuntur; ubi una
Diſ-

INTERPRETATIO.

integra atque immutata; Simulachra vero non poſſunt: Scinduntur enim & lacerantur niſi tranſeant per rectos meatus, quales ſunt Vitri quos Simulachra integra permanant. Præterea, in cunctas undique partes diſpergitur Vox, Nam aliæ Voces gignuntur ex aliis quamprimum illa,

VARIÆ LECTIONES.

604. *renutant.* remutant C. remittant. c: O. P. Q. X. rectè corrigit in not. *renutant.* P. N. renuntant Y. rerumtant Z.

606. *vitri.* vitrei X. *quæ.* qua X. *transvolat.* tramat O. traviat *multi.* travolat. Y. transvolat Z. trameat A. B. D. E. I. O. traviat. c. P.

607. *cunctas.* cunctis X. cuncta Y.

608. *ubi una.* ubi jam C. E. N. P. ubina Y. Z. *ſed corr. in* Z.

NOTÆ.

lendus. Lamb. *Conloquium clauſis foribus quoque ſæpe tenemus.* Ita ex veteribus libris reſtituimus. In quibuſdam: *videmus.* Gifan.

599. *Quod ſupereſt, non eſt mirandum, quâ ratione*
Quæ loca per nequeunt oculi res cernere apertas,
Hæc loca per voces veniant, aureſque laceſſant.

Conloquimur clauſis foribus: quod ſæpe videmus] Clariſſimus Interpres, verſum poſtremum eſſe plane ineptum, atque adeo ejiciendum, exiſtimavit. At Gifanius ita ex veter. lib. reſtituendum credidit:

Conloquium clauſis foribus quoque ſæpe tenemus.

Quid ibi fecerit, ſcire vis: nugas magnas. Neque enim illuſtrius oſtendere potuit, quàm inops, quamque imparatus à judicandi facultate eſſet; quam denique miſerabilis grammaticus: (noſti illud ex Seneca patre, *miſerabilis orator*) Nam ex editionibus aliis totus hic locus ſic potius legendus, ſic diſtinguendus erat:

——— *aureſque laceſſant,*
Cum loquimur clauſis foribus, quod ſæpe videmus;

Senſum ſaltem commodiorem hæc lectio haberet; id enim probaret Lucretius, eà pervenire & penetrare voces, & ſonos, quà ſpecies viſibiles trameare nequeant. Exemplum autem familiare eſt; cum videlicet aſtans aliquis ad occluſam januam, cum eo, qui intus eſt, colloquitur. Tunc enim ſpecies viſibilis tranſire nequit; at ſpecies *audibilis*, ea vero poteſt. Solet autem Lucretius, ubi quid probandum eſt, exemplum ἰσότητος aut ὁμοιότητος illico ſubdere, quo res dilucescat magis, uti diligenti Lectori conſtat. Hæc noſtra niſi multum fallimur, Gifanianis haud paulo meliora ſunt & rationi magis conſentanea. Sed tamen, ſi, quod res eſt dicam, in iis me non magnopere amo: nam de plano affirmare poſſum, id quod in Notis fortaſſe demonſtrabitur verſum hunc ſubditivum eſſe. Faber. Hunc verſum Rejicit *Lambinus*, Alii legunt *Cum loquimur* &c. Gifanius verò è Codd.

Conloquium *clauſis foribus* quoque *ſæpe* tenemus.

Verſum ſubditivum eſſe affirmat *Faber*, ſed omnes Codd. agnoſcunt: & *Cum loquimur* rectiùs legendum. Creech.

604. *Renutant*] Renuunt, nolunt. Lamb.

606. *Qualia ſunt vitri*] Foramina, ἀπὸ κοινοῦ. intelligendum eſt hoc eſſe verum in vitro ſimplici, & nudo, & ita pellucido. nam ſi eſſet à poſtica parte plumbo aut alio metallo inductum, & ita denſum factum, imago per vitrum non permanaret, cùm vitri foramina non paterent, ſed à vitro rejecta redderetur. qua de re ſup. Lamb.

606. *Species quæ travolat omnis*] Nihil ego quidem

Diſſiluit ſemel in multas exorta, quaſi ignis
Saepe ſolet ſcintilla ſuos ſe ſpargere in igneis,
Ergo replentur loca Vocibus, abdita retro
Omnia quae circum fuerint, ſonituque cientur.
At Simulacra viis directis omnia tendunt,

Ut

INTERPRETATIO.

quæ in primo exortu erat una, Vox in multas diſſiluit, ut Scintilla Ignis ſæpe ſolet in multas ſcintillas diſſilire: Hanc ob cauſam omnia loca quæ circum, imo quæ pene loquentem ſunt, vocibus implentur, & cientur ſono: At Simulachra rerum poſtquam a ſuperficie Corporum avolarunt rectis lineis feruntur,

VARIÆ LECTIONES.

609. *Diſſiluit.* diſſolvit P. Q. *multas.* multis P. X. *rectè corr. in not.* multas *Pius.* Diſſiluit ſcintilla ſuos ſe ſpargere in ignes Sæpe ſolet multas exorta quaſi ignes Q 1.
611. *abdita.* addita X.
612. *fuerint.* fuerunt Q. X. Y.
613. *directis.* derectis Q 1. Y. Z. *tendunt.* tendant Z.

NOTÆ.

dem mutavi, verùm tamen non celabo lectorem, in aliquot lib. manuſcriptis legi,

—— —— *ſpecies quæ tranſvolat omnis:*

in aliis:

—— —— *ſpecies quæ traviat omnis:*

in uno,

—— —— *ſpecies quæ trameat omnis.*

unde quidam faciunt *trameat*, non malè: & fortaſſe hæc ſcriptura recta & germana Lucretiana eſt. *tranſvolat* tamen, aut *travolat*, non eſt rejiciendum. Licet etiam legere,

—— —— *ſpecies quà trameat omnis.*

LAMB. *Species quæ trameat omnis.* Ita ex veteribus libris quibuſdam ſcripſi. In quibuſdam veteribus: *travolat.* Vide Indicem. Vulgati: *traviat.* peſſime. Quidam veteres: *qua.* Vide infra vr. 348. GIFAN. *Travolat.* Sive *Quà trameat*, ſive *quà traviat* (nam *Viare* apud Plautum legas,) perinde eſt. CREECH. *Traviat*, hoc loco, ut & libro ſexto *tranſviat*, ex Veteri Codd. Fr. Modii defendit Palmerius Tom. IV. Facis Crit. pag. 614. Nec non *pericula vianda*, *iter viare*, *miti viare pectore*, apud Plautum, Lucilium, Afranium. PREIG.

607. *Præterea parteis in cunctas*] Aliam rationem affert magis (meo quidem judicio) philoſophicam, videlicet quia vox miſſa ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, in multas parteis diſſecatur; ita fit, ut loca etiam abdita vocibus compleantur, & aër etiam remotus atque interclusus per conſenſum verberetur, ipſeque verberatus ſonitum aut vocem ad aureis perferat. auditus enim ſemper patet, ut ſonos omni ex parte editos accipere poſſit. quod eo fit faciliùs, quòd aër natura ſua continuum & continens quiddam eſt. ita quavis parte aëris à ſonitu impulſa, non longo poſt tempore alia ejus pars longè remota ſive ſuprà, ſive infrà, ſive à fronte, ſive à tergo, ſive ad dextram, ſive ad lævam partem, ejuſdem motus fit particeps, eodemque tempore aërem in auribus noſtris incluſum, cui cognatus ipſe eſt, verberat, & laceſſit. At viſus fit è regione, & per rectas lineas à re quæ cernitur, ad oculos, aut certè, ut mathematicus aliquis dicere poſſit, per directam quandam pyramidem, cujus baſis ſit in re quæ cernitur; angulus in oculo: qui angulus quo minor eſt, eo res quæ videtur, minor videtur; quo major, eo res major apparet. Quare ea quidem cernimus, à quibus ad oculos rectæ lineæ produci poſſunt, ita tamen, ut angulus, qui in oculos cadit, non ſit minor quàm eſſe debeat. quod fit, cùm res ita à nobis remota eſt, ut videndi ſenſum effugiat: audimus autem etiam ea quæ ſunt ab auribus noſtris diſcluſa & diſparata, parietibus ac muris interpoſitis. LAMB.

608. *Ubi una diſſiluit*] Sic reſtitui, cùm in lib. manuſcr. reperiſſem ſcriptum partim *ubi nam*, par-

Ut ſunt miſſa ſemel, quapropter cernere nemo
Se ſupra potis eſt; at Voces accipere extra.
Et tamen ipſa quoque haec, dum tranſit clauſa viarum,
Vox obtunditur, atque aureis confuſa penetrat:
Et Sonitum potius, quam Verba, audire videmur.

Haec,

INTERPRETATIO.

& hanc ob cauſam nemo poteſt cernere ea quæ ſupra Caput ſuum poſita ſunt; poteſt vero Voces audire foris prolatas: Et tamen hæc quoque ipſa Vox, dum clauſas fores permanat, hebetior fit, conturbata & confuſa attingit Aures, & videmur Sonitum potius quam verba audire.

VARIÆ LECTIONES.

615. *Se.* ſæpe Q. X. Y. Z. *et.* ac X.
616. *clauſa.* clauſtra C. N. P. *viarum.* deeſt Q.

NOTÆ.

partim *ubina*, partim *ubinu*. LAMB. *Ubi una.* Ita Lambinus. Vulgati: *ubi jam.* In veteribus: *ubi-na*, *ubinu*, *ubinam.* GIFAN.

616. *Clauſa viarum*] Sic legendum, & ita ſcriptum eſt in codicibus manuſcriptis: pro quo libri vulgati habent *clauſtra viarum*, mendoſe. Sic dicta ſunt illa, *ſtrata viarum*, *aperta domorum*, *amara curarum*, *vilia rerum*, *&c.* de quibus alibi. LAMB.

619. *Hæc, queis ſentimus Succum*] Nunc de guſtatu, de lingua ac palato, quibus ſuccum ſentimus, diſputare incipit, ait autem paullo plus ineſſe rationis in diſputatione de guſtatu, pluſque operæ ac laboris, quàm in ſuperioribus. Secutus ſum porrò libros Pariſienſeis, & nonnullos alios typis excuſos. nam manuſcripti quidem habent, *Hoc qui ſentimus*: excuſi autem ferè alii omnes, *Nec qui ſentimus*, planè (opinor) mendoſe. LAMB. In veteribus omnibus: *hoc qui.* GIFAN.

619. *Hæc, queis ſentimus ſuccum, lingua atque palatum,*
Pluſculum habent in ſe rationis, pluſque operai.

Ita quidem in editionibus Lambini, & ſimiolæ Gifanii legitur; ſed mendoſe, ſi quid unquam mendoſe editum eſt; quod ut demonſtrem, exemplis utar ex Lucretio ipſo petitis; unde apparebit ſolere ipſum, poſitis principiis eorumque proprietatibus & qualitatibus explicatis, cetera omnia facilia eſſe & aperta, dicere, neque ullam quæſtionem proponi poſſe, cujus expediundæ ratio in promptu non ſit. Exempla igitur congerentur; nam abſque iis ſit, id oſtendi, quod neceſſe eſt, haud queat. Illa nos pleno modio admetiemur. Sic enim paſſim loquitur.

Illud in his rebus minime eſt mirabile, quare, &c.
Nunc facile ex his eſt rebus cognoſcere quæque.
Sed quod amara vides, minime id mirabile cuiquam.
Nunc alii &c. haud quaquam ratio ſcrupoſa relicta eſt.
Illud in his rebus minime mirabile habendum eſt.
Illud item non eſt mirandum, corporis, &c.
Nec tamen illud in his rebus mirabile conſtat,
Tantula quod ——
Non ita difficile eſt rationem reddere verbis.
Nec tamen illud in his rebus mirabile debet
Eſſe, quod, &c.
Perfacile eſt tamen hæc reperire, animoque videre.
Poſtremo quid in hac mirabile tantopere eſt re?
Illud item non eſt mirandum, qua ratione, &c.
Non, inquam, ſimplex his rebus reddita cauſa eſt.
Nunc facile ex his eſt rebus cognoſcere, &c.
Quare etiam atque etiam minime mirarier eſt par.
Quod ſupereſt, nihil eſt mirum ſimulacra moveri.
Ut non ſit mirum, ſi in tales diſpoſituras, &c.
Nec mirum, cum plena animæ veſicula, &c.
Nec mirum eſt in eo ſi tempore talia fiant.
Perfacile eſt animi rationem exſolvere nobis.
Quo minus eſt mirum, mare non augeſcere magnum.
Quo minus eſt mirum paullo quod diximus ante.

Hæc, niſi fallimur, ſatis multa ſunt, ut ne plura addere ſit neceſſe. Nam locum quemdam in V. qui turpiter & ridicule corruptus eſt, non attingam;

Haec, queis ſentimus ſuccum, lingua atque palatum,
Pluſculum habent in ſe rationis, pluſque operaï.
Principio, ſuccum ſentimus in ore, cibum quom
Mandendo exprimimus: ceu plenam ſpongiam aquaï

Si

INTERPRETATIO.

Jam vero Lingua & Palatum quibus ſaporem ſentimus, non tam facile explicari poſſunt quam quæ ſunt hactenus diſputata. Principio, Saporem in Ore ſentimus, cum dentibus cibum comminuendo Succum ex illo exprimimus, ut ſiquis ſpongiam Aquæ

VARIÆ LECTIONES.

619. *Hæc, queis.* Nec, queis B. C. F. N. R. S. Hoc queis Q1. Hoc qui X. Y. Z. *lingua.* linguam P.

620. *pluſque operaï.* plus operai C. N. *codd.* P. plus operæque P. Q. X. plus operæ quod Q1. plus operæ Y. Z.

NOTÆ.

gam; id tunc fiet cum illò deventum fuerit, nunc autem quod in manibus eſt, id agamus. Quæſtionem igitur proxime ſuperiorem ſic exorſus erat Lucretius:

Quod ſupereſt non eſt mirandum, qua ratione
Quæ loca per nequeunt oculi res cernere apertas, &c.

Dein ubi rem ipſam per ſeſe facillimam eſſe ad intelligendum demonſtravit, nunc poſt allatam ſolutionem, de ſucco & guſtatu agere incipit; Antea dixerat mirandum non eſſe cur quà viſus trameare non ſoleat, eâ vocem trameare animadvertamus: nunc addit, ut legendum contendo,

Nec, *queis ſentimus ſuccum, lingua atque palatum,*
Pluſculum habent in ſe rationis, pluſque operai:

Quam lectionem in quibuſdam libris reperiri certum eſt, eamque à Lambino damnari aut certe in ſuſpicionem vocari miror. Quod autem turbare videtur iſtud *pluſculum* non debet. hoc enim loco eandem vim habet ac *plus*, uti & ἀκροτελεύτιον oſtendit (*pluſque operai.*) At vero illud (*rationis*) non eſt quod quis fortaſſe exiſtimet. Ratio enim hoc loco ſignificat *tractationis difficultatem*, τὸ φιλοσοφεῖν, *argumentationes operoſas*, &c. quod explicari debuerat. Hæc prolixius præter inſtitutum noſtrum; ſed tamen locum hunc Lucretii ita deterſum dedimus & elucidatum, ejus ut operæ me haud pœniteat. FABER. *Hæc queis ſentimus*, &c. *Nec queis ſentimus* cùm Fabro legas, non enim plura ſunt & difficiliora explicatu de Guſtu, quàm de Viſu & Auditu, problemata: Guſtamus enim ẏ. 18. cum Succus e re ſapida, tanquam Aqua e ſpongia, expreſſus in organum, Palatum Linguamve, penetret. Qui Succus ſi conſtet ex Corpuſculis ea ratione configuratis ut in Organum Guſtatus effuſa, poruloſque ejus ſubeuntia appoſitè ipſis iiſdem particulis accomodentur, ſicque ipſum deliniant, demulceant, & leniter placidèque, afficiant, ſuavis videtur; Si verò Corpuſcula ea ratione configurentur, ut in porulos Organi ſubeuntia haud debitam habeant cùm ipſis commenſurationem, unde & particulas ejuſdem compungant, concidant, diſcerpant, aut aſperiter moveant, Inſuavis videtur, ſive Amarus, Salſus, Acidus, Acerbus, Acris, Acutus, Auſterus, &c. Hanc opinionem, ut multas alias è *Democrito* ſumſit Epicurus, ille enim ſingulis ſaporibus ſuam figuram tribuit. Δημόκριτος δὲ σχῆμα περιτιθεὶς εἰκάστῳ Γλυκὺν μὲν τὸν στρογγύλον, καὶ εὐμεγέθη ποιεῖ, Στρυφνὸν δὲ τὸν μεγαλόσχημον, Τραχὺν δὲ τὸν πολυγώνιον καὶ ἀπεριφερῆ· Δριμὺν δὲ τὸν περιφερῆ, καὶ λεπτὸν, καὶ γωνοειδῆ, καὶ καμπύλον· Ἁλμυρὸν δὲ τὸν γωνοειδῆ καὶ σκόλιον, καὶ ἰσοσκελῆ· πικρὸν δὲ τὸν περιφερῆ, καὶ λεῖον ἔχοντα σκολιότητα, μέγεθος δὲ μικρόν· Λιπαρὸν δὲ τὸν λεπτὸν, καὶ στρογγύλον, καὶ μικρόν. Theophraſtus de Cauſis Plant. lib. 6. Cap. 2. CREECH.

620. *Plus operaique*] Ita in veteribus libris. Marullus: *plus operai.* Lambinus: *pluſque operai.* GIFAN.

623. En-

Si quis fortè manu premere, exſiccareque coepit.
Inde, quod exprimimus, per caulas omne palati
Diditur, & rarae per plexa foramina linguae.
Haec ubi laevia ſunt manantis corpora Succi,
Suaviter attingunt, & ſuaviter omnia tractant
Humida linguaï circum ſudantia templa.
At contrà pungunt ſenſum, lacerantque coörta,

Quan-

INTERPRETATIO.

plenam manu premere: & illam exſiccare conaretur: Succus autem iſte quem exprimimus per omnes poros Palati, & per tortuoſos ductus linguæ ſpongioſæ diſtribuitur; Et cum fluentis ſucci Corpora lævia ſint, Palatum leniter mulcent, totamque madidam linguam jucundè, & dulcedine quadam tangunt: tanto vero magis pungunt lacerantque ſenſum

VARIÆ LECTIONES.

623. *exſiccareque.* ſiccefcere Q 1. ac ſiccare recepit C. E. Q 2. N. ac ſiccare cœpit X. Y. Z.
624. *palati.* palatim X.
625. *per plexa.* per flexa Q 1.
626. *Hæc.* Hoc Q 1. Y. Z. *manantis.* manantes P. X. Y. Z.
628. *Humida linguaï.* Humidai linguæ Q. X.
629. *pungunt.* pingunt P. Q. *rectè tamen in not. corrigit* pungunt P. *coörta.* coarcta N. P. coarta Q 1.

NOTÆ.

623. *Exſiccareque cœpit*] Cùm ex libris manuſcriptis alii haberent *exſiccareque cœpit*, & ita nonnulli vulgati; alii *ac ſiccare cœpit*, ceteri vulgati *ac ſiccare recepit: exſiccareque cœpit* excudendum curavi, non improbaturus, ſi quis malit *ac ſiccare recepit. recepit* autem interpretabor ἀνεδέξατο. LAMB. *Exſiccareque cœpit.* Ita in veteribus, recte. GIFAN. Si Lugd. Bat. Codd. ſequi velimus, qui una cum aliis quibuſdam habent *ac ſiccare cœpit*, dicendum, diſtrahi in ſcandendo ultima debere, & ſcribi *coëpit.* HAVERC.

624. *Per caulas*] Per cavernas, & cavitates, ſeu meatus, & (ut Græci nominant) poros. ſuprà lib. 3: 702.

Diſpertitur enim per caulas corporis omneis.

& libro ſecundo. ℣. 950.

Diſperſamque foras per caulas ejicit omneis.

& libro ſexto, 491.

Undique quandoquidem per caulas ætheris omneis, &c.

eodem lib. 839.

Diſpergunt animas per caulas corporis omneis.

LAMB.

625. *Diditur*] Diſpergitur, ſeu diſſipatur, ſeu differtur. LAMB.

625. *Per plexa foramina*] Sive legas *perplexa*, uno nomine; ſive *per plexa*, ſeparatim, & duabus vocibus, parum refert. in Bertiniano quidem codice & Memmiano ſcriptum eſt *perplexa* conjunctim: in Faërn. neque *perplexa*, neque *per plexa*, ſed *per flexa.* LAMB. *Per plexa.* In quibuſdam libris, *perplexa.* GIFAN.

626. *Manantis corpora Succi*] Corpora prima, ex quibus ſuccus aliquis conſtat. LAMB.

627. *Suaviter omnia tractant*] Suaviter permulcent, & delectant linguam. LAMB.

628. *Linguaï circum ſudantia templa*] Satis audax metaphora videri queat, templum linguæ pro palato; ſed omnis locus extenſus & patens in veteri Latio templum dicebatur. Deinde τὸ ὑπερῷον ſeu ὑπερῷα, qua voce Græci *palatum* ſignificant, ut & οὐρανὸς, non minoris audaciæ videri debent; quamquam non aliter pedeſtres ſcriptores loquebantur

Quantò quaeque magis ſunt aſperitate repleta.
Deinde voluptas eſt è ſucco fine palati,
Quom vero deorſum per fauces praecipitavit;
Nulla voluptas eſt, dum diditur omnis in artus:
Nec refert quidquam, quo victu corpus alatur,
Dummodo, quod capias, concoctum didere poſſis
Artubus, & ſtomachi humectum ſervare tenorem.

Nunc

INTERPRETATIO.

quanto magis aſpera ſunt ſucci expreſſi corpora. Deinde Voluptatem a Sapore percipimus uſque quo Palatum pertingit; Cum vero per guttur deſcenderit, tum nulla ſentitur Voluptas, dum per membra diſtribuitur: Nec omnino refert quo alimento nutriatur Corpus, ſi modo id quod ſumis poſſis per membra concoctum diſtribuere, Humidumque Stomachi tenorem conſervare.

VARIÆ LECTIONES.

631. *ſucco fine.* Ita E. N. *Palmerius.* P. Q. Y. Z. ſucco ſine X. ſucco in fine *Reliqui.*
632. *vero.* vere X.
635. *poſſis.* poſſes. X. Y. Z.
636. *humectum.* umidum Q. humidum Q 1. V. vividum X. Y. Z.

NOTÆ.

bantur. Quid autem, Poëtæ non liceat illuſtri aliqua ſimilitudine aut Metaphora, *&c.* rem variare? Faber.

631. *Deinde voluptas eſt*] Quæ ex cibis & ſuccis percipitur voluptas (inquit) ea tota palati & linguæ finibus & regionibus continetur ac terminatur. Ubi enim cibus in ventriculum præceps actus eſt, nulla jam reliqua eſt voluptas. Itaque non immeritò Nigrinus ille eos irridebat, qui plus nimio ſtudii in cœnarum apparatu, & ſuccorum varietate, & ciborum condimentis adhiberent. Nam hos brevis voluptatis amore captos multum negotii moleſtiæque ſuſcipere. oſtendebat enim, quattuor digitorum cauſa totum hunc ab iis laborem perferri. quam longitudinem longiſſimum hominis guttur non ſuperat. Nam neque antè quàm comeſſent, ex obſoniis magno pretio emtis fructum capere, neque obſoniis illis jam in ſtomachum primùm, deinde in ventriculum linguæ motu depulſis ac detruſis, ſatietatem ex cibis carioribus profectam, ſuaviorem eſſe. Ita illos eam voluptatem, quæ fit in tranſmiſſione & quaſi trajectu gutturis, tanta pecunia parare. Hæc ex Luciano in Nigrino; quæ noſtro arbitratu vertimus. Lamb.

631. *In fine Palati*] Voculam *In* delet Palmerius. *Fine Palati*, id eſt, quouſque Palatum pertingit: Sic Saluſtius. *Fine inguinum ingrediuntur Mare.* Apulejus: *Paulisper fine inguinum lacinia remota.* Creech. Deleri iſtud *in* rectè jubent MSS. optimi & Clariſſ. Bentlejus ad Horat. Odyſſ. 2: 18: 30. ſignificat enim palato tenus, & non ultra voluptatem iſtam percipi. Haverc.

632. *Præcipitavit*] Id eſt, præcipitata ſeu præceps data eſt; de quo paſſivo ſenſu verbi activi, hoc aliiſque locis adductis, doctè diſputavit Voſſius Pater lib. III. de Analogia cap. III. Hav.

634. *Nec refert quicquam, &c.*] His verſibus adjungas illud Epicuri ad Menæcium: Τὸ συνεθίζειν οὖν ἐν ταῖς ἁπλαῖς, καὶ οὐ πολυτελέσι διαίταις, καὶ ὑγιείας ἐστὶ συμπληρωτικὸν, καὶ πρὸς ἀναγκαίας τοῦ βίου χρήσεις ἄοκνον ποιεῖ τὸν ἄνθρωπον. Creech.

636. *Humectum ſervare tenorem*] Codex Bertin. habet, *humidum ſervare tenorem*, planè mendoſe: ſed tamen ne hoc quidem lectorem celare volui, ut intelligat, credibile eſſe, hoc *humidum* natum eſſe ex annotatione, &, vera ſcriptura ejecta, in contextum irruiſſe. Lamb. Ita ipſe Lucretius 1: 919.

Nunc aliis alius cur ſit Cibus, ut videamus,
Expediam; quareve, aliis quod triſte, & amarum eſt,
Hoc tamen eſſe aliis poſſit praedulce videri.

Tan-

INTERPRETATIO.

Nunc vero docebo, & planum faciam cur diverſa Alimenta diverſis Animalibus conveniant, cur id, quod aliis injucundum & amarum eſt, aliis dulciſſimum videatur.

VARIÆ LECTIONES.

637. *cur.* qui P. Q. X. Y. Z.
639. *prædulce.* perdulce P. X. Y. Z.

NOTÆ.

Et lacrymis ſalſis humectent ora, genaſque.

atque propius adhuc 4: 1188.

Et tenet adſuctis humectans oſcula labris.

Sicuti enim ibi *humectans* eſt adſidue irrigans atque nutriens, ita hic *humectus* tenor ſtomachi illam ſalivæ deſignat copiam, quæ digerendo cibo aſſiduitate & perpetuitate ſua ſufficit. Hav.

637. *Nunc aliis alius cur ſit Cibus*] Hac eadem de re pauca quædam perſtringit etiam lib. 5: 897.

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta
Barbigeras pecudes, &c.

& lib. 6: 970.

Barbigeras oleaſter eò juvat uſque capellas, &c.

Lamb. *Nunc aliis alius*, &c. Jam ℣. 40. cauſam explicat, cur idem Cibus ſit uni non modò jucundus, ſed etiam ſalubris, qui alii erit non modò ingratus, verùm etiam noxius: Organum Guſtatus in ſui textura, ſive Atomorum, Spatiorumque inter ipſas interceptorum configuratione, in variis ſeu Hominibus ſeu Animalibus differt, perinde ac differunt partes cæteræ, ſpeciatimque ipſæ externæ: Differentes autem meatus differentia ſucci corpuſcula (Et omnis res, è qua Succus exprimitur, continet ſemina diverſimodè figurata) admittant neceſſe eſt; nec omnia omnibus conveniunt: Inde quod alteri Animali Alimentum, alteri Venenum; quod Huic gratum, illi inſuave. Imò quotieſcunque vel per ætatem vel occaſione morbi Organi temperies ſeu textura immutatur, eadem res apparet mutati Saporis, in qua mutatum tamen nihil eſt: Ita qui febre laborat Amara judicat ea, quæ Sanus dulcia: quòd propter mutatam Organi texturam ea Corpuſcula quæ priùs accommodabantur nunc non congruant, Organumque proinde lacerent & diſcerpant. Creech.

639. *Prædulce videri*] In veteribus aliis: *perdulce* etiam rectè. Gifan.

640. *Tantaque in his rebus*] Profert hunc verſum Nonius in voce *differitas. differitas* autem, id eſt, *differentia*. Utitur hac voce & Arnobius lib. 2. adverſ. genteis: *Vultis favore depoſito, cogitationibus tacitis pervidere, animantia nos eſſe aut non plurima differitate diſtantia?* Idem lib. 7. *Quid ergo ceſſatis cujuſlibet arboris viſcum ſine ulla paſſim differitate comburere?* Lamb.

640. *Differitas*] Hujus vocis exemplum nullibi niſi apud unum Arnobium reperias; is enim Lucretium libenter imitabatur. *Ita autem formatur* Differitas, inquit Gifanius, *quemadmodum à* prodigus *fit* prodigitas *apud Lucilium.* Sed fallitur. Nam τὸ *prodigitas* à *prodigus* non magis mirabile fit, quam à *bonus bonitas*, à *cupidus cupiditas.* Itaque ἄμφοιν θάτερον. Nam aut *differitas* naſci potuit ex *differo, differitum*, ut à *facio facilitas*, à *pudet, puditum puditas* apud Varronem, citante Nonio. Quippe olim à *fero* dicebant *feritum*, unde *offerumentum*, quod Diis offerebatur apud Feſtum, id eſt, *offerimentum*, *v* pro *l*, ut *optumus, maxumus*, &c. Aut etiam à διάφορος manarit, unde analogως διαφορότης, ex quo *differitas.* Neque vero adeo mirum eſt τὸ *differ*, cum uſus hodieque retineat *herbifer, armifer, umbrifer, ſacrifer*, &c. ut *ſcutiger* & *armiger*, Quare à *differ* erit *differitas*, ut à *tener* fit *teneritas.* quam vocem à Varrone uſurpatam ſcimus, ut à Tertulliano. Fab. Arnobii locus (cujus Faber meminit) exſtat lib. VII. *Quid ergo ceſſatis, nec cujuſlibet arboris viſcum ſine ulla paſſim differitate comburitis?* Hav.

641. *Ut*

Tantaque in his rebus diſtantia, differitaſque eſt,
Ut quod alîs Cibus eſt, aliis fuat acre venenum.
Eſt itaque, ut Serpens hominis contacta ſalivis

Diſ-

INTERPRETATIO.

Imo in hiſce rebus diſcrepantia & differentia tanta eſt, ut illud idem quod aliis ſalubre Alimentum ſit, ſit perniciofum Venenum aliis: Sæpe enim Serpens contacta Hominis ſaliva

VARIÆ LECTIONES.

640. *in his.* his Q. X. *differitaſque.* differentas Q.
641. *fuat.* fiat E. Z.
642. *Eſt.* Et Q. *utique.* itaque Q 1. *Eſt itaque, ut Serpens ——— ſalivis.* Sæpe etenim ſerpens ——— ſalivâ D. Eſt itaque ut P. Q. X. Y. Z. *nam Reliqui* utique. *contacta.* quæ tacta A. B. C. E I N. P. X. Y. Z.

NOTÆ.

641. *Ut quod aliis*] Ita legendum, non *alis.* Vid. Indicem. GIFAN.

641. *Ut quod aliis Cibus eſt, aliis fuat*] Citat & hunc idem Nonius in verbo *fuat*: docetque poſitum eſſe ab antiquis pro *ſit.* Virgil. Æneid. 10: 108.

Tros, Rutulusve fuat, nullo diſcrimine habebo.

Terent. Hecyra:

Fors fuat pol.

ubi Donatus: *Fuat, ſit* ſignificat. Iterum Lucret. lib. 5: 584.

Quanta hæc cumque fuat, tanta hinc videatur in alto.

Plautus Amphitr. 3: 4: 2.

Nec quiſquam tam audax nunc fuat homo, qui obviam obſiſtat mihi.

Idem Aulul. 2: 2: 56.

Neutrubi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid divortii fuat. LAMB.

642. *Eſt utique ut Serpens hominis quæ tacta ſalivis*] *Eſt utique: ut ſerpens hominis contacta ſalivis.* Sic reſtitui, probabili conjectura ad hanc ſcripturam, tanquam manu, ductus. Adjuvit me Plinius, cujus hæc verba ſunt lib. 7. cap. 2. *Et tamen omnibus hominibus contra ſerpentes ineſt venenum: feruntque, eas ictum ſalivæ, tamquam aquæ ferventis contactum fugere.* Recepta autem ſcriptura,

Eſt utique, ut ſerpens, hominis quæ tacta ſalivis, &c.

ferri non poteſt. Nam ſi ita eam explicemus, *Eſt utique,* id eſt, id nempe quod dico, profecto verum eſt: id quod ſequitur, *ut ſerpens, h. quæ,* &c. non cohærebit. Quin hoc ipſum *Eſt utique, ut ſerpens,* non admodum mihi probatur. Itaque ſic olim edideram, fortaſſe non malè, niſi quòd nimis longè à veteribus libris,

Sæpe etenim ſerpens hominis contacta ſalivis, &c.

Neque verò me offendit participium *tacta* pro *contacta.* ſæpe enim *tangere* pro *contingere*, & *tactum* pro *contactu* uſurpat, ut aliàs indicavimus: ſed hoc maximè, *ut ſerpens*, quòd nihil ſit, quò referatur, quove pertineat, ſi legatur *quæ tacta*, & non *contacta*, ut edidi LAMB. Ita Vulgati & noſtri libri. Lambinus neſcio cur mutarit: *Sæpe etenim ſerp. h. contacta ſalivis.* GIFAN. Id vulgo fertur, crediturque à multis, quamquam ſæpe expertus nihil tale animadverterim. FABER. Quum non immerito vox *utique* Lambinum offenderit, recte, ut puto, ex optimis MSS. *itaque* reſtitui. Quum tanta diſtantia, &c. ſit inter naturam animalium, ita eſt ut Serpens, &c. id eſt, hinc videmus quomodo Serpens occidatur ſaliva hominis, quæ ipſi homini eſt ſalubris, ſicuti contra homo veratro, quo pingueſcunt alia quædam animalia. infra ℣. 692. *Eſt alio ut*, id eſt, ſit paſſim ut &c. HAVERC.

642. *Diſperit*] Valde perit. Catullus Carm. de Leſbia:

 ——— *Diſ-*

Diſperit, ac ſeſe mandendo conficit ipſa.
Praeterea; nobis Veratrum eſt acre venenum,
At Capris adipes, & Coturnicibus auget.
Ut, quibus id fiat rebus, cognoſcere poſſis,
Principio meminiſſe decet, quae diximus ante;
Semina multimodis in rebus miſta teneri:
Porro omnes, quaecunque cibum capiunt Animantes,
Ut ſunt diſſimiles extrinſecus, & generatim

Ex-

INTERPRETATIO.

perit, imo nonnunquam ſeipſam ſuo morſu interficit. Præterea, Helleborum eſt pernicioſum Venenum Homini, Idem vero Capras & Coturnices pingues facit; ut vero cognoſcas qua ratione id fiat, debes revocare in memoriam ea quæ ſupra docuimus, viz. Semina diverſi generis in rebus omnibus miſta contineri: Porro omnia Animalia, quæcunque alimentum capiunt, ut ſunt extrinſecus diſſimilia,

VARIÆ LECTIONES.

644. *Veratrum.* veretrum Q. X.
645. *Coturnicibus.* conturnicibus X. cocturnicibus Y. quod turnicibus Z.
646. *Ut, quibus id.* Id quibus ut N. Q1. X. Y. Z.
648. *teneri.* tenere A. B. X.
650. *generatim.* variatim F. generatim. *Creech.*

NOTÆ

——— ——— *Diſpeream, me niſi Lesbia amat.*
&,

Diſpeream, ſi te mater amare poteſt.

Hoc carmen eſt editum in Tiberium, auctore incerto apud Sueton. in Vita ejus cap. 59. Pius.

644. *Præterea nobis Veratrum*) Veratrum, elleborum Græci appellant. Arnobius lib. 1. adverſus genteis, *Veratrum, venenum eſt hominibus. numquid ob hanc cauſam non debuit naſci?* Lamb.

645. *Coturnicibus auget*) Plin. lib. 10. cap. 23. *Coturnicibus veratri ſemen, gratiſſimus cibus.* Lamb.

648. *In rebus mixta tenere*) Sic malui ex veteribus quibuſdam. Alii: *teneri.* Gifan.

649. *Porro omnes, quæcumque cibum capiunt animantes.*
Ut ſunt diſſimiles extrinſecus, & generatim
Extima membrorum circumcæſura coërcet,
Proinde & ſeminibus diſtant, variantque figurâ.

In ſecundo verſu mendum ſit neceſſe eſt: Debuit enim Lucretius dicere, *Omnia animalia, ut ſunt inter ſe ſe diſſimilia, &* varia *illorum circumcæſura eſt, ita & ſeminibus diſtant, & variant figurâ.* Cave itaque legas *generatim*; id eſt, ſecundum unumquodque genus, ſeu ſpeciem, ut nunc loquimur; ſcribi enim debet *variatim.* Primo ſic omnino legendum eſſe probat verſus poſterior, qui à *paritate* eductus eſt: *Proinde & ſeminibus diſtant,* variantque *figurâ*; Argumentatio enim ex principiis bene procedit: *Diſſimile ſunt inter ſe ſe,* ait, *& extima circumcæſuræ* varia *eſt, ergo & ſeminibus differunt, & varias figurationes habent.* Addam & aliud quo res extra dubitandi aleam ponatur: Non agitur nunc de differentiis ſecundum unum quodque *genus* animalium, quatenus ſcilicet ſpecies à ſpecie differt; Nam in ſpecie humana, quot ſunt ſingularia ſeu individua, tot varii guſtatus, &c. ergo. Vix enim duos homines reperias neque fortaſſe unquam reperti ſunt, in quibus omnia omnino ſimilia ſeu paria fuerint, ſi ad numerum primorum corporum, ad eorum ſitum, & collocationem, ad raritatem, & denſitatem, figuras meatuum, &c. veniendum ſit; (notum illud Horatii, *Tres mihi convivæ multum,* &c.)

Extima membrorum circumcaeſura coërcet,
Proinde & Seminibus diſtant, variantque figura.
Semina quom porro diſtent, differre neceſſe eſt
Intervalla, Viaſque, Foramina quae perhibemus,
Omnibus in membris, & in ore, ipſoque palato.
Eſſe minora igitur quaedam, majoraque debent,
Eſſe triquetra aliis, aliis quadrata neceſſe eſt:
Multa rotunda, modis multis multangula quaedam.

Nam-

INTERPRETATIO.

& pro diverſis generibus diverſa habent externa Corporum lineamenta, ſic ex Seminibus conſtant diverſimode figuratis: Cum autem Semina ſint diverſimode figurata, neceſſe etiam eſt ut Intervalla (Pori) & meatus (quæ ego foramina appello) in omnibus membris, in ipſo Ore & Palato ſint diverſa. Quidam igitur meatus debent minores eſſe, quidam majores, aliis Animalibus triangulares, aliis quadrati, multi rotundi, multi etiam multis modis multanguli:

VARIÆ LECTIONES.

651. *circumcæſura.* circumtextura A. B. c. I. O. P.
652. *Et ſeminibus diſtant.* ex ſeminibus conſtant C. D. E. N. P. X. ac ſ. c. *Creech. edit. ſec.* A. B. conſtant variaque. conſtant, variantque Y. *figura.* figuris A. B. Y.
657. *triquetra.* triquatria Q. X.

NOTÆ.

&c.) Addit itaque infra, & recte quidem,

Namque figurarum ut ratio motuſque repoſcunt,
Proinde foraminibus debent differre figuræ,
Et variare *viæ proinde ac textura coercet.*

Alia etiam ad eundem ſcopum tendunt, quæ huc transferre nihil neceſſe eſt. FABER.

650. *Generatim*] Per ſingula animantium genera. LAMB. *Et generatim. Variatim* legendum eſſe multis contendit *Faber.* Nam *Variantque figura* ℣. 652. & *Variare viæ* ℣. 661. vocem iſtam confirmant. Denique non agitur nunc de differentiis ſecundum unumquodque *genus* Animalium, quatenus viz. Species a Specie differt; Nam in Specie humana quot ſunt ſingularia ſeu Individua, tot ſunt varii Guſtatus &c. Ergo. Et profectò aliquid dixiſſet *Faber*, niſi Poëta inſtituiſſet hiſce verſibus docere, quam ob cauſam Una eademque res alteri Generi Animalium Salubris, alteri foret noxia; *Generatim* igitur legendum. CREECH.

651. *Circum cæſura*] Expreſſit vocem Græcam, περικοπὴν, id. eſt, περιγραφὴν, extremitatem cujuſlibet rei, & extremum lineamentum, extremamque deſcriptionem. libri nonnulli tamen habent, *circum-textura*, ſuprà lib. 3: 220.

Quam tenui conſtet textura.

& hoc eodem lib. paucis poſt,

——— ——— *proinde ac textura coërcet.*

Ego *circum-cæſura* probo. qua voce utitur & Arnobius lib. 3. *Deos filo atterminatis humano; &, quod indignius multo eſt, terrenorum corporum circum-cæſura finitis.* LAMB. *Circumtextura coercet.* Ita ex veteribus noſtris malim, cum & mox ſequatur, *textura coercet.* In aliis tamen: *circum cæſura.* GIFAN.

652. *Proinde & ſeminibus*] Ita ex ſeminibus diſſimilibus variiſque figuris conſtant. LAMBIN. *Proinde & ſeminibus diſtant, variantque figuris,* Sic ex veteribus libris reſtitui, poſtulante id omnino ſententiæ, & verbis proximis id comprobantibus. Vulgati: *ex. conſtant. figura.* GIFAN.

657. *Triquetra*] Triangula, τρίγωνα. LAMB.

658. *Multangula*] Expreſſit Græcum nomen πολύγωνα. LAMB.

662. *Er-*

Namque Figurarum ut ratio, motuſque repoſcunt,
Proinde Foraminibus debent differre figurae:
Et variare viae proinde ac textura coërcet.
Ergo ubi quod ſuave eſt aliis, aliis fit amarum:
Illis, queis ſuave eſt, laeviſſima corpora debent
Contrectabiliter caulas intrare palati.
At contra, quibus eſt eadem res intus acerba:
Aſpera nimirum penetrant, hamataque fauceis.
Nunc facile ex his eſt rebus cognoſcere quaeque.
Quippe, ubi quoi Febris, bili ſuperante, coörta eſt,

Aut

INTERPRETATIO.

Nam ut Seminum figuræ & motus poſtulant, ſic meatuum figuræ variæ & diverſæ eſſe debent; & foramina differre proinde ac Corpuſculorum textura facit differre. Ergo cum id quod aliis dulce eſt Aliis amarum fit, Illis quibus dulce eſt, lævia & rotunda Semina debent leniter ingredi meatus Palati, e contra vero illis quibus Amarum fit, aſpera & hamata Semina penetrant fauces & lacerant. Ex his quæ jam diſputavimus alia problemata facile explicari poſſunt. Quippe cum aliquis, bile nimis efferveſcente, febre correptus eſt,

VARIÆ LECTIONES.

659. *ut ratio.* ratio ut X. Y.
660. *differre.* diſtare figura *Gaſſ.*
661. *viæ.* vias. c. O. P. Q 1. *ac.* ut Q 1. a X.
662. *Ergo ubi.* Hinc, ubi A. B. I. Hoc, ubi C. P. Q 1. X. Y.
663. *Illis, queis.* Illi cui ſuaveſt C. E. N. Q 1. X. Y. Z. Illi, qui P. *corpora.* corpore P. X. Y. Z. *recte tamen in not.* P.
664. *Contrectabiliter.* Contrectabilis c. O. Contractabiliter X. Y. Z. *caulas.* in caulas. c. caudas Y. Z. *ſed corr. in* Z.
665. *res intus.* re natus Q.
666. *Aſpera nimirum.* Aſper animorum Q. Y. Z. *hamataque fauceis.* hamataque formis. *Gaſſ.*
667. *facile ex his.* facilis Z. *ex his eſt.* eſt ex his X. Y.
668. *ubi.* cui X.

NOTÆ.

662. *Ergo ubi quod ſuave eſt*] Id eſt, ergo cùm id quod aliis ſuave eſt, aliis amarum ſit, credibile eſt, atque adeò neceſſariò verum eſt, corpora prima politiſſima & læviſſima, quæ ſunt in eo cibo aut potu, qui linguam & palatum dulcedine & voluptate afficit, linguæ & palati meatus inter penetrandum permulcere. Nam omnibus in rebus genitis omnia & omnis figuræ inſunt primordia, ut ſuprà docuit, & mox admonendi cauſa repetet: ſed cujus figuræ plura convenerunt ad quamque rem gignendam principia, ab ejus figuræ pluribus principiis res & eſt, & appellatur. alii legunt, *Hinc ubi*, &c. non malè. Lamb. *Hinc, ubi quod ſuave.* Ita in veteribus, in aliis: *Hoc.* Gifan.

668. *Febris*] Sic lib. 6: 804.

At cum membra hominis percepit fervida febris,
Tum fit odor vini plagæ mactabilis inſtar. Lamb.

672. *Ut quæ*] Voculam *ut* delent MS. Lugd. Bat.

Aut alia ratione aliqua eſt vis excita morbi;
Perturbatur ibi totum jam Corpus, & omnes
Commutantur ibi poſiturae Principiorum:
Fit, prius ad ſenſum ut quae corpora conveniebant,
Nunc non conveniant, & caetera ſint magis apta,
Quae penetrata queunt ſenſum progignere acerbum.
Utraque enim ſunt in mellis commiſta ſapore:
Id quod jam ſupera tibi ſaepe oſtendimus ante.
  Nunc age, quo pacto Nareis adjectus odoris

Tan-

INTERPRETATIO.

aut aliqua aliâ ratione violentus iſte morbus excitatur, totum illius Corpus perturbatur, totuſque ordo & diſpoſitio Seminum mutatur, & inde fit ut illa Corpora, quæ olim potuerunt ingredi meatus linguæ & Palati, jam non poſſint; & Alia liberè pervadant, quæ inſinuata acerbum ſenſum excitare valeant; Nam Semina utriuſque generis, quod ſuprà ſæpe docui, in Melle commixta continentur. Nunc age, quo pacto Odores advenientes Nares

VARIÆ LECTIONES.

669. *aliqua eſt.* aliqua P.
670. *ibi.* ubi X. *totum jam.* jam totum X. Y. Z.
671. *Commutantur.* commutentur Q. X. *ibi.* ubi Q 1.
672. *ut quæ.* quo X. quæ Y. Z.
673. *non.* vero X.
674. *progignere.* propingere c. O. P. propignere Q.
675. *Utraque.* veraque X.
676. *jam ſupera tibi.* non ſupra ibi Q.
677. *odoris.* odore P. Q. X.

NOTÆ.

Bat. forſitan haud male, neque enim illa oratio indiget. HAVERC.

674. *Quæ penetr.*] *Quæ penetrata*, id eſt, quæ ubi penetraverunt, &c. nam videtur ſignificare actionem. LAMB.

675. *Utraque enim*] Utraque, & amara, & dulcia: ſed plura ſunt primordia, quæ dulcedinem in melle creant, quàm quæ amarorem: & hæc ab illis ita numero ſuperantur, ut illa maximè excellant, ſenſumque moveant, hæc ne ſentiantur quidem. LAMB.

676. *Id quod jam ſupera*) Lib. 2. LAMBIN. & GIFAN.

677. *Nunc age*) Nunc de odoratu & odoribus diſputare incipit. LAMB.

677. *Adjectus*) Id eſt appulſus, ſeu appulſio odoris. Vide quæ annotata ſunt ſuprà libr. 1. ad illum locum,

. ——— *& noſtros adjectu tangere tactus.* LAMB.

Nunc age, quo pacto, &c. Guſtum & Saporem Odor & Odoratus ſequitur, & ℣. 24. Ut Simulachra a rebus fluunt, ut Sonus ejicitur, ut exprimuntur Succi, ſic Odores emittuntur: Quòd verò Omnia Animalia hos Odores perpetuò emiſſos non æquè ſentiant, efficit varietas & diſſimilitudo figurarum (vid. lib. 2. ℣. 414.) quæ omnium Animalium Organa non pariter movent & afficiunt: ſic Apes Mellis, Vultures Cadaverum; Ferarum Canes, & Anſer Hominis Odorem longè ſentiunt, dum nares Hominis illi Odores vel non omnino, vel languidè laceſſunt: ἡ ὀσμὴ οὐκ ἄν ποτε πάθος οὐδὲν ἐργάζεται, εἰ μὴ ὄγκοι τινὲς

Tangat, agam. Primum res multas eſſe neceſſe eſt,
Unde fluens volvat varius ſe fluctus Odorum.
Nam fluere, & mitti volgo, ſpargique putandum eſt.
Verum aliis alius magis eſt Animantibus aptus,
Diſſimileis propter formas, ideoque per auras
Mellis Apes quamvis longe ducuntur odore:

Vol-

INTERPRETATIO.

afficiant, docebo. Primum neceſſe eſt res multas eſſe e quibus varius fluctus Odorum fluens ſe volvat; Credendum enim eſt Odores paſſim & perpetuo fluere, mitti, ſpargique a rebus, alius vero Odor magis convenit quibuſdam Animalibus quam aliis propter diſſimiles figuras Seminum e quibus conſtat: Et hanc ob cauſam Apes mellis quantumvis remoti,

VARIÆ LECTIONES.

678. *Tangat.* tangit Q 1.
679. *volvat.* ſolvat A marg. Z.
680. *Nam.* Et X. Y. Z. *ſpargique.* ſpergi Q. X.
681. *magis eſt.* eſt magis & Z.

NOTÆ.

τινὲς ἦσαν ἀπὸ τοῦ πράγματος ἀποῤῥεόμενοι σύμμετροι πρὸς τὸ τοῦτο τὸ αἰσθητήριον κινεῖν, οἱ μὲν τοῖοι τεταραγμένως, καὶ ἀλλοτρίως, οἱ δὲ τοῖοι ἀταράχως καὶ οἰκείως ἔχοντες· Epicurus ad Herodotum. CREECH.

678. *Agam primum*) Operarum erratum eſt. ſcribe, *agam. Primum.* FABER.

679. *Unde fluens volvat*) Codd. Memmian. & Bertinian. habent, *unde fluens ſolvat*, &c. LAMB. *Volvat ſe*, Meliùs quàm *Se ſolvat.* CREECH.

683. *Quamvis longè ducuntur*) Secutus ſum quattuor codic. Manuſcriptos, & treis typis impreſſos, Pariſ. & utroſque Venetos antiquos, & recentiores. ceteri habent, *quamvis longo. quamvis longè* autem, id eſt, *quantumvis longè.* & conjunge vocem *odore* cum voce *mellis*, hóc modo: Apes quantumvis longè ducuntur odore mellis. licet tamen & ita verba ſtruere:

Mellis apes, quantumvis longe ducuntur odore,

ſibi grato & jucundo ſcilicet. LAMB. *Longè ducuntur.* Ita in veteribus noſtris. Vulgati: *longo.* GIFAN.

684. *Volturiique cadaveribus*) Id eſt, *vultures.* Catullus:

Lingua exerta avido ſit data vulturio.

Hac voce & M. Tullius utitur in quadam oratione, *vulturios palliatos* appellans. Dicimus *vultur* & *vulturis*, & *vulturius.* PIUS. Plin. lib. 10. cap. 6. narrat, *vultures*, ſeu *vulturios*, *triduo ante, aut biduo, eo volare, ubi cadavera futura ſunt:* quaſi præſentiant multo antè cadaverum odorem: quod eſt mirabilius, quàm magno locorum intervallo interjecto ſentire. LAMB.

684. *Fiſſa ferarum Ungula*) περιφερστις, pro eo quod eſt, eæ feræ, quarum ungulæ fiſſæ ſunt, ut cervi. LAMB.

685. *Promiſſa canum vis*) Id eſt, canes odoratu valentes, & ſagaces, promiſſi. *promiſſa* enim legendum videtur potiùs, quàm *præmiſſa.* ut *promiſſa* idem valere intelligamus quod *longe & porrotenus miſſa*, vel *è longinquo loco odores ſentiens.* quod mihi nunc magis probatur. nam olim *præmiſſa* edideram. quod tamen non eſt fortaſſe damnandum. LAMB. Ita legendum. Vulgati: *permiſſa.* Vide Indicem. GIFAN. Id eſt, *immiſſa.* Inde ἐπακτῆρες pro venatoribus apud Callimachum, & ἐπάγειν apud Plutarch. in Apophthegm. pro *venatum ducere*, ſeu *promittere.* FABER. Lambinus *longè & porro tenus miſſa*, vel *e longinquo loco odores ſentiens*: At Venatores meliùs quàm Grammatici intelligunt, cur Canis Venatici vis dicatur *Promiſſa.* Alii *Permiſſa*: ut ℣. 692. *Permitti.* CREECH. *Permiſſa*, eſt ἀνεῖσα, συθεῖσα, incitata, laxatis habenis lata. Siſenna: *Inde equum concitatum ad hoſtium permittit aciem.* Auctor lib.

Volturiique cadaveribus: tum fiſſa ferarum
Ungula quo tulerit greſſum, permiſſa Canum vis
Ducit: & humanum longe praeſentit odorem
Romulidarum arcis ſervator, candidus Anſer.
Sic aliis alius nidor datus ad ſua quemque

Pa-

INTERPRETATIO.

& Vultures Cadaverum odore attrahuntur: tum promiſſa canum vis ducit eos quocunque bifida ferarum ungula greſſum tulerit, & Candidus Anſer Romani Capitolii ſervator Hominum odorem longe præſentit. Sic Odor diverſus diverſis Animalibus conveniens unumquodque

VARIÆ LECTIONES.

684. *Volturiique.* Volturique Y.
685. *permiſſa.* Ita K. V. Z. promiſſa *Alii.*
686. *præſentit.* præſenſit A. marg. P. præſentit. codd. antiq. *Pii.*
687. *Romulidarum.* Romanorum. *Gaſſ.*
688. *datus.* natus Q. X.

NOTÆ.

lib. 8. de bello Gallico: *equo ſe à cæteris incautius permittit in præfectum.* Sic Lucretius lib. 4. ℣. 685.

—— —— —— tum fiſſa ferarum
Ungula qua tulerit greſſum, permiſſa canum vis
Ducit.

id eſt, penetrans, longe miſſa. Ut mox:

Hic odor ipſe igitur, nares quicumque laceſſit,
Eſt, alio ut poſſit permitti longius alter.

Hic ceperunt: illic mutant. Lambinus primum *præmiſſa.* Gifanius poſteaque & Lambinus, *promiſſa*: quod ſane & ipſe in MS. inveni: nec tamen eo moveor. GRONOV.

687. *Romulidarum arcis, &c.*] Anſer qui Romanorum arcem hoc eſt Capitolium ſervavit detruſis a Manlio ob hoc indicium Gallis qui arci ſucceſſerant. quam cauſam reor: ut ad æternam rei memoriam in pluribus Italiæ civitatibus in cacumine trabis tanquam arcis collocetur anſer, & pueri illuc aſcendant tanquam in Romanum præſidium Galli. Legimus in memoriam hujus rei Romanos anſerem conſueviſſe in Capitolio alimentis publicitus exhibitis nutrire: eoque die, qua detruſi ſunt Galli, canes in cruce ſambucea necabantur. Lego apud Servium, in Capitolio in honorem illius anſeris, qui Gallorum nuntiarat adventum, poſitum fuiſſe anſerem argenteum: unde nonnulli poëtam eum huic alluſiſſe hiſtoriæ perhibent, qui anſerem vocavit *argenteum*; nec per *candidum* aliud expreſſum a Lucretio fuiſſe quam hunc argenteum anſerem: qui quamvis de vivo loquatur hic, tamen innuit hiſtoriam. hæc ad ingenia provocanda dicta ſint. Aureum non argenteum in ejus rei memoriam diu cultu divino exceptum prodit Albertus libro de animalibus vigeſimo tertio. ſed mendum in codice puto. non enim *aureum* ſed *argenteus* legerem. Adjuvatque in eodem capite teterrimam maculam quæ ibi inolevit emendare. *Ex anſere* (inquit) *fieri clariſſimum medicamen, quod Plinius comager inquit.* ſcribendum eſt *comagenum* a loco Judææ. Hiſtoriæ Propertius alluſit cum cecinit: 3: 2: 12.

Anſeris & tutum voce fuiſſe Jovem. PIUS.

Id eſt Romanorum arcis, &c. nota hiſtoria eſt, Capitolium, urbe à Gallis capta, ſervatum eſſe anſerum voce. Plin. lib. 10. *Eſt & anſeri vigil cura, Capitolio teſtata defenſo, per id temporis canum ſilentio proditis rebus. Quamobrem cibaria anſerum Cenſores in primis locant.* M. Tull. pro Roſcio Amerino: *Anſeribus cibaria publice locantur.* Livius lib. 5. Annal. *Galli nocte ſublustri tanto ſilentio in ſummum evaſere, ut non cuſtodes ſolum fallerent, ſed ne canes quidem, ſollicitum animal, ad nocturnos ſtrepitus excitarent: anſeres non fefellere, &c.* LAMB.

687. *Anſer*] Nota hiſtoria eſt, Capitolium ab anſeribus ſervatum Gallis adſcendentibus. FABER.

Pabula ducit, & à tetro reſilire veneno
Cogit; eoque modo ſervantur ſaecla ferarum.
Hic Odor ipſe igitur, nareis quicunque laceſſit,
Eſt alio ut poſſit permitti longius alter.
Sed tamen haud quiſquam tam longe fertur eorum,
Quam Sonitus, quam Vox, mitto jam dicere, quam res,
Quae feriunt Oculorum acies, viſumque laceſſunt,
Erra-

INTERPRETATIO.

ducit ad ſua Alimenta, efficitque ut a pernicioſo veneno recedat, & inde Genera Animalium conſervantur. Ex Odoribus vero qui nares feriunt alius poteſt alio longius emitti, nullus tamen eorum tam longe mittitur quam Sonus, quam Vox, ne dicam quam Imagines quæ Oculos feriunt, & viſum laceſſunt.

VARIÆ LECTIONES.

692. *Eſt alio* ——— *alter.* Eſt illo longius ille F. *permitti.* promitti A.
693. *quiſnam.* quicquam. P. X.

NOTÆ.

691. *Hic odor ipſe*, &c.) V. 19. De motu odoris diſſerit, eumque tardiùs moveri per Aërem quàm Sonum, diſtrahi quoque & diſſipari faciliùs & longè minùs per Aërem diffundi affirmat: quoniam ex intimis Corporis odori partibus, ſeu Subjecti profunditate effluit, (nam Res odoræ dum franguntur, conteruntur, &c. magis redolent) major etiam eſt principiorum illius moles, dum illi meatus quos Vox penetrat Odorem non admittunt, ideoque neceſſe eſt ut Odor tardiùs feratur, & faciliùs ab occurſante Aëre diſſipetur. Huc etiam referri poteſt cauſa, cur, cùm facilè judicare liceat qua ex parte Sonus adveniat, non perinde tamen dignoſcamus ad quam nobis partem ſit ſitum Corpus quod Odorem diffundit. Creech.

Hic odor ipſe igitur, nares quicumque laceſſit,
Eſt alio *ut poſſit permitti longius* alter.

Quod lecturus es, ad Latinitatis rationem pertinet, videlicet dici non poſſe arbitror, ubi de duobus agitur, *Alter eſt major alio*; ſcribendum enim, *alter altero major eſt*; atque adeo, donec exemplum aliquod prolatum fuerit ex melioris ævi ſcriptore, legendum putabo,

Eſt illo *ut poſſit permitti longius* ille.

Quibus verbis, *illo* & *ille*, addita fuere gloſſemata, quæ in contextum operis recepta fuerunt, ut ſit. Puritatis Latinæ amatores quid velim norunt; alii enim hæc, & alia ejuſmodi lineâ albâ ſignare ſolent. Sed nihil mihi cum illis eſt, neque eſſe velim. Faber.

692. *Eſt, alio ut poſſit, &c.*] Ordo eſt, Eſt igitur ut, id eſt, contingere poteſt ut hic odor, quicumque nareis laceſſit, alius longiùs alio ad nareis perveniat. *permitti*, i. ita mitti, ut perveniat quò mittitur. Sic Hircius lib. 8. de bell. Gall. *Quo tutior altitudine eſſet, longiuſque tela permitteret.* Qui hîc *promitti* legunt, delirant. Lamb. *Permitti*, Ita ex omnibus veteribus legendum, non *promitti*. Vide Indicem. Gifan.

693. *Sed tamen haud quiſquam*] In veteribus quibuſdam: *quidquam*. ut ſit mutatio generis. Gifan.

694. *Mitto jam dicere quam res, quæ, &c.*] Nullus odor tam longè fertur, quàm vox & ſonitus, nedum quàm imagines. ratio eſt, quia odor tardè fertur, & priùs perit interdum, quàm ad ſenſum pervenire poſſit: cujus rationis ratio eſt: quia odores ex alto & penitus manant, cùm imagines ex ſummis rerum cæſuris fluant. Plato in Timæo ait, odores omneis eſſe aut fumum, aut nubem, ſeu nebulam: Atque horum quidem id quod ex aëre in aquam mutatur, eſſe nebulam: quod autem ex aquâ in aërem, fumum: Ex quo tenuiores quidem aquâ eſſe odores, aëre autem craſſiores. Cui rei argumento eſſe, quòd ſi quis nareis obturet, aërem quidem trahet unà cum

Errabundus enim tarde venit, ac perit ante
Paullatim facilis diſtractus in Aëris auras:
Ex alto primum quia vix emittitur ex re.
Nam penitus fluere, atque recedere rebus odores
Significat, quod fracta magis redolere videntur
Omnia, quòd contrita, quod igni conlabefacta.

Dein-

INTERPRETATIO.

Vagus enim per Aëra tarde fertur, non directa linea progreditur, & facile per auras diſperſus paulatim perit antequam longum iter perficiat: Præcipue quia difficulter ex interioribus Corporis partibus Odor emittitur, nam manifeſtum eſt Odores ex interioribus partibus Corporis emitti, quoniam Res Odoræ; quæ franguntur, conteruntur, aut igne diſſipantur, magis redolent.

VARIÆ LECTIONES.

698. *emittitur.* amittitur D. *ex re.* ex ſe c. O. P. Q. X.

699. *atque recedere.* ac procedere C. E. N. Q 1. ac præcedere P. ac decedere, *vel* atque excedere L. atque præcedere Q. X. Y. *ſed ibi corr.*

700. *videmur.* violenter Q.

701. *conlabefacta.* non labefacta P. concalefacta A. B. c. O. *priſci codd.* P.

NOTÆ.

cum ſpiritu ducto: odorem autem nullum intromittet. Ariſtotel. lib. ſecund. de animo, & libr. de ſenſu, & iis quæ ſub ſenſum cadunt, odoris vim in calido ac ſicco ſitam eſſe dicit: iccirco non eſſe mirum, ſi congelatio & frigus odores obtundant. odores nihil conferre ad alendum, neque ea quæ bene olent, edendi aut bibendi cupiditatem excitare, immo potiùs nauſeam movere: ſuaveis odores valetudinem adjuvare eò, quòd cerebrum tum ſua natura, tum propter exhalationes, alimenti humidum, ſuo calore temperent atque exſiccent: præterea nullas animanteis quæ reſpirant, odorari, niſi reſpirent. Cùm igitur reſpirando, eum aërem qui nobis eſt proximus, ducamus, non abſque ratione odores & non ita longinquo ex loco ſentiuntur, & tardiùs ad nareis noſtras perveniunt. Quòd ſi dicas, aërem eſſe continuum, & iccirco per conſenſum fieri debere, ut etiam ex longinquo loco odores à nobis ſentiantur: reſpondebo, quominus id fiat, craſſam odorum naturam impedimento eſſe. LAMB.

699. *Nam penitus fluere, atque recedere rebus odores*) Secutus ſum libros manuſcript. Nam vulgati habent,

——— ——— *ac procedere rebus odorem.*

Ego tamen malim legi *ac decedere rebus*, ſeu *atque excedere rebus odores.* verumtamen nihil mutare auſim. ſæpe enim alibi ita loquitur. LAMB. *Atque recedere rebus odores*, Ita veteres libri, recte. Sic ſupra hoc lib. ℣. 63. inf. 741. 858. GIFAN. *Atque recedere*, Ita Codd. *Lambinus* tamen mavult *Ac decedere*, ſeu *atque excedere.* CREECH.

701. *Quod contrita, quod igni conlabefacta*) Sic habent tres codices manuſcript. & totidem typis excuſi: nonnulli *concalefacta.* ego *conlabefacta* magis probo. ſic enim ſuprà locutus eſt lib. 1: 493.

Conlabefactatus rigor auri ſolvitur æſtu.

& Virgil. Æneid. 8: 389.

——— ——— ——— *notuſque medullas*
Intravit calor, & labefacta per oſſa cucurrit.

ſi quis tamen malet legi *concalefacta*, non pugnabo: quamquam videtur eſſe πλεονασμὸς, *concalefacta igni.* cur enim igni potiùs quàm ſole? Hujus autem totius loci hæc ſententia eſt: quòd fracta omnia magis redolere videntur quàm non fracta, quòd contrita, quòd igni victa: hæc ſignificant atque declarant, odores à rebus penitus manare. LAMB. *Concalefacta*, Sic ex veteribus libris ſcripſi, licet Vulgati, & quidam veteres: *conlabefacta.* Verſus ſequentes & ſententia poſtulant:

Deinde videre licet majoribus eſſe creatum
Principiis Voci: quoniam per ſaxea ſaepta
Non penetrat, qua Vox volgo, Sonituſque feruntur.
Quare etiam quod olet, non tam facile eſſe videbis
Inveſtigare, in qua ſit regione locatum.
Refrigeſcit enim cunctando plaga per auras:

Nec

INTERPRETATIO.

Deinde certus eſſe poſſis Odorem conſtare e majoribus Seminibus quam Vocem, quoniam non penetrat muros lapideos, per quos Vox & Sonus frequenter feruntur: Quas etiam ob cauſas ſenties non ita facile eſſe inveſtigare in quo loco id quod olet locatum ſit, dum enim Odor tarde fertur per Aëra, languidior ſit illius ictus,

VARIÆ LECTIONES.

702. *eſſe.* deeſt Q. *creatum.* creatam P. Y. Z.
703. *Principiis Voci.* principiis quam vox. a. B. D. E. I. N. P. Q. Y. Z. quam nox X. *quoniam.* quanquam P. Q. quoniam P. *in not.* quando Q 1.
704. *qua.* quo P. X.
706. *qua.* quo Q.

NOTÆ.

lant: *concal.* imo ipſa elegantia. Ut nihil dicam de futura alioqui βαττολογίᾳ. GIFAN.

702. *Majoribus eſſe creatum Principiis Voci*) *Voci*, id eſt, *voce*, ſeu *quàm vocem.* videre (inquit) licet, odorem creatum eſſe ex majoribus atomis voce. Quòd autem in vulgatis libris & manuſcriptis legitur *quàm vox*, culpa librariorum ſcriptorum eſt, qui cùm ad oram librorum adſcriptum reperiſſent, è regione nominis *voci*, *quàm vocem*, hoc ipſum in texturam verborum Lucret. conjecerunt: deinde, cùm ii, ad quos libri illi pervenerant, hunc verſum propter ſyllabam in tertio pede ſuperantem, eſſe mendoſum ſentirent, ſubſtituerunt *quàm vox.* Ita Lucretium vitioſe & mendoſe ſua Lingua loquentem fecerunt. Nam cùm conjunctio *quàm*, ut ceteræ, copulet ſimileis caſus, Latinè dici non poteſt, *videre licet odorem majoribus principiis conſtare, quàm vox.* LAMB. *Majoribus eſſe creatum principiis quàm vox.* Egregia Lambini conjectura: legendum *Voci.* In libris autem: *quàm vox.* Vide Indicem: *Comparat.* GIFAN. *Voci*, Id eſt, majoribus principiis quàm ſunt Vocis Principia. FABER. & CREECH.

705. *Quare etiam quod olet*) Quare (inquit) videbis non eſſe tam facilè veſtigiis exquirere, ubi ſit id, quod olet, id eſt, quod odorem mittit, quàm facile eſt, cognoſcere & reperire unde mittatur vox. LAMB.

707. *Refrigeſcit plaga*) Ad hoc referri debet illud quod de loco quodam Xenophontis alibi notavi, ubi θερμὸν peſſime ab Interpretibus acceptum eſt. Nam *veſtigia ferarum*, ſeu odorem impreſſum à corpore quieſcentis feræ ſignificat; ceterum per *plagam calidam* intellige recentiorem, atque adeo actuoſiorem ſeu efficacem magis. In eo autem Poëtice loquitur. Conſtat intenſiſſimum frigus obſtare effuſioni liberiori odorum. FABER. Sequenti verſu *Plaga* dicitur *calida*, ideoque dum cunctatur *refrigeſcit*: Conſtat autem intenſiſſimum frigus obſtare effuſioni liberiori Odorum. In omnibus vetuſtis Exemplaribus Verſus Lucretii ſic leguntur

Refrigeſcit enim cunctando plaga per Auras,
Nec calida ad ſenſum decurrunt *nuntia rerum.*

Recedes a ſenſu *Lucretii* & rei veritate, ſi *Nuntia* conſtruas cum *Plaga:* Voſſius ad Catullum p. 173. CREECH.

708. *Nec calida ad ſenſum decurrit nuntia rerum*] Sic reſtitui, ſecutus obſcura veteris ſcripturæ veſtigia, ipſamque adcò veritatem. *nuntia* enim numeri ſingularis eſt hoc loco, generis fœminini, & cohæret cum nomine *plaga*, ut ſit hic ordo, hæcque ſententia verborum: Nec plaga decurrit ad ſenſus calida nuntia, id eſt, recens nuntiatrix rerum. Sic eodem lib. infrà: 1217.

Nun-

Nec calida ad ſenſum decurrit nuntia rerum.
Errant ſaepe Canes itaque, & veſtigia quaerunt.
Nec tamen hoc ſolis in Odoribus, atque Saporum
In genere eſt: ſed item Species rerum, atque Colores
Non ita conveniunt ad ſenſus omnibus omnes,
Ut non ſint aliis quaedam magis acria viſu.
  Quinetiam Gallum, noctem explaudentibus alis

Au-

INTERPRETATIO.

nec ea qua debet vi, ut demonſtret ubi res ſit, ad ſenſum venit: Et hanc ob Cauſam Canes ſæpe errant, & vagi quærunt Ferarum veſtigia quæ Odor non ſatis prodit. Hoc tamen evenit non ſolum in Odoribus, & Saporibus, ſed Rerum Formæ etiam, & Colores non ita omnium oculis conveniunt, ut alia objecta non ſint aliis viſu magis acria. Quinetiam Gallum, Alis noctem explaudentibus,

VARIÆ LECTIONES.

708. *ſenſum.* ſenſus X. *decurrit.* decurrunt E. *Creech. Voſſ. ad Catull.* p. 173. P. X. Y. decurr. Z.

710. *Nec.* Non Q 1. *Saporum.* ſaporis X.

711. *Colores.* colorum. *Gaſſ.*

713. *ſint.* ſit X.

714. *Quin.* Qur. Z. *noctem.* nocte E. N. P. in noctem Q 1. *explaudentibus.* expandentibus *Quidam.* explendentibus Z.

NOTÆ.

Nuntia præclari voltus, pulchrique coloris.

& lib. 6: 75.

Nec de corpore quæ ſancto ſimulacra feruntur
In menteis hominum divinæ nuntia formæ, &c.

Sic M. Tull. lib. 1. de Orat. ad Q. Frat. *Hiſtoria teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis.* Errant igitur, qui ex his locis probare conantur, *nuntium* ſubſtantivum neutrius generis uſitatum eſſe. nam in his, *plaga nuntia*, & *ſimulacra nuntia*, perſpicuè vox *nuntia* eſt ad nomen adjuncta, ſeu adjectiva: illic quidem fœm. gen. numeri ſing. hîc verò neutr. numeri multitudinis. LAMB. *Decurrit nuntia.* Ita Lambinus, etſi libri habeant: *decurrunt.* Ut *nuntia* jungatur cum *plaga.* GIFAN.

710. *Nec tamen hoc ſolis in od.*] Id eſt, Nec tamen hoc ita ſe habet in odoribus & ſaporibus ut ſint inter ſe diſſimiles & diſſimilib. primordiis conſtent, verùm etiam colores ipſi inter ſe ſunt diſpares ac diverſi: & quidem ſunt alii aliis viſu acriores: & nonnullæ ſpecies aliis ſunt adſpectu gratæ & jucundæ, aliis ingratæ atque injucundæ. LAMB. *Nec tamen hoc*, &c. Quod iidem Odores & Sapores ſint aliis ingrati, aliis jucundi minimè dubitandum; nec ipſæ rerum Imagines omnium oculis pariter conveniunt: Galli aſpectu terretur Leo, (Gallinaceorum criſtæ Leones maximè terrent: Plinius Nat. Hiſt. Lib. 8. cap. 16.) nam Imago Galli è Seminibus conſtat quæ fodiunt & lacerant Oculos Leonis, ut contrà tendere non audeat. CREECH.

714. *Quinetiam Gallum, noctem explaudentibus*] Sic legendum, & ita ſcriptum eſt in quattuor cod. manuſcriptis, Vaticano, Bertinian. Memm. Tettiano, non ut eſt in vulgatis, *nocte. noctem* autem *explaudentibus alis*, interpretor *alis noctem cum ſonitu & veluti plauſu excutientibus atque exturbantibus.* Videntur enim vel gallorum alæ ſuo comploſu, vel galli ipſi ſuarum alarum ad latera appulſu, noctem exigere, & expellere. Plin. lib. 10. c. 21. *Proxime gloriam ſentiunt & hi noſtri vigiles nocturni: quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque ſomno natura genuit. Norunt ſidera, & ternas diſtinguunt horas interdiu cantu. Cum ſole eunt cubitum, quartaque caſtrenſi vigilia ad curas laboremque revocant. Nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant cantu; ipſum vero cantum pulſu laterum.* Huc pertinet illud Demoſthenis ex oratione κατὰ Κόνωνος αἰκίας

Auroram clara conſuetum voce vocare,
Nenu queunt rapidi contra conſtare Leones,
Inque tueri: ita continuo meminere fugaï:
Nimirum, quia ſunt Gallorum in corpore quaedam
Semina, quae, quom ſunt oculis immiſſa Leonum,
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem

Prae-

INTERPRETATIO.

conſuetum ſonora voce Auroram vocare, furioſi Leones non poſſunt contra ſtare, & intueri, ſed ſtatim, & ad primum aſpectum fugiunt: Nimirum, quia in Galli corpore quædam ſemina ſunt, quæ cum ſint in oculos Leonum injecta pupillas Oculorum fodiunt & lacerant;

VARIÆ LECTIONES.

715. *clara.* clare X.
716. *Nenu queunt.* Hunc nequeunt C. E. N. V. quem nequeunt D. P. Nec nequeunt X.
717. *nenu.* nœnu X. Z. Adde Voſſ. de Arte Gramm. 2. p. 266.

NOTÆ.

ᾖδε γὰρ, τοὺς ἀλεκτρυόνας μιμούμενος τοὺς νενικηκότας. οἱ δὲ κροτεῖν τοῖς ἀγκῶσιν αὐτὸν ἠξίουν ἀντὶ πτερύγων τὰς πλευράς. id eſt, *Canebat enim, gallos imitans qui vicerunt. illi autem dicebant eum debere cubitis pro alis latera verberare.* Mendoſe autem apud Demoſth. vulgò legitur κρατεῖν, pro κροτεῖν. Totius autem hujus loci hæc ſententia, atque hic verborum ordo eſt: Quinetiam rapidi leones non queunt conſtare contra gallum, *conſuetum*, id eſt, qui conſuevit, auroram clara voce vocare, idque alis noctem *explodentibus,* ſive *explaudentibus.* i. e. ſuo comploſu excutientibus, atque expellentibus & gallum nequeunt intueri: ita continuò, &c. ut infrà. Lamb. *Noctem explaudentibus alis.* Noctem cùm ſonitu, & veluti plauſu excutientibus atque exturbantibus; *Lambinus.* Hæc verò verba cùm verſu proximo otioſa ſunt; Nihil enim *Lucretius* de cantu Galli, quod alii Interpretes temerè exiſtimarunt. Creech.

715. *Conſuetum voce voc.*) *Conſuetum* vocare, id eſt, ſolitum vocare. ſæpe utitur hoc participio Lucretius, ἐνεργητικῶς addito infinitivo, ut infrà hoc eodem lib. 995.

Vitai cauſa valido conſueta bidenti
Ingemere:

& lib. 6: 787.

Floris odore hominem tetro conſueta necare;

& item alibi. Lamb.

716. *Nenu queunt rapidi contra*) Sic reſtitui, ſecutus codicem Bertinianum, & Memmianum, & Tettianum. *nenu* autem valet *non*, ut ſuprà lib. 3: 199.

At contra lapidum conjectum ſpiclorumque
Nenu poteſt.

Plin. libr. 8. cap. 16. de leonib. *Atque hoc tale tam ſævum animal, rotarum orbes circumacti, curruſque inanes, & gallinaceorum criſtæ, cantuſque etiam magis terrent, ſed maxime ignes.* Lege eundem l. 10. cap. 21. de gallis gallinaceis. Lamb. *Nenu queunt.* Egregie Lambinus ex veteribus libris. Vulgati: *Hunc nequeunt.* Alii: *Quem.* In quibuſdam veteribus: *Nec nequeunt.* Gifan.

717. *Inque tueri*) Et non queunt intueri. Lamb.

717. *Ita continuò meminere fugaï*) Epiphonema. Ita continuò, inquit memores ſunt fugæ potiùs, quàm pugnæ. *meminere fugæ*, pro eo quod eſt *ſeſe in fugam conjiciunt*, figuratum eſt loquendi genus, neque fortaſſe longè abeſt ab illo Homerico, quod eſt Iλ. τ. 148.

——— Νῦν δὲ μνησώμεθα χάρμης.

i. *nunc autem meminerimus pugnæ:* neque ab illo, quod eſt in eodem lib. v. 527. & 531.

Μιμνῆσθαι πόσιος καὶ ἐδητύος,

id

Praebent, ut nequeant contra durare feroces;
Cum tamen haec noſtras acies nil laedere poſſint:
Aut quia non penetrant, aut quod penetrantibus illis
Exitus ex Oculis liber datur, in remeando
Laedere ne poſſint ex ulla lumina parte.
  Nunc age, quae moveant Animum res, accipe, & unde,
Quae

INTERPRETATIO.

& tam acutum dolorem excitant, ut fortes licet ſint & vulnerum patientes Leones perferre nequeant: Cum tamen hæc ipſa Semina noſtros oculos non omnino lædunt, vel quia non penetrant, vel quia illis penetrantibus liber ex Oculis exitus datur, ita ut dum redeunt nulla ex parte pungant oculos aut lædant. Nunc age, audi quæ res moveant animum, & unde

VARIÆ LECTIONES.

722. *poſſint.* poſſunt X.
723. *penetrantibus illis.* penetrantibus ilus Y.
724. *remeando.* remorando Q 1. Y. Z.
725. *ne.* non Z. *ex ulla lumina.* ex uilla lumina Y. Z. *ſed in* Z. *corr.*
726. *accipe, &.* percipe, & *Gaſſ.*

NOTÆ.

id eſt *meminiſſe potionis & cibi:* neque ab illo, quod non ſemel, ſed ſæpius uſurpatur,

Μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς. LAMB.

720. *Pupillas interfodiunt*) Pupillas leonum pungunt, & ſtimulant. LAMB.

721. *Feroces*) Quantumvis feroces & virtute freti. LAMB.

724. *In remeando*) In redeundo, dum redeunt illa ſemina, ſi fortè in noſtras acies penetrarunt. LAMB.

726. *Nunc age, quæ moveant*) Nunc docet, animum tenuiſſimis & celerrimis imaginibus moveri. Epicurus enim exiſtimabat, non ſolùm videndi ſenſum, verùm etiam διανοητικὰς φαντασίας, id eſt, viſiones ad cogitandum intelligendumque valenteis, ſimulacris & imaginibus excitari; & quemadmodum ſine imaginibus cernere non poſſimus, ita ſine imaginibus cogitari non poſſe. qua de re ſic M. Tull. lib. 1. de natura Deorum: *Sic enim dicebas, ſpeciem Dei percipi cogitatione, non ſenſu: nec eſſe in ea ullam ſoliditatem, neque eandem ad numerum permanere: eamque eſſe ejus viſionem, ut ſimilitudine & tranſitione cernatur, neque deficiat umquam ex infinitis corporibus ſimulacrorum acceſſio, &c.* ſequitur paullo poſt: *Hoc, per ipſos Deos, de quibus loquimur, quale tandem eſt? Nam ſi tantummodo ad cogitationem valent, nec ullam habent ſoliditatem, nec eminentiam: quid intereſt utrum de Hippocentauro, an de Deo cogitemus? Omnem enim talem conformationem animi, ceteri Philoſophi motum inanem vocant: vos autem adventum in animos, & introitum imaginum dicitis. Ut igitur Ti. Gracchum cum videor contionantem in Capitolio videre, M. Octavium deferentem ſitellam: tum eum motum animi dico eſſe inanem: tu autem & Gracchi, & Octavii imagines remanere, quæ in Capitolium cum pervenerint, tum ad animum meum referantur: hoc item fieri in Deo, cujus crebra facie pellantur animi: ex quo eſſe beati atque æterni intelligantur. Fac imagines eſſe, quibus pulſentur animi: ſpecies duntaxat objicitur quædam, &c.* Sequitur paucis poſt: *Nam quid eſt, quod minus probari poſſit, quam omnium in me incidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numæ, Pythagoræ, Platonis: nec ea forma, qua illi fuerunt? &c.* Eodem pertinent illa ex Epiſt. ejuſdem ad C. Caſſium, epiſtolarum ad famil. l. 15. *Fit enim neſcio quo modo, ut quaſi coràm adeſſe videare, cùm ſcribo aliquid ad te, neque id κατ' εἰδώλων φαντασίας, ut dicunt tui amici novi, qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας ſpectris Catianis excitari, &c.* nam ſatis eſt mihi locum indicaſſe: & alibi hunc eundem

Quae veniunt, veniant in Mentem, percipe paucis.
Principio hoc dico, rerum Simulacra vagari
Multa modis multis in cunctas undique parteis
Tenuia, quae facile inter ſe junguntur in auris,
Obvia cum veniunt, ut aranea, bracteaque auri.
Quippe etenim multo magis haec ſunt tenuia textu,
Quam

INTERPRETATIO.

veniunt in mentem, quæ veniunt, breviter declaratum accipe. Primum dico, multa tenuia rerum Simulachra huc & illuc, denique in omnes undique partes vagari, quæ cum ſibi invicem in Aëre occurrunt facile inter ſe junguntur, ut Araneæ telæ & tenuiſſima Auri ramenta: Hæc enim Simulachra ſunt textu multo magis tenuia,

VARIÆ LECTIONES.

727. *Veniunt veniant.* veniant, veniunt D.
730. *junguntur.* reguntur Q.
731. *magis.* abeſt Z. *hac.* hæc X.

NOTÆ.

dem locum fortaſſe præferemus. Lamb. *Nunc age, quæ*, &c. De Senſibus ſatis diſputatum: Cùm verò ſopitis ſenſibus plura imaginemur, non indigna eſt Philoſopho de Imaginatione quæſtio; eam autem explicat Poëta uſque ad ỳ. 820. Aſſerit igitur tenuiſſimas Imagines partim ab ipſis rebus fluentes, partim ſponte in Aëre formatas, & partim ex variis variè miſtas undique vagari; has verò in Animum penetrare laceſſendoque ipſum efficere ut intelligat ſeu imaginetur: Inde de Centauris, Scyllis, aliiſque monſtris quæ nemo unquam ſenſibus uſurpavit, de mortuis etiam cogitamus ỳ. 27. *Cicero* Ep. fam. lib. 15. Scribens ad Caſſium qui recens ſe Epicureis addixerat: *Fit neſcio quid*, inquit, *ut coram adeſſe videaris cùm ſcribo aliquid ad te, neque id κατ' εἰδώλων φαντασίας, ut dicunt tui Animi novi, qui putant etiam τὰς διανοητικὰς φαντασίας ſpectris Catianis excitari.* Creech. Hactenus docuit, ſine imaginibus cerni non poſſe, neque ſentiri. Nunc ne quidem & cogitari; Vide Ciceron. ad Caſſium lib. 15. Epiſt. Preig.

731. *Bracteaque auri*] Et tenuiſſima auri veluti membrana. Lamb.

733. *Percipiunt oculos*] Sic habent quinque libri Manuſcript. & omnes typis impreſſi, præter Aldin. Antiq. in quibus legitur *percipiunt oculi*, mendoſe. nam *percipere* hîc ponitur pro *occupare*, ſeu *afficere*, ſeu *perfundere*. Sic lib. 5: 604.

Eſt etiam quoque uti non magno ſolis ab igni
Aëra percipiat calidis fervoribus ardor.

eadem ratione dicuntur illa, *percipit me odium, horror, fames, &c.* Lamb. *Percutiunt oculos*, Ita veteres; recte. Sic ſupra *feriunt* ỳ. 695. Vulgati: *percipiunt oculos.* Aliis: *oculi.* Gifan. *Percipiunt*, Penetrant, ut *ægritudo me percipit.* jam alibi. Faber.

734. *Corporis hæc quoniam penetrant per rara*] *Rara corporis* dixit, corporis (ut ita dicam) raritates, quas alibi *inania*, *cavernas*, & *caulas* appellat. Lamb.

——— ——— ——— ——— *cientque*
Tenuem animi naturam intus, ſenſumque *laceſſunt*]

Tenuis animi natura, mens eſt; itaque legendum,

——— ——— ——— *mentemque laceſſunt.*

Quod ſi probem, mora mera ſit. Et ita eſſe ut dico, Lector cate, videbis, alii, *numerus erunt* &c. lege modò verſum 11. pag. 115.

Tenuis enim mens eſt, & mire mobilis ipſa.

Item ỳ. 21.

Mens animi vigilat, niſi quod ſimulacra laceſſunt.

Ergo ſimulacra *laceſſunt mentem*, ut legendum aio.

Quam quae percipiunt Oculos, viſumque laceſſunt:
Corporis haec quoniam penetrant per rara, cientque
Tenuem Animi naturam intùs, ſenſumque laceſſunt.
  Centauros itaque & Scyllarum membra videmus,
Cerbereaſque canum facies, ſimulacraque eorum,
Quorum morte obita tellus amplectitur oſſa:
Omne genus quoniam paſſim ſimulacra feruntur,
Partim ſponte ſua quae fiunt Aëre in ipſo:

Partim

INTERPRETATIO.

quam quæ Oculos afficiunt, & Viſum movent: quoniam hæc per poros & meatus Corporis tranſeunt, tenuemque Animum intus latentem movent, & mentem laceſſunt. Inde fit quod imaginemur Centauros, & Scyllas, Cerberos, & eorum Imagines, quos jam diu Sepultos Terra continet: Quoniam Simulachra omne genus ubique volitant, quæ partim ſponte ſua in ipſo Aere concreſcunt,

VARIÆ LECTIONES.

733. *percipiunt.* percutiunt oculos A. B. I. *Oculos.* oculi P. oculis X. Q.
734. *rara.* aëra Q 1. X. ara *ſed ſuperſcrib.* aëra Y.
735. *ſenſumque laceſſunt.* mentemque laceſſunt F. *Creech.* ſenſuque X.
737. *facies.* fauces. *not.* P. X.
739. *Omne genus.* omnigenum A. marg. C. E. P. Q 1. & 2. X. omnigenus Y. Z.
740. *quæ fiunt.* quæ fluunt *Quidam.* ut & Z. flutant P. *in not.*

NOTÆ.

aio. Adde, nec enim mora longa eſt, & ℣. 16. & 17. pag. 114.

Nunc age, quæ moveant animum res, accipe, & unde,
Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe paucis.

FABER. *Senſumque laceſſunt. Mentemque laceſſunt:* Faber, rectè: ſic ℣. 752.

Tenuis enim Mens *eſt*, &c.

Et ℣. 762.

Mens *animi vigilat*, &c. CREECH.

736. *Videmus*] Videre videmur, nempe ſomniantes: vel videmus animo, & cogitamus vigilantes. vel dic Centauros, id eſt, Centaurorum imagines, &c. Centauri autem, Scyllæ, Cerberi non fuerunt, ut ſtatim dicet, cùm tamen eorum imagines ad animos noſtros perveniant. Ad hunc locum pertinent illa Ciceronis ex l. 1. de nat. Deor. *Quid quòd ejuſdem hominis imagines aliæ in meum animum incurrant, aliæ in tuum? quid quòd earum, quæ numquam omnino fuerunt, neque eſſe potuerunt, ut Scyllæ & Chimæræ, &c.* Ibid. *Quis enim Hippocentaurum fuiſſe, aut Chimæram putat?* Sic Virgil. lib. 6: 286. conjunctè poſuit *Centauros* & *Scyllas*, ut res inaneis:

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæque biformes.

Iterum M. Tull. libr. 1. Tuſcul. Quæſt. *Qui enim ſatis viderit, id quod eſt luce clarius, animo & corpore conſumpto, totoque animante deleto, & facto interitu univerſo, illud animal, quod fuerit, factum eſſe nihil: is plane perſpiciet, inter Hippocentaurum qui numquam fuerit, & regem Agamemnonem, nihil intereſſe.* Sed hac de re infrà plura fortaſſe dicentur. LAMB.

738. *Quorum morte obita*] Sic ſuprà lib. 1: 136.

Cernere uti videamur eos, audireque coram,
Morte obita quorum tellus amplectitur oſſa.

LAMB.

740. *Partim ſponte ſua*] Ut Cerberorum, Scyllarum, & ſimilium rerum, quæ ſcilicet numquam fuerunt. LAMB.

 741. *Par-*

Partim quae variis ab rebus cumque recedunt:
Et quae conſiſtunt ex horum facta figuris.
Nam certè ex vivo Centauri non fit imago:
Nulla fuit quoniam talis natura animalis.
Verum ubi equi, atque hominis caſu convenit imago,
Haereſcit facilè extemplo, quod diximus antè,
Propter ſubtilem naturam, & tenuia texta.
Caetera de genere hoc eâdem ratione creantur.
Quae cum mobiliter ſumma levitate feruntur,

Ut

INTERPRETATIO.

partim e variis rebus emittuntur, partim fiunt ex iſtis Simulachris ita emiſſis inter ſe commixtis: Nam proculdubio Imago Centauri nunquam fluxit ex vivo Centauro, quoniam nunquam tale Animal extitit: Sed cum forte Equi Imago Hominis Imagini facta ſit obvia, facile & ſubito (ut modo docuimus) adhæret, quoniam ſubtilis tenuiſque eſt, & ideo facile implicari poſſit: Alia monſtroſa ejuſmodi Simulachra eodem modo fiunt, quæ cum leviſſima,

VARIÆ LECTIONES.

742. *conſiſtunt.* conſiunt ex A. B. C. Q1. Y. Z. conficiunt ex E. N. P. X.

744. *quoniam.* enim Q. X. *animalis.* animantis A. B. animantum *Quidam codd.* P. animai C. E. N. P. anima Y. Z.

745. *convenit imago.* concurrit imago A. B. I. concurrit imago: & E.

NOTÆ.

741. *Partim quæ variis ab rebus cumque*] *Quæcumque*, tmeſis. LAMB.

742. *Et quæ conſiſtunt*] Sic legi debet, non, ut in vulgatis, *conficiunt*: niſi quis malit legere *conſiunt*, ut habent nonnulli libri ſcripti, (quod tamen vix probem, propterea quod inconcinnum videatur ita loqui, *conſiunt facta*:) vel, ut quidam doctus putat, *conveniunt*. Videtur Lucretius tertium ſimulacrorum genus hoc verſu feciſſe, ut tria genera ab eo facta eſſe intelligamus. Primum genus eorum quæ ſponte fiunt, id eſt, per ſe, ut quæ non fluunt ab ulla re, quæ ſit in rerum natura, verbi gratia, ſimulacra Scyllæ, Cerberi, & ſimilia. Secundum genus eorum quæcumque ex rebus quæ ſunt, fluunt, ut ſimulacra hominis, equi, lecti, & ſimilia. Tertium eorum quæ compoſita & conſtituta ſunt ex pluribus earum rerum, quæ partim ſunt, partim non ſunt, figuris; ut ſunt Centaurus, ſeu Hippocentaurus, Chimæra, Tragelaphus. nam Hippocentaurus fit ex homine & equo: Chimæra, à prima parte, ex leone; à media, ex capra; à poſtrema, ex dracone: Tragelaphus, ex altera parte hircus eſt, ex altera cervus. Itaque fortaſſe ita legendum eſt potiùs,

Partim quæ conſtant ex harum facta figuris.

alioqui ſecundum genus ſimulacrorum continebit & ſimulacra rerum quæ ſunt, & ſimulacra rerum quæ non ſunt. LAMB. *Et quæ conſiunt*, Sic veteres quidam, rectè. Unde poſtea factum: *conficiunt*, & *conſiſtunt*. Ita enim etiam in quibuſdam libris eſt. GIFAN.

744. *Natura animalis*] Sic reſtitui ex cod. Bertiniano, in quo memini ſcriptum eſſe *animais.* nam *animaï* quod eſt in libris vulgatis, ferri non poteſt. LAMB. *Animantis*, Ita veteres noſtri. In aliis: *animantum.* Vulgati: *animaï*; male. GIFAN.

745. *Convenit imago*] Sic habent noſtri omnes libri veteres: neque hic, mea quidem ſententia,

Ut priùs oſtendi, facilè uno commovet ictu
Quaelibet una animum nobis ſubtilis imago.
Tenuis enim mens eſt, & mire mobilis ipſa:
  Haec fieri (ut memoro) facile hinc cognoſcere poſſis,
Quatenus hoc ſimile eſt oculis, quod mente videmus,
Atque oculis ſimili fieri ratione neceſſe eſt:
Nunc igitur quoniam docui me forte Leones
Cernere per ſimulacra, oculos quaecunque laceſſunt:

Sci-

INTERPRETATIO.

atque ideo maxime mobilia ſunt, ut modo docui, quodlibet unum ſubtile Simulachrum uno ictu noſtrum animum facile movet, nam Mens noſtra tenuis eſt, & mire mobilis. Hæc vero fieri eo modo quo docui, facile hinc poſſis cognoſcere, quoniam illud quod Mente cernimus ſimile eſt illi quod Oculis videmus, ideo neceſſe eſt ut eodem modo & ab iiſdem rebus moveatur Mens, quibus Oculus movetur: Cum vero ſupra oſtendi me Leones v. gr. videre per Simulachra quæ Oculos movent & laceſſunt,

VARIÆ LECTIONES.

752. *mire.* mite Q.
754. *ſimile eſt.* ſimile X. *oculis, quod.* illi, quod A marg. C. E. N. P. Q. Y. Z.
755. *ſimili.* ſimilis C. N.
756. *quoniam docui me.* docui quod jam me *corrigit* P. quoniam docui quum Q. quando Q1. me Q2. Nunc igitur docui qm. me forte leonum Y. Z. *Leones.* leonum V. X.

NOTÆ.

tia, quicquam mutandum. quamquam nonnulli legi volunt *concurrit.* LAMB. *Concurrit imago.* Hoc rectius ex veteribus libris, quam in aliis: *convenit.* Quidam veteres: *acreſcit.* GIFAN.

746. *Hæreſcit facile*] Sic habent tres libri Manuſcripti. quibuſcum conſentiunt omnes typis excuſi, quos quidem viderim: duo reliqui Manuſcripti, *Accreſcit facile*, &c. quos non ſequor. puto enim ſcriptum eſſe à librario *acreſcit*, ſine aſpirationis nota, deinde poſtea ab alio librario factum *accreſcit*, ex *aereſcit.* Si quis tamen *accreſcit* probabit, non pugnabo. LAMB.

753. *Hæc fieri (ut memoro) facile*] Probat, animi rationem & cogitationem, imaginum accurſu commoveri, à ſimilitudine videndi. hoc ita fieri (inquit) ut dico, ex hoc intelligere poſſis, quatinus, id eſt quoniam, ſeu quia, hoc, quod mente videmus, ſimile eſt oculis, id eſt, ſimile eſt atque illud quod oculis cernimus. Sic autem reſtitui jam ab initio, cùm in omnibus libris vulgatis impreſſum, neque aliter ſcriptum eſſet in pleriſque veteribus,

——— ——— *quatinus hoc ſimile eſt illi.* quam emendationem Thraſones ſecuti ſunt, diſſimulantes, & taciti, more ſuo, quaſi in libris vulgatis repertam. LAMB. Id totum de quo jam quæritur per Simulachra effici demonſtrat ℣. 8. Res enim illa v. gr. Leo, quem cogitamus, prorſus ſimilis eſt Leoni iſti quem oculis uſurpamus: At dum Viſus per Simulachra fiat, per Simulachra itidem, quæ par Viſui eſt, Imaginatio. CREECH.

755. *Atque oculis ſimili*) Id eſt, & neceſſe eſt nos cernere mente atque animo ſimiliter oculis, id eſt, ſimiliter ut oculis videmus. LAMB. *Oculis ſimili.* Ita in veteribus; recte. Vulgati: *ſimilis.* GIFAN.

756. *Forte leones*) Adjecit adverbium *forte*, quia leones poſuit potiùs, quàm aliud animal. quaſi ita dicat: finge, me aliquo caſu leones videre. hos igitur leones, quos fortè video, non niſi per ſimulacra à leonibus in aciem oculorum meorum affluentia cernere queo. at cogitatio ita fit, ut viſus. ergo leones cogitare non poſſum

Q 2 ſine

Scire licet mentem ſimili ratione moveri
Per ſimulacra Leonum caetera, quae videt aeque,
Nec minùs, atque oculi: niſi quod mage tenuia cernit.
Nec ratione alia; quom ſomnus membra profudit,
Mens animi vigilat, niſi quòd ſimulacra laceſſunt
Haec eadem noſtros animos, quae, quom vigilamus:

Uſque

INTERPRETATIO.

certus eſſe poſſim Mentem pariter moveri per Alia Leonum Simulachra, quæ non minus percipit quam Oculi ſua Simulachra cernunt, niſi quod tantum percipit Simulachra tenuiora quam Oculi. Nec aliam ob cauſam cum Somnus Corpus noſtrum occupavit, Mens noſtra vigilat, niſi quod illa eadem Simulachra, quæ, cum vigilamus, noſtros Senſus movere ſolent, tum Animos afficiunt.

VARIÆ LECTIONES.

758. *ſimili.* ſimul Z.
759. *Leonum cætera.* leonum, & cætera E. N. P.
760. *atque oculi.* tranſponunt Y. Z. *mage.* abeſt Q. X.
761. *profudit.* membra fatigat. *Gaſſ.* profundit *Alii.*
763. *quæ*, *quom.* quæ tum. c. tum cum O. P. X.

NOTÆ.

ſine imaginibus leonum ad animum meum accurrentibus. non celabo lectorem, legi in cod. Manuſcript. *me forte leonum*, mendoſe opinor. Lamb. *Leonum* in veteribus libris. Gifan.

759. *Per ſimulacra leonum cætera*] Copulationem *&*, quæ erat poſt vocem *leonum*, ſuſtuli, ſecutus auctoritatem codicis Bertiniani. tollendam autem eſſe etiam ratio pervincit. Nam hoc ſentit Lucretius: quoniam docui, me leones & alias res cernere per leonum & aliarum rerum ſimulacra, quæ oculos laceſſunt: poſitum autem & conceſſum eſt, cogitationem ſimili ratione atque viſum fieri: ſequitur, mentem ſimiliter per alia ſimulacra magis tenuia moveri, & me leones cogitare per ea ſimulacra quæ mens ita cernit, ut oculi ea quæ ſunt majora, cernunt. Lamb.

761. *Nec ratione alia quom ſomnus*] De ſomno cognoſcemus hoc eodem libro, non multis poſt verſibus. Lamb. Raro Vigilantes, at Sopitos Mortuorum Imagines laceſſunt, Nempe quoniam ℣. 11. Imagines quaquaverſum oberrantes ſic in dormientem incurrunt, ut in Animum ejus penetrantes ipſum pervellant, & earum rerum quarum Imagines ſunt imaginationem creent. Iſtos verò jam diu mortuos coram adeſſe falſo credimus, quoniam Senſus, quibus Solis Verum a falſo diſtinguimus, ſopiti officium ſuum facere non poſſunt; Torpet etiam Memoria, & illum qui videtur adeſſe coram, mortuum fuiſſe non ampliùs meminimus. Creech.

762. *Mens animi*] Ita ſæpe hæc duo conjunguntur, ut lib. 5: 150.

——— ——— animi vix mente videtur.

& lib. 6: 1181.

Perturbata animi mens in mœrore, metuque.

& ſupra lib. 3: 615.

Denique cur animi numquam mens conſiliumque
Gignitur in capite?

ſic & Plautus Ciſtell. 2: 1: 5.

——— nullam mentem Animi habeo:
Ubi ſum, ibi non ſum; ubi non ſum, ibi eſt animus.

ſed de hoc genere plura ad illum locum Horat. Epiſt. ad Villic. libr. 1: 14: 8.

——— tamen iſtuc mens, animuſque
Fert. Lamb.

765. *Reddita vitaï*] Mors vitæ reddita. hoc eſt (ut opinor) mors cum vita commutata. Lambinus.

761. Nec

Uſque adeo, certe ut videamur cernere eum, quem
Redditâ vitâ jam mors, & terra potita eſt.
Hoc ideo fieri cogit Natura, quòd omnes
Corporis offecti ſenſus per membra quieſcunt,
Nec poſſunt falſum veris convincere rebus.
Praeterea, Meminiſſe jacet, languetque ſopore,
Nec

INTERPRETATIO.

Uſque adeo vero afficiunt, ut videamur eum cernere, qui jam diu morte Sopitus, & terra Sepultus jacuit. Hoc autem aliter fieri non poteſt, quoniam omnes Corporis ſenſus ſomno veluti obſtructi & oppleti quieſcunt, nec falſum Vero oppoſito refutare poſſunt: Præterea, Memoria jacet Sopita,

VARIÆ LECTIONES.

764. *eum qui.* tum quem Q.
765. *Redditâ vitâ.* Ita Y. Z. *& Salm. Reliqui* Reddita vitaï *jam mors.* jam pauſa, &c. F.
766. *fieri.* abeſt Q.
767. *offecti.* affecti A. C. E. L. effeti P. Q. offecti *quoque nonnulli Codd.* P. effecti X.
768. *Poſſunt.* poſſint P. Q. X. *falſum veris.* falſumque veris N.
769. *Præterea.* Propterea *Quidam. meminiſſe.* mens ipſa jacet c. O. P. *ſopore.* ſapore Q.

NOTÆ.

761. *Nec ratione alia, cum ſomnus membra profudit,*
Mens animi vigilat, niſi quod ſimulacra laceſſunt
Hæc eadem noſtros animos, quæ, quom vigilamus:
Uſque adeo, certe ut videamur cernere eum, quem
Reddita vitaï jam mors, *& terra potita eſt.*]

Conveniant licet harioli, haruſpices, & quidquid ubique divinatriculæ artis eſt; nihil certi, nil boni hinc elicient. Quid enim eſt, *Mors vitæ reddita*? ſed nihil urgeo: advocandi tempus dabitur. quid tandem? muſſant. nihil enim eſt quod reſpondeant. Lege itaque, nam iſtud *Mors* gloſſema eſt, lege, inquam, fidenter,

Reddita vitaï jam pauſa *& terra potita eſt.*

Pauſa vitæ mors eſt; Ita in III. 943.

Frigida quem ſemel eſt vitai pauſa *ſecuta.*

Et antea in eodem libro, 872.

Inter enim jecta eſt vitaï pauſa ——

Bene autem *pauſa vitæ reddita*; mortui enim eadem fruuntur quiete, qua fruuntur qui nunquam nati ſunt. Sic enim locus hic intelligi poſſit. Faber. Id eſt, Cui Mors cum Vita commutata eſt, *Lambinus. Reddita vita:* Salmaſius a *Reddire:* apud Plautum Caſ. 1: 1: 41. Men. 5: 7: 59. *Reddibo* legitur. *Faber* denique *Reddita Vitai jam* Pauſa, *Pauſa vitæ*, Mors: ita ſæpe Lucretius. Creech. Nihil, ut puto, peccavimus, ex fide MSS. Lucretio antiquitatis genium reſtituentes. Hav.

765. *Terra potita eſt*] *Quem terra potita eſt*, id eſt, quem terra humatum tenet. De hoc verbo, & id cum accuſandi caſu interdum jungi, ſuprà notatum, libr. 3: 1050.

—— —— *quorum unus Homerus*
Sceptra potitus, &c. Lamb.

766. *Quod omnes Corporis affecti*] Quidam libri ſcripti habent *offecti*, alii *effeti*, alii *affecti*: nonnulli typis excuſi, *effecti*. ego *offecti* non improbo: quod interpretor *obſtructi, & ſomno, quaſi obice quodam, impediti.* ſup. lib. 2: 154.

—— —— —— —— —— *extra*
Officiuntur, uti cogantur tardius ire.

ne *affecti* quidem eſt rejiciendum. de quo ſuprà lib. 2: 1150.

Uſque adeo fracta eſt ætas, affectaque tellus.

Lamb. *Offecti ſenſus.* Ita quidam veteres; rectiſſime. In aliis: *adfecti.* Vulgati: *effecti.* Gifan.

769. *Præterea meminiſſe jacet*] *Meminiſſe*, id eſt *memoria*, ſeu *vis & poteſtas animi, qua res præteritas meminimus*, τὸ μεμνῆσθαι. ſic loquitur Enn. p. 84.

Aut occaſus ubi, tempuſve audere repreſſit.

Nec diſſentit, eum mortis, lethique potitum
Jampridem, quem Mens vivum ſe cernere credit.
Quod ſupereſt, non eſt mirum, Simulacra moveri,
Brachiaque in numerum jactare, & caetera membra.
Nam

INTERPRETATIO.

neque diſſentit, docetque illum jampridem mortuum fuiſſe, quem Mens putat ſe vivum videre: Inſuper, non eſt mirandum Simulachra moveri, brachia, & reliqua membra in numerum jactare,

VARIÆ LECTIONES.

770. *diſſentit.* diſcernit *Creech.* *potitum.* potitus Q1.
771. *vivum ſe.* verum ſe *Gaſſ.*
773. *Brachiaque.* Brachia qua Q1. *& cætera membra.* cætera membra X.

NOTÆ.

audere, id eſt, *audaciam*, τὸ τολμᾶν. Plautus Bacchid. 1: 1: 50.

——— ——— *hic vereri perdidit.*

τὸ αἰδεῖσθαι, id eſt, τὴν αἰδῶ, ſeu *pudorem*. Idem Lucret. ſupr. eod. libr. ℣. 99.

Eſſe in imaginibus miſſis conſiſtere eorum.

eſſe, id eſt, τὸ εἶναι. & eodem libro infrà ℣. 834.

Nec fuit ante videre oculorum lumina nata.

videre, id eſt, τὸ ὁρᾶν. & Marcus Tullius libro ſecundo de Finibus: *Id primum videamus, beate vivere veſtrum quale ſit.* *meminiſſe* autem legendum eſſe, non (ut eſt in quibuſdam vulgatis) *mens ipſa*, teſtantur quinque libri Manuſcripti. Lamb. Ita veteres quidam; recte. In quibuſdam veteribus: *mens ipſa*; quod ex gloſſa irrepſit. Supra III. 1053. Vide & infra a ℣. 930. & ſeqq. Gifan. Τὸ *meminiſſe*, memoria. Faber.

770. *Diſſentit*] Quid ſi *Diſcernit?* Creech.

770. *Mortis lethique potitum*] Qui dormit (inquit) quia vis memoriæ ſopita eſt, non diſſentit, neque negat, eum eſſe mortuum, quem ſibi vivum cernere videtur. *potitum* autem *mortis* dixit pro eo quod eſt *in poteſtatem mortis redactum.* ſic Plautus *potitus hoſtium*, Captivis:

Nam poſtquam meus rex eſt potitùs hoſtium, &c.

id eſt, in hoſtium poteſtatem pervenit. Itemque alibi non ſemel. Sic & Julianus Juriſconſultus Digeſtis, titulo *de captivis & poſtlim. reverſis.* capite vigeſimo ſecundo: *Appâret ergo eadem omnia pertinere ad hæredem ejus, quæ ipſe, qui hoſtium potitus eſt, habiturus eſſet, ſi poſtliminio revertiſſet.* Et Triphonius eodem tit. capite duodecimo: *Cetera quæ in jure ſunt, poſteaquam poſtliminio rediit, pro eo habentur, ac ſi numquam hoſtium potitus eſſet.* Et Ulpian. titulo, *ex quibus cauſ. majores: Ego autem etiam nomine ejus qui hoſtium potitus eſt, ſi curator, ut plerumque, fuerit bonis conſtitutus, auxilium competere exiſtimo.* Idem titulo, *de teſtamento milit.* capite decimo: *Facere teſtamentum miles hoſtium potitus, nec jure militari poteſt.* Lamb.

770. *Lethi potitum*] Ita ſæpe Plautus in Captivis, *Potitus hoſtium* pro, in poteſtatem hoſtium redactus. Faber.

772. *Quod ſupereſt*] Docet non eſſe mirum imagines moveri, & ſaltare, & ſimilia facere: aut certè facere videri. *Quod ſupereſt*, id eſt, *quod reliquum eſt.* Lamb. Sed hæc Simulachra, quæ per Somnum apparent, huc & illuc diſcurrunt, vagantur, ſaltant: Quoniam ℣. 6. Dum aliquamdiu in eadem cogitatione perſeveramus, non eadem conſiſtente Imagine nos utimur, ſed pluribus continuo fluxu ſibi ſuccedentibus, quæ ſi eodem ſitu maneant, res immota videbitur, ſi variato, tum res neceſſariò videbitur mota. Creech.

773. *In numerum*] Aptè, compoſite, numeroſe. ſic lib. 2: 636.

Armati in numerum pulſarent æribus æra.

Virg. Georg. 4: 174. de Cyclopibus:

Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe ferrum.

cujus contrarium eſt *extra numerum.* Idem Lucret. lib. 5: 1400.

At-

Nam fit, ut in ſomnis facere hoc videatur Imago.
Quippe, ubi prima perit, alioque eſt altera nata
Endo ſtatu, prior haec geſtum mutâſſe videtur.
Scilicet id fieri celeri ratione putandum eſt.

Multa-

INTERPRETATIO.

nam Simulachra in ſomnis hæc facere videntur. Quippe cum primum Simulachrum evaneſcit, & aliud alio in ſtatu ortum eſt, priùs illud Simulachrum videtur ſuum geſtum mutaviſſe: Momento autem temporis id fieri (alia Simulachra evaneſcere, & alia oriri) putandum eſt.

VARIÆ LECTIONES.

774. *Nam.* Jam Q. X.
775. *perit.* parit X.
776. *Endo.* Inde N. X. Y. Z. *hæc geſtum.* hic geſtum C. E. P. Y. Z.
777. Poſt hunc verſum inſeruntur tres ſequentes:

* *Tanta eſt, mobilitas, & rerum copia tanta,*
† *Tantaque ſenſibili quovis eſt tempore in uno,*
‡ *Copia particularum, ut poſſit ſuppeditare.*

A. B. C. E. F. N. Q. Y. Z. & (qui tamen ſpurios cenſet) *Lamb.*

NOTÆ

Atque extra numerum procedere membra moventeis
Duriter, & duro terram pede pellere matrem.

Horat. Ep. ad Loll. 2. lib. 18: 58.

Quamvis nil extra numerum feciſſe, modumque Curas.

Ad quem locum plura à nobis annotata ſunt. LAMB.

776. *Endo ſtatu*] Sic repoſui, cum legatur in libris omnibus, *Inde ſtatu*, plane mendoſe. legendum enim *Endo.* quamquam fateor me olim repoſuiſſe *Indu*, quod item reperitur in omnibus ferè libris pro *endo.* ſed malo *endo*, ídque rectum puto: quod valet *in.* ſententia autem eſt hæc. Videtur (inquit) imago in ſomnis membra movere & geſticulari in numerum, quia poſtea quàm prima imago periit, ſecundaque continuò in alio ſtatu, quàm erat prima, nata eſt: videtur hæc prima ſtatum geſtumque mutaſſe. quod longè aliter eſt. nam imago imagini ſuccedit, & uno eodemque tempore aliæ atque aliæ imagines creantur: quemadmodum non eſt unum lumen, quod à corpore luminoſo, quale eſt corpus ſolis, fluit: ſed aliud atque aliud, quod per ſucceſſionem quandam non interruptam continuatur ac perpetuatur. qua de re ſuprà. LAMB. *Endo ſtatu* Hoc malui, quam quod in libris: *Inde.* Si: & infra VI. 889. GIFAN.

* *Tanta eſt mobilitas*] ἐπιφώνημα, ut ſuprà libro primo:

Tantum relligio potuit ſuadere malorum.

Sed hic verſus hinc auferendus eſt, ut alieno loco poſitus. Nam infrà ſuo loco ponitur, ibique duntaxat legendus. LAMB.

† *Tantaque ſenſibili, &c.*] Neque hic verſus, neque qui deinceps ſequitur, Lucretianus eſt. nam primùm non eſt eorum pura, immo ne Latina quidem oratio: deinde ſententia ex eis nulla probabilis, aut huic loco conſentanea elici poteſt. LAMB.

‡ *Copia particularum, ut poſſit ſuppeditare*] Suppeditare, id eſt, ſuppetere, ἐπαρκεῖν. Verùm (ut dixi) non puto hunc verſum eſſe poëtæ, ſed ſpurium. Itaque ſublatis duobus his verſib. ut ſpuriis, ſublato & illo, qui hos proximè antecedit, quia fruſtra & non ſuo loco locatus eſt, ſic cenſeo hunc locum eſſe legendum.

Scilicet id fieri celeri ratione putandum eſt.
Multaque in his rebus quæruntur, &c.

ſed non celabo lectorem, ſcriptum eſſe in quibuſdam vulg. cod. *quærendum.* LAMB.

Tanta eſt mobilitas, & rerum copia tanta,
Tantaque ſenſibili quovis eſt tempore in uno;
Copia particularum ut poſſit ſuppeditare.

Tres hos verſus inducit Lambinus. Ego non au-

Multaque in his rebus quaeruntur, multaque nobis
Clarandum eſt, planè ſi res exponere avemus.
Quaeritur in primis, quare, quod quoique libido
Venerit, extemplo Mens cogitet ejus id ipſum.

Anne

INTERPRETATIO.

De hiſce rebus multæ ſunt quæſtiones, longaque diſputatione opus eſt, ſi penitus excutere cupiamus & explicare. Primum quæritur, quam ob cauſam quam primum placuit alicui rem aliquam cogitare, extemplo Mens illius eam ipſam cogitet:

VARIÆ LECTIONES.

778. *quæruntur.* quærendum P.

779. *exponere.* expandere avemus D. *Creech* non improbat. *avemus.* habemus Q. X. & Y. *a tertia manu*, abemus *a priori.*

781. *id ipſum.* in ipſum Q. X.

NOTÆ.

auſim ob librorum conſenſum, etſi eos vix intelligam. Sic & conjectura ductus interpunxi. Gifan. *Tanta eſt*, Infra, ſed ſuo loco, legitur hic verſus. Num. 800. At illi alii duo, *tantaque ſenſibili*, &c, *copia*, &c. delendi. Faber.

777. *Scilicet id fieri*, &c.] Huic verſui Codd. ſubjungunt.

Tanta eſt mobilitas, & rerum copia tanta
Tantaque ſenſibili quovis eſt tempore in uno,
Copia particularum, ut poſſit ſuppeditare.

Rejiciunt Interpretes, nec repugno, quamvis Sententia probabilis, & huic loco conſentanea elici ex iis poſſit. Creech.

778. *Multaque in his rebus quæruntur*] *Quærendum*; quidam Vulgati. Gif. Seu *Quærendum*. Uſque ad ℣. 820. Difficultates quaſdam proponit, & explicat: Primam ℣. 9. complectitur, Cum per Simulachra Mens percipiat, unde de re, quacunque libet, cogitamus? Voluntatem enim noſtram obſervare & ad nutum accurrere Imagines, id quidem ridiculum videtur. Deinde ℣. 6. Cùm Simulachra aptè, numeroſe, & decorè ſaltare videantur, an ea credemus hos motus didiciſſe? Iſta profecto eſſet digna Philoſopho cogitatio. Reſpondet *Lucretius* ℣. 21. Præſto adeſſe omne genus Simulachra, ſed cùm tenuiſſima ſint Animum percipere non poſſe niſi ſe contendat, nam negligentem Animum æquè ac negligentem Oculum fugiunt tenuia. Deinde in ſingulis iis, quæ nos putamus, temporis momentis multa ſunt momenta, ita ut plurima Simulachra, quæ ſunt maximè mobilia, quolibet momento Temporis accurrant, & inter illa Imago iſtius rei de qua cogitare placuit. Hæc quidem mihi videtur hujus loci Sententia. Creech.

778. *Multa quærendum*] Pro *multa quærenda.* eſt aparemphaton, hoc eſt indefinitum verbum neque numeris ſerviens neque caſibus: qua figura loquendi Plautus utitur in Amphitryone, Prol. ℣. 33.

Juſtam rem & facilem eſſe oratum a vobis volo.

In codice Ciceronis in Verrem libro ſeptimo ſpectatæ fidei ſic legitur. *Hanc ſibi rem ſperant præſidio futurum.* Plautus idem in Caſina 3: 5: 51.

Altero te occiſurum ait: altero villicum.

cum de ancilla loqueretur. Varro libro primo de Re Ruſtica. *In confragoſo enim ac difficili valentiora parandum.* Lucilius ad Penelopam converſus ait:

Nupturum te nupta negas quæ vivere Ulyxem.
Speras.

Lege Priſcianum libro nono. Pius.

779. *Clarandum eſt*] Clarare oportet, δηλωτέον. ſic ſup. lib. 1: 112.

Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Lamb.

779. *Exponere*] Seu *Expandere* legas, perinde eſt. Creech.

780. *Quæritur in primis, quare, quod quoique libido Venerit, extemplo Mens cogitet.*] Sic M. Tull. oratione pro Milone: *Fingite animis. Liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ: & quæ volunt, ſic intuentur, ut ea cernimus quæ videmus. Fingite igitur co-*

gi-

Anne voluntatem noſtram Simulacra tuentur?
Et ſimulac volumus, nobis occurrit Imago?
Si Mare, ſi Terram cordi eſt, ſi denique Coelum,
Conventus hominum, Pompam, Convivia, Pugnas,
Omnia

INTERPRETATIO.

An Simulachra Voluntatem noſtram obſervant? Et accurrit nobis Imago ſimul ac Volumus? Si placuit cogitare Terram, vel Cœlum, Conventus Hominum, Pompam, Convivia, pugnas,

VARIÆ LECTIONES.

784. *ſi Terram cordi eſt.* ſi terra eſt cordi P. *in not. corr.* cordis eſt X. cordiſt Y. Z.

NOTÆ.

gitatione imaginem hujus conditionis meæ. Idem lib. 1. de nat. Deor. *Chryſippus, qui Stoicorum ſomniorum vaferrimus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum Deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne conjectura quidem informare poſſimus, cùm mens noſtra quidvis videatur cogitatione poſſe depingere. Hæc quæſtio, quare quod cuique libuerit, id cogitet, cùm cogitatio ſimulacris excitetur, pendet ex ſuperiore, quamobrem ſimulacra moveri videantur. Itaque utrique quæſtioni eadem opera reſpondet: ſed Peripateticorum atque Academicorum veterum more, qui ad propoſitam quæſtionem & ad interrogatum pluribus modis, quaſi dubitantes, & ſibi diffidentes, reſpondebant: & tamen poſtremo loco, quam ſententiam & rationem magis probabant, ponebant.* ſic igitur Lucretius hoc loco. Quæritur (inquit) quare, quod cuique libuerit, idipſum continuò mens ejus cogitet. An quia ſimulacra noſtro arbitratu ad nos accurrunt, nobiſque obtemperant, cùm de re aliqua cogitare volumus? an potiùs quia in uno tempore multa deliteſcunt tempora, quæ non niſi ratione eſſe intelliguntur? Atque iccirco fit, ut quovis tempore & quibuſvis in locis ſimulacra præſtò ſint, atque ad nutum noſtrum parata nobis aſſiſtant? Hanc de imaginibus & de cogitandi per imaginum appulſum ratione, Epicuri ſententiam irridet, & improbat M. Tull. Epiſt. quadam ad Caſſium lib. 15. Epiſt. his verbis: *Fit enim neſcio quomodo, ut quaſi coram adeſſe videare, cùm ſcribo aliquid ad te: neque id κατ' εἰδώλων φαντασίας, ut dicunt tui amici novi: qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας ſpectris Catianis excitari. Nam ne te fugiat, Catius Inſuber Epicureus, qui nuper eſt mortuus, quæ ille Gargettius, etiam ante Democritus, εἴδωλα, hic ſpectra nominat. His autem ſpectris etiam ſi oculi poſſent feriri, quòd, cùm velimus, ipſa accurrunt, animus qui poſſit, ego non video. doceas tu me oportebit, cùm ſalvus veneris, in meane poteſtate ſit ſpectrum tuum, ut, ſimulatque mihi collibitum ſit de te cogitare, illud accurrat: neque ſolùm de te, qui mihi hæres in medullis, ſed ſi inſulam Britanniam cœpero cogitare, ejus εἴδωλον mihi advolet ad pectus.* Idem lib. 1. de Nat. Deor. *Quid quòd ſimul ac mihi collibitum eſt, præſtò eſt imago? quid quòd etiam ad dormientem veniunt invocatæ? Tota res, Vellei, nugatoria eſt.* Eodem pertinent illa ejuſdem lib. 2. de divinatione: *Igitur me imago Marii in campum Atinatem perſequebatur. Nulla nempe ſpecies cogitari poteſt, niſi appulſu imaginum. Quid ergo? iſtæ imagines ita nobis dicto audientes ſunt, ut, ſimulatque velimus, accurrant? etiamne earum rerum quæ nullæ ſunt?* LAMB.

782. *Anne*] Dicemus ne hanc eſſe cauſam quia quando aliquid deſideramus ſtatim occurrit imago: quæ ad id nos incitet. *Anne* & *an* indiſcriminatim dicimus. Catullus.

Eſt ne novis nuptis odio Venus: an ne parentum
Fruſtrantur falſis gaudia lachrymulis?

Tranquillus in Auguſto. *Anne refert ubi & in quam arrigas?* PIUS.

783. *Occurrit Imago*] Sic quidem habent libri omnes, & manuſcripti, & typis excuſi, quibus uſus ſum: ſed videtur potiùs legendum *accurrit*, ut declarant ea quæ paullo antè ex Marco Tullio protulimus, ibi: *cùm velimus, ipſa accurrunt*, &c. & ibi, *ejus εἴδωλον mihi ad pectus advolet*, &c. niſi dicamus, *occurrit* poſitum eſſe pro *accurrit*, antiquè, quod aliàs notavimus. lege Feſtum in præpoſitione *Ob*. LAMB. *Occurrit imago*, Ita omnes libri; id eſt, *accurrit*. Nam verbo

R accur-

Omnia ſub verbône creat Natura, paratque?
Quom praeſertim aliis eâdem in regione, locoque
Longè diſſimileis Animus res cogitet omnis?
Quid porro, in numerum procedere quom Simulacra
Cernimus in ſomnis, & mollia membra movere,
Mollia mobiliter quom alternis brachia mittunt?
Et repetunt oculis geſtum pede convenienti?

Sci-

INTERPRETATIO.

an Natura harum omnium rerum Simulachra ad nutum noſtrum creat & pàrata habet? Præſertim cùm Aliorum Animi qui in eadem regione & loco nobiſcum ſunt, res longè diſſimiles cogitarent? Quid porro, cùm in Somnis videmus Simulachra procedere in numerum, & mollia membra movere, cùm molles lacertos alternatim huc & illuc mittunt, & pedum motus pares motus brachiorum fingunt;

VARIÆ LECTIONES.

786. *verbône creat.* verbo recreat Q1.
788. *cogitet.* cogitat X.
792. *oculis.* ollis geſtum *Creech.*

NOTÆ.

accurrendi utitur ſic Cic. 11. de Divin. & lib. xv. Epiſt. ad Caſſ. Gifan.

784. *Si terram cordi eſt*] Lege *ſi terra eſt cordi.* ſi capeſſere volumus iter terrenum an maritimum, nunc nobis illarum rerum occurrit imago: quæ nos ad id laceſſat & provocet. Pius.

786. *Omnia ſub verbône creat*] Omniane ſimulacra ſub verbo gignit natura? Vel ex hoc loco perſpicuum eſt, ubicunqne legitur in codicibus ſive manuſcriptis, ſive impreſſis, *ſimulacra geruntur*, legendum *genuntur*, id eſt, *gignuntur.* Lamb.

789. *Quid porro, in numerum*] Videtur reverti ad priorem quæſtionem, quamobrem ſimulacra in numerum moveri videantur: eamque una opera diſſolvere. Lamb.

791. *Mittunt*] Immittunt: brachio brachium inſertantes: quod & hodie audio obſervari. multinodes chorearum ambages: de quibus Apulejus in decimo: quidam huc vergere contendunt: idque nec minus Ovidianum.

Si mollia brachia, ſalta. Pius.

792. *Et repetunt oculis, &c.*] Puto hunc eſſe verborum ordinem: Et repetunt geſtum pede oculis convenienti, ποσὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς ἁρμόζοντι· vel legendum,

Et repetunt manibus geſtum pede convenienti.

Lamb. *Repetunt Oculis*, Abeat Vox *Oculis*, & ſuccedat *Ollis*, Brachiis viz. meliori jure. Creech.

793. *Scilicet arte madent*] Sic habent libri manuſcripti,

Scilicet arte madent, &c.

inquam, quod ego olim quidem lectori indicaram: neque ſatis probaram, tantumque lectoris judicio rem totam permiſeram: nunc autem, rejecta vulgata lectione,

Scilicet arte valent, &c.

quæ eſt ſuppoſita, antiquam amplector. Lamb. *Arte madent*, Sic lego ex Vet. libris. Marullus fecit: *valent.* contra libros veteres. Et ita vulgati. Vide Indicem: *Madere arte.* Gifanius. Arte inſtructa ſunt; metaphora à re infectoria (quamquam & cibi percocti *madere* dicantur Plauto & aliis) eadem ratione *Lana bibere ſuccum* dicitur Horat. & Virg. Ita & Tertullianus de fraternitate Chriſtianorum; *qui unum* (id eſt eundem) *ſpiritum biberunt ſanctitatis*, & in lib. de pudicitia, *Ebibere notitiam Apoſtoli.* Eadem metaphora à re infectoria Platoni placuit in politicis pag. 57. Edit. Læmarianæ. Sed urgent Operæ,

Scilicet arte madent Simulacra, & docta vagantur,
Nocturno facere ut poſſint in tempore ludos?
An magis illud erit verum, quia tempore in uno
Quom ſentimus id: ut quom vox emittitur una:
Tempora multa latent, ratio quae comperit eſſe:
Propterea fit, uti quovis in tempore quaeque
Praeſto ſint Simulacra locis in queiſque parata?

Tan-

INTERPRETATIO.

Scilicet arte aliqua imbuta ſunt, & docta volitant Simulachra, ut noctu ludos exercere poſſint? An illud magis erit verum, quia in uno tempore cùm ſentimus hos ludos Simulachrorum, ut cum Vox una emittitur, multa tempora latent, quæ Ratio diſcernit eſſe in iſto uno tempore, & inde fit ut quovis in tempore quælibet Simulachra in quibuſlibet locis præſto & parata adſint:

VARIÆ LECTIONES.

793. *madent.* valent A. D. M. N. P. Q. X. madet a.
794. *poſſint.* poſſent Q. X.
795. *tempore in uno.* tempore in illo, antiqui & fidei ſpectatæ codd. P.
796. *Cum ſentimus id; ut.* Conſentimus, id eſt cùm A. B. c. N. O. P. Q1. X. Y. Z. Hunc verſum rejicit L. nec revocat *Creech.*
799. *ſint.* in Q. Y. ſin Z. *locis in queiſque.* locos in quoſque C. E. P. Q. locos in queiſque N. X. Y. Z. loco ſibi quiſque parato V. loco ſui quiſque parata.

NOTÆ.

ræ, & indicaſſe ſatis eſt. FABER. *Arte madent*, Ita Codd. & rectè: Alii tamen *Valent.* CREECH. *Arte madent*, in integris librorum monumentis conſervatum reperimus, non ut in degeneribus editionibus: *arte valent.* Ut enim *arte imbui* dicimus, ſic & *arte madere* honeſta eademque translatione Romanos veteres dixiſſe defendimus. *Turneb. Adv.* XIII. 20. PREIG.

795. *An magis illud*] Id eſt, an potiùs illud erit verum, quia in uno tempore multa incluſa ſunt tempora: quibus ſingulis temporibus ſingulæ nobis paratæ præſtò ſint imagines? LAMB.

795. *Tempore in uno*] In Vet. quibuſdam: *illo.* GIFAN.

796. *Cùm ſentimus, &c.*] Hunc verſum delendum puto, ut ſpurium. Nam & corrumpit ſententiam hujus loci, & nullam ipſe probabilem ſententiam continet, niſi quis dicat. hoc modo retineri & interpretari poſſe: An magis illud erit verum, tum cùm id ſentimus; id eſt, cùm videntur nobis imagines in numerum brachia jactare, & ſaltare, in uno tempore, multa incluſa latere tempora, ut cùm vox una uno tempore miſſa, plura tempora metitur? Omnino in hoc loco, atque in hoc verſu mihi aqua hæret. Adde quòd in quatuor lib. Manuſcr. ita eum ſcriptum reperi,

Conſentimus, id eſt, cùm vox emittitur una:

cujus ſcripturæ quæ ſententia aut quæ ratio ſit, non ſatis diſpicio. Putavi aliquando ſic legendum,

Cùm ſentimus item, ut, cùm vox emittitur una:

vel ſic,

Cùm ſentimus idem, ut cùm vox emittitur una.

ſed quorſum hæc, cùm mihi delendus eſſe videatur? LAMB. *Conſentimus, id eſt*, ita fere veteres libri. In aliis: *Cùm ſentimus, id ut.* GIFAN. Verſus ſpurius, cujus ſententia ſtare non poteſt. FABER. *Cùm ſentimus id*, &c. Alii

Conſentimus, id eſt, cùm Vox emittitur una:

ejiciunt Interpretes meliores, nec Ego revoco. CREECH.

799. *Locis in queiſque parata*] Sic habent quatuor libri manuſcripti, Vatic. Scipionis, Faërni, Bertinianus: & ita legendum eſt. cum his congruunt

Tanta eſt mobilitas, & eorum copia tanta.
  Et quia tenuia ſunt, niſi ſe contendit, acutè
Cernere non potis eſt Animus; proinde omnia, quae ſunt
Praeterea, pereunt, niſi quae ex ſe ipſe paravit.
Ipſe parat ſeſe porro, ſperatque futurum,

Ut

INTERPRETATIO.

Tanta eſt illorum mobilitas, & tanta ubique Copia. Et quoniam hæc Simulachra tenuia ſunt, Animus non poteſt videre illa niſi (attendat) ſe contendat, ideoque omnia Simulachra, ad quæ percipienda ipſe ſeipſum contendendo non parat, inobſervata pereunt. Animus autem ſeipſum parat, & ſperat futurum

VARIÆ LECTIONES.

800. *Tanta eſt mobilitas, & eorum copia tanta.* Tanta mobilitas eſt V. X. Tanta his P. & rerum copia A. B. C. E. N. P. V. Tanta mobilitas ſtet rerum c. t. Y. Tanta mobilitaſt & rerum copia tanta Z. *Poſt hunc inſeruntur duo ſequentes*: Hoc ubi prima (*Alii* tanta) perit, alioque eſt altera nata, Inde ſtatim prior hic geſtum mutaſſe videtur C. P. E. Q. X. Y. Z. hæc P. prima E. P. *Hic duo verſus deſunt in* N.

801. *ſe contendit.* quæ contendit A. B. C. E. N. P. Q1. X. Y. Z. *ſatis bene.*

803. *niſi quæ*, &c. niſi ſic ſeſe L. & *alii.* niſi quæ ex ſeſe ipſe C. E. N. P. Q1. niſi quæ ex ſe ipſe Q. V. X. Y. Z. quam lectionem eſſe veram, ſequentia oſtendunt.

804. *futurum.* futuram N. P. Q. X. Z.

805. *videat.* videas *quidam.*

NOTÆ.

gruunt illa Marci Tullii lib. 1. de Nat. Deor. quem paullo antè protuli: *Fluentium frequenter tranſitio fit viſionum, ut è multis una videatur.* Lamb.

800. *Tanta eſt mobilitas, & eorum*] Hoc loco duntaxat & ſcribi, & legi debet hic verſus. Jam duos verſus, qui deinceps in omnibus libris leguntur, ſuſtuli, ut alieno loco inculcatos, & fruſtra repetitos, & minime ad hunc locum quadranteis. leguntur enim ſuprà ſuo loco poſt verſum,

Nam fit ut in ſomnis facere hoc videatur imago.

aptè enim ſequitur,

Quippe ubi prima perit, &c.

prima autem imago ſcilicet. At hîc non licet ita dicere, quia non antecedit nomen *imago*, ſed vox *ſimulacra*, quæ eſt numerì multitudinis. Lamb. *Tanta eſt*, Duos illos verſus: Hoc, *ubi prima perit.* ut alieno loco inculcatos, cum Lambino circumſcripſimus. Gifan.

801. *Et quia tenuia ſunt*) Quærere aliquis poterat: ſed ſi mens cogitare non poteſt, niſi per occurſum ſeu accurſum ſimulacrorum, &, ſi, quod cuique libuerit, id cujuſque mens facilè cogitare poteſt, quia quovis tempore & quovis in loco parata ſunt, & præſto ſunt ſimulacra: quî fit, ut, cùm infinita & omnis generis ſimulacra ei præſtò ſint, non æquè videat eodem tempore ea quæ non vult, atque ea quæ vult? reſpondet Lucretius, ea ſimulacra, quibus mens movetur, & quæ videt, eſſe tenuiſſima, & longè tenuiora ſcilicet, quàm quæ oculis cernimus. Quapropter animus non, niſi ſe contendit acutè, ea cernere poteſt. ea igitur, quæ accuratè & contentè cernit, cernit acutè, quæ verò lèviter, & (ut ita dicam) aliud agens cernit, ea dilabuntur & pereunt. Idque ex ſimilitudine oculorum intelligere licet, qui cùm rem aliquam cernere cœperunt (quod ſine ſimulacris facere non poſſunt) eam rem acutè cernere non poſſunt, niſi ſimulacra illa contenta acie cernant. Lamb.

801. *Niſi ſe contendit, acute Cernere*) Sic reſtitui; reclamantibus omnibus codicibus, admonitus ab eo loco qui eſt infrà ſeptimo abhinc verſu

Ut videat, quod conſequitur rem quamque: fit ergo.
Nonne vides, Oculos etiam, quom, tenuia quae ſint,
Cernere coeperunt, contendere ſe, atque parare,
Nec ſine eo fieri poſſe, ut cernamus acutè?
Et tamen in rebus quoque apertis noſcere poſſis,

Si

INTERPRETATIO.

ut videat, quod rem quamque conſequitur, Ideoque cernit. Nonne etiam obſervas Oculos, cùm res tenues & ſubtiles cernere conantur, ſeſe contendendo ad eas cernendas parare, nec fieri poſſe ut ſine iſta contentione acutè cernamus? Obſervare etiam potes, quòd niſi animum advertas,

VARIÆ LECTIONES.

806. *ſint.* ſunt D. E. Q. X. Y. Z. *dein ibid. in m. iterum ut & in* X. Y. *repetitur.* vſ. 803.

808. *fieri poſſe.* poſſe fieri X.

NOTÆ.

ſu: in quo ita loquitur,

——— ——— *contendere ſe atque parare.*

Contendere autem his locis agendi vim habet, ut cùm dicimus, *contendere nervos*, *contendere actem oculorum*, *contendere vireis.* Idem Lucret. inf. eod. libr. 986.

Et quaſi de palma ſummas contendere vireis.

Idem lib. 1: 67.

Primùm Grajus homo mortaleis tendere contrà
Eſt oculos auſus.

ad quem locum plura. LAMB. *Niſi quæ contendit,* Ita libri omnes. Lambinus tamen legit: *ſe.* rectius fortaſſe: ut mox: *contendere ſe atque parare.* Et tamen vetus ſcriptura non eſt mala, ut mox:

Præterquam queis eſt in rebus deditus. GIFAN.

802. *Omnia quæ ſunt præterea*) Id eſt, omnia ſimulacra, quæ ſunt præter illa, ad quæ cernenda animus ſeſe contendit & parat, pereunt. LAMB.

803. *Niſi ſic ſeſe ipſe paravit*) Id eſt, niſi ſeſe contendit, ut ea cernere queat, nempe dum rerum conſecutionem & feriem conſiderat. LAMBIN.

804. *Ipſe parat ſeſe porro*) Porrò (inquit) ipſe animus ſeſe componit & parat ad cernendum, ſperatque fore, ut videat id quod quamque rem conſequitur, id eſt, quod cuique rei eſt conſequens. LAMB.

806. *Nonne vides*) Hoc oſtendit à ſimili. LAMBIN.

808. *Nec ſine eo*) Id eſt, niſi ſe contendant & parent ad cernendum. Etiam Mathematici docent, primùm, adſpectus alios fieri per lineas a punctis rerum adſpectabilium ad perpendiculum in oculum, ſeu in viſum incidenteis; & hi adſpectus diſtincti appellantur: alios per lineas, quæ a rebus adſpectabilibus non cadunt in viſum ad perpendiculum; & hi indiſtincti nominantur: deinde omnem adſpectum fieri vel inſpectione ſimplici, & ſubita oculi adjectione ad rem aliquam; vel contuitione accurata, & intenta. Ut igitur rem aliquam acutè cernam, & planè ac perfectè inſpiciendo cognoſcam, duo concurrere oportet: unum, ut res quæ cernitur, oculo ſit ad perpendiculum oppoſita, lineæque à re quæ cernitur, in oculum ad perpendiculum incidentes, pyramidem efficiant, cujus vertex ſit in puncto medio oculi, baſis verò in extremitate, ſeu ſumma cæſura rei quæ cernitur: alterum, ut rei contuitio ſit diligens & accurata, & tam diuturna, quantum ſatis ſit. LAMB.

809. *Et tamen in rebus*] Licet (inquit) intelligere, etiam in rebus apertis ac manifeſtis, niſi animum attendas, dùm eas cernis, & ſi aliud agas, aut ſi peregrinetur animus, proinde eſſe, quaſi eæ ipſæ res omni tempore abs te fuerint remotiſſimæ, tibique obſcuriſſimæ. ſic M. Tull.

lib.

Si non advertas Animum, proinde eſſe, quaſi omni
Tempore ſemotae fuerint, longèque remotae.
Cur igitur mirum eſt, Animus ſi caetera perdit,
Praeter quàm quibus eſt in rebus deditus ipſe?
Deinde adopinamur de ſignis maxima parvis:
Ac nos in fraudem induimus, fruſtramur & ipſi.

Fit

INTERPRETATIO.

res quæ menti manifeſtè obverſantur proinde eſſe ac ſi a Mente tua ſemper fuerint longè remotæ. Cur igitur mirari debemus iſta inobſervata ab Animo perire, ad quæ obſervanda ipſe Animus non ſe contendit? Deinde a parvis ſignis maxima adopinamur, & eo modo nosmet ipſos in errores præcipitamus.

VARIÆ LECTIONES.

811. *ſemotæ* ——— *remotæ*. Semotum fuerit ——— remotum A. B. C. E. I. N. P. Qm. X. Y. Z. *fuerint*. fuerit X. Z.

812. *ſi*. que ſi Z.

813. *Præter quàm*. Præterquam A. B. Præterea Qm. Præterea quam X. Y. Z. Præterea, quàm quis eſt rebus C. E. Præter quàm, quibus eſt in c. N. Præterea quam qui eſt rebus deditus ipſe Q2.

815. *Ac nos*. At nos D. *fruſtramur & ipſi*. fruſtra nimis ipſi C. E. Q1. V. X. fruſtramur id ipſi A. B. c. P. fruſtra minus Q. fruſtram inis ipſi Y. fruſtraminipſis Z.

NOTÆ.

lib. 1. Tuſcul. *Itaque ſæpe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris oculis, & auribus, nec videmus, nec audimus.* Lamb.

811. *Semotæ fuerint, longeque remotæ*] Sic legendum vel invitis omnibus codicibus, in quibus legitur,

——— *ſemotum fuerit, longeque remotum*:

&, ut ita legatur, ſententia ipſa flagitat. Lamb. *Semotum fuerit, longæque remotum*, Lambinus: *ſemotæ fuerint, longeque remotæ*. Ego non auſim contra omnes libros, imò nolim. Gifan.

813. *Præter quam quibus eſt in rebus*] Secutus ſum cod. Pariſienſ. Venetos antiq. Flor. etiam Bertin. & Memm. Manuſcriptos. hoc tamen intereſt inter Venetos & Florent. quòd in Florent. legitur, *queis eſt in rebus*, & ita in Bertiniano: in Venetis, *quibus eſt in rebus*, & ita in Pariſ. Jam hoc loquendi genus, *deditus in rebus*, *deditus in ſtudio*, uſitatum fuit antiquis. Catull. in nuptias Juliæ & Manlii:

Non tuus levis in mala
Deditus vir adultera.

Iterum Lucret. ſuprà lib. 3: 648.

Et ſimul in pugnæ ſtudio quod dedita mens eſt.

Cato: *Poëticæ arti honos non erat. ſi quis in ea re ſtudebat, aut ſeſe ad convivia applicabat, graſſator vocabatur.* Lamb. *Præter, quam quibus eſt*, Ita in veteribus noſtris, & aliis. In quibuſdam: *queis*. Gifan.

815. *Ac nos in fraudem induimus*] Eleganter & venuſtè dictum *induere ſe in fraudem*. ſic M. Tull. Verr. de jure dicundo: *Hic videte in quot laqueos ſe induerit.* Idem in Lucullo: *Philo autem dum nova quædam commovet, quod ea ſuſtinere vix poterat, quæ contra Academicorum pertinaciam dicebantur: & aperte mentitur, ut eſt reprenſus à patre Catulo, &, ut docuit Antiochus, in idipſum ſe induit, quod timebat.* Idem de divin. lib. 2. *Cur vos induitis in eas captiones, quas numquam explicetis?* Plaut. Caſina 1: 25.

Mea præda eſt illa: proin tu te in laqueum ne induas. Lamb.

815. *Fruſtramur & ipſi*] Cùm in codicibus quibuſdam Manuſcriptis reperiſſem ſcriptum, *Fruſtraminipſis*, idque cum litura: in aliis, *fruſtramur id ipſi*, & ita in Parienſ. & Venetis antiq. ego

Fit quoque, ut interdum non ſuppeditetur Imago
Ejuſdem generis, ſed Foemina quae fuit antè,
In manibus Vir tum factus videatur adeſſe:
Aut alia ex aliâ facies, aetaſque ſequatur:
Quod ne miremur, Sopor, atque Oblivia curant.
Iſtud in his rebus vitium vehementer ineſſe:

Effu-

INTERPRETATIO.

Accidit etiam ut nonnunquam Simulachrum diverſi generis adveniat, ita ut quæ modò fuit fœmina, repente Vir fieri videatur, aut res alia diverſæ planè faciei & diverſæ ætatis (Senex Juvenem ſequatur. Hæc verò mirari non debemus, quia ſomno ſopiti tum ſumus, & maximam partem obliviſcimur. At ſumma contentione Animi memento vitare iſtum

VARIÆ LECTIONES.

816. *non.* nos Q. X. Y. Z. in nos. Q1.
818. *tum.* uti N. Y. Z.
820. Deëſt Q. Z.
821. *Iſtud.* Illud A. B. C. D. E. L. P. *Vitium vehementer ineſſe.* Ita X. Y. Z. vitium vehementur, & iſtum *Edit. Vulg.* vitium vitare memento, F. vehementer ineſto A. B. C. E. I. & V. P. noſſe *Quidam ſubaudi χεῖ.* & illum D.

NOTÆ.

ego *fruſtamur & ipſi*, repoſui: quæ ſcriptura perſpicuè vera eſt. Jam verò etiam Ariſt. lib. de inſomniis ſcribit, nos facilè decipi ac falli circa ſenſus, maximè cùm perturbati aliquo animi motu ſumus; ut amantes videntur ex parva ſimilitudine eam quam amant, cernere; timidi & ignavi hoſtium conſpectum ſibi fingunt, &c. cujus rei exſtat exemplum apud Cæſ. libro primo, de bello Gall. ubi narrat, *Conſilium quendam, alioqui rei militaris peritiſſimum, cùm exploratum, quid hoſtes agerent, miſſus eſſet, metu perterritum, quod non vidiſſet, pro viſu ſibi renuntiaſſe.* LAMB. *Fruſtramur id ipſi*, Sic fere omnes libri veteres. In quibuſdam Vulgatis: *fruſtra nimis.* Lambinus conjicit: *fruſtramur &.* GIF. Verbum *fruſtrari* ſimiliter occurrit 4: 565. & 969. ſatis commoda tamen MSS. eſt lectio *fruſtra nimis ipſi.* HAV.

816. *Fit quoque ut interdum, &c.*) Tertia, (ſi ſit alia a præcedentibus) difficultas ℣. 5. continetur: Eadem viz. Imago modò Mas, modò Fœmina, modò Puer, & ſubitò Senex per ſomnum apparet; Sed iſta eo modo quo reliquæ explicari poteſt: Saltem in explicandis Somniis, quorum maximam partem obliti Sumus, fruſtra moramur. CREECH.

820. *Sopor atque Oblivia curant*] Hoc ſignificat: non miramur, dum dormimus, quæ antè fæmina nobis viſa ſit, eam nunc virum eſſe factam, propterea quòd tum

——— *meminiſſe jacet, languetque ſopore,*

ut ſuprà dixit ℣. 769. *ſopor atque oblivia curant.* Id eſt, efficiunt, ne hoc miremur. tralatio eſt. ſic loquitur lib. 3: 128.

——— ——— ——— *calidique vaporis*
Semina curare, in membris ut vita moretur.

& libro quinto: 1014.

Ignis enim curavit, ut alſia corpora frigus
Non ita jam poſſent cæli ſub tegmine ferre. LAMB.

821. *Illud in his rebus vitium vehementer ineſto;*
Effugere illorumque errorem præmeditemur,]
Ita ex veteribus libris ſcripti. In quibuſdam erat: *præmetitemur.* Hinc in aliis: *præmetuentur.* Noſtra veriſſima eſt ſcriptura; quam veteres interpretantur, imo totus locus poſtulat. GIFAN. *Illud in his rebus vitium vehementer, & iſtum Effugere errorem, vitareque præmeditator.* Hos duos verſus indignis modis corruptos, ego veſtigia ſcripturæ veteris odoratus, & Lucretii ſententiam ipſis cubilibus perſecutus, non infeliciter, mea quidem ſententia, reſtitui. Sed proponam primùm ſcripturarum diſſimilitudines: deinde ejus ſcripturæ quam probavi, ſententiam explicabo.

Effugere errorem, vitareque praemetuenter,
Lumina ne facias Oculorum clara creata,

Pro-

INTERPRETATIO.

Errorem, qui apud multos obtinuit, neque credas ſplendidos Oculorum orbes

VARIÆ LECTIONES.

822. *Effugere errorem, vitareque præmetuenter.* Ita *Gronov. & Nos ex MSS. veſtigiis, atque præſertim Z. qui ita plane exhibet.* Et fugere ——— præmetuenter *Quidam.* illorumque errorem præmetuenter F. illorumque errorem præmeditemur A. B. I. K. errorem illorum, qui hæc præmeditantur C. E. N. præmeditemur c. O. P. errore multare multare (bis *ita repetitur*) quæ præmetuentur Q. Errorem multas, quæ prima tuentur Q1. præmeditentur Q2. præmetuenti ut V. Effugere errore multare quæ præmentuentur X. Effugere errore multareque præmetuentur Y.

823. *ne facias.* Ita N. Q. Y. Z. *Alii* non facias. qui faciunt A. B. *ubi in ut. ut & X. dein ſequitur hic verſus poſt* vſ. 824. Quod re (*Al.* ne) miremur f. a. o. c.

NOTÆ.

cabo. Sic igitur ſcriptum eſt in cod. Vatic.

Illud in his rebus vitium vehementer ineſſe
Effugere errore, multareque præmetuentor:

in Tett. & Faërn.

Effugere errores, multaſque præmetuentur:

in Bertin.

Effugere errorem, vitareque præmetuenter:

in Memm.

Effugere errore, vitareque præmetuenter.

cod. typis impreſſi, Pariſ. & Venet. antiqui,

Effugere errorem, vitareque præmeditemur.

ceteri vulgati ita corrupti ſunt, ut pigeat me referre. Sic igitur repono,

Illud in his rebus vitium vehementer, & iſtum
Effugere errorem, vitareque præmeditator, &c.

id eſt, multò antè meditator in his rebus illud vitium, iſtumque errorem effugere ac vitare, ne ſcilicet facias, neve exiſtimes, oculos ejus rei gratia eſſe creatos, ut cernamus; ſuras & pedes, ut ambulemus; brachia & manus ad ea facienda, quæ ad vitam ſint utilia, &c. Non enim membra aut quicquam omnino in corporibus noſtris natum eſt, ut eo utamur: ſed ex eo quod natum eſt, proficiſcitur uſus. Neque enim viderunt homines, antè quàm oculos à natura habuerunt, neque antè orationes habuerunt, aut omnino locuti ſunt, quàm lingua creata eſt: ſed contrà & oculi priùs creati ſunt, quàm quicquam cernerent, & lingua priùs nata eſt, quàm loqui poſſet. Quod ſi id verum eſſet, quod quidam arbitrantur, membra eſſe creata, ut eis cerneremus, audiremus, fabricaremur, ambularemus, &c. ſequeretur ex eo, nos & priùs, quàm oculos haberemus, cernere, & ſine manibus fingere aut pingere, & ſine pedibus ambulare potuiſſe. Nam quicquid alicujus rei fit gratia, id ea re, cujus rei cauſa comparatur, poſterius eſt tempore: ut lectus dormiendi & quieſcendi cauſa factus eſt; poculum bibendi cauſa comparatum eſt; parma tegendi corporis & vitandæ plagæ gratia reperta eſt. at priùs quàm lecti, pocula, parmæ eſſent; & quieſcebant, & bibebant, & plagam vitabant homines. Cùm igitur neque antè quàm oculi eſſent creati, cernere; neque ante pedum originem, paſſus proferre; neque ante manus factas, quicquam contrectare potuerint homines: falſum eſt & oculos cernendi, & pedes ambulandi, & manus contrectandi cauſa eſſe factas. Aliter ſentiebant Stoici, ut refert M. Tull. lib. 3. de Finib. *Jam membrorum, id eſt, partium corporis, alia videntur propter eorum uſum à natura eſſe donata, ut manus, crura, pedes, & ea quæ ſunt intus in corpore, quorum utilitas quanta ſit, à medicis diſputatur: alia autem nullam ob utilitatem, quaſi ad quendam ornatum, ut cauda pavoni, plumæ verſicolores columbis, viris mammæ atque barba.* Hanc autem Epicuri opinionem refellit & Luta-

Proſpicere ut poſſimus: &, ut proferre viaï
Proceros paſſus, ideo faſtigia poſſe

Sura-

INTERPRETATIO.

ideo factos eſſe ut videamus, aut longas tibias erectas fuiſſe,

VARIÆ LECTIONES.

825. *faſtigia.* veſtigia poſſe, C. N. P. Q. X. *priſci codd.* P. faſtigia.

NOTÆ.

tatius, ſive Lactantius, lib. de opificio dei, his verbis: *Dixit enim neque oculos ad videndum eſſe natos, neque aureis ad audiendum, neque pedes ad ambulandum: quoniam membra hæc priùs nata ſunt, quàm eſſet uſus videndi, & ambulandi: ſed horum omnia officia ex natis exſtitiſſe. Vereor ne hujuſmodi portenta & ridicula refutare non minùs ineptum eſſe videatur. Sed libet ineptire, quoniam cùm inepto agimus, ne ſe ille nimis argutum putet. Quid ais Epicure? Non ſunt ad videndum oculi nati? &c.* Cùm hæc ſcripſiſſem, Zoilus hac mea emendatione improbata, ſic emendandum cenſuit,

Illud in his rebus vitium vehementer ineſto
Effugere, illorumque errorem præmeditemur,
Lumina qui faciunt, &c.

non ſolùm contra omnium librorum manuſcr. auctoritatem, verùm etiam præter rationem, & ſine ulla ſententia. Sed omnino malo mea ab iſtis Zoilis improbari, quam compilari & harpagari. Simeo Boſius, homo acerrimi judicii, cùm hæc jam ſcripſiſſem, & ita excudi juſſiſſem, dixit mihi, ſibi videri ita poſſe legi,

Illud in his rebus vitium vehementer viſe
Effugere, errorem vitareque præmetuenter, &c.

viſe effugere inquit, id eſt, vide ut effugias: *præmetuenter* inquit, id eſt, præcautè, περιπεφυλαγμένως. LAMB.

Iſtud in his rebus vitium vehementer, & iſtum
Effugere errorem, vitareque præmeditator,
Lumina ne facias, &c.

Tanta in MSS. Codd. varietas eſt, uti monuit Lambinus, vix ut certi quidquam conſtituere poſſis: alii enim habent,

Illud in his rebus vitium vehementer ineſſe,
Effugere errore, multareque præmetuentor.

Alii autem:

Effugere errores multaſque præmetuentur..

Quidam etiam:

Effugere errore, vitareque præmetuenter.

Sed Giſanius rem εἰς ἄκρον provexit. ſic enim legit.

Illud in his rebus vitium vehementer ineſto.

Admirabilem vero Latinitatem & dignam ejuſmodi auribus. Ego autem, ſi quid in tanta verborum confuſione tutò licebit tentaſſe, legam,

Illud in his rebus vitium vitare memento,
Effugere illorumque errorem præmetuenter,

Id eſt, caute, ſedulo, conſiderate. Sed hoc hariolari eſt; tamen advocato judicio hariolamur. FABER. *In Emend.*

821. *Iſtud in his rebus*] Vide Emendationes. Ceterum, ſi quod in Phyſicis Epicuri maxime improbabile eſt, hoc ipſum, quod hic aſſerit Lucretius, tale eſt. Sed quamobrem ita judicavit? Videlicet (hæc mea ſententia eſt, alii fortaſſe aliam afferent) ſi Stoicorum opinionem ſecutus fuiſſet, videbat ſibi neceſſario admittendam eſſe Providentiam; quæ ex conſideratione & uſu partium humani corporis elucefcit maxime. Inde eſt quod dicere ſoleo. Galeni librum de *uſu partium* ad comparandam Dei ejuſque providentiæ cognitionem longe plus prodeſſe, quam omnes omnino aliorum libros, qui ſuper iis rebus conſcripti à veteribus fuerint. FABER. *In Notis.*

821. *Illud in his rebus vitium,* &c.] Giſanius,

Illud in his rebus vitium vehementer ineſto,
Effugere illorumque errorem præmeditemur.

Alii,

Illud in his rebus vitium vehementer viſe
Effugere, errorem vitareque præmetuenter.

Faber,

Illud in his rebus vitium vitare memento,
Effugere illorumque errorem premetuenter.

Surarum, ac Feminum pedibus fundata plicari:
Brachia tum porro validis ex apta lacertis
Eſſe, Manuſque datas utraque à parte miniſtras,
Ut facere ad vitam poſſimus, quae foret uſus.
Caetera de genere hoc inter quaecunque pretantur:

Omnia

INTERPRETATIO.

& femora iis innixa pedibus fundari ut poſſimus ambulare, deinde Brachia e validis lacertis formata, & manus agiles & miniſtras ab utraque parte eſſe datas, ut ea faciamus quæ ad vitam ſunt utilia: Et quodcunque dicunt de aliis quibuſcunque partibus Corporis (*nempe illas propter uſum fieri*)

VARIÆ LECTIONES.

827. *tum.* cum P. Qm. X. *corrig.* P. nec *ex codd. eruderatiſ. ex apta.* exapta P.
828. *à.* in N. delet Q. X. Y. Z.
829. *poſſimus.* poſſemus Qm. X. Y. Z. *foret uſus.* forenſes Z.
830. *pretantur.* precantur P. Q. X. Z. *ſed rectè corrigit. in not.* P.

NOTÆ.

Id eſt cautè, ſedulò, conſideratè. Neſcio quis

Illud in his rebus Vitium vehementer nôſſe
Et fugere errorem vitareque præmetuenter.

Subauditur χρὴ, oportet: Nardius denique

Effugere errorem illorum, qui hæc præmeditentur.

Sed de his litigent Grammatici; Præcedenti diſputationi ſubjicit verſ. 35. aliam Epicuri opinionem, quam, niſi Providentiam admitteret, explicare & defendere fuit neceſſe. Hæc autem eſt, Nihil in procreandis Animalibus Providentiæ ratio molita eſt, nam neque Oculi facti ſunt ad videndum, neque Aures ad audiendum, neque Lingua ad loquendum, neque Pedes ad ambulandum, quoniam priùs hæc nata ſunt quàm eſſet Loqui, Videre, Audire, Ambulare; Uno verbo, docuit *Epicurus*, non membra facta ex deſtinatione ad Uſum, ſed membris caſu genitis oblatum Uſum arreptum fuiſſe: Nam, ut quidpiam ob Uſum fiat aliquem, præcognoſci debet Uſus, aut præexiſtere aliquid ex quo is Uſus neceſſarius commoduſve ſignificetur. Nempe niſi Uſus quidam præfuiſſet pugnandi, indormiendi, ſitim reſtinguendi, futurum non fuit ut Arma, Cubilia, Pocula excogitentur. Oculus verò Videndi cauſa non potuit fieri, cùm nihil eſſet Viſum, & ignoraretur quidnam Viſio foret; Neque Auris Auditus cauſa, cùm & nihil foret Auditum, & neſciretur quid eſſet Auditio: Atque ita de Aliis. Creech.

Gifanii hæc nota eſt: „ita ex v. l. ſcripſi, in quo „erat *præmetitemur.* hinc in al. *præmetuenter.* no„ſtra veriſſima eſt ſcriptura. quam v. interpre„tantur, immo totus locus poſtulat.„ Non puto. Neque enim *τὸ illorum* aut *qui faciunt* in ullo codice reperire eſt. Lambinus: *& iſtum Effugere errorem vitareque præmeditator.* Egregie vero habetur in MS. Voſſiano & Bertiniano Lambini, ſatiſque evidenter alii alludunt:

Effugere, errorem vitareque præmetuenter,
Lumina ne facias oculorum clara creata,
Proſpicere ut poſſimus.

Diſputat contra eos, qui ajunt membra uſus cauſa & cum uſu creata. Ineſto, ait, effugere vehementer in his rebus illud vitium & vitare præmetuenter errorem, ne opineris lumina clara creata, ut videremus. *Præmetuenter* (quam elegantem particulam exturbarunt editores) idem eſt quod prudenter, circumſpecte. Notum eſt præceptum morale, prudentem metuere magis quam ſperare. Pro *ineſto* quidem habebat & optimus codex, *ineſſe.* Sed hæc exertatio librarii eſt, *Vehementer ineſto*, id eſt. Hoc tibi inculcatum, hoc infixum ſit. Gronov. MSS. *ineſſe Effugere, &c.* Fac *ineſto* & conjunge cum ſequenti verbo. [in hunc modum:

Illud in his rebus vitium vehementer ineſto
Effugere, errorem vitareque, præmetuenti, ut
Lumina ne facias, &c.

ita

Omnia perverſa praepoſtera ſunt ratione.
Nil adeo quoniam natum eſt in Corpore, ut uti
Poſſemus, ſed quod natum eſt, id procreat uſum;
Nec fuit ante Videre Oculorum lumina nata:
Nec dictis Orare priùs, quàm Lingua creata eſt:

Sed

INTERPRETATIO.

futile & ineptum eſt, & veræ Philoſophiæ adverſatur. Quoniam nulla pars Corporis ideo facta eſt, ut illa poſſemus uti, ſed poſtquam facta fuit ſuum uſum invenit: Nam Videre non fuit ante factos lucidos Oculorum orbes, nec Loqui antequam lingua facta eſt;

VARIÆ LECTIONES.

832. *Nil adeo.* Nihil ideo. A. B. N. Qm. X. Z. *quoniam.* quando Qr. cum X.
833. *procreat uſum.* procreatum Q. procreat uſus Q1. procreatum ſit X.
834. *Oculorum.* oculi quam *priſci codd.* P.

NOTÆ.

ita enim diſtinguendi erunt hi verſus, ut ſit ſenſus: ineſto tibi effugere, & vitare errorem, præmetuenti, ut ne facias, &c. Aut ſi *ineſſe* ſe recte habeat, ſubintelligendum *ſcito*, *cognoſce*, *obſerva.* quales ellipſes alibi multas congeſſimus. Sed potius lege:

Illud in his rebus vitium vehementer noſſe
Et fugere errorem vitareque præmetuenter,
Lumina, &c. Vossius.

Ex hiſce omnibus eam, quam vides in Editione noſtra, lectionem concinnavi, in qua non tantum ſcripſi *præmetuenter*, ſed etiam *ineſſe*; illud ultimum nova ratione, non ſcilicet ut ſubintelligam *puta* vel *ſcito*, verum ex Græciſmo adducta ratione, amant enim ſæpe Græci, Attici præſertim, *infinitivum* pro *imperativo* uſurpare, ut Phocylides:

Μέτρῳ μ̃ φαγέειν, πιεῖν ϗ μυθολογεύειν.

id eſt, *Moderate edito*, *bibito*, *ac loquere*, pro φάγε, πίε, ϗ μυθολόγευε. Neque dubito quin ut alia multa, ita & hanc elegantiam politiores ex Latinis poëtis ſint imitati, noſque in iis videremus, ſi per editores licuiſſet. In Lucretio autem non modo hic optimi MSS. ſed & pariter lib. 1: 650. *infinitivum* uſurpant:

——— ——— *ſi partes ignis eandem*
Naturam, quam totus habet ſuper ignis, habere.

quamvis ibi pro *imperativo* adhiberi non poteſt, ſed *putas*, vel *ſtatuas* ſubintelligi debet. Hav.

826. *Plicari*] Torqueri, convolvi: unde vulgo tibias & crura *campas* appellant. quoniam plicantur & flectuntur. κάμπη græce flexura dicitur. Erucam, quæ in orbem convolvitur, Plautus *campam* vocat, & Modeſtus Columella eo verſiculo.

Volvitur ad terram diſtorto corpore campe. Pius.

827. *Brachia cum porro*] Corrige ex codicibus eruderatis. *Brachia nec porro.* nec tu præterea dixeris: inquit poëta: brachia eſſe data ut nos juvent miniſterio ſuo: ſed nos juvant potius quoniam data ſunt. Pius.

827. *Eſſe ex apta*] Eſſe conjuncta. *Aptum* junctum dicimus. hinc illud Æneid. 4: 482. *ſtellis ardentibus aptum*: & *aptare* conjungere: a græco ἅπτειν. Pius.

829. *Ut facere poſſimus quæ foret uſus*] Iſtud *foret* ſatis probare videtur, legendum, non *poſſimus*, ſed *poſſemus*; Neque ut aliter loquamur ratio ipſa ſinat. Quis enim cum ferat qui ſic ſcripſerit, *Membra ideo nobis data eſſe ajunt ut illis utamur ſi opus eſſet*; dicendum enim fuit, *ut illis uteremur.* Scribe itaque *poſſemus.* Faber. *Quæ foret uſus*, Id eſt, quæ foret opus. quidam tamen legunt, *quæ ferat uſus.* Ego malim hîc nihil mutare, & pro *poſſimus*, legere *poſſemus.* Lambin. *Quæ foret*, Rectius quam *quæ ferat.* Creech.

830. *Inter quæcumque pretantur*] Quæcunque interpretantur, tmeſis. Lamb.

832. *Nihil ideò*] Forte *adeo.* Gifan.

834. *Nec fuit ante videre*] Ordo eſt: nec vide-

Sed potius longè Linguae praeceſſit origo
Sermonem: multoque creatae ſunt priùs Aures,
Quàm Sonus eſt auditus: & omnia denique membra
Antè fuere, (ut opinor) eorum quàm foret uſus.
Haud igitur potuêre utendi creſcere cauſa.
At contrà conferre manu certamina pugnae,
Et lacerare artus, foedareque membra cruore,
Antè fuit multò, quam lucida tela volarent.
Et volnus vitare priùs natura coëgit,
Quam daret objectum parmaï laeva per artem.
Scilicet & feſſum corpus mandare quieti,

Multò

INTERPRETATIO.

Sed potius Lingua diu extitit ante Sermonem: Aures etiam creatæ ſunt multo prius quam Sonus auditus eſt; breviter, omnia membra, ut puto, fuerunt antequam fuit eorum Uſus: Ideoque non fuerunt facta propter uſum. At e contra, Pugnare, artus lacerare, & cruore membra fœdare, fuit multo ante quam Tela fulgentia facta erant, & mittebantur: Et Natura effecit ut ictum imminentem vitare conaremur, antequam Manus ſiniſtra docta fuit Clypeum ictui objicere: Longe etiam vetuſtius eſt dare Somno fatigatum Corpus.

VARIÆ LECTIONES.

836. *præceſſit.* præcedit C.
839. Deeſt *eorum* E.
845. *daret.* dare Q. X.

NOTÆ.

re fuit ante oculorum lumina nata. videre autem interpretor, τὸ ὁρᾶν, ἡ ὅρασις, ut ſupra,

Præterea meminiſſe jacet.

niſi quis malit dicere, *nec fuit*, id eſt, nec licuit, videre, &c. Lamb. *Videre*, Uſus videndi, ut Rectè *Lactantius* lib. 3: de Opif. Dei Cap. 6. Creech.

836. *Præceſſit*] Sic legendum, & ita ſcriptum eſt in lib. manuſcript. quibuſcum conſentiunt Pariſienſ. & Veneti antiq. alii enim vulgati habent *præcedit*, non recte. Lamb. *Præceſſit*, Ita veteres libri. Vulgati: *præcedit.* male. nam mox: *creatæ ſunt*, *fuere*, &c. Gifanius.

845. *Objectum*] προβλημα, *objectum* autem *parmæ daret* dixit pro eo quod eſt *parmam objiceret.* Jam verò *parmam* eſſe Θρακικὸν ὅπλον, docet auctor vocabularii Latino-Græci; Feſtus autem, *ſcutum breve.* Lamb.

845. *Daret objectum parmai læva per artem*] Nihil fortaſſe eſt quamobrem hic aliud quam quod prima fronte apparet quæratur; ſed nec abs re tamen fuerit dicere, clypeatos olim, & præcipue peltaſtas, diſcurſare per hoſtilia caſtra ſolitos, eo tantum fine ut obvios protruderent, quo ceteræ copiæ diſturbatos jam & perculſos aggrederentur. Faber.

848. *Quam pocula*] Quare Diogenes, qui in victu naturam bene vivendi ducem ſequebatur, cum poculum ſibi ligneolum paraviſſet: viſo puero qui concavata manu ſorbillabat aquas: pocillum & cymbiolum protinus abjecit: & pandata palma pro vaſe deinceps eſt uſus.

Concavat ille manus: palmaſque in pocula fingit.

Calpurnius inquit: cum paſtoriam vitam deſcriberet. Pius.

849. *Hæc igitur poſſunt*] Hæc, nempe tela, parma, lectus, pocula. Lamb.

850. *Vitaque*] Ita hoc loco uſurpat *vitam* ut

Græ-

Multò antiquius eſt, quam lecti mollia ſtrata.
Et ſedare ſitim priùs eſt, quam pocula, natum.
Haec igitur poſſent utendi cognita cauſa
Credier, ex uſu quae ſunt vitaque reperta.
Illa quidem ſeorſum ſunt omnia, quae prius ipſa
Nata, dedêre ſuae poſt notitiam utilitatis.
Quo genere in primis Senſus, & Membra videmus.
Quare etiam atque etiam procul eſt ut credere poſſis,
Utilitatis ob officium potuiſſe creari.
Illud item non eſt mirandum, Corporis ipſa
Quod natura Cibum quaerit quoiuſque animantis.
Quippe etenim fluere, atque recedere corpora rebus
Multa

INTERPRETATIO.

quam mollia Lecti ſtrata ſubſternere. Prius Sedare ſitim quam Pocula extiterunt: Hæc igitur credi poſſunt facta propter Uſum, quæ apta fore ad hunc vel illum uſum judicavit Hominum ſolertia: Omnia verò quæ ante ſuum uſum facta fuerunt ſe ad aliquem uſum applicari poſſe poſt exortum ſuum docuerunt: Inter quæ Senſus & membra præcipuè numeranda ſunt, Igitur omnino non credendum eſt illa propter Uſum fuiſſe facta. Item non eſt mirandum quod ipſa Natura Corporis cujuſque Animantis quærit cibum, nam ſupra oſtendi, multa Corpora modis multis fluere & recedere a rebus,

VARIÆ LECTIONES.

847. *antiquus.* antiquius.
849. *Hæc.* Nec X. *poſſent.* poſſunt P. E. L. N. Qm. X. Y. Z.
850. *Credier.* Credere Q. *vitaque.* utraque reperta P. *in not.*
854. *Quare.* Quin N. que Q2. quæ X.
857. *Quod.* Quid O.

NOTÆ.

Græci τ̀ βίον, non ζωὴν, pro experientia ſcilicet & πρᾶξιν τ̀ ἐν τῷ βίῳ. FABER.

856. *Illud item non eſt*] Nunc cur eſuriant & ſitiant animantes, rationem affert. LAMB. Circá Famen & ſitim ſiquis difficultatem moveat, illum ỷ.19. facilè expediet *Lucretius*; E rebus omnibus multa Corpora emittuntur, ex Animalibus plurima, multa per poros Corporis, multa per Os effluunt; Subductis autem hiſce partibus, cæteræ minùs cohæreant, ideoque totum Corpus languidius fiat neceſſe eſt; Ut hæc intervalla repleantur, Cibus ſumitur, pariterque Potus, indè iterum Corpus fit integrum, & vires reficiuntur; Potus inſuper reprimit Calorem iſtum qui Stomachum & Viſcera nimium torreret. CREECH.

856. *Corporis ipſa natura*] *Ipſa*, id eſt per ſe ſe, ultro δι᾽ ἑαυτῆς. FABER.

858. *Quippe etenim*] Ajunt medici, cibum & potum ab animante propter magnitudinem caloris nativi deſiderari: qui, niſi cibo & potu reſtingueretur, membra depaſceretur atque abſumeret. nunc autem, alimento ſicco & humido refrenatus, & vireis imminutas reficit, & quæ depereunt, reparat ac reſarcit. LAMB.

858. *Atque recedere*] Fortaſſe legendum *ac decedere*, ut ſuprà libr. ſecundo: 1127.

Nam certè fluere ac decedere corpora rebus
Multa, manus dandum eſt.

Multa modis multis docui, ſed plurima debent
Ex animalibus iis, quae ſunt exercita motu;
Multaque per ſudorem ex alto preſſa feruntur,
Multa per os exhalantur, quom languida anhelant.
His igitur rebus rareſcit Corpus; & omnis
Subruitur natura, dolor quam conſequitur rem:
Propterea capitur Cibus, ut ſuffulciat artus,
Et recreët vireis interdatus, atque patentem

Per

INTERPRETATIO.

plurima vero Corpora debent fluere ex iis Animalibus quæ ſunt motu exercita, Multa quidem ex interioribus partibus expreſſa per ſudorem effluunt, Multa exhalantur per Os cùm feſſa & fatigata anhelant: Hinc fit quod Corpus rareſcit, (minus cohærent partes) tota Natura Animalis debilior fit, iſtamque debilitatem Dolor ſequitur; Sumitur igitur Cibus ut membra labantia fulciret, ut vires reſarciret, & oppleret famem

VARIÆ LECTIONES.

859. ***Multa modis multis.*** Multa modis docui A. Multis modis docui a. B. ***plurima.*** pluria debent F. *Creech.* non probat.

860. ***iis, quæ.*** his, quæ A. B. C. N. P. *in not. corrig.* qualia. & quia Q. & quæ Q1. ſunt V. quia ſunt X. Y. Z. his quia P.

862. ***per os.*** per hos N. per eos Q. X. ***exhalantur.*** exantlantur *quidam.* exaltantur Z.

863. ***rebus rareſcit.*** rareſcit rebus Z.

864. ***conſequitur.*** ſequitur Q. X.

865. ***Propterea.*** Præterea O.

866. ***vireis.*** nervos interdatus V. ***patentem.*** parentem Q.

NOTÆ.

Cùm multa (inquit) corpora fluunt è rebus & corporibus noſtris, tum longè plurima ex iis animantibus quæ plurimum exercentur atque agitantur. LAMB. *Atque recedere*, Vide ſupra ỳ. 699. GIFAN.

858. *Quippe etenim fluere, atque recedere corpora rebus.*
Multa modis multis docui: ſed plurima *debent*
Ex animalibus iis, quæ ſunt exercita motu.

Tollendum ex oratione vitium eſt, legendumque.... *ſed pluria.* Sic enim ſentit Poëta, *multa* ex rebus inanimatis corpora recedere, ſed longe *pluria* ex animalibus quæ motu exercita ſunt. res plana eſt. Ita etiam olim peccatum infra fuerat, 1082.

Unaque res hæc eſt, cujus quampluria habemus, &c. quem locum reſtituit diligentiſſimus Interpres. FABER.

859. *Docui*] Suprà hoc libro, non longè à princip. LAMB.

859. *Sed plurima*] Legendum omnino *pluria*, id eſt plura. FABER. Faber *Pluria*: Nihil muto. CREECH.

860. *Exercita*] Fatigata. LAMB.

866. *Interdatus*] Interea datus: ut & alibi. LAMB.

866. *Atque patentem*, &c.] Hæc & quæ ſequuntur venuſtiſſima, ubi enim Fames patulis ſuis faucibus hians convenientius quàm in exſiccatis pene venis hoſpitetur? & quid accommodatius dici poſſit quàm anhelam ſitim de Corpore noſtro infuſo Humore ablui? CREECH.

867. *Ut amorem obturet edendi*] Reperio alibi ſcriptum: *ut amore obduret edendi*: ut ſit hic ſenſus. cibus tum capitur ut membra roboret ac fulciat: tum ut duret, hoc eſt perennem faciat ac

prom-

Per membra ac venas ut amorem obturet edendi.
Humor item diſcedit in omnia quae loca cunque
Poſcunt Humorem, glomerataque multa vaporis
Corpora, quae ſtomacho praebent incendia noſtro,
Diſſupat adveniens liquor; ac reſtinguit, ut ignem:
Urere ne poſſit calor amplius aridus artus.
Sic igitur tibi anhela ſitis de corpore noſtro
Abluitur, ſic expletur jejuna cupido.
Nunc quî fiat, uti Paſſus proferre queamus,

Cùm

INTERPRETATIO.

per venas omnes & membra hiantem: Potus item diſcedit in omnia iſta loca quæ potum poſcunt, Liquorque adveniens diſſipat calidarum particularum congeriem, quæ Stomachum noſtrum torrent & accendunt, eaſque particulas, ut ignem, extinguit, ne aridus Calor noſtros artus amplius torrere valeat. Hoc modo anhela ſitis de Corpore noſtro abluitur, (ſedatur ſitis) hoc etiam modo Fames expletur. Nunc vero docebo quî fiat ut ambulare & progredi poſſimus,

VARIÆ LECTIONES.

867. *obturet.* obduret C. E. N. Q. ob divertendi P. Q1. ut amore obduret edendi P. *ex codd. quibuſdam* Y. *quoque, ſed a ſec. manu.*
871. *reſtinguit.* reſtringat Q. reſtringit X. *ignem.* ignis Q1. in ignem Z.
875. *queamus.* quiemus Z.

NOTÆ.

promptum amorem edendi: qui fame languente ſtomacho vaneſcit & obtunditur. *Amor edendi*, pro appetentia ponitur: ut illud eſt Maronianum 8: 184.

——— ——— *& amor compreſſus edendi.* PIUS.

Obturet. Ita lego ex veteribus. Vulgati: *obduret.* Ex veſtigiis etiam veterum librorum forte: *obcludat.* quod congruit verbo: *patentem.* GIFAN.

867. *Obturet*] Sic legendum eſt, tametſi hoc loco mendoſi ſint codices manuſcripti, præter Bertinianum, qui perſpicuè habet *obturet.* vulgati autem *obduret.* Sic Homer. idque non ſemel.

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.

cui prope par eſt hic verſus Virg. Æneid. 1: 220.

Poſtquam exemta fames epulis, menſæque remotæ.

Cum hæc ſcripſiſſem, & jam ſic bis edidiſſem; homo ἀναιδὴς, meam emendationem ſequens & probans, *Ita lego*, inquit, *ex veterib. libris.* Talis eſt uſquequaque iſtius *βδελυροῦ ἀναισχυντία καὶ ἀδικία.* LAMB.

868. *Humor item diſcedit*] Atqui cibus & potus in ventriculo commiſcentur, atque unà concoquuntur. quibus concoctis, ſuccus ex illis expreſſus, atque ab alienis ſecretus, permanat ad jecur, ibique in ſanguinem vertitur. LAMB.

869. *Vaporis*] Caloris. LAMB.

871. *Diſſupat*] Diſcutit. LAMB.

873. *Sic igitur tibi anhela ſitis, &c.*] Id eſt, ſic ſedatur ſitis, ſic expletur fames. LAMB.

874. *Jejuna cupido*] Id eſt, eſuries, ſeu fames. LAMB.

875. *Nunc quî fiat*] Cauſam motus ad locum vult eſſe ſimulacra quædam ad meandum apta, mentem ſeu animum pulſantia, & voluntatem movendi è loco ad locum corporis efficientia. idem. libr. 2. ſimplicius & planiùs voluntatem vult eſſe principium motus & a corde initium motus exſiſtere. ſic enim illo loco ℣. 282.

Nam dubio procul his rebus ſua cuique voluntas
Principium dat: & hinc motus per membra vagantur,

ſeu genuntur. ibid. 269.

Ut videas initum motus à corde creari, &c.

Ariſtoteles duas hujus motus cauſas eſſe vult lib. 3.

Cùm volumus, varièque datum ſit membra movere:
Et quae res tantum hoc oneris protrudere noſtri
Corporis inſuerit, dicam: tu percipe dicta.
Dico Animo noſtro primùm ſimulacra meandi
Accidere, atque Animum pulſare, ut diximus antè.
Inde Voluntas fit: neque enim facere incipit ullam
Rem quiſquam, quam Mens providit, quid velit, antè.
At, quod providet, illius rei conſtat Imago.
Ergo Animus quom ſeſe ita commovet, ut velit ire,
Inque gredi, ferit extemplo, quae in Corpore toto

Per

INTERPRETATIO.

& huc & illuc Membra noſtra pro libitu movere, dicam inſuper quæ res ponderoſam noſtri corporis molem ſolet protrudere: Tu verò dictis meis Te attentum præbe. Dico igitur primò Imagines progrediendi ad Animum noſtrum advenire, eumque pulſare ut ſupra docui. Inde Voluntas fit, nemo enim incipit facere ullam rem antequam Animus providit quid velit, at neceſſe eſt ut ſit Imago illius rei quam providet. Igitur cum Animus ita ſe movet, ut velit progredi,

VARIÆ LECTIONES.

876. *varieque.* vareque *Quidam*, *ut &* Y. Z.
877. *Et quæ.* Æque Q. X. *protrudere.* protendere noſtri c. P. Q.
880. *Accidere.* Accedere Qm. X. Y. *a ſec. manu.*
881. *ullam.* illam Q.
882. *quam.* niſi P. abeſt Q. Y. quaſi Q1.
883. *At, quod.* Id, quod E. N. P. Qm. Y. Z. *conſtat.* conſtare Y. Z.

NOTÆ.

3. de animo, *ὄρεξιν, καὶ νοῦν*, id eſt *appetitum*, *& mentem.* Lamb. De motu Voluntario Animalium ℣. 30. breviter inquirit, & hoc modo explicat: Simulachra quædam quibus Voluntas movendi in Animo excitari poteſt pulſant Animum: Inde Vult Animus, & ut perficiat quod voluit Animam ſibi conjunctam & per totum Corpus diffuſam (vid. lib. 2. ℣. 260.) excitat; & inde protruditur tota moles: Quoniam verò tanto oneri movendo Anima tenuis illa & ſubtilis ſubſtantia impar videretur, Aër externus venit in ſubſidium, qui Corporis rareſcentis (nam Corpora motu exercita rareſcunt) poros & meatus ſubeuns onus pariter propellit, atque ita Corpus ab Anima intùs laborante, & Aëre externo ſubeunte, ut Navis velis & remis, promovetur. Tenuia quidem hæc ſunt inſtrumenta, ſed & Ventus tenuis qui magnam navim protrudit, Manus debilis, at navim regit, & Gubernaculum contorquet, & Machinæ quædam vi non magna agitatæ immenſa pondera ſuſtollunt. Creech.

876. *Variique*] Meliùs quàm *Varèque* quod quidam Codd. exhibent. Creech.

877. *Oneris*] Quidam lib. ſcripti habent *honeris* ut fortaſſe legendum ſit *honeris* cum aſpirationis nota. *honorem.* n. ab *honere* dictum eſſe docet Varro lib. 4. de Ling. Latin. Lamb.

878. *Inſuerit*] *Inſueverit*, ſolita ſit. quidam tamen *inſuerit* poſitum eſſe volunt pro *inſuefecerit.* Lamb.

880. *Accidere*] *Accidere animo noſtro*, id eſt, accidere ad animum noſtrum, ut ſupra locutus eſt eod. lib. 236.

——— ——— ——— *in lucique poterit res*
Accidere ad ſpeciem, *&c.*

& ſup. eod. 216.

——— *ad*

Per membra, atque artus, Animaï diſſita vis eſt:
Et facile eſt factu, quoniam conjuncta tenetur.
Inde ea proporro Corpus ferit, atque ita tota
Paullatim moles protruditur, atque movetur.
Praeterea, tum rareſcit quoque Corpus, & Aër,
Scilicet ut debet qui ſemper mobilis exſtat,
Per patefacta venit, penetratque foramina largus;
Et diſpergitur ad parteis ita quaſque minutas
Corporis: hinc igitur rebus fit utrimque duabus,

Cor-

INTERPRETATIO.

ſtatim pulſat Animam quæ per totum Corpus diffuſa eſt, facilè autem poteſt iſtam Animam pulſare quia iſti unita jungitur: Iſta verò Anima deinceps Corpus pulſat, atque ita paulatim tota moles Corporis protruditur & movetur. Præterea, Corpus tum rareſcit, & Aër, Hoc enim debet facere cùm ſemper mobilis exiſtat, copioſus apertos meatus ingreditur, & ad ſingulas minutas partes corporis diſpergitur, atque ita fit ut duabus hiſce rebus (Anima & Aëre)

VARIÆ LECTIONES.

887. *factu.* factis E. factum Q. X. Y. *quoniam.* quando N. quam Q. X.
888. *ferit.* perit: atque Q. X. Y. Z.
890. *tum.* cum P. X. quum Q1. quorum Q2.
892. *largus.* largis X.
893. *diſpergitur.* diſpargitur V. Y. Z *quiſque.* quaſque Y. Z.
894. *Corporis: hinc.* Corporis hinc V. his igitur F. *Creech.* hic igitur X. Y.

NOTÆ.

—— —— *ad terrarum accidat oras.* LAMB.

882. *Rem quiſquam, quàm mens*] Ordo eſt: neque enim quiſquam ullam rem facere incipit antè quàm mens providit, quid velit. LAMB.

883. *At quod providet*] At id quod mens *providet*, ſeu prævidet, (inquit) illius rei quam quiſque facere inſtituit, eſt imago. licet autem hunc verſum dimetiri duobus modis, vel ut pronominis *illius* ſecunda ſyllaba longa ſit, *rei* unius ſit ſyllabæ: vel ut *illius* ſecunda ſyllaba ſit brevis, & *s* abſumatur, *reji* ſit diſyllabum. LAMB. *At quod providet*, &c. At id quod Mens prævidet illius rei quam quis facere inſtituit eſt Imago: *Lambinus.* Aliam ſententiam, & quam veriorem exiſtimo, ſequutus ſum. CREECH.

885. *Inde gredi*] Et ingredi: tmeſis. LAMB.

885. *Ferit extemplo*] Animus ferit animam per totum corpus fuſam, & permanantem. LAMB.

887. *Quoniam conjuncto*] Quoniam anima cum animo conjuncta eſt. ſic lib. 5: 557.

Nonne vides etiam quam magno pondere nobis
Suſtineat corpus tenuiſſima vis animaï,
Propterea quia tam conjuncta, atque uniter apta
eſt? LAMB.

888. *Proporro*] Deinceps, ἑξῆς δὲ. FABER.

890. *Præterea tum rareſcit*] Altera cauſa motum adjuvans. LAMB. Animalium, quæ ſunt motu exercita, rareſcit Corpus: vid. ỿ. 860. CREECH.

894. *Hinc igitur rebus fit utrimque duabus*, &c.] Mihine operoſo & magno molimine probandum ſit, legi debere,

—— his *igitur rebus fit utrimque duabus*?

Quid enim loci habeant & *hinc utrimque* cum *rebus duabus*? FABER. *His igitur*: Faber: Et verſu ſequenti pro *Velis Ventoque* optimè conjecit *Gaſſendus* legendum *Remis Ventoque*, alioqui *Velis* & *Vento* una eademque res ſignificaretur. *Giſanius* verò,

T Cor-

Corpus uti, ut Navis velis, ventoque, feratur.
Nec tamen illud in his rebus mirabile conſtat,
Tantula quod tantum Corpus Corpuſcula poſſint
Contorquere, & onus totum convertere noſtrum.

Quip-

INTERPRETATIO.

Corpus, ut Navis remis atque Velis feratur. Nec verò mirandum eſt tam tenuia Corpora tantam molem movere, & noſtri Corporis pondus protrudere valere;

VARIÆ LECTIONES.

895. *Corpus uti, ut Navis.* Corporis ut hæc navis A. B. Corpus ut; ac navis C. E. M. P. Q. X. corporis ut hac Q. corpus ut hac N. c. ut ac O. Corporis ut ac Y. Z. *velis.* remis, ventoque *Gaſſ. Creech.*

897. *poſſint.* poſſunt A. B. N. P. X. Y.

NOTÆ.

Corporis ut hæc navis velis ventoque feratur:

ineptè. Creech.

895. *Corpus uti, ut navis*] Sic repoſui, paullum diſcedens à ſcriptura vulgata, quæ eſt,

Corpus ut ac navis, &c.

Inuſitatum autem & inſolens loquendi genus, *ac navis*, pro *proinde ac navis*, vel *ita ut navis.* Adde quòd lib. ſcripti à vulgatis diſſentiunt, & ipſi inter ſe diſſident. In aliis enim ſcriptum eſt.

Corporis, ut de navis:

in aliis,

Corporis, ut ac navis.

ex qua ſcriptura Muretus ſuſpicabatur legendum eſſe,

Corporis, ut navis, velis, &c.

ut per *navim corporis*, corpus ipſum intelligamus. Cùm ita bis edidiſſem, Zoilus conjecturam Mureti arripuit, neque tamen eam integram ſervavit: ſed corrupit. Sic enim vult legi,

Corporis, ut hæc navis, &c.

quam ſcripturam quis mediocriter doctus non videt ferri non poſſe? nam quòd ait *in voce corporis, s. abſumi*, hoc non ſolet fieri, niſi ante conſonantem. ita jacet iſtius βασκάνου acumen. Omnino corpus noſtrum, quod ad ejus motum attinet, cum navi comparat hoc modo: Quemadmodum navis velis ventoque agitur, ita corpus noſtrum impellitur & movetur ab animæ poteſtate, & ab aëre multo, corpus rarefactum penetrante. Lame. *Corporis ut hæc navis velis*, ſic ex veteribus noſtris ſcripſi. In quibuſdam veteribus: *ac.* Quidam veteres: *de.* quidam veteres: *hac.* S. littera abſumitur in *Corporis.* Marullus fecerat: *Corpus ut, ac.* Gifan.

895. *Velis ventoque feratur*] Ut hic verſus cum ſuperiori omnino conſonet, (*his rebus utrinque duabus*) optime conjecit Vir Maxim. legendum, *remis veloque.* alioqui velis & vento una eademque res ſignificaretur. Illum adibis in Phyſiologia pag. 537. Faber.

899. *Quippe etenim ventus*] Ariſtoteles μηχανικῶν cap. 7. rationem affert, quam ob rem, quanto antemna ſit altiùs elata, tanto citiùs navis feratur, eodem velo, eodemque vento. quæ ratio intelligi non poteſt, niſi ab eo, qui, quare vectis tantam vim habeat movendorum graviſſimorum onerum, cauſam cognorit. (eſt autem *vectis* palus ligneus, ſeu ferreus lingulatus, ſeu roſtratus, μοχλὸν Græci appellant.) Nam (ut ſcribit Vitruv. lib. 10. cap. 8.) *quod onus manuum multitudo movere non poteſt, ſuppoſita, veluti centro, & porrecta preſſione (quod Græci ὑπομόχλιον appellant) & vectis lingua oneri ſubdita, ejuſdem vectis caput, unius hominis viribus depreſſum, id onus extollit. Cauſa igitur hujus rei eſt* (ut docet ibidem Vitruv.) *quia prior pars vectis brevior ab ea preſſione, quæ eſt loco centri, ſubit onus: & quia caput ejus longius ab eo centro, id eſt à preſſione, diſtans, cum per id ducitur, faciendo motus circinationem,*

Quippe etenim Ventus ſubtili corpore tenuis
Trudit agens magnam magno molimine Navim:
Et manus una regit quantovis impete euntem:
Atque Gubernaclum contorquet quolibet unum.

Mul-

INTERPRETATIO.

Nam ventus qui eſt tenue & ſubtile Corpus magno impetu ingentem navim protrudit; Una etiam Manus regit iſtam navim magno licet impetu protruſam; & unum Gubernaculum quocunque libet Gubernatori dirigit:

VARIÆ LECTIONES.

900. *molimine.* volumine Q. X.
901. *regit.* gerit Q. X.
902. *Gubernaclum.* gubernandum Q. X. *unum.* una A. B. unus c. quo libet unus P.

NOTÆ.

nem, cogit preſſionem paucis manibus oneris maximi pondus examinare. Semper enim, quanto poſterior pars, id eſt, ea quæ eſt à centro, ſeu à preſſione ad vectis caput, quod à motore premitur, fuerit longior priore, id eſt ea parte quæ à centro ad lingulam ſeu roſtrum pertinet; tanto facilius onus movebitur. His igitur cognitis & præpoſitis, quamobrem velum vento inflatum, maximè ſi antemna non procul abſit à cacumine mali, celerrimè navem moveat, facilè intelligere licet. Malus enim rationem vectis obtinet: mali ſedes, ſeu mali calx, eſt loco hypomochlii, id eſt, preſſionis: ventus, qui velum implet, eſt veluti motor. Itaque ſi antemna longiſſimè abſit à ſede mali (ἑδώλιον nominat Ariſtoteles) quæ quidem mali ſedes centri rationem obtinet, navis citiſſimè feretur. Linea autem quo longiùs abeſt à centro, eo majorem circulum deſcribit. At, ut maximus quiſque circulus eſt; ita celerrimè & concitatiſſimè movetur. eodem enim temporis ſpatio, quo circulus minor, nempe is qui propius abeſt à centro, certi loci ſpatium metitur & conficit, circulus major ampliorem locum percurrit. LAMB.

901. *Et manus una regit*] Vitruvius eodem quem commemoravi libro. *Quemadmodum etiam* (inquit) *navis onerariæ maximæ gubernator anſam gubernaculi tenens, quod οἴαξ à Græcis appellatur, una manu momento per centri rationem preſſionibus artis agitans, verſat eam ampliſſimis & immanibus mercis & penus ponderibus oneratam, &c.* Ariſtoteles cap. 6. μηχανικῶν hujus rei cauſam hanc affert, *quod gubernaculum vectis locum obtineat, navis oneris, gubernator motoris, cardines, in quibus vertitur gubernaculum, hypomochlii.* LAMB.

902. *Unum*] Nempe gubernaculum. alii legunt *una*, ut ſubintelligatur *manus*: à quibus diſſentio. non diſſimulabo tamen, in nonnullis libris legi *unus*: quam ſcripturam nihilo magis probo. Omnino hæc mihi hujus loci ſententia videtur eſſe: Atque unum gubernaculum, non plura, navem quolibet torquet. LAMB. *Quolibet una.* Ita veteres libri noſtri melius, quam alii: *unum* vel *unus*. GIFAN.

902. *Quolibet Unum*] Rectius forſan quàm *Una* viz. Manus, vel *Unus* Navis Rector. CREECH.

903. *Multaque per trochleas*] *Trochlea,* machina eſt tractorii generis, cum æreo aut ligneo orbiculo, qui per axiculum verſatur, trajecto fune ductario. ea utimur etiam in haurienda è puteis aqua. *ſit* autem *trochlea,* auctore Iſidoro Etymolog. lib. 19. cap. 2. *ad ſimilitudinem Θ litteræ Græcæ octavæ, dicta à trochis, id eſt rotis.* LAMB. Vulgò *Poulie*: *Tympanum* autem eſt rota e ſolidis tabulis facta. CREECH.

903. *Tympana*] *Tympanum*, quod Græci γέρανον appellant, genus rotæ eſt, magno circuitu præditæ, cujus axis fune obvolvitur, interea dum eam circumagunt homines, regulas pro gradibus affixas quaſi aſcendentes. LAMB. Machina notiſſima eſt ex Lexico Vitruviano Bernardini Baldi Urbinatis. FABER.

 904. *Su-*

Multaque per trochleas, & tympana pondere magno
Commovet, atque levi ſuſtollit Machina niſu.
Nunc quibus ille modis Somnus per membra quietem
Inriget, atque Animi curas è pectore ſolvat:
Suavidicis potius, quam multis verſibus, edam,
Parvus ut eſt Cycni melior canor, ille Gruum quam

Cla-

INTERPRETATIO.

Denique Machina minima vi acta per Trochleas & Tympana movet, & in altum tollit res magni ponderis. Nunc, quibus modis gratiſſimus ille Somnus quietem in membra inducit, metus, curas, omnemque ſolicitudinem a pectore removet, docebo ſuavi potius quam longo Carmine, ut parvus breviſque Oloris cantus gratior eſt, quam iſte Gruum.

VARIÆ LECTIONES.

904. *niſu.* viſu Q. niſi X.
905. *quietem.* quiete Y.
906. *atque.* abeſt Q. *curas è.* curaï ſe Q.

NOTÆ.

904. *Suſtollit*] Surſum tollit. utitur eodem verbo Plaut. Ciſtell. 1: 1: 117.

——— ——— *amiculum hoc ſuſtolle ſaltem.*

& item alibi. & Catull. de nupt. Pelei & Thet.

Dulcia nec mæſto ſuſtollens ſigna parenti.

& Cicero Arato:

Iſtius in Boream quod ſe ſuſtollit acumen.

utitur & Arnob. non ſemel. uno exemplo nunc contentus ero. ſic ille libro primo: *Qui pecudes vos eſſe, qui fugitivos, qui exſules prædicant, & inſanos: admirantes, plaudentes, ad cœli ſuſtollitis ſidera.* Lamb.

905. *Nunc quibus ille modis*] Nunc de ſomno diſputare incipit. Lamb.

905. *Per membra quietem Inriget*] Sic Virgilius Æneid. 1: 695.

——— ——— *placidam per membra quietem Irrigat.*

Furius Bibac.

——— *mitemque rigat per pectora ſomnum.*

Lamb. Animal omnibus Senſuum operationibus perfunctum in cubili collocat *Lucretius*, non tamen deſerit, ſed dum dormit contemplatur, de *Somno* uſque ad ℣. 958. & de *Inſomniis* quibus agitatur uſque ad ℣. 1030: diſputans: Somnus autem fit, cùm ita labefactatur Anima, ut Artus ſuffulcire non valeat, (Anima enim eſt Corporis fundamentum) inde membrorum languor, & ſenſuum remiſſio: Quòd autem perturbatur Anima, illud quidem manifeſtum eſt, Nam Corpus ab Aëre externo & ab Aëre inſpirato perpetuò labefactatur, Aër enim iſte non tantùm Corporis ſuperficiem radit, ſed poros & meatus pervadens ad partes intimas admittitur, eaſque verberat. Inde prima Corpora disjunguntur, eamque disjunctionem ipſius Animæ diſſolutio ſequatur neceſſe eſt, ita ut pars ejiciatur, pars (ut Plinii verbis utar) in mediam ſeſe recedat; reliqua verò pars diſtracta nimis per membra diſpergatur. Hinc denique intelligi poteſt cur Cibum aut laſſitudinem graviſſimus Somnus ſequatur: Nam Cibus obturat nimis atque infarcit iſtos meatus per quos Anima debet liberè ferri, inde major diſperſio aut conſtipatio Animæ; Laſſitudine verò debilior fit Corpus atque inde eadem ſequuntur. Ὕπνος τε γίνεται πονουμένων τῶν τῆς ψυχῆς μερῶν τῶν κατ᾽ ὅλην τὴν σύγκρισιν παρεσπαρμένων, ἢ ἐγκατεχομένων, ἢ διαφορουμένων, ἤτε καὶ συμπιπτόντων τινῶν τοῖς ἐσπαρμένοις, τῶν μὲν ἐξωσθέντων, τῶν δὲ συνερεισθέντων Epicurus ad Herodotum: Creech.

905. *Ille*

Clamor, in aetheriis diſperſus nubibus Auſtri.
Tu mihi da tenueis aureis, animumque ſagacem,
Ne fieri negites, quae dicam poſſe; retroque
Vera repulſanti diſcedas pectore dicta:
Tutemet in culpa quom ſis, ne cernere poſſis.
Principiò Somnus fit, ubi eſt diſtracta per artus

Vis

INTERPRETATIO.

magnus ſtrepitus, qui longe lateque per Aëra diffunditur. Tu, O Memmi, *acutas* (*attentas*) *aures mihi præbe, & Animum ſagacem, ne neges ea fieri poſſe, quæ ego affirmo facta, Tuoque Animo vera mea dicta rejiciente dogmata noſtræ Philoſophiæ tanquam falſa averſeris, cum tua tantum culpa ſit quod iſta non intelligas, & habeas perſpecta. Primo, fit Somnus, cum Anima per artus diſtracta eſt,*

VARIÆ LECTIONES.

911. *retroque.* retorque Q. retorquæ X.
912. *diſcedas.* diſcedant C. N. Q1. fidelia exemplaria P. in not. *pectore* pectora X.
913. *Tutemet.* Tutimet O. X. Tu timet Q. *ne.* neque Q1. X. Y.

NOTÆ.

905. *Ille Somnus*] Non temerè ponitur *Ille*, ἐξοχὴν enim ſignificat, ut alibi; a quo viz. tot & tanta in humanum genus promanant bona. CREECH.

906. *Inriget*] Numquam Vox venuſtior: Latini enim propriè *Rigua* appellant id genus rigationis quæ rivo fit & Sulco, Hinc *Rigua Nili* Plinio ſunt Rivi, & διώρυγες e Nilo ductæ, & *Rigua aquæ dulcis* apud eundem derivationes ex Aqua dulci: Qui autem intelligit quomodo Quies Artus omnes & Venas permanat, hæc etiam intelliget. CREECH.

906. *Curas è pectore ſolvat*] Utroque modo loquimur, & *animi curas ſolvere*, & *animum curis ſolvere.* ſic Catull. ad Sirmionem peninſ.

O, quid ſolutis eſt beatius curis? LAMB.

907. *Suavidicis potius*] Hi verſus ſuprà leguntur hoc eod. lib. non longè à princip. LAMB.

910. *Tenues Aures*] Alii *Teneras* interpretantur, Ego verò *Acutas:* Lucretius, lib. 1: 45. *Vacuas Aures.* CREECH.

911. *Ne fieri negites*] Ne fieri iterum atque iterum neges; hoc eſt ſæpius neges. quamquam verba frequentativa ſæpe uſurpantur pro primitivis. idque apud Plautum maximè cernere licet. LAMB.

911. *Retroque Vera repulſanti diſcedas*] Non putavi quinque librorum Manuſcript. in quibus legitur *diſcedas*, non, ut in pleriſque vulgatis, *diſcedant*, auctoritatem mihi eſſe rejiciendam: quam adjuvant codd. typis impreſſi, Veneti antiq. & Pariſienſ. Si quis tamen pluris faciet vulgatam ſcripturam, *diſcedant*, non repugnabo. LAMB.

912. *Diſcedas*] Meliùs quam *Diſcedant.* CREECH.

913. *Ne cernere poſſis*] Aliquot lib. Manuſcript. habent,

——— ——— *neque cernere poſſis.* LAMB.

914. *Principio ſomnus fit*] Sic ſomni cauſam inveſtigat. ſomno ſenſus impediuntur: (quod eſt conſentaneum cum iis quæ docet Ariſtot. ſomnium eſſe ἀδυναμίαν, id eſt, impotentiam animi poteſtatis, quæ ut ſentiamus efficit, ex alimenti halitu profectam) at ſenſus qui eſt in nobis, fit opera animæ. Itaque neceſſe eſt, cùm dormit animal, partim foras ejecta anima receſſerit, partim in penetraleis corporis ſedes conceſſerit, partim ſit per membra diſſipata. LAMBIN.

915. *Partimque foras ejecta*] Sic infrà non longè ℣. 921.

Ejectamque foras.

& item inferiùs: ℣. 943.

——— ——— *ut pars inde Animai*
Ejiciatur.

T 3 &c.

Vis Animae, partimque foras ejecta receſſit:
Et partim contruſa magis conceſſit in altum.
Diſſolvuntur enim tum demum Membra, fluuntque.
Nam dubium non eſt, Animaï quin opera ſit
Senſus hic in nobis, quem quom Sopor impedit eſſe,
Tum nobis Animam perturbatam eſſe putandum eſt,
Ejectamque foras, non omnem; namque jaceret
Aeterno Corpus perfuſum frigore lethi;
Quippe ubi nulla latens Animaï pars remaneret

In

INTERPRETATIO.

& partim e Corpore ejecta effluxit, partim in interiores Corporis receſſus contruſa ſe recepit; nam tum demum Membra diſſolvuntur, & languent. Nam non dubitandum eſt, quin Animæ opera in nobis ſit hic Senſus, quem Senſum eſſe cum Somnus impediat, tum putandum eſt noſtram Animam perturbatam, & foras ejectam eſſe, non vero totam Animam, tum enim Corpus jaceret æterno Mortis frigore perfuſum (mortuum foret Animal:) quoniam nulla latens pars Animæ remaneret in membris,

VARIÆ LECTIONES.

917. *tum.* dum Q1.

NOTÆ.

& inferiùs ℣. 956.

Fit ratione eadem conjectus porro Animaï
Altior, atque foras ejectus largior ejus. Lamb.

916. *Et partim contruſa*] Sic ferè Ariſtot. lib. de ſomno & experrectione, ubi ὕπνον dicit eſſe σιώοδόν ἵνα τοῦ θερμοῦ εἴσω, καὶ ἀντιπερίστασιν φυσικὴν διὰ τὸ ἀπωθεῖσθαι τὸ θερμὸν κάτω ὑπὸ τοῦ ὑγροῦ τῆς ἀναθυμιάσεως πάλιν ἀντιστρέφοντος. id eſt, *ſomnum eſſe coitionem calidi in intimis partibus, & ejus naturalem ab adverſo frigore circumfuſo contractionem, & compreſſionem, quia calidum ab humore exhalationis revertentis, ad inferiora repellatur ac detrudatur.* Sic Plin. lib. 11. cap. ult. ait, *ſomnum eſſe animi in ſeſe medium receſſum.* Lamb.

918. *Nam dubium non eſt, Animaï*] Nam dubium non eſt, inquit, quin hic ſenſus qui eſt in nobis, ab anima oriatur vel gignatur. Lamb.

921. *Non omnem; namque*] Nam ſi tota anima ejecta foras eſſet, jaceret corpus exanimum. Lamb.

924. *Cinere ut multa*] Sic habent quattuor libri Manuſcr. & tres typis excuſi, Pariſienſes, & utrique Veneti. Nonius quidem teſtatur, *apud Cæſarem, Catull. Calvum, cinis eſſe fœminini generis.* Caluus:

Cum jam fulva cinis fueris.

idem.

Forſitan hoc etiam gaudeat ipſa cinis.

quæ proferuntur etiam à Soſipatro. Catull. ad Manlium:

Troja virûm, & virtutum omnium acerba cinis.

Optimè autem conſervatur ignis, ſi cinere tegatur. Nam ita fit, ut & cinis igni impoſitus, ejus calorem contineat, & ignis tamen per cinerem rarum quaſi reſpiret, ac vivat. ignem enim dicimus *vivere*, & *mori*: *vivere*, dum calorem naturalem continet; *mortuum* eſſe, ubi exſtinctus eſt. Lucret. lib. 1. extr.

—— & vivant labentes ætheris ignes.

idem infrà eod. lib. 1131.

Quod cupido adfixum cordi viveſcit, ut ignis.

Ad hunc autem locum pertinet illud Virgil. lib. 8. Æneid. 410.

Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat igneis.

& illud Horat. Od. 1. lib. 2: 7.

—— &

In membris, cinere ut multa latet obrutus Ignis,
Unde reconflari Senſus per membra repente
Poſſit, ut ex igni caeco conſurgere Flamma.
Sed quibus haec rebus novitas confletur, & unde
Perturbari Anima, & Corpus langueſcere poſſit,
Expediam: tu fac ne ventis verba profundam.
Principio, externa Corpus de parte neceſſum eſt,
Aëriis quoniam vicinum tangitur auris,
Tundier, atque ejus crebro pulſarier ictu.

Pro-

INTERPRETATIO.

ut Ignis latet plurimæ Cineri ſuppoſitus, è qua ſubitò per membra Senſus reaccendi poſſit, ut Flamma ex Igni iſto Cineri ſuppoſito conſurgere. At quibus hæc mutatio fiat, unde iſta Animæ perturbatio, & iſte languor Corporis oriatur, Ego explicabo, Tu interim effice ne verba mea inaniter profundam. Primùm, neceſſe eſt ut exterior pars Corporis, quoniam ab Aëre circumambiente tangitur, tundatur, & crebro Aëris iſtius ictu pulſetur.

VARIÆ LECTIONES.

924. *multa.* multo A. marg. C. *obrutus.* obrutis N.
926. *cæco.* tecto E N. P. tacto Q. X. *quidam Codd.* cæco P. *in not.*
927. *confletur.* conflatur E. N. P. X. Y. Z.
928. *Perturbari.* Perturbata X.
930. *externa.* æterna Q.
932. *Tundier.* Trudier D.

NOTÆ.

——— ——— ——— *& incedis per igneis Suppoſitos cineri doloſo.* LAMB.

925. *Reconflari Senſus*] Hic locus id confirmabit quod antea contra Gifanii ſententiam dictum eſt de *accenſis ſenſibus.* Nam *reconflari* eadem metaphora eſt ac *τὸ accendi.* FABER.

926. *Ut ex igni cæco*] Sic repoſui ſecutus auctoritatem librorum Manuſcriptorum. nam vulgati habent *Tecto*, quæ erat interpretatio nominis *cæco.* LAMB. Ita Codd. & rectè. Vulgati *Tecto.* CREECH.

927. *Sed quibus hæc*] Nunc docere incipit, quî fiat, ut anima partim foras ejici, partim in altum conjici & contrudi, partim per membra diſpergi ac diſſipari poſſit. LAMB.

929. *Ne ventis verba profundam*] Id eſt, tu fac, ut verba mea ad aureis tuas perveniant, & in animo tuo penitus inſideant, non abs te negligantur, aut etiam reſpuantur. ſic Catull. carm. de Pelei & Thet. nupt.

Quæ cuncta aërii diſcerpunt irrita venti.

ibid.

Irrita ventoſæ linquens promiſſa procellæ.

Plura exempla ſi deſideras, lege quæ annotavimus ad illum locum Horat.

Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis.

Od. 26. lib. 1: 2. LAMB.

930. *Principio externa*] Primùm (inquit) corpus extrinſecus ab aëre externo verberatur: deinde hic idem aër cùm ducitur, & cùm reflatur, corpus pulſat. quæ plagæ ubi per foramina & meatus corporis pervenerunt ad primordia corporis: quodammodo ſenſuum in nobis fit ruina, &c. LAMB.

632. *Tundier*] Rectè, ut ỳ. 955. *Contuſa.* Alii *Trudier.* CREECH.

933. *Pro-*

Propterea que fere res omnes, aut Corio ſunt,
Aut etiam Conchis, aut Callo, aut Cortice tectae.
Interiorem etiam partem ſpirantibus Aër
Verberat hic idem quom ducitur, atque reflatur.
Quare utrimque ſecùs quom Corpus vapulet, & quom
Perveniant plagae per parva foramina nobis
Corporis ad primas parteis, elementaque prima;
Fit quaſi paullatim nobis per membra ruina.

Con-

INTERPRETATIO.

Et hanc ob cauſam omnes fere res tectæ ſunt Corio, aut Setis, aut Concha, aut Callo, aut Cortice: Idem etiam Aër, cùm ducitur & reflatur ab Animalibus ſpirantibus, tundit & pulſat interiorem partem Corporis; Quapropter cùm Corpus ex utraque parte (interiori atque exteriori) pulſatur, & cum per poros uſque ad primas partes, & prima Corporis noſtri elementa penetrent ictus,

VARIÆ LECTIONES.

933. *Propterea que.* propterea quod Q1. propterea que Q2. *fere.* fore Q1.
934. *Aut etiam Conchis.* Ita quidem (neque video cur lectionem mutaverint) A. B. Y. Z. Aut etiam concluſæ in callo P. Aut ante concluſæ C. E. P. *in not.* aut cute concluſæ N. aut etiam concluſa ut gallo aut cortice tactæ Q1. tectæ X. *callo*, gallo Y. Z. *ſed m. ſ. corr. in* Z. *Reliqui* Aut ſeta aut conchis.
936. *reflatur.* inflatur *quidam.*

NOTÆ

933. *Propterea que fere res omnes*] Et propterea, id eſt, ut res ſint ab injuria aëris externi tutiores ac munitiores, aut corio, aut ſeta, &c. tectæ ſunt. Uberiùs hanc rem perſequitur M. Tull. lib. 2. de nat. Deorum: *Animantium aliæ coriis tectæ ſunt, aliæ villis veſtitæ, aliæ ſpinis hirſutæ: pluma alias, alias ſquamma videmus obductas, alias cornibus armatas, alias habere effugia pennarum.* ſic Plin. lib. 7. Proœm. *Ante omnia unum animantium cunctorum alienis velat opibus; ceteris varia tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquammas, vellera.* Lamb. Id eſt, ut res ſint ab injuria Aëris externi tutiores, & munitiores. Creech.

934. *Aut Seta, aut Conchis*] Sic reſtitui partim conjectura ductus, partim auctoritate codicum calamo exaratorum fretus: in quibus ita reperi ſcriptum,

Aut etiam, aut Conchis, &c.

Nam vulgati mendoſiſſimi ſunt, in quibus legitur, *Aut cute concluſæ.* Lamb. *Aut etiam Conchis* Sic veteres libri. In quibuſdam veteribus: *Aut etiam aut.* ut forte legendum ſit: *Aut ſeta, aut.* quod & Lambinus voluit. Marullus hunc locum etiam depravavit. Gifan. *Aut ſeta, aut*, Mera conjectura, quæ nihil facit ad mentem Poëtæ, qui de corporum incruſtatione *externa de parte* adhucdum loquitur. *Aut cruſta, aut conchis, &c.* vel ſimile quid potius cogitandum fuerat. Preig.

935. *Interiorem etiam partem*] Sic M. Tull. eodem libr. *Cum aſpera arteria ad pulmones uſque pertineat, excipiatque animam eam quæ ducta ſit ſpiritu, eandemque à pulmonibus reſpiret, & reddat, &c.* Lamb.

936. *Cum ducitur, atque reflatur*] Id eſt cùm attrahitur, & cùm reſpiratur, ſeu redditur, εἰσπνεόμενος, ϗ ἐκπνεόμενος. Lamb.

943. *Ejiciatur*] Sic repoſui. ſuprà enim ita locutus eſt: 921.

Ejectamque foras, &c. Lamb.

945. *Mutua*] Mutuò, ut ſuprà lib. 2: 625.
——— *& inter ſe mortales mutua vivunt.* Lamb.

946. *Inter enim ſæpit aditus*] Sic reſtitui, & ita legendum, non, ut in nonnullis vulgatis, *ſæpit* ſe-

Conturbantur enim poſiturae principiorum
Corporis, atque Animi, ſic, ut pars inde Animaï
Ejiciatur, & introrſum pars abdita cedat;
Pars etiam diſtracta per artus, non queat eſſe
Conjuncta inter ſe, nec motu mutua fungi:
Inter enim ſaepit aditus Natura, viaſque.
Ergo Senſus abit mutatis motibus altè.

Et

INTERPRETATIO.

atque illa percutiant, paulatim per omnia noſtra membra fit ruina; Nam Seminum Corporis atque Animi diſpoſitio & ordo ita perturbatur, ut inde foras ejiciatur pars Animæ, alia verò pars introrſum recedat; Pars autem per membra noſtra ita diſtracta, ut nullus maneat inter particulas connexus, nec in motus mutuos conſentire poſſint; Natura enim vias, per quas ferri debent particulæ, opplet & obturat: Nullus igitur manet Senſus, quoniam nulli ſunt motus, qui ſunt ad Senſum neceſſarii.

VARIÆ LECTIONES.

942. *ſic, ut.* ſicuti Q. X. Y. ſicut Q1. ſit uti Z.
943. *Ejiciatur.* Eliciatur E. N. P. X. Y. Z.
944. *queat.* querit X.
945. *nec.* neque X. Y. Z.
946. *ſæpit.* ſæpe Q. X. *aditus.* coitus natura A. B. ſæptus M. ſeptus C. E. O. & cœtus c. N. P. X. Y. Z. & coctus Q.
947. *abit.* adit *corrig.* P. *in not.* *mutatis motibus.* mutatus motibus. *corrig.* P. *in not.*

NOTÆ.

ſeptus; neque, ut in quibuſdam manuſcriptis, *ſæpe cœtus*: neque, ut in aliis, *ſæpit coïtus.* Errati cauſam puto præbuiſſe librariis, aut librariorum operis, poſteriorem ſyllabam verbi *ſæpit* brevem, exceptam à vocali, cùm exiſtimarent neceſſariò dactylum hoc loco eſſe debere. Ita factum eſt, ut hunc locum corruperint, & modò ſuppoſuerint *ſæpit cœtus*, modo *ſæpit ſeptus.* ſed ſciunt docti, tribrachum pro dactylo interdum poni ſolere, non ſolùm in tertia ſede, verùm etiam in ſecunda. Virg. 4. Æneid. 64.

Pectoribus inhians.

ſic ſup. Lucret. eod. lib. 340.

Ater init oculos.

quamquam *init* illo loco præteriti temporis eſſe poteſt, ut ſit *inît* pro *iniit.* & Horat. Od. 3. lib. 1:

Perrupit Acherunta Herculeus labor.

Idem Satyr. 3. lib. 2:

Excluſus qui diſtat, agit ubi ſecum, eat, an non?

Cùm hæc edidiſſem, Zoilus cenſuit legendum, *ſæpit coitus*: quod ferri non poteſt, neque *coitus* aditum ſignificat: quæ vox hîc deſideratur. neque *coitus* porrò neque *coëtus* hîc locum habere poſſunt, quæ voces congreſſum & conventum ſignificant. Et tamen audet ille κυνώπης ita pronuntiare de me: ,,Malè ergo Lambinus.,, Ain' tu omnium mortalium profligatiſſime & flagitioſiſſime? Immo vero tu planè fœdiſſimè. LAMB. Gifanius *Coitus*: Sed illius Codicibus *Lambini* conjecturam libenter præfero. CREECH.

947. *Abit alte*] Scribo *adit alte*: hoc eſt, diſcedit in intima penetralia corporis comitatus animam: quæ cedens ſopori migravit. Si legis *abit alte*, interpretare diſcedit in ſummum corporis cedens ſomno. Excluditur enim adveniente ſomno pars animæ per Lucretium. PIUS. Penitùs: Qui aliter Sentit, Idem cum Fayo *Altè* Intus ſeu intrinſecus ineptè interpretetur. CREECH.

V 947. *Mu-*

Et quoniam non eſt quaſi quod ſuffulciat artus,
Debile fit Corpus, langueſcunt omnia membra:
Brachia, Palpebraeque cadunt, Popliteſque cubanti
Saepe tama ſubmittuntur, vireſque reſolvunt.
Deinde cibum ſequitur Somnus, quia quae facit Aër,
Haec

INTERPRETATIO.

Et quoniam non eſt aliquid quod Membra quaſi ſuſtineret, Corpus ſit debile, omnia membra languent, Brachia, & Palpebræ cadunt, nec Poplites Corporis pondus amplius ſuffulciunt. Deinde Somnus ſequitur Cibum, quoniam Illa quæ Aër facit,

VARIÆ LECTIONES.

949. *langueſcunt.* langueſcuntque omnia *Quidam, ut &* Y. Z.

950. *Procumbunt.* procubant A. B. cubanti C. E. N. *Non.* P. Q. X. Y. Poſt hinc inſeritur in C. E. F. N. P. Q. item L. ſed delendum cenſet L. ſæpe *etiam* ſummittuntur, vireſque reſolvunt. *ſed pro* etiam *legunt* tamen Y. Z. *Vide Notas.*

NOTÆ.

947. *Mutatis motibus*] Corrige *mutatus motibus.* diſcedit alte ſenſus mutatus a motu ſoporis advenientis. Et quoniam non eſt Corpus, cum ſpoliatum ſit ſenſibus & anima, ſit debile & languens. Pius.

948. *Suffulciat artus*] Horat. 2: 3: 154. *Stomacho fultura ruenti.* Faber.

950. *Brachia Palpebræque*] Sic Ariſt. de ſomno: καὶ διὰ ψύξιν καταπίπτει τὰ βλέφαρα, id eſt, *& propter refrigerationem decidunt palpebræ.* ibid. ſup. καὶ ἀδυνατοῦσιν αἴρειν τὴν κεφαλὴν καὶ τὰ βλέφαρα, id eſt, *& non poſſunt attollere caput & palpebras.* profert hunc verſum Nonius, mendoſe, ut & mendoſe legitur in libris omnibus etiam Manuſcriptis: in quorum duobus cùm ſcriptum reperiſſem, *popliteſque procubanti,* re cum Adriano Turnebo communicata, *procumbunt* repoſui: quamvis ille legendum cenſeat *cubant pro.* quod probare non potui. neque eſt quod quemquam moveat prima ſyllaba, quæ apud Virgil. ſemper producitur. Nam præpoſitionem *pro* in compoſitione, & in talibus verbis, *propello, protrudo, procudo,* & ſimil. nunc corripiebant nunc producebant veteres. Quod ſi cui tamen placebit legi *cubant pro,* quod mavult vir ille doctiſſ. pro eo quod eſt *procubant,* ſeu *procumbunt,* non pugnabo. Jam verſum, qui deinceps ſequitur,

Sæpe etiam ſummittuntur, vireiſque reſolvunt,

delendum cenſeo, ut ſpurium. fuit enim additus hoc verſu corrupto. Hæc cùm edidiſſem, Zoilus ſcripſit, ſe hunc verſum deleviſſe, ut ineptum ac nothum: nihil ab ingenio, aut more ſuo diſcedens: in verſu ſuperiore autem,

Brachia, palpebræque, &c.

neſcio quibus furiis agitatus, *procubant* legendum cenſet, non *procumbunt*, ut nos; neque *cubant pro*, ut Turnebus: ut ſit (inquit) verſus luxatus, optimè congruens luxatis poplitibus. Atqui non ſunt ei continuò luxata genua, cui genua ſumma procumbunt: neque ſi eſſent, tali verſu luxatio genuum eſſet exprimenda. ſervet igitur ſibi tam inelegantem & invenuſtum verſum, neque Lucretio tam polito poëtæ ſuas ſordeis allinat. Lamb. *Popliteſque procubant.* Ita ex veſtigiis veterum librorum. In quibuſdam erat: *procubanti.* ut ſit luxatus verſus, optime congruens luxatis poplitibus. Verſum ſequentem:

Sæpe etiam ſummittuntur vireſque reſolvunt.

ut ineptum, & prorſus nothum, delevi; licet ſit in veteribus libris. Παρεμβέβληται, ex mendoſa hac ſcriptura. Gifan. Expungendus eſt (*ſæpe etiam* &c.) hic verſus. Faber. Giſanius *Procubant*, ut luxatus verſus luxatis poplitibus conveniat; putidè. *Cubant pro* Turnebus. Alii autem legunt,

——— ——— ——— *Popliteſque cubanti*

& ſubjungunt

Sæpe

Haec eadem Cibus, in venas dum diditur omneis,
Efficit: & multò Sopor ille graviſſimus exſtat,
Quem ſatur, aut laſſus capias, quia plurima tum ſe
Corpora conturbant magno contuſa labore.

Fit

INTERPRETATIO.

Cibus, cum in Venas omnes diſtribuitur, efficit; Et ille Somnus eſt multo graviſſimus, quem capis cum Satur es vel laſſus, quoniam tum plurima Corpora magno iſto labore, quem Laſſus peregit, agitata ſeinvicem perturbant;

VARIÆ LECTIONES.

954. *Efficit: &.* efficitur Z. *ſed corr.*
955. *capias.* captas N. *quia.* qui Q.
956. *contuſa.* concuſa A. B. P. concuſſa I.

NOTÆ.

Sæpe etiam ſummittuntur, vireſque reſolvunt.

Alii,

Sæpe tama *ſummittuntur, vireſque reſolvunt.*

Dicitur autem *Tama*, cùm labore viæ Sanguis in crura deſcendit, & tumorem facit: Feſtus. *Lambinum* verò ſequor, qui legit *procumbunt*, & verſum *Sæpe*, &c. rejicit. CREECH. *Poplite ſque procumbunt Sæpe etiam ſubmittuntur, vireſque reſolvunt*, MSS. *Sæpe tamen.* Lege,

——— ——— ——— *Poplite ſque cubanti*
Sæpe tama ſubmittuntur, &c.

Cubantem tamam dicit, quod deorſum ad pedes tendat. ſic ſupra ℣. 520. *cubantia tecta.* Idem error apud Nonium, in verſu Lucilii, in Voce *differre.* Ubi pro *tama* ſimiliter legitur *tamen.* *Tama* quid ſit docet Feſtus. VOSSIUS. Multa omnino ſpecie ſe commendat hæc conjectura; nam alter ex his verſibus ita ſcribitur apud Nonium, in *Palpebrum.* In altero *tama*, vocabulum inuſitatius, facile degeneravit in *tamen*, cui, quod ſententiæ minus congrueret, *etiam* in quibuſdam ſubſtitutum eſt. Apud Feſtum autem: *Tama dicitur, cum labore viæ ſanguis in crura deſcendit, & tumorem facit. Lucilius:*

Inguen ne exiſtat, papulæ, tama, ne boa noxit.

Ubi vitium corporis ex delaſſatione contractum proprie notat. Noſter metonymice forſan pro ipſa laſſitudine pedum uſurpavit, & *cubanti* potius dativus caſus eſt, pro ſubſidenti, ſive, adeo ut ſubſidas, neque ſtare amplius aut pergere queas. Loquitur enim de ſomno, quem *ſatur aut laſſus* in primis capias. PREIG. & HAV.

952. *Deinde cibum ſequitur*] Idem tradit Ariſt. lib. de ſomno & experrectione: nempe cibi & potus halitus humidos ſurſum ferri: qui ubi in ſupernum locum pervenerint, tunc quia ſunt graves & corporei, deorſum referuntur & recidunt, & una ſecum calorem vitalem & nativum, qui ſua ſponte ſurſum fertur, rapiunt, & ad interiora detrudunt; quo facto creatur ſomnus. Itaque à cibo ſomnus altiſſimus & graviſſimus eſſe ſolet: itemque à labore. labor enim liquefacit, & quaſi tabefacit. quicquid autem ex corpore liqueſcente deteritur, eſt veluti cibus non coctus, & crudus. LAMB.

954. *Et multo ſopor ille graviſſimus*] Sic Ariſt. eodem loco, μετὰ γὰρ τὰ σιτία ἰσχυρότατος ὁ ὕπνος γίνεται, id eſt, *poſt cibos validiſſimus fit ſomnus.* LAMB.

955. *Quia plurima*, &c.] De Somno Saturi jam actum eſt, at quatuor Verſus, qui deinceps ſequuntur, docent, cur graviſſimus ſit ille Somnus quem Laſſus capiat; atque inde facilè intelligi poteſt quid velint voces *Magnus Labor* ℣. 955. ab Interpretibus nondum ſatis explicatæ. CREECH.

956. *Magno contuſa labore*] Codex Vatican. habet *concuſa*: unde ſuſpicatur Muretus legendum *concuſſa.* ceteri ſcripti, in his Bertinianus, cum vulgatis conſentiunt, qui habent *contuſa.* LAMB. *Concuſa labore*, Hanc veram puto ſcripturam, ex quibuſdam veteribus. Aliam vero *contuſa*, etiam non malam, ex gloſſa inrepſiſſe. Vide Indicem.

Fit ratione eadem conjectus porro Animaï
Altior, atque foras ejectus largior ejus,
Et diviſior inter ſe, ac diſtractior intus.
Et quoi quiſque fere ſtudio devinctus adhaeret,
Aut quibus in rebus multùm ſumus antè morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis Mens,

In

INTERPRETATIO.

& inde fit ut Anima in partes interiores longiùs recedat, ut major illius pars foras ejiciatur, & ut particulæ Animæ quæ intus manent, ſint a ſeinvicem diviſæ magis & diſtractæ. Plerumque etiam accidit, ut cui ſtudio quiſque deditus ſit, aut in quibus rebus multum antè (dum vigilavimus) verſati ſumus, & in qua meditatione Animus fuit magis attentus,

VARIÆ LECTIONES.

957. *porro Animaï.* parte Animaï Q. X. Y. Z.
958. *Altior.* Artior V.
959. *diviſior.* divitior C. clivoſior c. O. P. diviſior P. *in not.*
960. *Et quoi.* Et quo C. E. N. P. X. Y. At quod Z. *ſed corr.* At quo. *devinctus adhæret.* defunctus adhæret E. P. Q. X. devictus P. *in not.*
962. *Atque in qua.* Atque in ea P. Qm. X. Y. Z. *recte tamen corrig.* P. *in not.*

NOTÆ.

GIFAN. *Contuſa*, Muret. *Concuſſa.* FABER.

957. *Conjectus porrò animaï altior*] Id eſt anima in altiores & interiores parteis cogitur, & colligitur, ſeu contruditur. *altior*, id eſt abſtruſior, reconditior. nonnulli libri tamen habent *Arctior* ſeu *Artior.* LAMB.

958. *Altior*] *Artior*, in quibuſdam libris. Vid. ſupra ℣. 947. GIFAN.

960. *Et quoi quiſque fere ſtudio devinctus adhæret*] Sic reſtitui ex auctoritate quinque librorum manuſcript. Nam libri vulgati mendoſe habent,

Et quo quiſque fere ſtudio defunctus adhæret, &c.

Incipit ab hoc loco de ſomniis diſputare: quæ inania arbitrabatur Epicurus, & prorſus divinitatis expertia: nec mirum, qui divinationem omnem tollebat. Cùm ſomnia ſint (ut ait Ariſtot.) *reliquiæ earum rerum, quas vigilantes ſenſu percipimus*: vel (ut idem Ariſtoteles definit) *viſa ex motionibus rerum à vigilantibus ſenſu perceptarum animantibus inter dormiendum objecta, quà dormiunt*: cumque ea quæ à vigilantibus ſenſu percepta ſunt non ſtatim ut ſenſus afficere deſierunt, evaneſcant, ſed aliquantiſper maneant: quemadmodum, ſi rem aliquam mobilem agitaveris, non continuò, ſimulatque eam movere deſieris, & manum continueris, ea quoque conquieſcit: non eſt mirum dormientibus nobis eorum imagines objici, quæ vigilantes aut egimus aut locuti ſumus, aut cogitavimus. Cum his Lucretianis congruunt illa Claudiani:

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Pectore ſopito reddit amica quies.
Venator defeſſa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſilvas & ſua luſtra redit.
Judicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.

Sic ferè & Ennius:

Quæ in vita uſurpant homines, cogitant, curant, vident,
Quæque agunt vigilantes, agitantque; ea ſi cui in ſomno accidunt,
Minus mirum eſt.

De ſomniis legendus Tertullianus libro de anima. LAMBIN. Jam de Inſomniis; Cenſet autem Epicurus, ut ſuprà declaratum eſt, Animos dormientium externis & adventitiis Simulachris pulſari; Inde Inſomnia: Quòd verò ea ſomniemus ma-

In Somnis eadem plerumque videmur obire:
Cauſidici cauſas agere, & componere leges:
Induperatores pugnare, ac proelia obire:
Nautae contractum cum ventis cernere bellum:
Nos agere hoc autem, & Naturam quaerere rerum
Semper, & inventam patriis exponere chartis.
Caetera ſic ſtudia, atque artes plerumque videntur

In

INTERPRETATIO.

frequenter videamur obire eadem in Somno. Cauſidici videntur Cauſas agere, Legeſque interpretari, Imperatores pugnare & certamina committere, Nautæ cum Ventis & procellis certare, Ego autem videor agere quod nunc ago, Diſputare, rerum Naturam perpetuo quærere, & inventam Latinis carminibus explicare. Similiter cætera ſtudia & Artes quibus Homines dediti ſunt,

VARIÆ LECTIONES.

963. *videamur.* videantur Q1.
964. *componere leges.* componere lites *Alii.*
966. *cernere bellum.* degerere bellum A. B. E. degere D. I. N. P. V. X. Y. degerere velum Z. duellum *Quidam, ut* Qm. X. *in quib.* uellum.
969. *artes.* arces Q.

NOTÆ.

maximè quibus per vigiliam ſtudioſe incubuerimus, cùm omne genus Simulachra præſto adſint, id fit quia iſti meatus, per quos toties intrârunt Simulachra, patent; & faciliùs admittunt Imagines quæ ad iſta Studia, quàm quæ ad res alias pertinent. Et non tantùm Hominum ſed aliorum Animalium Inſomnia hoc modo explicari poſſunt. Alia autem Inſomnia magis terrent quàm alia, Nec id quidem mirum, eâ enim terreant neceſſe eſt & acriùs laceſſant, quorum Simulachra e Seminibus aſperis compacta ſunt, & pungunt mentes in quas incidunt. Creech.

962. *In qua ratione*] Meditatione, occupatione. Faber.

962. *Contenta*] Attenta, defixa ſup. 801.

——— ——— *niſi ſe contendit, acutè*
Cernere non potis eſt animus. Lamb.

964. *Componere leges*] Sunt qui legunt *Lites:* Creech. Quod & multo elegantius. Preig.

966. *Cernere bellum*] Quidam libri ſcripti habent *degere velum*: quidam, *degerere velum*: nonnulli, *gerere bellum*, ut vulgati ferè omnes. ſunt & qui habeant *gerere bellum*, nos certiſſima & inexpugnabili conjectura ducti, *cernere bellum* repoſuimus jam in ſecunda editione, à qua in hoc quidem loco non diſcedimus. ſic autem loquitur & lib. 5: 393.

Tantum ſpirantes æquo certamine bellum
Magnis de rebus inter ſe cernere certant.

ſic Plautus Caſ. 3: 1: 2.

——— *nunc ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur.* Lamb.

966. *Cernere bellum*] Certare, decernere, &c. Faber. *Degerere bellum*, Ita legendum; ut ſit pæon: vel *gerere*; ut ſit tribrachus. In quibuſdam veteribus: *degere velum.* In quibuſdam: *degerere velum.* Vulgati: *degere. Degere* vel *Agere bellum*, barbarum puto. Gifan. Giſanius *Degerere bellum*: at Plautus, *Certamen cernere.* Creech.

967. *Nos agere hoc*] Nos autem hoc agere, nempe naturam rerum quærere. Lamb. De ratione Philoſophica ſcribere. Faber.

In Somnis animos Hominum fruſtrata tenere.
  Et, quicunque dies multos ex ordine ludis
Adſiduas dederunt operas, plerumque videmus,
Quom jam deſtiterint ea Senſibus uſurpare,
Reliqüas tamen eſſe vias in Mente patenteis,
Qua poſſint eadem rerum Simulacra venire.
Permultos itaque illa dies eadem obverſantur
Ante oculos, etiam vigilantes ut videantur
Cernere ſaltanteis, & mollia membra moventeis:

Et

INTERPRETATIO.

illorum Animos dum dormiunt ſpecie inani plerumque detinent. Quicumque etiam multos dies continuos in ludis ſpectandis occupati fuerunt, ſæpe videmus poſtquam deſierunt illa ſuis Senſibus percipere, retinere patulos quoſdam in Animo meatus per quos eadem rerum Simulachra ingredi poſſunt: Et hanc ob rationem illa eadem ante oculos per multos dies obſervantur, adeo ut Illi, etiam dum vigilant, videantur ſibi videre ſaltantes, & agiles artus moventes,

VARIÆ LECTIONES.

971. *multos.* multas P. Q. X.
972. *dederunt.* dederint N. Qm. X. Y.
973. *deſtiterint.* deſtiterunt A. B. Z. *& in* Y. *ſed eraſum in* Y.
974. *Reliqüas tamen.* At reliquias tamen A. B. at reliquas C. D. E. N.
975. *poſſint.* poſſunt Y. *rerum.* rebus Q. X.
976. *obverſantur.* obſervantur P. Q. X. *recte tamen corrig. in not.* P.
977. *videantur.* videamur. Q1.

NOTÆ.

971. *Et, quicumque dies*] Et quicumque (inquit) dies aliquot, tragœdos, aut comœdos ſpectaverunt, eoſque recitanteis audierunt, ubi deſierunt ſpectare & audire, ſibi tamen eoſdem ſpectare, & cantores, fidicines, ac tibicines audire videntur. *dederunt* autem, & *deſtiterunt* habet codex Memmianus & Bertinianus. Lamb.

971. *Et quicumque dies multos*] In hanc rem lepidiſſima hiſtoria eſt apud Lucianum. Faber.

972. *Dederunt*] Ita in veteribus libris; rectiſſime. Hac in re peccatum ſæpiſſime eſt. Vulgati: *dederint, deſtiterint.* Gifan.

973. *Senſibus uſurpare*] Oculis & auribus percipere. ſic Plaut. Trinum. 4: 2: 4.

Quas ego neque oculis, neque pedibus umquam uſurpavi.

Lucret. lib. 1: 302.

——— ——— ——— *nec frigora quimus Uſurpare oculis.* Lamb.

974. *Relliquas*] Cod. Bertin. & Memm. habent,

Rellicuas tamen eſſe vias:

Vatican.

Relliquias tamen eſſe viaï in mente patenteis.

ego priorem ſcripturam hac editione ſecutus ſum, ceteris omnibus rejectis. ex quibus olim vulgatam,

At reliquas tamen eſſe vias, &c.

ſecutus eram: & tamen hanc antiquam meo more lectori indicaram in prima & ſecunda editione. Lamb. *At relliquias tamen eſſe vias*, ita omnino legendum ex veteribus libris, vel ut in quibuſdam: *viai*, pro *viæ*. *At*, licet initio ſit poſitum (ut alias ſæpe) jungi tamen debet in metiendo cum verbo *uſurpare*. Hæc ignorata pepererunt mendum, & in verſu & in ſententia. Legi etiam poſſet: *At relliquas*, ut in quibuſdam libris. Gifan.

Et citharae liquidum carmen, chordaſque loquenteis
Auribus accipere, & conſeſſum cernere eundem,
Scenaïque ſimul varios ſplendere decores.
Uſque adeo magni refert ſtudium, atque voluntas,
Et quibus in rebus conſuerint eſſe operati
Non Homines ſolùm, ſed verò Animalia cuncta.
Quippe videbis Equos forteis, quom membra jacebunt,
In Somnis ſudare tamen, ſpirareque ſaepe,
Et quaſi de palma ſummas contendere vireis,
'Tunc quaſi Carceribus patefactis ſaepe quiete:
Ve-

INTERPRETATIO.

audire inſuper ſuaves cantus, & reſonantes Lyræ chordas: eundem conceſſum videre, & ſplendentia varia Theatri ornamenta. In hiſce rebus tanti momenti eſt Studium & Conſuetudo, tanti etiam refert quibus in ſtudiis verſantur non tantum Homines, ſed cuncta Animalia; Nam ſæpe videbis fortes Equos, cum quieſcant membra, in Somnis tamen ſudare, anhelare, & quaſi Carceribus patefactis ſummis viribus de palma certare: Canes Venatorum cum Somno vincti jaceant,

VARIÆ LECTIONES.

980. *conſeſſum.* conſenſum c. P. Q. X. Y. Z. concentum V. *& quidam codd.* P. *ut &* Q1.
982. *magni refert.* magni referunt P. *ſed emendat. in not.*
986. *ſudare tamen*, *ſpirareque.* tranſponit N. *ſæpe.* ſemper X. Y. Z.
987. *palma.* palmis A. marg. N. P. Qm. X. Y. *ſed à m. ſec.* palmas Z.
988. *Tunc quaſi.* Aut quaſi K. N. P. Qm. Y. Z. *Hunc nothum cenſent* A. B. L. *Abeſt in* X. *ſequentes verſus varie turbantur in omnibus MSS.*

NOTÆ.

Gifan. His verbis voculam *At* præponit Giſanius, cui nullus placet verſus niſi vitioſus. Creech.

978. *Saltanteis*] Chorum, vel eos ex quibus conſtabat chorus. Saltabat enim chorus, & cantabat. Lamb.

979. *Chordaſque loquenteis*] Tralatio eſt. Catullus ad arborem vento agitatam tranſtulit carm. ad Faſelum:

Loquente ſæpe ſibilum edidit coma. Lamb.

980. *Conſenſum*] Symmetriam & ſynodiam. quidam codices ſervant *concentum*, id eſt, ſuavem harmoniam quæ ſuccentore conſtat & incentore & hujuſmodi conſenſu. Pius. Utraque lectio ſeſe tueri poteſt, imo & *conſeſſum*, quod vulgatum eſt, haud diſplicet. Hav.

981. *Decores*] Pulchritudines, ſpecies decoras & venuſtas. Lamb.

982. *Uſque adeo magni refert*] Uſque adeò magnum momentum affert cujuſque ſtudium ac voluntas: vel uſque adeo intereſt, quo quiſque ſtudio teneatur, quáque voluntate ſit. Lamb.

983. *Operati*] Occupati, in opere verſati. Lamb.

986. *Spirareque ſæpe*] Libri manuſcripti tres habent,

——— ——— ——— *Spirareque ſemper.*

ego nihil muto. Lamb. *Semper*, veteres quidam. Gifan.

987. *Et quaſi de palma*] Id eſt, de victoria. ſic reſtitui, cùm in tribus libris Manuſcriptis reperiſſem ſcriptum *palmas*. Lamb.

988. *Tum quaſi Carceribus*] Verſus hic jam olim mihi viſus eſt tollendus, ut ſpurius. Atque ut

Venantumque Canes in molli ſaepe quiete
Jactant crura tamen ſubitò, vocesque repente
Mittunt, & crebras redducunt naribus auras,
Ut veſtigia ſi teneant inventa ferarum.
Expergefactique ſequuntur inania ſaepe
Cervorum ſimulacra, fugae quaſi dedita cernant;

Donec

INTERPRETATIO.

ſubito crura ſua movent, latratus emittunt, & crebro attrahunt Aërem quaſi odorantes Ferarum veſtigia; Imo e ſomno excitati ſæpe perſequuntur inania Simulachra Cervorum quaſi cernerent fugientia, donec diſſipatis tandem erroribus ad ſeſe redeant, (inani ſpecie ſe detineri ſentiunt.)

VARIÆ LECTIONES.

989. *Venantumque.* Venatumque P. *recte tamen corrigit in not.* P. abeſt verſus totus Q. Y. Z.
990. *Jactant.* Lactant Qm. *tamen ſubito.* canes ſubito V. *deleto priori verſu.*
991. *crebras.* crebro A marg. P. Qm. V. X. Y. Z. *Forſan melius.*
992. *Ut.* Et Q. X. Y. Z.
993. *ſequuntur.* ſequantur P.
994. *quaſi dedita.* quas addita Q1. quaſiddita Y. *ut &* Z. *ſed in illo corr.* quaſi didita. ſimulata fuga quaſiddita X.

NOTÆ.

ut magis intelligas, eum eſſe inculcatum, is qui deinceps ſequitur, qui eſt germanus Lucretianus, aberat à Bertiniano. licet tamen eum retinere, & ita legere:

Tum quaſi carceribus patefactis tempore puncto.

ut lib. 2: 263.

Nonne vides etiam patefactis tempore puncto
Carceribus, &c.

ex quo loco fortaſſe in hunc locum alienum delatus eſt. Sed Simeo Boſius homo perquam eruditus, & perquam ingenioſus, putabat retineri poſſe, & ſic eſſe emendandum:

Tum quaſi Carceribus patefactis exequitet quis.

Lamb. Hic fortaſſe nothus eſt. Id quod etiam Lambinus exiſtimat. Gifan. Verſus ſpurius. Faber. Hunc verſum rejiciunt Interpretes, retineri tamen poſſe judicat Lambinus, ſi legatur e lib. 2: 263.

Tunc quaſi Carceribus patefactis tempore puncto.

e quo loco forſan in locum alienum delatus eſt. Creech. Ego hoſce verſus ita puto eſſe emendandos & in ordinem redigendos:

In ſomnis ſudare tamen, ſpirareque ſæpe;
Haud, quaſi carceribus patefactis, ſtare quiete,
Et quaſi de palma ſummas contendere vires.

Illud *haud ſtare quiete* optime exponit Lucanus 1: 293.

Accenditque ducem, quantum clamore juvatur
Eleus ſonipes, quamvis jam, carcere clauſo,
Immineat foribus, pronuſque repagula laxet.

in MSS. enim hic omnia luxata & perturbata ſunt. Hav.

988. *Venantumque canes*] Proverb. *κύων ἄγραν ὀνειρώττων*, id eſt, *canis prædam ſomnians.* Lamb. *Venantum*, Venatorum, ut *medentes* pro medicis. Faber.

990. *Et crebras redducunt naribus auras*] Et crebrò reſpirant, crebrò attrahunt aërem quaſi odorantes ferarum veſtigia. Cod. Bertinianus habet,

——— *Et crebro redducunt naribus auras.* Lamb.

994. *Erroribus*] Sic reſtituit Adrianus Turnebus, cùm in libris omnibus legatur, *terroribus.* cui aſſentior. nam canes feras inſequentes non terrentur, neque vigilantes, neque in ſomnis: ſed

Donec diſcuſſis redeant erroribus ad ſe:
At conſueta domi Catulorum blanda propago
'Degere, ſaepe levem ex oculis, volucremque ſoporem
Diſcutere, & corpus de terra conripere inſtant,
Proinde quaſi ignotas facies, atque ora tuantur.

Et

INTERPRETATIO.

Verum blandi catuli qui domi mollem vitam agunt, ſæpe feſtinant levem volucremque Somnum diſcutere ex Oculis, & de terra ſua Corpora attollere, quaſi cernerent Ignotos aliquos Homines domum ingreſſos.

VARIÆ LECTIONES.

995. *erroribus.* terroribus A. B. C. E. N. P. Q. V. X. Y. Z.
997. An hic verſus ſit legitimus dubitat A. deeſt C. E. P. Q. X. Y. Z. in omnibus etiam MSS. turbantur ſequentia.

NOTÆ

ſed ſi in ſomnis inſequantur, ſeu videantur ſibi inſequi, tum errant. Non probat hæc Zoilus. Quid mirum? poteſtne quicquam homini barbaro placere & probari, quod Adrian. Turnebo (non enim dicam mihi) placuerit? LAMB. *Terroribus*, Lambinus: *erroribus*, ex conjectura Turnebi. Ego nihil muto· Nam & ſupra lib. I. & infr. lib. VI. *animi terrorem diſcutere*, dixit Poëta. GIFAN. *Erroribus*, Ita *Turnebus*, & rectè quidem, Valeant autem Codd. *Gifanii* cum ſuis *Terroribus*, quid enim terreat Canes veſtigia feræ, Leporis forſan, perſequentes? CREECH.

996. *At conſueta domi Catulorum*] Locutus eſt de canibus venaticis, nunc de iis qui domui cuſtodiendæ præponuntur, & de domeſticis. LAMB.

997. *Degere, ſæpe levem ex oculis, volucremque ſoporem*] Hunc verſum reſtitui, qui hoc loco deſiderabatur, ut videbunt, qui ſuperiora cum iis quæ ſequuntur, conferent, & ſenſum Lucretii conſiderabunt. Jam verbum *diſcutere* perſpicuè non habebat nomen, cum quo cohæreret, ut *ſomnum*, aut ſimile. nam neque *corpus diſcutere*, neque *diſcutere* ſine nomine aliquo accuſandi caſus, conſtare poteſt. Præterea vox *conſueta*, ſola, & ſine infinitivo, illepidè & inuſitatè jacebat, cùm tamen numquam, ne ab ipſo quidem Lucretio, ſine verbo infinitivo uſurpetur: quod oſtendam exemplis aliquot collectis (neque plura tamen reperiri poſſunt) ubi hoc participio uſus ſit. ſic igitur hoc eodem libro ſuprà: 715.

Auroram clara conſuetum voce vocare.

& lib. 5: 209.

——— ——— ni vis humana reſiſtat,
Vitai cauſa valido conſueta bidenti
Ingemere.

& lib. 6: 787.

Floris odore hominem tætro conſueta necare.

ibid. 1041.

Interdum fugere atque ſequi conſueta viciſſim.

Accedat Arnobius, cujus hæc ſunt libr. I. *Tyndaridæ Caſtores, equos unus domitare conſuetus, alter pugillator bonus, &c.* Idem eodem lib. *Neque alia ſectantur aucupia verborum, quibus capi conſueti ſunt audientes.* LAMB. Hunc verſum Lambinus interſeruit: In noſtris libris non erat. Et haud ſcio, an rectius abeſſe poſſit. GIFANIUS. Hunc verſum poſtulante ſententia inſeruit *Lambinus.* CREECH. Eo tamen opus eſſe non judico, dixit enim Poëta *diſcutere* & *conripere de terra corpus.* quorum prius differt a poſteriori, & ille catulorum actus eſt, quo, oborto terrore aliquo, quatiunt villos atque erigunt pilos. HAV.

998. *Conripere*] Ut hic Lucret. *corpus corripere è terra* dixit: ſic Virg. Æneid. 3: 176.

Corripio è ſtratis corpus.

Iterum Lucret. libr. 3: 164.

Conripere ex ſomno corpus, mutareque voltum.

ibidem:

Quin conreptus homo ex ſomno, &c. LAMB.

999. *Proinde quaſi ignotas*] Rectè dixit, *ignotas facies.* nam canibus ignoti omnes, etiam ii

qui

Et quàm quaeque magis ſunt aſpera ſeminiorum,
Tam magis in Somnis eadem ſaevire neceſſum eſt.
At variae fugiunt Volucres, penniſque repente
Sollicitant Divûm nocturno tempore lucos,
Accipitres ſomno in leni ſi proelia, pugnaſque
Edere ſunt perſectantes, viſaeque volantes.
Porro Hominum mentes magnis quae motibus edunt,
Magna itidem ſaepe in Somnis faciuntque, geruntque.
Reges expugnant, capiuntur, proelia miſcent;
Tollunt clamores, quaſi ſi jugulentur ibidem:
Mul-

INTERPRETATIO.

Et quo magis aſpera ſunt Simulachrorum Semina, eo acrius laceſſant in Somnis, & terreant neceſſe eſt: ſic variæ Aves ſibi fuga conſulunt, aliſque ſuis per Divorum lucos noctu cum ſtrepitu feruntur, ſi forſan Accipitres volantes, impetum facientes, aut perſequentes in Somnis videant. Deinde, Hominum mentes quot & quanta in Somnis vehementer agunt! Expugnant Reges, capiuntur, miſcent prælia, clamores tollunt quaſi lethale vulnus accepiſſent;.

VARIÆ LECTIONES.

1000. *Et quam.* Et quo A. B. C. E. I. N. P. Q. X. Y. *ſeminiorum.* ita A. B. c. N. P. Q1. X. Y. *ſemina rerum Creech.* Alii *ſemina eorum.*
1001. *neceſſum eſt.* neceſſe eſt X.
1002. *penniſque.* pinniſque A. B. P. Qm. Y. Z.
1004. *leni ſi.* levi ſi C. E. N. Q. Y. leni ſic c. O. P. *pugnaſque.* pugnas Y. Z.
1005. *Edere ſunt perſectantes.* Adere ſunt perfectantes. E. *viſæque.* viſæ atque P.
1006. *motibus.* montibus X. Y. Z.
1007. *itidem.* ita K. X. Y. Z. *Reliqui* etiam.

NOTÆ.

qui nunquam læſerunt, hoſtium ſunt locó, ut ſcribit Plato lib. 2. de Repub. LAMB.

1000. *Et quam quæque magis*] Sic repoſui etiam repugnantibus libris omnibus. ſic enim legi debet, ut docui in Scholiis ad lib. 1. LAMB. *Et quo quæque magis.* Lambinus: *quàm.* Ego a libris non diſcedo. Nam & *quo*, & *quanto*, & *quàm magis*, rectè dicitur. GIFAN.

1000. *Seminia eorum*] Libri quinque Manuſcr. habent *ſeminiorum*, ut fortaſſe legendum ſit *ſeminia horum. eorum* autem, ſive *horum*, nempe *canum.* LAMB. *Seminiorum*, ita omnes ferè veteres libri; optime. *Quæque ſeminiorum*, pro *quæque ſeminia.* Marullus & Vulgati: *ſemina eorum.* GIF. *Semina eorum*, Viz. Canum, Lambinus: Sed fallitur Interpres, nam tota de Canibus diſputatio abſoluta eſt, & jam agitur de Inſomniis terrificis, quæ excitantur a Simulachris fluentibus e rebus quæ ex aſperis Seminibus componuntur: rectiùs igitur legendum *Seminiorum*: ſeu potiùs *Semina rerum.* CREECH.

1002. *Penniſque repente*] Libri ſcripti habent *pinniſque.* LAMB. *Pinniſque*, ita veteres libri. In aliis: *pennis.* GIFAN.

1003. *Sollicitant divûm nocturno*] Timore & pavore lucos complent, ſomniantes ſibi à tergo inſtare accipitres inſectanteis. LAMBIN. Agnoſce Scomma Lucretio dignum; Divi viz. hoſpites ſuas Aves ab Imagine Accipitris tueri non valent. CREECH.

1004. *Accipitres ſomno in leni*] Profert hunc verſum Nonius, ut probet, nomen *accipitres* uſurpari

Multi depugnant, gemituſque doloribus edunt;
Et quaſi pantherae morſu ſaevive leonis
Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.
Multi de magnis per Somnum rebus loquuntur,
Indicioque ſui facti perſaepe fuêre:
Multi mortem obeunt, multi de montibus altis
Se quaſi praecipitent ad terram corpore toto
Exterrentur, & ex Somno, quaſi mentibus capti,
Vix ad ſe redeunt permoti corporis aeſtu.
Flumen item Sitiens, aut fontem propter amoenum

Ad-

INTERPRETATIO.

Multi dimicant, & quaſi vulnerati præ dolore gemunt, & quaſi a Panthera aut ſævo Leone lacerarentur, magnis clamoribus complent omnia. Multi in Somnis ſæpe de negotiis magni momenti garriunt, & ſæpe conſilia ſua & facinora prodiderunt. Multi ſibi videntur mortem obire, de altis montibus multi ſe quaſi ad terram toto corpore præcipites mittunt; Perterrentur, ita ut e Somno excitati mentibus capti videantur, & vix ad ſe redeant, Animo ab agitato Corpore tantopere concuſſo. Item Sitiens juxta flumen aut fontem amænum

VARIÆ LECTIONES.

1010. *ſævive.* ita N. Q1. X. Y. Z. Reliqui *ſævique.*
1013. Deeſt P.
1014. *ſui facti.* ſui fati c. O. X.
1016. *Se quaſi.* Ut quaſi K. Qm. Z. Ut qui Y. *ſed corr. m. ſ.* & quaſi X.
1017. *Exterrentur.* Exterruntur K. X. *mentibus.* montibus O. P. --
1018. *permoti.* promoti P. Q. *æſtu.* æſtus A. B.

NOTÆ.

ſurpari interdum in gen. fæmin. LAMB. *Accipitres viſæ*, dicebant enim *hæc accipitris.* FABER.

1006. *Porro hominum mentes*] Redit ad hominum ſomnia. LAMB. Hæc cum interrogationis nota ita hactenus fuerunt edita,

Porro hominum mentes magnis quæ motibus edunt?
Magna etenim, &c.

Judicet lector quid præſtet. ego in MSS. nullam interrogationis notam inveni. HAV.

1009. *Tollunt clamores*] Sic loquuntur boni ſcriptores. M. Tull. lib. 4. accuſ. *Clamor à vigilibus, fanique cuſtodibus tollitur.* Virgil. lib. 2. Æneid. 222.

Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit.

Idem lib. 9: 566.

—— —— —— *undique clamor*
Tollitur. LAMB.

1010. *Doloribus*] Ob dolores, ſeu præ doloribus. LAMB.

1013. *Multi de magnis*, &c.] Hic verſus a veteribus quibuſdam abeſt. GIFAN.

1014. *Indicioque ſui facti*] id eſt, & ſæpe ſuum factum indicaverunt. M. Tull. Topic. *Et per ſomnum, vinum, inſaniam, multa ſæpe patefacta ſunt.* Lucretius libro 5: 1157.

Quippe ubi ſe multi per ſomnia ſæpe loquentes,
Aut morbo delirantes procraxe ferantur. LAMB.

1015. *Obeunt*] Obire videntur. FABER.

Adſidet, & totum prope faucibus occupat amnem.
Puri ſaepe lacum propter, ſe, ac dolia curta,
Somno devincti credunt extollere veſtem,
Totius humorem ſaccatum ut corporis fundant:

Quom

INTERPRETATIO.

ſedet, & totum prope amnem ore ſuo haurit. Pueri etiam ſomno ſepulti credunt ſe juxta lacum aut curta dolia veſtes ſuas attollere, ut ſaccatum humorem totius Corporis effundant;

VARIÆ LECTIONES.

1021. *Puri ſæpe.* Pueri ſæpe A. B. C. E. I. N. X. multi C. O. P. Poiri V. *ſed* Puri *quoque* Q. Y. Z.

1022. *devincti.* devicti P. *credunt extollere.* credunt ſe extollere P. Qm. X. Y. Z.

1023. *ſaccatum.* ſiccatum C. E. N. Q1. *Quidam Codd.* P. ſacratum c. O. Q. ut ſacratum P. *ut* abeſt X. Y. Z. *fundant.* fundunt Q1. Y. Z.

NOTÆ.

1021. *Puſi ſæpe lacum propter*] Cùm in libris ſcriptis reperiſſem ſcriptum *Puri*, ſciremque veteribus *pueros*, *puſos*, & *puſiones*, & *pupos* eſſe dictos, ut etiam Iſidorus docet, in voce *pupus*: ſic à Lucretio eſſe ſcriptum putavi, ut excudendum curavi. *Puſum* autem & *puſam*, *puerum* & *puellam* ſignificare, intelligere licet etiam ex illo Epigrammatio Pomponii in Caſcam adoleſcentem: quod exſtat apud Varr. lib. 6. de Ling. Latin.

Ridiculum eſt quod te Caſcum tua dicit amica
Filia Petroni ſeſquiſenex puerum.

(vel, ut vulgò legitur,

Caſca Philethonis ipſa ſenex puerum.)
Dic tu illam puſam: ſic fiet, mutua muli:
Nam vere puſus tu, tua amica ſenex eſt.

licet etiam hoc loco legere *pupi.* fuit enim facilis lapſus à *P* littera in *R.* licet & legere *Pueri*, ut ſit tribrachus pro ſpondeo, aut dactylo. Ne Turnebi quidem ſententia mihi diſplicet, exiſtimantis, nihil eſſe mutandum, & *Puri* legendum. dixerunt enim (ut ait ille) veteres *puri* pro *pueri*: unde *pulli.* Pueri igitur (inquit) ſæpe putant ſe in ſomnis prope lacum ac dolia veſtem attollere, ut mejant, cùm interea veſteis ſtragulas & lectum lotio madefaciunt & commejunt. Fuiſſe Romæ, cùm aliis in urbis locis, tum in angiportis dolia quædam brevia, & amphoras, & ſimilia vaſa mejendi cauſa comparata, ac diſpoſita, declarant illa verba ex oratione C. Titii apud Macrob. lib. 3. cap. 16. *Dum eunt, nullà eſt in angiporto amphora, quam non impleant: quippe qui veſicam plenam vini habeant.* LAMB. *Pueri ſæpe*, in veteribus quibuſdam: *Puri*; non male. Lambinus *Puſi.* Alii: *Multi*, peſſime. GIFAN. *Puri*, *Puſi*, *Pueri*, legi poteſt; eadem enim omnium ſignificatio. FABER. Ego *Puri* repoſui ex MSS. optimis, ex qualibus & hunc & ſimiles Nonii locos quoque emendavit Andr. Schottus Obſerv. Hum. lib. 1. cap. 4. Prætererea a *puri* deducit vocem *pueri* Iſidorus p. 1102. lin. 40. HAV.

1021. *Dolia curta*] In urbe populoſiſſima, ſi qua unquam fuit (Romam dico) dolia in angulis platearum erant, in quæ peregrini homines vel Cives, qui de faciendo domi lotio (ſic enim loqui ſolent Latini) antequam in publicum prodirent, non cogitârant, veſicam exonerare ſoliti fuerunt. Unice ad hunc Lucretii locum facit quod apud Macrobium legere eſt lib. 3. cap. 17. *Curta* autem ſemifracta, *&c.* ſatis ad eos uſus apta. Cæterum illa dolia lateritia erant, vel figlini operis, non lignea. FABER. Adde Notas Caſaub. ad Suet. Veſp. cap. 23. HAV.

1022. *Somno devincti*] In veteribus noſtris: *devicti.* GIFAN.

1023. *Totius humorem ſaccatum, &c.*] Sic eſſe legendum indicavit mihi Adr. Turneb. (Adv. 13: 14. 17: 18. & 27: 35.) conjectura facta ex cod. Bertin. ſcriptura *ſaccutum.* lotium autem ſignificat Lucret. per humorem totius corporis ſaccatum. Lotium enim nihil aliud eſt, quàm

hu-

Quom Babylonica magnifico ſplendore rigantur.
Tum, quibus aetatis freta primitus inſinuantur,
Semen ubi ipſa dies membris matura creavit;
Conveniunt Simulacra foris è corpore quoque,

Nun-

INTERPRETATIO.

cum tamen purpurea ſtrata Babylonica iſto Humore conſperguntur. Præterea, Illis quibus prima adoleſcentia efferveſcit, cum matura rebus Venereis ætas Semen in membris coxit, Simulachra quædam e Corpore aliquo formoſo fluentia,

VARIÆ LECTIONES.

1024. *Cum.* Ceu c. O. P.
1026. *creavit.* inſeras: Quæ ciet inritans loca turgida ſemine multo P.
1027. *è corpore.* de corpore P. *quoque.* quoique A. B. quæque C. E. N. Q. X. cuique I.

NOTÆ.

humor corporis ſaccatus, id eſt, per totum corpus quaſi per ſaccum percolatus. Atque hoc eodem nomine lotium appellat Arnob. lib. 2. Adverſ. Gent. de Animab. loquens: *Corporibus involutæ inter pituitas & ſanguinem degerent: inter ſtercoris hos utres, & ſaccati obſcœniſſimas ſerias. Saccatum* autem participium eſt paſſ. à verbo *ſaccor, aris,* quo utitur Martial. lib. 2. Epigram. 40. ad Tongilium:

Cæcuba ſaccentur, quæque annus coxit Opimi:
Condantur parco fuſca Falerna cado. LAMB.

Præclare Turnebus *ſaccatum*, cum in quibuſdam libris eſſet: *ſaccutum, ſacratum, ſiccatum.* GIFAN. Honeſte poſitum pro lotio. Notum quid ſic *ſaccus* & *ſaccare*, ubi de vino & laticibus percolandis agitur. Gall. *une chauſſe.* FABER.

Cæcuba ſaccentur, *quæque annus coxit Opimi.* CREECH.

1024. *Babylonica.*] Petronius Arbiter. *Clauſus aureo plumato Babylonico.* Joſippus libro ſexto de bello Judaico. *Auleum longitudine pari, hoc eſt velum Babylonium hiacyntho & byſſo & cocco & purpura variatum. mirabili opere factum: neque rationis inopia colorum permiſtione: ſed velut rerum omnium imaginem perferens. Cocco enim videbatur ignem imitari: & byſſo terram & hiacyntho aërem: ac mare purpura. quoniam byſſum quidem terra, mare autem purpuram gignit: eratque in eo perſcripta omnis cœli ratio præter ſigna.* PIUS. *Babylonica*, veſtes ſtragulæ avectæ ex Babylonia, diverſis colorib. intextis pictæ. In vocabul. Latino-Græco Manuſcript. ſic explicatur: *Babylonicum, πολύμιτ@,* id eſt, *veſtis filis verſicoloribus contexta.* Plaut. Sticho 2: 2: 54.

Tum Babylonica periſtromata, conſutaque tapetia. Plin. lib. 8. cap. 48. *Colores diverſos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, & nomen impoſuit.* Martilis 8: 28.

——— ——— *Babylonia picta ſuperbe*
Texta, Semiramia quæ variantur acu. LAMB.

Babylonica tapetia magnifica & ſplendida, ut apud Virgil. *Equos ſplendore nivali*, in Æneid. 3: 538. FABER.

1024. *Rigantur*] Lotio conſperguntur à pueris ſomniantibus. LAMB.

1025. *Tum, quibus ætatis freta*] Tum adoleſcentes (inquit) quibus *freta*, id eſt æſtus, & fervores ætatis primùm inſinuantur, &c. id eſt, qui incipiunt rebus Venereis idonei eſſe. *Fretum* (inquit Varro) *à ſimilitudine ferventis aquæ, quod in fretum ſæpe concurrat æſtus, atque efferveſcat.* LAMB. Ætatis æſtus & fervor, Adoleſcentia ſcilicet. FABER. Ubi Quidam *Lucretii* immodeſtiam, ibi Ego illius Artem agnoſco & ſuſpicio: Neque profectò Ille unquam aliquid de hujuſmodi Inſomniis, niſi ad connectendam ſequentem de Libidine & Amore diſputationem neceſſaria fuiſſet iſtorum explicatio. CREECH.

1026. *Ipſa dies*] Matura rebus Venereis ætas. FABER.

1027. *E corpore quoque*] Ita ex vet. libris reſtitui. In aliis quibuſdam: *quoque.* In aliis: *quæque.* GIFAN. Corpus perſona eſt, *Salvete optima corpora.* Ennius. FABER.

 1028. *Nun-*

Nuntia praeclari voltus, pulchrique coloris:
Qui ciet inritans loca turgida ſemine multo,
Ut, quaſi tranſactis ſaepe omnibus rebus profundant
Fluminis ingenteis fluctus, veſtemque cruentent.
Sollicitatur id in nobis, quod diximus antè,
Semen; adulta aetas quom primum roborat artus.

Nam.

INTERPRETATIO.

& ſpeciem pulchri & venuſti vultus præ ſe ferentia adveniunt, & receptacula multo Semine turgida ita irritant, ut ſæpe, quaſi Res ipſa peracta fuiſſet, ingentes Seminis fluctus profundant, & veſtem contaminent. Semen autem illud, de quo modo mentionem fecimus, in nobis Sollicitatur, cum primùm matura ætas robuſtos artus effecit,

VARIÆ LECTIONES.

1028. *coloris.* colores Z. *inſeras verſus* 1033. 1034. P.
1029. *Qui.* Quæ K. Q. X. Z. *Deeſt totus verſus* P.
1030. *Ut, quaſi.* Et quaſi K. P. Q. X. Y.
1031. *Fluminis.* Seminis, Fleminis A. marg. *cruentent.* cruentet P. Y. Z.
1032. *id in.* idem nobis c. P. Q. X. Id in nob. Y. Z.
1033. *adulta.* & ipſa Q1. & vita Q. X. Y. *ſed manu ſec.* adjuta Z. *ſed corr. m. ſ.*

NOTÆ.

1028. *Nuntia præclari voltus*] Id eſt, quæ nuntium formæ alicujus eximiæ ad eorum animos in ſomnis perferunt. *nuntia*, id eſt nuntiantia: adjectivum eſt, *nuntius, a, um.* Lamb.

1029. *Qui ciet*] Qui vultus eximius, quique color pulcher commovet irritando loca, in quibus ineſt ſemen virile. Nam per *loca* hoc loco ſedeis eas virileis, in quas ſemen virile jam concoctum, & ad gignendum aptum confluxit, ſignificat. Alias per *loca* magis propriè membra muliebria ſignificantur. infrà eodem libro: 1260.

—— —— quia ſic loca ſumere poſſunt
Pectoribus poſitis.

eodem libro: 1268.

—— atque locis avertit ſeminis ictum. Lamb.

1029. *Turgida*] Seminis & ſpiritus plena. Horat. Satyr. 7. libri ſecundi: 49.

—— Turgentis verbera caudæ. Lamb.

Sæpius de muliere, quam de viro occurrit. Faber.

1030. *Ut quaſi tranſactis*] Adeò ut, quaſi re Venerea tranſacta, & ad extremum perducta, profundant ſemen. *Perfica* autem dicta eſt ea dea, quæ rem Veneream perficit: ut ſuprà diximus. ἐξονειρωγμὸν porrò, id eſt, ſeminis profuſionem nocturnam, & in ſomnis factam, ſignificat tectis verbis: quam deſcribit Horat. ſimpliciùs Satyr. 5. lib. 1: 82.

—— —— —— ſomnus tamen aufert
Intentum Veneri. tum immundo ſomni viſu
Nocturnam veſtem maculant, ventremque ſupinum. Lamb.

Quaſi τὴν Ἀφροδίτην τελέσαντες, uti optimum Scriptorem, & harum rerum peritum loqui ſcimus. Faber. Theocritus Idyll. 2: 143.

Ἐπράχθη τὰ μέγιστα: —— Creech.

1031. *Fluminis ingenteis fluctus*] Id eſt magnam copiam ſeminis fluentis. quidam tamen legendum cenſent,

Seminis ingenteis fluctus.

Atque hoc quidem modo in ſecunda editione edendum curavi. Nunc verò veterem ſcripturam, & receptam retineo, *Fluminis*, exiſtimans dictum à Lucr. *fluctus fluminis* ὑπερβολικῶς, pro *multo ſemine flumen.* Sic ferè lib. 2: 354.

Sanguinis exſperans calidum de pectore flumen.

Lamb. Legendum putarem: *Seminis*, aut *Fleminis.*

Namque alias aliud res commovet, atque laceſſit:
Ex homine humanum Semen ciet una Hominis vis.
Quod ſimulatque ſuis ejectum ſedibus exit,
Per membra, atque artus decedit corpore toto
In loca conveniens nervorum certa; cietque
Continuò parteis genitaleis corporis ipſas:
Inritata tument loca Semine, fitque voluntas

Ejicere

INTERPRETATIO.

Aliud enim res alias agitat & irritat, Sola vero Imago Humana Humanum Semen elicit ex Homine, quod Simul ac e propriis ſuis receptaculis ejicitur, per membra & artus e toto Corpore defluit, & in certos quoſdam nervorum meatus receptum continuò irritat partes genitales Corporis, Partes vero iſtæ Semine irritatæ tument, & inde oritur Voluntas

VARIÆ LECTIONES.

1034. 1035. Inſeruntur inter 1027. & 1028. *alias.* aliis Q1.
1036. *ejectum.* erectum Q. X.
1040. *voluntas.* voluptas Q1.

NOTÆ.

minis. Sed a libris non auſim recedere. Infra etiam variatum eſt. VI. 1061. GIFAN.

1031. *Cruentent*] Id eſt, polluant, inquinent, & maculent. ſemen enim virile, ſanguis eſt: ſanguis autem *cruentat*, id eſt, contaminat, & inquinat. ex quo *cruentum* pro impuro uſurpatur etiam à Lucretio libro ſexto. LAMB.

1032. *Sollicitatur*] Commovetur, concitatur, ἀνακινεῖ). Sic enim interpretatur auctor vocabularii Manuſcripti Latino-Græci. Feſtus autem, *Sollicitare*, inquit, *ſolo citare, id eſt, ex ſuo loco movere*: quod & alibi retulimus. LAMB. Tota Libido, tam quæ ad Animum, tam quæ ad Corpus ſpectat ℣. 18. explicatur: Formoſa viz. Simulachra Animum commovent. Ille verò ſemen ex omnibus membris in partes Genitales deducit, Quæ partes tument, deinde res ipſa peragitur. Præter hæc nec Venerem nec Cupidinem expectes. CREECH.

1033. *Adulta ætas cum primum roborat*] Statim ineunte juventa, ſeu initio ætatis adultæ & corroboratæ. LAMB.

1035. *Una Hominis vis*] Sive Imago formoſi Corporis commovens Animum, ſive Animus ipſe ſemen e toto Corpore deducens. CREECH.

1037. *Decedit corpore toto*] *Toto*, inquit, quod, non temere. Hinc itaque ſæpiſſime fit, ut mutilati parte aliqua corporis mutilatos etiam gignant; quod certiſſimis exemplis probari poſſet; niſi id alii feciſſent. Semen itaque ex omnibus membris; Neque aliter ſenſiſſe Tertullianum conſtat, uti oſtendit locus quidam, qui à me ſuperius allatus eſt, cum tamen alia res ageretur. FABER. Hoc quidem verum, ſed aliud agebat *Lucretius*, quod alii conjiciant meliùs quàm Ego exprimam. CREECH.

1040. *Inritata tument*] Hic verſus, & is qui proximè ſequitur, mihi ſuſpecti ſunt. Nam de tertio, cujus initium eſt, *Incitat inritans*, &c. non dubito quin ſit adulterinus, & ſpurius. *tument* autem, id eſt, ὀργῶσι. LAMB.

1040. *Fitque voluntas*] Sic habent quinque lib. Manuſcr. quibuſcum conſentiunt omnes typis excuſi, præter Florent. qui habent *fitque voluptas.* LAMB.

1041. *Ejicere id, quo ſe*] Fit voluntas ejicere ſemen in illud vas quo elaborat ejicere voluntas hominis: quæ cauſa eſt ut inter coëundum cum gaudia quis adiret: mens memor

—— *admonuit dominæ: deſeruitque Venus.* PIUS. Verſum ſequentem: *Incitat inritans, &c.* ut ſpurium (nam & a veteribus noſtris aberat, & alie-

in

Ejicere id, quò ſe contendit dira libido;
Idque petit corpus mens, unde eſt ſaucia amore;
'Namque omnes plerumque cadunt in volnus, & illam
'Emicat in partem ſanguis, unde icimur ictu,
Et ſi comminus eſt, hoſtem ruber occupat humor.
Sic igitur, Veneris qui telis accipit ictum,
Sive Puer membris muliebribus hunc jaculatur,

Seu

INTERPRETATIO.

ejiciendi illud Semen in illam partem in quam fertur Libido: & Mens tendit in illud Corpus a quo Vulnus Amoris accepit; Nam plerumque omnes cadunt in Vulnus, & Sanguis cum impetu erumpit in illam partem unde percutimur, & ruber liquor aſpergit Percuſſorem cominus adſtantem. Similiter qui telis Veneris transfigitur, ſive Puer mollis & delicatus illum jaculatur,

VARIÆ LECTIONES.

1041. Poſt hunc inſerunt C. P. & L. Q. Z. *Incitat inritans loca turgida ſemine multo.* Deleri tamen eum mavult L. *Ejicere.* Eicere Y. Z.

1043. *Namque omnes.* Namque homines, *priſca exempll.* P. Q1. *illam.* ipſam Q1. Hos tres verſus eradit L.

1045. *hoſtem.* os tum ruber C. N.

1046. *Ictum.* ictus P. N. Q1. ictis Q. Y.

NOTÆ.

no loco inculcatus erat) ablegavi. GIFAN. *Incitat inritans, &c.* Hunc verſum ex illo qui paullo antè poſitus eſt, *Quæ ciet inritans,* &c. ineptè à neſcio quo, alieno loco repetitum, delendum cenſeo. LAMB. Delendus verſus. FABER. Huic quidam ſubjiciunt

Incitat irritans loca turgida ſemine multo.

fruſtrà. CREECH. *Ejicere*, Quidam Codd. *Elicere*, ſed perperam, confer ℣. 1035. & 1267. HAVERC.

1043. *Namque omnes plerumque*] Hunc verſum & duos deinceps ſequenteis, ut ſpurios, delendos cenſeo. fuerunt enim adjecti ab aliquo inepto, qui putaret aliquid deeſſe ante verſum illum, *Sic igitur*, &c. quaſi Lucretius uti voluiſſet ſimilitudine hominis ab altero vulnerati, cujus ſanguis continuò in percuſſorem propinquum redundaret. ſed neque Lucretius uti voluit illa ſimilitudine, niſi quòd dixit, mentem id corpus petere, unde eſt ſaucia amore: neque hi verſus ſatis ſignificant, quod voluit eorum auctor. Præterea illud, *omnes plerumque cadunt*, ineptè dictum eſt. ſic potiùs dictum oportuit, *omnes plerique.* Terent. Andr. 1: 1: 28.

Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli.

Cæſ. lib. 2. de bello Gall. *Nam plerìſque omnibus Gallis præ magnitudine corporum ſuorum brevitas noſtra contemtui eſt.* præterea illud *icimur ictu*, impropriè & inuſitatè dictum eſt. Tum hoc totum,

Etſi comminus eſt, hoſtem,

ſive, ut habent alii lib. *os tum ruber*, &c. neque ſatis Latinè dictum eſt, & obſcurum eſt. Denique tota elocutio, & ſententia horum verſuum, frigida & inconcinna eſt. Cùm hæc ſcripſiſſem atque edidiſſem, Thraſo ſcripſit, me hos verſus treis ὀβελίζειν peſſimè. immo verò tu ſycophanta eos peſſimè & indoctiſſimè retines: &, ſi aliquid ſaperes, iſta non ſcripſiſſes: ſi os haberes, aut niſi eſſes κυνώπης, iſto modo non ſcripſiſſes. LAMB. Tres hos verſus eradit Lambinus; peſſime. GIFAN. *Cadunt in volnus*, id eſt, in eam corporis partem, quæ vulneratur, *cui adactum eſt vulnus*; ut Virg. x. Æneid. loquitur.

Imo

Seu Mulier toto jactans è corpore amorem,
Unde feritur, eo tendit, geſtitque coire,
Et jacere humorem in corpus de corpore ductum:
Namque voluptatem praeſagit multa cupido.
Haec Venus eſt nobis, hinc autem eſt nomen Amoris:
Hinc illae primum Veneris dulcedinis in cor
Stil-

INTERPRETATIO.

Sive Mulier e toto Corpore Amorem jactans, in id tendit a quo percutitur, & coire cupit, & Semen de omni parte ſui corporis deductum in iſtud Corpus a quo ictum accepit ejicere: Nam vehemens Cupido præſagit voluptatem futuram eſſe: Hæc nobis Venus *eſt, Hinc* Amor; *Hinc gutta illius dulcedinis Veneris in Cor*

VARIÆ LECTIONES.

1050. *de.* e. Q. X. *ductum.* eductum X.
1051. *voluptatem.* voluntatem X. *multa.* muta Q. Y.
1052. *nomen.* numen *Creech.*.
1053. *illæ primum.* illa a. B. Z. illa & Q1. illata prius E. P. illata primum N. Q. X. illa ex Y. *ſed a ſ. m. prior ſcript. eraſa eſt.*

NOTÆ.

Imo *vulnus* pro haſta aut telo Poëtis familiare eſt. Virg. II. Æneid. 529.

Illum ardens infeſto vulnere Pyrrhus
Inſequitur.

Stat. IX. Theb.

——— ——— *vulnus tamen illa retentum*
Pertulit.

Item lib. XI.

Cum ſubitum obliquo deſcendit ab aëre vulnus.

Cadit in vulnus igitur Latine eleganter dicitur, ut *cadit in enſem. Vulnus* a vellendo. PREIG. *Namque.* Hunc verſum cum duobus ſequentibus expunge. FABER. Hunc & duos ſequentes verſus rejiciunt Interpretes, qui tamen ad rem facere, & non indigni *Lucretio* videntur. CREECH.

1045. *Hoſtem ruber occupat humor*] Ita veteres noſtri, & alii. Vulgati: *os tum*; male. GIFAN.

1046. *Veneris qui telis accipit ictum*] Qui amat, qui amore ſaucius eſt. Virgilius libro quarto Æneid. I.

At regina gravi jamdudum ſaucia cura
Vulnus alit venis. LAMB.

1047. *Sive Puer membris muliebribus*] Sive hic pueri amore captus eſt, ut ejus flore ætatis abutatur ad rem Veneream, &c. LAMB.

1047. *Membris muliebribus*] Membris mollibus, qualia ſunt muliebria: vel parte poſtica, τῷ πρωκτῷ. LAMB. *Mollicellis, delicatis, quæ meram ſpirant Cyprin.* FABER. Quænam verò ſint *Membra pueri muliebria* inquirant qui neſciunt; Certè Puer mollicellus & delicatus æque ac *Mulier toto Corpore* amorem jactaret. Sed rectè *Faber.* CREECH.

1047. *Jaculatur*] Tamquam jaculo ferit. translatio. propriè Horatius poſuit Od. 2. lib. 1: ℣. 3.

——— *ſacras jaculatus arceis.* LAMB.

1051. *Namque voluptatem præſagit*] Duo libri Manuſcript. habent,

Jamque voluptatem præſagit muta Cupido.

Sententia autem hæc eſt: nam vehemens & acris *Cupido*, ſive libido, voluptatem quaſi auguratur, & ſibi antè promittit. ſic infrà non longè: 1050.

——— *Cum jam præſagit gaudia corpus.* LAMB.

1052. *Hæc Venus eſt nobis*] Hæc Cupido, Veneris nomine dicitur. FABER.

1053. *Hinc autem eſt nomen*] Codd. Vatic. & Faërn. habent,

——— *hinc mite eſt nomen Amoris.* LAMB.

Le-

Stillavit gutta, & ſucceſſit fervida cura.
Nam ſi abeſt quod ames, praeſto Simulacra tamen ſunt
Illius,

INTERPRETATIO.

Stillavit, & cura fervida ſequitur; Nam ſi id quod amas abſit, præſto tamen adſunt Simulachra illius,

VARIÆ LECTIONES.

1054. *fervida.* frigida A. B. D. E. N. P. Q. Y. Z. in codd. *tamen antiq.* P. *ſcribitur* fervida.

1055. *Nam ſi.* Namque ſi P. Nam ſt quod Q. Nam ſi eſt quod X.

NOTÆ.

Levis eſt mutatio, tamen neceſſaria: leg. *Numen.* Creech.

1053. *Hinc illæ primum Veneris*] Secutus ſum libros quattuor Manuſcriptos, qui partim ſic habent,

Hinc illa primum Veneris, &c.

partim ſic,

Hinc illam & primum, &c.

Illa enim, & *illam &*, depravata ſunt ex *illæ. illæ* autem pro *illius* poſitum ut paullò poſt:

——— *rabies unde illæ germ. ſurgunt.*

Hujus autem loci hæc ſententia eſt. Hinc, nempe ex cupiditate, ſeu ex amore, primùm gutta dulcedinis, quæ ineſt in Venere, ſtillavit in animum: deinde conſecuta eſt cura, animum graviter angens, & ſollicitans. vel dic, hinc primùm, id eſt, ex ſimulacris & imaginibus: quod magis probo. Longum ſit autem ad ſingula lectorem admonere, has omneis emendationes ſic ſequi & probare Thraſonem, ut ſuas. Lamb. *Illæ*, id eſt, illius. Faber. *Hinc illæ primum*, ſic omnino lego ex veteribus. *A* longum ob *PR* vulgati: *illata.* Lambinus: *illæ* contra veteres libros. Quidam veteres: *illam*; male. Gifan.

1054. *Frigida cura*] Liber Memmian. habet *fervida cura.* ego nihil muto. ſic enim Horat. Epiſt. ad Jul. Florum libro primo: 3: 26.

Frigida curarum momenta relinquere poſſes.

Lamb. *Fervida* quidam libri; & Marull. Gifan. Neceſſario revocandam arbitror lectionem MS. *fervida*; eam certe quilibet probabit, qui unquam ex animi ſententia dixit, *Nunc ſcio quid ſit amor.* Cura illa, de Amore dico, fervida eſt, *coquit, urit ille Nitor*, μαλερὸν βέλος, πυρόεντα βέλεμνα, πυρὶ πάντα βέβαπται. Poſt illam *dulcedinem* tum *anxiferæ curæ* ſuccedunt, uti Cicero vocavit. Locus Horatii, *Frigida curarum fomenta relinquere poſſes*, qui ab Interprete allatus eſt, hauddum etiam odorari potui quo pertineat; Nihil enim ad Lucretium, &c. Faber. Probabit etiam ille, qui obſervat *Lucretium* ortum Cupidinis, atque incrementum explicare, Primùm Veneris gutta in Cor ſtillat, deinde vehemens cupido, quæ per Simulachra jugiter advenientia, imò per fabulas nutritur. Creech.

1055. *Nam ſi abeſt*] In particula *ſi*, *i* non eliditur, & corripitur, ſequente vocali. ſic lib. 5: 7.

Nam ſi, ut ipſa petit majeſtas cognita rerum.

& lib. 2: 617.

Vivam progeniem qui in oras luminis edant.

Quod autem ad ſententiam attinet, expreſſit amoris affectum, & amantium conſuetudinem: quæ talis eſt, ut abſentium deſiderio tabeſcant, & præſentiam concupiſcant, atque expetant. Quod & Ariſt. ſignificavit libro nono de morib. ad Nicomachum, his verbis: Μὴ γὰρ προησθεὶς τῇ ἰδέᾳ, οὐδεὶς ἐρᾷ· ὁ δὲ χαίρων τῷ εἴδει, οὐδὲν μᾶλλον ἐρᾷ, ἀλλ᾽ ὅταν καὶ ἀπόντα ποθῇ, καὶ τῆς παρουσίας ἐπιθυμῇ. id eſt, *Nemo enim amore capitur, qui non fuerit ante forma ſpecieque delectatus: nec tamen is qui ſpecie delectatur, continuo amat, ſed tum, cùm & abſentem deſiderat, & præſentiam concupiſcit.* Conſentanea his ſunt illa Terentiana in Eunucho, quæ Thaidi dicuntur à Phædria: 1: 2: 112.

——— ——— ——— *egone quid velim?*
Cum milite iſto præſens, abſens ut ſies:
Dies, nocteiſque me ames, me deſideres,
Me ſomnies, me exſpectes, de me cogites,
Me ſperes, me te oblectes, mecum tota ſis, &c.

Lamb.

1057. *Sed*

Illius, & nomen dulce obverſatur ad aureis.
Sed fugitare decet Simulacra, & pabula amoris

Ab-

INTERPRETATIO.

& nomen dulce ad aures obverſatur. Sed omnibus utile erit fugitare Simulachra

VARIÆ LECTIONES.

1056. *obverſatur.* obſervatur P. Q. *recte tamen corrigit in not.* P. ſervatur X. oberratur Z.

NOTÆ.

1057. *Sed fugitare decet*] Quam pulchris verſibus, quam gravibus ſententiis deterret nos ab amore Lucretius? quam apertè & luculentè amantium furorem inſaniamque ob oculos proponit? quam doctè & peritè amoris incommoda & moleſtias enumerat? quam merito & verè ejuſdem voluptates extenuat, elevat, ac deprimit? quam perſpicuè amantium in re ipſa Venerea tranſigenda, atque in ipſo corporum complexu rabiem deſcribit? Digni verſus, qui accuratè legantur atque ediſcantur: digna præcepta, quæ & juvenes & viri his levitatibus amatoriis dediti penitus in animo recondant. proderit etiam legere quæ ſcripta ſunt in amorem à M. Tull. libro 4. Tuſcul. LAMB. In toto Latio, quantum quantum eſt, nihil, ut opinor, quidquam legas, quod æque legi oporteat, atque eos verſus qui hunc ſequuntur. Sed tamen reperti olim fuere nonnulli, hodieque reperiuntur ejus generis bene multi, qui illos ab oculis hominum, ſi fieri queat, removendos eſſe contendant, quaſi ſi inſigni quadam turpitudine ſcateant. Miſerum itaque poëtam noſtrum, cujus tam frugiferum, tamque ſalutare conſilium, adeo improſperos eventus habeat, quamvis enim totis exclamet faucibus,

Sirenas hilarem navigantium pœnam,
Blandaſque mortes, gaudiumque crudele,
Effugite, ô miſeri, tortumque ab littore funem
Rumpite;

Quamvis tot argumentis probarit, certiſſimam homini peſtem ab re Venerea eſſe, atque adeo cane pejus & angue vitari oportere nugivendulas iſtas mulierculas, quæ ſuos amatores offrenatos ductitant; Quamvis rem, famam, ſanam mentis corporiſque valetudinem, ea via defluere oſtenderit; tamen id ubi præſtitit, ibi tum Viri boni, Heus, (inquiunt, & quam longe quidem) fuge turpia, obſcena dicta, *ſpurcidicos, immemorabiles verſus, amationes,* &c. Sed, ô boni, ſi boni eſtis, nihil hic ſpurcidicum, nihil immemorabile; Si quid tale videbitur, id vitio legentis, non poëtæ adſcribendum erit. Hoc certe videor affirmare poſſe, Si, quæ à Lucretio hic ſcribuntur, ea pro fœdis & flagitioſis dictis habebuntur; longe illis turpiora, longeque fœdiora reperiri in eo libro poſſe, quem nemo ſine præſenti famæ periculo reprehendat. At enim, ſentio, Virum illum ſanctiſſimum (quem appellare, nunc quidem, haud ſane magnopere attinet) dicent ea gratia rem ipſam, quamvis turpiſſimam, tam aperte tamque perſpicue tractaſſe, ut ex tanta tamque flagitioſa deſcriptionis fœditate vitium illud magis averſabile fieret. Fateor, neque unquam aliter ſenſi: Sed Lucretius quo fine ſcripſerat? an ut lenonias operas præberet, & ex peſſimo omnium mercimonio rem faceret auctiorem? Hoc quidem multis temporibus alii poëtæ fecere, quibus profuit, & nunc fortaſſe nonnullis prodeſt; Sed vitæ integritas, gravitaſque morum, ac tot ſaluberrima præcepta hic illic per totum opus ſparſa, hujuſmodi ſuſpicionem longe à Lucretio amoliuntur. Paucis dicendum; vin' ſcire quod ipſi conſilium fuerit? En tibi:

Sed fugitare decet ſimulacra & pabula amoris
Abſterrere ſibi, atque alio convertere mentem;
Nam certa & pura eſt ſanis magis inde voluptas
Quam miſeris: Etenim potiundi tempore in ipſo
Fluctuat incertis erroribus ardor amantum;
Nec reperire malum id poſſunt quæ machina vincat.
Uſque adeo incerti tabeſcunt volnere cæco.
Adde quod abſumunt vires, pereuntque labore.
Adde quod alterius ſub nutu degitur ætas.
Labitur interea res, & vadimonia fiunt;
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans.

Si neſcis, etiam *medio de fonte leporum*

Surgit

Abſterrere ſibi, atque aliò convertere mentem:
Et jacere humorem conlectum in corpora quaeque:
Nec retinere ſemel converſum unius amore:
Et ſervare ſibi curam, certumque dolorem.

Ul-

INTERPRETATIO.

& a ſe longe depellere omnia quæ nutriunt. Amorem, & mentes ſuas alio convertere: Collectum ſemen in quæque Corpora jacere, nec fovere amorem Unius ſemel conceptum, & ſibi ſervare certam curam, & certum dolorem;

VARIÆ LECTIONES.

1058. *Abſterrere.* Abſtergere A. B. I.
1059. *collectum.* conjectum C. N. P. X. Y. Z. *priſci codd. Pii* collectum.
1060. *converſum.* conceptum unius F. M. *Creech.* congeſtum *vel* conceptum P. *not. amore.* amorem C. F. *Creech.* P.
1061. *Et.* Nec P.

NOTÆ.

Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat.
Aut quod conſcius ipſe animus ſe forte remordet,
Deſidioſe agere ætatem, luſtriſque perire;
Aut quod in ambiguo verbum jaculata reliquit;
Quod cupide affixum cordi viveſcit ut ignis;
Unde fit *ut melius* multo *vigilare ſit ante,*
Quâ docui ratione, cavereque ne inlaqueeris.

Ain' tu, Lector, qui ita loquantur, eos *hortatores ſcelerum* vocemus, an dehortatores ſimul facundiſſimos, ſimul acerrimos? Faber. Hæc de conſilio Poëtæ *Faber*, nec falſo: nihil de dictione, quæ tamen eſt puriſſima, nec *Lucretium* in ulla parte totius operis quam in hac magis diligentem invenies, ita verò ſimplex & ſignificans, ut interpretationem non admittat. Quippe in iis vocibus quæ parùm verecundæ ſunt, Latium, ſaltem quod ego ſcio, non eſt copioſum, *Latina* quidem habet & *Romana* verba (vid. Martialis lib. xi. Ep. 20.) ſed ea tamen parcè invenit, & parciùs utitur. Creech. Senec Ep. 69. *Ei, qui amorem exuere conatur, evitanda eſt omnis admonitio dilecti corporis: nihil enim facilius, quam amor, recrudeſcit.* Preig.

1058. *Abſterrere ſibi*] Sic quidem habent libri omnes, & Manuſcripti, & vulgati. ſed videtur mihi legendum eſſe,

Abſtergere ſibi, &c.

hoc enim loquendi genus eſt inſolens & propè abſonum, *Abſterrere ſibi pabula amoris*, pro eo quod eſt *à ſe depellere*: alterum autem *Abſtergere ſibi amorem*, & *Abſtergere amoris pabula*, ita conſonum atque uſitatum, ut *Abſtergere moleſtiam, dolorem, metum, luctum.* dixit tamen infra, eod. lib. in extr.

Nec divina ſatum genitalem numina cuiquam
Abſterrent, &c.

ſi cui fortè illud huic ſimile videatur. Cùm hæc ſcripſiſſem olim, Zoilus meam conjecturam arripuit, & ſe ita in ſuis lib. veteribus ſcriptum reperiſſe teſtatus eſt: cui non credo. Sed tamen cùm me laudârit imprudens, atque adeò invitus, in eo, quod meam conjecturam auctoritate lib. Manuſcript. comprobatam ſignificârit: tum ſuo ingenio indulſit in eo, quod hanc emendationem, ſive vera ſit, ſive ſecus, ſibi adſcripſit. Lamb. *Abſtergere ſibi*, hoc ex veteribus libris repoſui. ut & infra hoc libro, 1228. & lib. 5. ℣. 844. rectiſſime. Vulgati: *Abſterrere.* Gifan.

1058. *Alio*] Ad virtutem quæ eſt homini firma poſſeſſio: de qua Cicerò ad Atticum. *Nihil eſt (mihi crede) virtute formoſius: nihil pulchrius.* de qua Chryſoſtomus in Mattheum ſic: *Invicta res virtus eſt: & talis res eſt ut nequam etiam homines & admirentur ipſam & laudent.* Ariſtotelis ſententia eſt libro politicorum ſecundo. *Ubi autem non maxime honoratur virtus, ibi non eſt poſſibile firmum optimorum eſſe in Republica ſtatum.* De virtute ſic Plato in Phœdro. *Diſciplina nihil apud deos & homines revera aut eſt aut erit unquam venerabilius. hac tanquam Ulyxis moly Sirenes hujus mundi*

hoc

Ulcus enim viveſcit, & inveteraſcit alendo,
Inque dies gliſcit furor, atque aerumna graveſcit,
Si non prima novis conturbes volnera plagis,

Vol-

INTERPRETATIO.

Fervida enim iſta cura viget, & inveteraſcit dum alitur, Indies major fit furor, & gravior ærumna, Si non conturbent prima vulnera novis vulneribus, (ſi veterem amorem non novo quodam amore deleant)

VARIÆ LECTIONES.

1062. Poſt hunc inſerit *Gaſſendus.* Quod cupido affixum cordi viveſcit, ut ignis.
1063. *gliſcit.* geſtit. X.

NOTÆ.

hoc eſt, voluptates evitabimus. Præcipue ab amore declinandum cum cani capilli prudentiæ nuntii decidunt: quod lepide Poëta Græcus ita cecinit.

Ἠράσθην. τις δ' οὐχὶ κεκώμακε. τις δ' ἀμύητος.
Κώμων. ἀλλ' ἐμάνην ἐκ τίνος οὐχὶ θεοῦ.
Ἐρρίφθω. πολιὴ γὰρ ἐπείγεται ἀντὶ μελαίνης
Θρὶξ. ἤδη συνετῆς ἄγγελος ἡλικίης
Καὶ παίζειν ὅτε καιρὸς ἐπαίξαμεν. ἡνί κακαὶ νῦν.
Οὐκ ἔτι πλωοτέρης φροντίδος ἁψόμεθα.

Nos pro tempore Latina ſic fecimus.

Luſimus, ô veneres, ſatis anxia pectora amori
Dedimus. O procul o ſit procul iſte furor.
Tempora canus obit mea: quæ jam nigra fuerunt,
Canus prudentis nuntius ingenii.
Donec erat tempus ſat luſimus: arripere at nunc
Eſt operæ luſus utilioris iter. PIUS.

At vero ea mens Lucretii non eſt, verum ut unius puellæ amorem diſſolvat uſu promiſcuo. HAV.

1059. *Et jacere humorem conlectum*] Secutus ſum duos cod. Manuſcr. mihi tamen non diſplicet amici cujuſdam mei conjectura, qui putat legendum *congeſtum*: quam adjuvat codex Memm. ceteri libri Manuſcr. & item vulg. habent *conjectum.* quæ ſcriptura tamen non eſt repudianda. LAMB. Ita veteres quidam. In aliis veteribus, ut in Vulgatis: *conjectum.* GIFAN.

1060. *Nec retinere ſemel converſum*] Olim edideram *conceptum unius amore*, quod ſic haberet cod. Manuſcr. Memm. & typis excuſi Florent. nunc *converſum*, ut habent ceteri: mihi magis probatur. ne hoc quidem diſſimulabo, ad oram libri Memm. annotatas eſſe has varias lectiones, *congeſtum, conceptum, concertum.* ex quo poſtremo licet facere *conſertum.* LAMB. Revocandam eſſe arbitror quorumdam codicum lectionem, quæ talis eſt:

Nec retinere ſemel conceptum unius amorem.

Id verius quam ſi tripode ex Phœbi, &c. FABER. *Converſum*, ſic veteres libri fere omnes, & Vulgati. Sed Marullus, & Lambinus, ex quibuſdam codd. *conceptum.* GIFAN.

1060. *Unius amore*] Sic habent tres lib. Manuſcript. & nonnulli vulg. alii, *amorem.* LAMB.

1062. *Ulcus*] Vid. Mart. Ep. 60. lib. XI. CREECH.

1062. *Inveteraſcit*] Ita Terent. *feci ut inveteraſcerent*, id eſt viverent, diu deſiderarentur atque expeterentur. Ita etiam Tullius. FABER. Terentius Prol. Hecyr. ℣. 12.

Novas qui exactas feci ut inveteraſcerent.

Donatus, *Inveteraſcerent, in conſuetudinem venirent*: Et Cicero 4. Tuſcul. *Inveteratio autem, ut in Corporibus, ægrius depellitur quam Perturbatio.* CREECH.

1063. *Atque ærumna graveſcit*] Verbum aptiſſimum nomini *ærumnæ* adjunxit. LAMB.

1064. *Si non prima novis*] Id eſt, ſi non veterem amorem novo amore deleas ex animo. ſic M. Tull. lib. 4. Tuſc. *Etiam novo quodam amore veterem amorem, tanquam clavo clavum, ejiciendum putant.* LAMB.

1064. *Conturbent*] Quo modo Catullus ad Leſbiam.

Dein cùm millia multa fecerimus,
Conturbabimus *illa*: &c. CREECH.

1065. *Vol-*

Volgivagaque vagus Venere ante recentia cures,
Aut aliò poſſis Animi traducere motus.
Nec Veneris fructu caret is, qui vitat amorem:
Sed potius, quae ſunt ſine poena, commoda ſumit.
Nam certa, & pura eſt ſanis magis inde voluptas,
Quam miſeris, etenim potiundi tempore in ipſo
Fluctuat incertis erroribus ardor Amantum:

Nec

INTERPRETATIO.

vagique volgivaga Venere recentia vulnera quam primum ſanent; aut alio impetum Libidinis convertant. Neque ille caret Voluptate Veneris qui Amorem vitat, ſed fruitur illius commodis malorum expers: Nam qui mentem ſani ſunt, nec cura agitati, ſinceram magis certamque Voluptatem percipiunt, quam qui perdite Amant; in ipſo enim tempore potiundi qui vehementer amant erroribus incertis fluctuant:

VARIÆ LECTIONES.

1069. *certa, & pura eſt.* certe pura A. certe puta a. B. D. certa pura Q1. X. certe pura eſt Y. Z.

1071. *incertis.* in certis E. incertus X.

NOTÆ.

1065. *Volgivagaque*] Expreſſit Græcam vocem, πάνδημον. Lamb.

1069. *Nam certa, & pura eſt*] Nihil muto, tametſi tres libri Manuſcr. habeant,

Nam certe pura eſt.

nam etiam hæc ſcriptura,

Nam certa & pura eſt,

reperitur in libris Manuſcriptis, in Bertiniano, & Memmiano. ne quis dicat eam à Marullo excogitatam & confictam, quod ſcripſit κυνώπης: cùm certum ſit, hos libros à Marullo numquam eſſe viſos. Præterea ipſum loquendi genus,

Nam certe pura eſt, &c.

non eſt ſatis nitidum. Poſtremò certam voluptatem eorum qui hoc amoris cruciatu vacant, opponit incertæ alterorum voluptati. ſequitur enim,

—— —— etenim potiundi tempore in ipſo
Fluctuat incertis erroribus, &c. Lamb.

Certe puta eſt, hæc eſt veterum librorum ſcriptura. Marullus: *certa & pura eſt.* Gifan.

1070. *Miſeris*] Amatoribus. ſimile eſt illud Plautinum. Miſer eſt homo qui amat. Feſtiviſſime poëta græcanicus miſeros vel in hoc amantes appellat: qui cum ad incitas & paupertatem devenerint ſpoliati patrimonio, quod muneribus aſſiduis ad puellam illiciendam dilapidarunt: nemo nec quidem amica ſua dignatur amare. Verſus ipſos meros Græce facundiæ floſculos inſerere operæpretium viſum eſt. Alloquitur Soſicratem ex amore mendicum: quem amica fingebat non agnoſcére.

Ἠράσθης πλουτῶν Σωσίκρατες ἀλλὰ πένης ὤν.
Οὐκ ἔτ' ἐρᾷς. λιμὸς φάρμακον οἷον ἔχει.
Η δὲ πάρος σε καλοῦσα μύρον καὶ τέρπνον Ἄδωνιν.
Μηνώ φίλα, νῦν δέ τε τοι τοὔνομα πυνθάνεται)
Τίς πόθεν εἷς ἀνδρῶν. πόθι τοι πόλις. ἦ μόλις ἔγνως
Τοῦτ' ἔρος, ὡς οὐδεὶς οὐδὲν ἔχοντι φίλος.

Illexit linguæ tranſmarinæ venuſtas ut latina facere hæc carmina tentarem. experimentum habes. æqui bonique facies: ſi tranſmarinam venerem non ad unguem referre potui.

Dives amas. veneris ſolita non lampade ferves
Pauper. habet tenuis pharmaca quanta fames.
Te vocat ante roſam: calidum te dicit Adonim
Panthea: nunc nomen vix tenet illa tuum.
Unde? Quis es hominum? quænam tibi patria? noſtin
Verba miſer? tenues nullus amicus amat. Pius.

Amore perditis. Faber.

1070. *Ete-*

Nec conſtat quid primum oculis, manibuſque fruantur.
Quod petiere premunt artè, faciuntque dolorem
Corporis, & denteis inlidunt ſaepe labellis,
Oſculaque adfigunt, quia non eſt pura voluptas:
Et ſtimuli ſubſunt, qui inſtigant laedere idipſum,
Quodcumque eſt, rabies unde illae germina ſurgunt.

Sed

INTERPRETATIO.

nec certò ſciunt quid primum manibus aut oculis fruantur. Quod cupiverunt arctè premunt, Corpori dolorem inferunt, mordent labella, & adfigunt oſcula, quia Voluptas non eſt ſincera, & ſubſunt aliqui ſtimuli, qui inſtigant lædere id ipſum, quodcumque eſt, a quo rabies iſta excitatur:

VARIÆ LECTIONES.

1073. *artè.* Ita X. Y. Z. Alii *arctè.*
1075. *adfigunt.* affligunt P. X. adfligunt Y.
1076. *inſtigant.* inſtignant Z.
1077. *rabies.* rabiei *quidam. illæ.* ille Z. ille hæc Q. illæ hæc A. B. c. illa hæc C. E. K. Q. X. Y. *verum a ſ. m.* illi; hæc P. germinat urgens C. E. O. *codd. reverendæ antiquitatis Pii.*

NOTÆ.

1070. *Etenim potiundi tempore*] Quam ſit miſerum amare, vel hoc unum ſatis arguit ac declarat, quòd eo ipſo tempore, quo voluptate tantopere expetita atque exoptata potiuntur amantes, ac fruuntur, eo (inquam) ipſo tempore ſe mutuò mordent, vellicant, & cruentant. LAMB.

1074. *Et denteis inlidunt ſæpe labellis*] Horat. Od. 13: libri primi: 11.

——— ——— ——— ſive puer furens
Impreſſit memorem dente labris notam.

Plaut. Curculione: 1: 3: 31.

Pariter hos perire amando video. uterque inſaniunt.
Viden' ut miſere moriuntur? neque queunt complecti ſatis?

Idem Mil. Glor. 4: 8: 25.

——— ——— labra labellis ferruminavit.

Idem Pſeudolo: 5: 1: 14.

Nam ubi amans, complexus eſt amantem: ubi ad labra labella adjungit, &c.

interdum etiam linguam linguæ admovent, *duplices ut linguas habeant*, quemadmodum idem Plautus loquitur Aſin. 3: 3: 105. LAMB.

1077. *Quodcumque eſt, rabies unde illæ germina ſurgunt*] Sic reſtitui ex auctoritate quinque librorum Manuſcript. à quibus non admodum diſſentiunt codices vulgati Pariſ. & Veneti antiq. nam ceteri habent partim

Rabies unde illa hæc germinat urgens:

partim,

Rabies unde illa hæc germina ſurgunt.

Rabies autem poſitum accipio pro *rabiei.* præterea *illæ* generandi caſus eſt, fœminini generis, antiquus, de quo ſuprà libro ſecundo, ibi,

——— ——— ——— unæque figuræ:

ut ſit hæc totius hujus loci ſententia. Et ſtimuli ſubſunt (inquit) qui amanteis incitant atque impellunt, ut id ipſum lædant, unde rabiei illius germina oriuntur, atque augeſcunt; quodcumque illud tandem ſit ſive color, ſive facies, ſive pars alia aliqua corporis. nomina autem quintæ ſic inflectebant antiqui, ut alibi diximus: *rabies* in caſu recto: *rabies*, & *rabie*, & *rabiei*, & *rabii*, in patrio. Cùm hæc edidiſſem, Thraſo, ut aliquid ſapere videretur, hæc omnia approbavit, & ſecutus eſt, præter quam quod edi voluit,

——— *Illæ*

Sed leviter poenas frangit Venus inter Amorem,
Blandaque refraenat morſus admiſta voluptas.
Namque in eo ſpes eſt, unde eſt ardoris origo,
Reſtingui quoque poſſe ab eodem corpore flammam;
Quod fieri contra totum natura repugnat:
Unaque res haec eſt, quojus quam pluria habemus,
Tam magis ardeſcit dira cuppedine pectus.

Nam

INTERPRETATIO.

Sed Venus facit ut amatorius hic furor minus lædat, & blanda Voluptas admiſta acres morſus cohibet. Nam ſperant Amantes ardorem ſuum reſtingui poſſe ab eodem corpore a quo accendebatur, quod tamen factu eſt impoſſibile; & hæc una res eſt, qua quò magis fruimur, eò magis viget dira cupido in pectore.

VARIÆ LECTIONES.

1079. *Blandaque refrænat.* Blanda que frænat Y. Z. quæ. *in* Y. *a m. ſ.*
1082. *totum natura.* c. K. Qm. V. MSS. *omnes* P. *& ipſe* Y. Z. Editi *coram.*
1083. *quojus quam pluria.* cujus quam plurima N. O. Q. X. Y. Z. quo pluria P.
1084. *cuppedine.* cupedine N. cupidine Q. X.

NOTÆ.

—— —— *Illæ hæc germina ſurgunt:*

ineptè. nam *hæc* natum eſt ex diphthongo. quæ erat in provocabulo *illæ.* Quòd autem quidam doctus, idemque, amicus meus, legi poſſe putat,

—— *Rabies unde illhæc germina ſurgunt.*

non multo magis placet. Nam pronomen demonſtrativum, quod cohæreat cum voce *rabies*, neceſſariò debet intereſſe, meo quidem judicio. quod non eſſet, ſi *illhæc*, ſeu *illæc* legeretur. Verumtamen judicent eruditi. Omnino non negaverim, multo tolerabilius ferri poſſe hanc lectionem,

—— *Rabies unde illhæc germina ſurgunt*,

quam illam,

—— *Rabies unde illæ hæc germ. ſurg.* LAMB.

Ita veteres noſtri. In quodam meo: *ille.* male. & ita fere Lambinus. GIFAN. *Rabies illæ*, Rabiei illius. Sic enim nomina quintæ olim inflectebantur. *Dies*, gen. *Dies*, vel *Die*, vel *Dii*; Veteres paſſim. FABER. *Illius rabiei*, Ita enim Veteres. verſ. 1053. *illæ* dulcedinis. CREECH. & VOSSIUS De Anal. 2: 19. p. 338.

1078. *Sed leviter pœnas*] Id eſt, ſed Venus, ſeu res Venerea, pœnarum & doloris ſenſum aufert, aut certè minuit. LAMB. Doloris, & morſiuncularum ſtimulos minuit. FABER.

1082. *Totum*] Neſcio qua ratione impulſi omnes Lucretii editores pro hac voce *coram* ſubſtituerint atque approbaverint, contra omnes MSS. Natura inquit *repugnat*, id eſt, negat, & oſtendit totum illud contra fieri. Ita 1: 694. de Heraclito:

Nam contra ſenſus ab ſenſibus ipſe repugnat.

id eſt, negat operationes ſenſuum per ſenſus ipſos, ab iis ſumens argumentum. HAV.

1083. *Quoius quam pluria habemus, Tam magis*] Sic reſtitui, tres libros manuſcriptos ſecutus. ex vulgatis enim alii habent, *cujus quo pluria:* alii, *cujus quam plurima:* alii, iique deterrimi, *cujus quo plurima.* LAMB. *Cujus quàm pluria habemus, Tam &c.* Ita in veteribus libris. Vulgati: *quo. dira* etiam eſt in veteribus libris. ſic ſupra verſ. 1040. *dira lubido.* Vulgati: *illa.* GIFAN.

1085. *Nam cibus atque Humor*] Oſtendit diſſimilitudinem ejus voluptatis quæ percipitur ex cibo & potu, ab ea quæ proficiſcitur è re Venerea, hoc modo: cibus & potus (inquit) in corpus ejus qui eſt & bibit, aſſumuntur; & in ventrem intromiſſi, certas corporis ſedes occupant;

Nam Cibus, atque Humor membris adſumitur intus,
Quae quoniam certas poſſunt obſidere parteis,
Hoc facilè expletur laticum, frugumque cupido;
Ex Hominis verò facie, pulchroque colore,
Nil datur in corpus praeter Simulacra fruendum
Tenuia, quae vento ſpes raptat ſaepe miſella.

Ut

INTERPRETATIO.

Nam Cibus & Potus in Stomachum deſcendunt, & quoniam certa loca implere poſſunt, ideo Cibi & Potus cupido facile expletur: At ex facie formoſi Hominis nihil profluit quod ſibi aſſumat Corpus, præter Simulachra tenuia & Inania:

VARIÆ LECTIONES.

1086. *obſidere.* abſidere Q.
1087. *Hoc.* Hæc Q.
1090. Rejicit L. *Creech. ſpes raptat.* ſpes captat ſæpe A. B. I. venti ſuevit raptare procella F.

NOTÆ.

pant: quo fit ut fames & ſitis expleantur cibo & potu; & ita deſinat animans eſurire & ſitire. At qui amat, nihil ex ore & grato colore ejus quam amat, detrahere ac demere poteſt, præter inania quædam ſimulacra: quæ nullum locum occupant. quare amantem ſatiare atque explere non poſſunt. LAMB.

1085. *Adſumitur intus*] Fortaſſe legendum *intro*. LAMB.

1089. *Præter Simulacra fruendum*] Secutus ſum codices quattuor Manuſcriptos, & omneis vulgatos. nam Vaticanus habet *feruendum*. ex qua ſcriptura ſuſpicatur doctus quidam legendum *ferendum. ferendum* autem interpretatur *auferendum*, ut ibi apud Horat. Epiſt. ad Jul. Florum 1: 3: 25.

Prima feres ederæ victricis præmia.

& Epiſt. 1. libr. 2: 120.

——— ——— ——— *non temere à me*
Quivis ferret idem.

& Virg. lib. 5: 248.

——— ——— *magnum dat ferre talentum.*

quæ lectio mihi non diſplicet, videturque non invenuſta. ſed receptam damnare non poſſum. LAMB.

1090. *Tenuia*] Proceleuſmaticus pro dactylo, aut ſpondeo, ut ſæpe alias: vel dicendum *u* hìc eſſe conſonantem. LAMB.

1090. *Quæ vento ſpes raptat ſæpe*] Si hæc ſcriptura emendata eſt, aut verò ſi hic verſus Lucretianus eſt, ſic videtur explicandus: quæ ſimulacra tenuia ſpes miſella ſæpe raptat *vento*; id eſt in ventum, ſeu cum vento. quæ tamen ſententia abſurda eſt. videtur enim ita potiùs dicere debuiſſe Lucretius: quæ ſimulacra unà cum ſpe ventus ſæpe rapit & diſſipat. quidam amicus meus putabat tolerabiliorem fore ſcripturam, ſi ita legatur,

——— *quæ in ventos ſpes raptat ſæpe miſella.*

ſed etiam in hac lectione hoc ineſt vitii, quod ſpes amantium non raptat Simulacra in ventos; ſed ipſa ſpes ſæpe una cum ſimulacris videtur quaſi à ventis raptari. ego malim hoc modo legi,

——— *quæ ventus ſpes raptat ſæpe miſellæ.*

ventus ſpes autem, id eſt *ventus ſpei*, ut per ventum ſpei, ſpem levem, & incertam, & fallacem intelligamus. Omnino locus hic mihi valde ſuſpectus eſt, neque puto hunc verſum eſſe Lucretianum: eoque ſublato planiſſima ſententia eſt. LAMB. *Tenuia, quæ vento ſpes captat*, In libris quidem: *raptat.* Sed *captat*, ego ſcripſi. *Vento*, forte pro *fruſtra*, id eſt, quæ non tam ſibi quam vento, ut ea ille differat, captat. Ita mox: *fruſtraque laborat.* GIFAN. Miſera vero, ſi qua alia, res amor eſt, nugæ, ſomnia, nihil,

Z aut

Ut bibere in ſomnis Sitiens quom quaerit, & humor
Non datur, ardorem in membris qui ſtinguere poſſit:
Sed laticum Simulacra petit, fruſtraque laborat:
In medioque ſitit torrenti flumine potans.
Sic in amore Venus Simulacris ludit Amanteis,

Nec

INTERPRETATIO.

Ut cum Sitiens in ſomnis bibere conatur, nullus tamen liquor eſt qui ardentem ſitim poſſit extinguere Simulachra tantum Potus petit, & fruſtra laborat, & dum videtur ſibi e medio flumine haurire, ſemper ſitit. Sic in Amore Venus ludit Amantes Simulachris,

VARIÆ LECTIONES.

1091. *quom.* qui c. O. P.
1092. *in membris qui.* qui in membris C. E. N. P. V. X. qui membris Y. Z. & forſitan melius. *ſtinguere.* tingere Q. tinguere Q1.
1094. *torrenti.* torrinti Z.

NOTÆ.

aut pæne nihil, ſi ex pulchellis corporibus tenuia tantum ſimulacra decerpere licet. Quid igitur illud attinet, color verus, corpus ſolidum & ſucci plenum? quid, Flos ipſe, *&c.* quid? quando omnia prætervolant,

Quando in amore Venus ſimulacris ludit amantes,
Et fruſtra comprenſa manus effugit imago,
Par levibus ventis volucrique ſimillima ſomno.

Hoc ipſum eſt quod apud Lucretium legis, hominem illius mercimonii haud imperitum:

Ex hominis vero facie pulcroque colore, inquit,
Nil datur in corpus præter ſimulacra fruendum
Tenuia, quæ vento ſpes raptat ſæpe miſella.

Sed tertius ille verſus, Lector, placetne? Lambino certe diſplicebat. neque id injuria; illum itaque ut Lucretio patre indignum verſo ſtylo confixit. At Gifanius ita ſcribendum exiſtimat:

Tenuia, quæ vento ſpes captat ſæpe miſella.

Ibique ad oram editionis ſuæ hæc adſcribit: *In libris quidem*, raptat; *ſed* captat *ego ſcripſi.* vento, *fortaſſe pro fruſtra, id eſt, quæ non tam ſibi quam vento, ut ea ille differat, captat. ita mox* fruſtraque laborat. Dii boni! Cur hæc non legerat Lambinus? quam belle, quam feſtive hominem adhibuiſſet! Quid enim, quæſo, obſcurius vel Sphinx ipſa diceret? quis, niſi plane Latinitatis expers, ſcribat, *ſpes miſella captat vento ſimulacra?* Deinde homo ingeniosus non vidit illud *ſæpe* vitioſum eſſe; quod enim hoc loco aſſerit Lucretius, nos in amore ſimulacris tantum frui,

Nec manibus quidquam teneris abradere membris,

Id perpetuo verum eſt; ſi *ſæpe* fieret, aliquando quoque non fieret. Itaque ubi primum per ætatem Lucretium legere paulo attentius cœpi, ea una vox mendi ſuſpicionem commovit; Ibique dubitabundus, hærens, defixus, ſteti aliquandiu, (nam ſex ſeptem dies locum hunc animo verſavi, οὐδὲν ὑπερβολικῶς dico:) tum denique, ſic Dii voluiſtis, ad veram lectionem pervenimus,

——— ——— ——— *Simulacra fruendum*
Tenuia, quæ venti ſuevit raptare procella.

De hac emendatione eorum erit judicium, qui poëtæ ſunt, aut qui poëtas legerunt. Eam enim exemplis hinc illinc collatis firmare nihil neceſſe; quippe cuilibet obvia ſunt. Faber. Rejicit *Lambinus.* Gifanius *Quæ vento captat ſpes ſæpe miſella. Vento* pro *fruſtra*, id eſt, quæ non tam ſibi quam Vento, ut ea ille differat, captat: ita mox, *fruſtraque laborat.* Hunc verò locum ſex ſeptemve dies in Animo verſans *Faber* tandem ad veram lectionem pervenit.

Tenuia, quæ Venti ſuevit raptare procella.

At verſum, Lector, vel ita emendatum rejice. Creech. Forte rectius diſtinguas:

Tenuia, quæ vento ſpes raptat ſæpe, miſella. Hav.

1092. *Stin-*

Nec ſatiare queunt ſpectando corpora coram:
Nec manibus quidquam teneris abradere membris
Poſſunt, errantes incerti corpore toto.
Denique quom membris conlatis flore fruuntur
Aetatis, quom jam praeſagit gaudia corpus,

At-

INTERPRETATIO.

neque illi poſſunt cupidinem ſuam ſatiare ſpectando Corpora amata, nec quicquam mollibus membris abradere, dum manibus ſuis totum corpus avidi percurrunt. Deinde cum collatis membris flore ætatis fruuntur, cum Corpus gaudia jam præſagit,

VARIÆ LECTIONES.

1099. *flore fruuntur.* flore utuntur A. B. luuntur. *Palmerius* juvantur L. *in notis.*
1100. *quom jam.* jam quom Y. Z. dum jam A. B. I. jam tum C. P. Q1. jam dum E. N. jam ſunt Q jam ut V. jam jam ut V.

NOTÆ.

1092. *Stinguere*] Reſtinguere. eodem verbo alibi iterum atque iterum utitur, ut lib. 2: 827.

Evaneſcere paullatim, ſtinguique colorem. LAMB.

1094. *Torrenti flumine*] Codex Bertinianus habet *torrentis*, mendoſe. LAMB. & VOSSIUS *De Analogia* 3: 27. p. 102.

1097. *Abradere*] Auferre, detrahere. LAMB.

1099. *Flore fruuntur ætatis*] *Florem ætatis* appellat, quem Græci ὥραν & ὀπώραν dicunt. Horat. Od. 5. libri ſecundi: 10.

——— ——— ——— jam tibi lividos
Diſtinguet auctumnus racemos
Purpureo varius colore.

Sed non diſſimulabo, in cod. Bertiniano legi *tuuntur*: in Memmiano *luuntur*: quarum lectionum rationem nondum cogitando explicare potui. Thraſo, cum hæc ediidiſſem, ſcribendum curavit *flore utuntur.* Quid iſto homine facias, qui videtur ea gratia eſſe natus, ut aliis riſus præbeat, aliis ſtomachum faciat? ita mera verſuum portenta ex immani & barbaro pectore depromta elegantiſſimo ſcriptori aſſuit. At ſuo capiti malum ſuat potius. Sed redeo ad hunc locum, & has ſcripturas veteres, quas jam olim propoſui, *tuuntur, luuntur.* ex his igitur ego nunc conjectura ductus facio *juvantur.* nam ſive ex *t*, ſive ex *l*, faciamus *i*, mutatio facilis eſt, ut norunt hujus artis periti. cetera jam æque facilia ſunt. *juvantur* autem interpretor *delectantur.* quod ſtatim agnoſcet lector ingenioſus & Latinè doctus. Dicat mihi nunc κυνώπης, utra probabilior ſit conjectura mea, an ſua. utrumcumque faciet, ſive ſuam retinens, ſtuporis ſimul & impudentiæ ſe alligabit; ſive meam magis probans, dirumpetur: æquo animo feram. LAMB. *Flore utuntur Ætatis*, Ita ex veteribus libris ſcripſi. In quibuſdam veteribus: *tuuntur*, in aliis: *luuntur*; quæ ex *utuntur* depravata ſunt. In Vulgatis, & veteribus quibuſdam: *fruuntur.* Etiam non male; ſed gloſſam ſapit. GIFAN. Amicus quidam meus monuit, hunc locum ita à Palmerio legi:

Denique conlatis membris cum flore luuntur
Ætatis.

Luuntur autem erit λύονται. *flos ætatis* ſignificabit τὴν γονὴν, ſeu, ut lepide vocabat Lucilius, *Mutonis lacrymas*, Rem bellam ſcilicet, & ter bellam! Vides. præclara ingenia non amant quod in medio poſitum eſt; Quid enim facilius Latiniuſque, quam *frui ætatula*, *flore ætatis frui?* Quare Palmerio comes alius quærendus eſt; ſolus eo. FABER. Gifanius, *Flore utuntur.* Palmerius *Flore Luuntur*, id eſt: λύονται, Flos autem eſt

Id quod ſponte ſua ſolet remitti,
Cum Mens eſt pathicæ memor puellæ.

Luuntur quàm hic propriè, nemo ignorat, qui hoc ſciat modo, cùm perficiunt, ſolvi: vid. v. 1108. De qua conjectura ita *Faber.* „Vides, præclara ingenia ——— ——— Ego ſolus Eo.„ Lambinus *Flore juvantur.* CREECH.

Atque in eo eſt Venus, ut muliebria conſerat arva;
Adfigunt avidè corpus, junguntque ſalivas
Oris, & inſpirant preſſantes dentibus ora,
Nequidquam: Quoniam nihil inde abradere poſſunt,
Nec penetrare, & abire in corpus corpore toto.
Nam facere interdum velle, & certare videntur:
Uſque adeo cupidè Veneris compagibus haerent,
Mem-

INTERPRETATIO.

&.Venus in eo eſt ut (res ipſa peragatur) arva mulieris conſerat, Corpus avidè adfigunt, humida labella jungunt, & dentibus labella mutuò mordentes inſpirant; Fruſtra verò hæc omnia, quoniam nihil poſſunt a Corpore abradere, nec penetrare, & toto Corpore in amatum Corpus abire, hoc enim velle, & aliquando conari videntur, tam cupidè hærent compagibus Veneris,

VARIÆ LECTIONES.

1103. *preſſantes.* preſantes Q. prenſantes Q1.
1106. *interdum velle.* Ita E. P. Q. V. X. Y. Z. Alii interferunt *id* contra MSS.
1107. *cupidè Veneris.* cupide in Veneris Q1. Y. Z. *& quidam alii.*

NOTÆ.

1100. *Jam cum præſagit*] Cùm in quibuſdam codicib. Manuſcr. reperiſſem partim *dum jam*, partim *jam dum*: repoſui, *jam cum:* quæ ſcriptura perſpicuè vera eſt. nam ſententia adhuc pendet. *jam dum* autem non quadrat. *dum* enim ſignificat perpetuitatem & continuationem quandam & ſpatium temporis: *cum* autem punctum & articulum temporis. quo aliquid fit, aut agitur. cùm jam (inquit) corpus præſagit, id eſt, præſentit, & præcognoſcit voluptatem rei Venereæ propinquam. LAMBIN. *Dum jam*, ita omnes libri. ſic fere ſupra ℣. 1050. Vulgati: *jam tum.* quidam veteres: *jam dum.* GIFAN.

1101. *Atque in eo eſt Venus, ut muliebria conſerat*] Verecunde rem obſcenam circum locutus eſt. ſignificat enim tempus, quo vir inibi eſt, ut ſemen in loca muliebria profundat. LAMB.

1101. *Arva*] Sic Virg. Georg. 3: 135.

——— ——— ——— ——— *obtuſior uſus*
Sit genitali Arvo.

Sic infrà eod. libr. 1265.

Eicit enim ſulci rectâ regione, viaque
Vomerem, &c. LAMB.

1106. *Nam facere interdum*] Nam videntur (inquit) interdum hoc facere velle, nempe alter in corpus alterius corpore toto penetrare & introire. LAMB.

1107. *Veneris compagibus hærent*] MSS. Lugd. Bat. *in compagibus.* Videtur tamen alterum eſſe Lucretianum ex ℣. inf. 1197.

Cum interea validis Veneris compagibus hærent. HAV.

1108. *Liqueſcunt*] Sic habent aliquot libri Manuſcript. & typis excuſi. quam ſcripturam ſi quis probabit, verſus *Uſque adeo cupidè* legetur ἐπιφωνηματικῶς, hoc ſenſu: tam cupidè inter ſe cohærent Veneris vinculis adſtricti: idque tamdiu, dum membra vi voluptatis labefacta liqueſcunt, & quaſi in humorem reſolvuntur. in aliis libris ſcriptum eſt *liqueſcant*, quam lectionem ſic explico, ut conjungam hoc totum *uſque adeo dum*, cum verbo *liqueſcant*, hoc modo: uſque adeò dum, id eſt uſque eo, ſeu uſque ad id tempus, dum (id eſt donec) membra liqueſcant, &c. LAMB.

1109. *Tandem*] Sed cum ad finem clivi noſter anhelat equus: hoc eſt, cum expleverimus venerem pauliſper rabies illa reſidet. Sed paulopoſt rediviva recrudeſcit & recentatur. Mox *nervis conjuncta* &c. i. e. cum incipiunt agitata tumeſcere virilia tormento citharaque tentiora, opus eſt ad hanc rigi-

Membra voluptatis dum vi labefacta liqueſcunt.
Tandem ubi ſe erupit nervis conlecta cupido,
Parva fit ardoris violenti pauſa parumper;
Inde redit rabies eadem, & furor ille reviſit,
Quom ſibi quod cupiant ipſi, contingere quaerunt:
Nec reperire malum id poſſunt quae machina vincat:
Uſque adeo incerti tabeſcunt volnere caeco.
Adde quod abſumunt vireis, pereuntque labore.

Adde

INTERPRETATIO.

dum Membra vi Voluptatis labefacta liqueſcunt. Tandem cum collectum Semen nervis fuit ejectum, tum parva fit pauſa violenti ardoris, deinde ſtatim redit idem furor, & rabies eadem, dum conantur re illa frui quam cupiant, nec aliquod iſtius mali remedium invenire poſſunt, uſque adeo incerti cæco vulnere tabeſcunt. Adde quod vires abſumunt, & labore pereunt,

VARIÆ LECTIONES.

1108. *liqueſcunt.* liqueſcant A. mar. P.
1109. *ſe erupit.* Ita X. Y. Z. præter A. B. E. L. P. *eripuit* K. vitioſe in reliquis *ſe rupit. nervis* venis *quidam codd.* P. *conlecta.* conjuncta P. conjecta C. E. K. N. Q. V. X.
1114. *cæco.* toto Q. X.
1115. *abſumunt.* adſumunt P. c. X. *recte tamen corrig. in not.* P. adſummunt Q. *vireis.* nervos Q. nervis X.

NOTÆ.

rigidiſſimis nervis ut ſtent membra quæ jacebant ante. Nam auctore Arbitro Petronio *ſine nervis ajunt ſtare nil poteſſe.* quidam *venis* legunt: ut ſit ſenſus. Quæ voluptas in venarum interiori fomite bacchabatur. PIUS. *Tandem ubi ſe erupit nervis,* Sic libri quidem ferè omnes habent: ſed tamen amicus quidam meus legendum putat, *ſe eripuit.* atque hæc lectio à Petro Candido in codicibus Florent. in calce libri annotata eſt. quale eſt illud *ſe duxit foras,* apud Terent. & illud,

——— ——— *quo nunc ſe proripit ille?*

apud Virg. Ec. 3: 19. & illa uſitatiſſima, *contulit ſe domum, in urbem, rus,* &c. ego tamen nihil mutandum cenſeo. LAMB. *Ubi ſe erupit,* ita recte. Vide Indicem. GIFAN. Recte Interpretes retinuerunt hanc lectionem, quam & optimi MSS. conſervant, perperam vero Creechius & Angli mutarunt; præter enim locos in Indice Gifanii adductos, locutus ita eſt Petronius c. 24. p. 594.

Atque has erumpit furibundo pectore voces. HAV.

1109. *Conlecta cupido.*] Alii libri habent *conjecta cupido,* quod idem valet. *conlecta* tamen malo. LAMB. Vulgati *conjecta.* Vide Indicem: *Conlectus.* GIFAN.

1110. *Pauſa*] Intermiſſio, requies, ἀνάπαυσις, ut ſuprà libro ſecundo: 118.

——— ——— ——— *nec dare pauſam Conciliis.* LAMB.

1113. *Quæ machina*] Quæ ratio, quod inventum, quæ ars, τὶς μηχανή. ſupra libro 3: 957.

Nam tibi præterea quod machiner, inveniamque, &c. LAMB.

Machina, Græcum eſt; τὶς μηχανὴ, τί μῆχος; Res nota. FABER.

1115. *Adde quod abſumunt*] Sic lib. 5: 1016.

Et Venus imminuit vireis.

ſic Epicurus: ἡ συνουσία ὤνησε μὲν οὐδέποτε· ἀγαπητὸν δὲ, εἰ καὶ μὴ ἔβλαψε. id eſt, *concubitus & uſus rei Venereæ profuit numquam: bene agatur cum homine, ſi non etiam nocuerit.* LAMB. ỷ. 28. recenſet Incommoda Amoris, quæ res damnoſa eſt, & miſera ſervitus; ſuſpicionibus obnoxia, & cujus, niſi prorſus inſanias, pœniteat neceſſe eſt. CREECH.

Adde quod alterius ſub nutu degitur aetas.
Labitur interea Res, & Vadimonia fiunt,

Lan-

INTERPRETATIO.

Adde quod ad nutum alterius vivunt; Interea res familiaris decreſcit, contrahitur æs alienum,

VARIÆ LECTIONES.

1116. *degitur.* tegitur Q.
1117. *interea.* interna D. *Vadimonia.* Babilonica Q1. Babylonia c. O. P. Q. X. Y. Z. Vadimonia *Quidam Codd.* P.

NOTÆ.

1115. *Adde quod* —— *Adde quod*] Geminatio, quæ Caro noſtro mire placuiſſe videtur. vide & lib. III. ℣. 840. & 1050. ſic infra eodem hoc libro ℣. 1167. bis ac tertio conjunctionem illam *nempe* repetit. Preig.

1115. *Nervos*] Vires quæ domicilium & ſedem habent in nervis. nunc amoris incommoda refert. In primis corpus viribus exhaurit pallidum reddens & exangue.

Fecit amor maciem: longa internodia crurum

inquit Ovidius. Idem.

Longus amor tales corpus tenuavit in uſus:
Aptaque ſubducto corpore membra dedit. Pius.

1116. *Sub nutu*] Sub imperio: ſub ſervitio alterius: cum nulla ſervitus deterior ſit quam voluntaria. Conſimiliter Tibullus libertate ſe ſpoliatum conqueritur. 2: 4: 2.

Jam mihi ſervitium video: dominamque paratam.
Jam mihi libertas illa paterna vale.

Suffragatur huic ſententiæ Propertianus ille verſiculus 2: 18: 80.

—— *Nullus liber erit ſi quis amare volet.* Pius.

Sub alterius arbitratu, ſub alterius imperio & dominatu. nam ſerviunt amantes. Lamb.

1117. *Labitur interea Res*] Res familiaris dilabitur, diſſipatur, perit. ſic Plaut. Trin. 2: 1: 16.

Quam extemplo ſævis ſagittis percuſſus eſt, illico res foras
Labitur, liquitur. da mihi hoc mel meum, ſi me amas, ſi audis.
Ibi ille cucullus, ocelle mi, fiat, & ſi amplius vis dari,
Dabitur. Lamb.

1117. *Res*] Patrimonium. Auſonius in monoſyllabis.

Imperium: litem: venerem: cur una notet res. Pius.

1117. *Et Vadimonia fiunt*] Amantes contracto ære alieno vocantur in jus, & datis vadibus promittunt ſe judicii diem obituros, atque in judicio ſtaturos: vel vades dati promittunt ſe prodigum illum amatorem, ad extremam jam egeſtatem redactum, & à creditoribus in jus vocatum, in judicio ſtituros. Hor. Sat. 1. lib. 1: 1.

Ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem eſt, &c.

Auctor vocabularii Latino-Græci Manuſcripti, *Vadimonium*, inquit, ἐγγύη, ἐκκανοδοσία. Lamb.

1118. *Officia*] Ovidius Remed. Amoris ℣. 627.

Nec quæ ferre ſolet ſpatiantem porticus illam
Te ferat, Officium *neve colatur idem.* Creech.

1118. *Ægrotat fama vacillans*] *Ægrotat*, νοσεῖ. tralatio eſt à corpore. quo verbo ſæpe utitur Demoſthenes pro diſſidiis & ſeditionibus laborare. ſic Varro libro primo de vita populi Rom. apud Non. in verbo *diſtrahere*: *Diſtractione civium elangueſcit bonum proprium civitatis, atque ægrotare incipit, & conſeneſcere.* ſic Plautus in Trinummo, loquens de bonis moribus, 1: 1: 8.

Sed dum illi ægrotant, interim mores mali,
Quaſi herba irrigua, ſuccreverunt uberrime.

Idem ibidem paucis poſt, 1: 2: 34.

Nam ſi in te ægrotant artes antiquæ tuæ,
Sive immutare vis ingenium moribus, &c.

Sed non celabo lectorem, in uno libro Manuſc. verſum,

Labitur interea Res, &c.

or-

Languent officia, atque aegrotat fama vacillans;
Unguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident:

Scili-

INTERPRETATIO.

Amicos, Clientes negligunt, bonaque fama indies diminuitur. Unguenta, & pulchri calcei Sicyonii in pedibus ſplendent,

VARIÆ LECTIONES.

1118. *vacillans.* vigilans Q. X. vigillans Y. Z. *ſed a ſec. m. in* Y.
1119. *Unguenta.* unioque, *vel* fibulaque, *vel* Tyrrhena, F. *Sicyonia.* Sicronia Z.

NOTÆ.

ordine converſo legi poſt hunc,

Languent officia, &c.

Oſtendit autem Lucretius, amanteis neque rei, neque famæ parcere, ſed utriuſque jacturam facere: quod item pluribus verſibus docet Horat. libri primi Sat. ſecunda: 55.

Ut quondam Marſæus amator Originis, ille,
Qui patrium mimæ donat fundumque, laremque;
Nil fuerit mî (inquit) cum uxoribus umquam alienis:
Verum eſt cum mimis, eſt cum meretricibus; unde
Fama malum gravius, quam res trahit, &c.

LAMB. Græcorum imitatio. Eurip. Med. νοσεῖ τὰ φίλτατα. Ariſtoph. νοσεῖ τὸ θέατρον. Latini imitati ſunt; ſed loci ab aliis notati fuere. FABER. Addi meretur Æliani locus V. H. 2: 13. ubi de Socrate ab Ariſtophane traducto in Scena dicit verum eſſe illud Cratini dictum τῷ Θεάτρῳ νοσῆσαι τὰς φρένας. id eſt, *Theatrum inſanire*, ſeu *mente ægrotare*. Ad ſeqq. verſum nota Beroaldi addi poteſt Ann. App. cap. 18. HAV.

1119. *Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident*] Neminem ne adhuc animadvertiſſe, falſam eſſe, atque adeo ridiculam, in hoc loco ſcripturam? & tamen ita res conſtat, ut ne dubitare quidem vel tantillulum poſſis. Quomodo enim rident unguenta in pedibus? Deinde ea vox, ſi ſenſum rationi conſentaneum haberet, hinc tamen ejicienda eſſet; legitur enim paulo inferius, & quidem loco apto & ſuo:

Pocula crebra, unguenta, coronæ, ſerta parantur.

Eadem corrumpendi loci hujus cauſa fuit quæ ceterorum qui jam tales eſſe animadverſi ſunt; vicinia ſcilicet vocis alicujus quæ ad hanc (*unguenta*) proxime accedat: ea vero eſt τὸ (*languent*) in verſu proxime ſuperiori. Sed quid *unguentorum* loco ſubſtituendum ſit, id vero eſt quod affirmare nequaquam auſim, cum hic error neque contra Latinitatem ſit, neque contra materiam phyſicam, neque alia, quæ certa haberi queant: eſt enim ἀθροισμὸς rerum, in quas impenſæ & ſumptus fiant. Fortaſſe ſcriptum fuerit, *unioque, & pulchra in pedibus*, &c. Nam & calceis additos uniones & margaritas fuiſſe notum eſt; fortaſſe etiam, *fibulaque*; nam & fibulis gemmeis nonnumquam utebantur luxurioſi nepotes. Sed & multa alia poſſent ſubſtitui; Ad ſummam, Deo aliquo opus ſit, ut de veritate lectionis conſtet. Locum indicavi; ſi quid opis in MSS. codicibus, alii jam admoniti eam rem curabunt. FABER. *In Emend.*

1119. *Unguenta*] Vide *Emendationes*: Cum autem τὸ *unguenta* locum hic habere nequeat, fortaſſe legi poſſit *Tyrrhena*. Noti ſunt Tyrrheni ſeu Tuſci calcei, ut & Sicyonii. Utrique enim & ſplendidorum hominum erant & delicatiorum. FABER. *In Notis.* „Unguenta locum hîc habere „ nequeunt, —— Sed & multa alia poſſunt „ ſubſtitui„ *Faber*: & ipſe alibi Subſtituit *Tyrrhena.* nam noti ſunt Tyrrheni calcei, ut & Sicyonii, Utrique enim & ſplendidorum hominum erant, & delicatiorum. Tullius de Oratore lib. 1. *Si mihi* calceos Sicyonios *attuliſſes*, non *uterer quamvis eſſent habiles, & apti ad pedem, quia non eſſent viriles*: vid. denique Julium Pollucem. CREECH.

1119. *Sicyonia*] Calcei Sicyonii. M. Tull. de Orat. libr. 1. *Sed ut ſi mihi calceos Sicyonios attuliſſes, non uterer, quamvis eſſent habiles, & apti ad pedem, quia non eſſent viriles: ſic illam orationem diſertam ſibi & oratoriam videri; fortem & virilem*

Scilicet & grandes viridi cum luce ſmaragdi
Auro includuntur, teriturque thalaſſina veſtis
Adſidue, & Veneris ſudorem exercita potat:

Et

INTERPRETATIO.

ingentes Smaragdi viridi colore lucentes Auro includuntur, thalaſſina veſtis quotidie teritur, & exercita potat Sudorem Veneris,

VARIÆ LECTIONES.

1120. *ſmaragdi.* zmaragdi Y.
1121. *thalaſſina.* thalaſina Y.

NOTÆ.

virilem non videri. Lucil.

——— *& pedibus Sicyonia demit honeſta.* Lamb.

1119. *Rident*] Renident, pulchra ſunt. tralatio eſt. ſup. lib. 1. princip.

——— *tibi rident æquora ponti.* Lamb.

1120. *Smaragdi*] Codices duo Manuſcript. habent *Zmaragdi.* Lamb.

1121. *Thalaſſina veſtis*] Veſtis cærulei coloris. Lamb. Cærulei quidem coloris, ſed qui viridantis aliquid habeat. Faber.

1123. *Et bene parta patrum*] Et patrimonia, ſeu bona à patribus relicta, bene parta, dantur ſcortis, ut anademata, & mitras, & ſimil. comparent. Plaut. Epid. 2: 2: 41.

——— ——— ——— *quid iſtuc mirabile eſt?*
Quaſi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.

Horat. Sat. 2. lib. 1: 56.

Qui patrium mimæ donat fundumque, laremque.

quem verſum paullo antè protulimus. Lambin. Terent. *Bene parta mei patris.* Locum Plauti in quo meretrices *fundis exornatæ incedunt*, protulit Interpres; ei hunc Ovidii addas licet, quo de puella conqueritur amator:

Illud & illud habet: nec eâ contenta rapinâ
Sub titulum noſtros miſit avara Lares.

Id eſt, ita effecit, ut ædes meæ proſcriptæ fuerint vænales. Faber. Legi debere *bene parta patrant*, contendit *Andr. Schottus* Obſ. Hum. 2: 58. pag. 114. ſicuti *bene-parta lacerare* dixit Salluſtius. Verum & contra MSS. hæc eſt lectio, & haud neceſſaria, imo contra ſenſum Poëtæ, ſicut enim mox dicit *verti in Melitenſia Ceaque*, ita nunc fieri Anademata & Mitras iſta patrum *bene-parta*, id eſt, quæ illi multo ſudore collegerunt, ut apud Perſium 6: 69.

——— ——— *mihi feſta luce coquatur*
Urtica, & fiſſa fumoſum ſinciput aure:
Ut tuus iſte Nepos olim ſatur anſeris extis,
Cum moroſa vago ſingultiet inguine vena,
Patriciæ immejat vulvæ; mihi trama figuræ
Sit reliqua: aſt illi tremat omento popa venter.

& plura apud Horatium alioſque ſimilia. de veſtibus autem Melitenſibus ſumma cura ſcripſit Commendator Abela in Melita ſua Illuſtrata, a nobis ad finem Theſauri Siculi relata. Hav.

1123. *Anademata*] Ridimicula, corollæ, & ornamenta capitis: ab hoc verbo ἀναδέω, quod ſignificat coronare & circumligare. huc faciunt verba Suidæ. ἀναδεῖ. ἀναπλέκει στέφει. καὶ ἀναδεῖσθαι. στεφανοῦσθαι καὶ ἀναδειστίσθαι στεφανῶσθαι. Paulus digeſtis de auro & argento legato. *Sicut mitræ*, inquit, *& Anademata.* quidam Græcos ſecuti *Anadeſmata* ſcribunt. Vide ne anadema ſit faſcia candida: quæ circum ligatur regio capiti. Pius. Faſciæ, corollæ, redimicula. Sic enim auctor vocabularii Latino-Græci Manuſcr. *Redimicula*, inquit, ἀναδήματα. quamquam Feſtus docet, *redimiculà à mulieribus vocari corollas, quibus utuntur ornatus cauſa.* quidam legi volunt, *anademata mitræ*, continenter, & ſine diſtinctione, & interpretantur *vincula, quibus mitra vincitur, capitique religatur, ut mitræ* ſit numeri ſingular. patrii caſus: quibus propemodum aſſentior. adjuvat enim eorum opinionem Virgilii verſus lib. 9. Æneid. 616.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

verum tamen licet etiam legere disjunctim, ut *anademata & mitras* eſſe ornamenta intelligamus. Lamb. Redimicula, faſciolæ, catenulæ, &c. Faber.

1123. *Mi-*

Et bene parta patrum fiunt Anademata, Mitrae:
Interdum in pallam, ac Melitenſia, Ceaque vertunt.
Eximia veſte & victu Convivia, Ludi,

Po-

INTERPRETATIO.

Ornamenta quæ patres ſua virtute compararunt, in Anademata, aut mitras mutantur, aliquando fiunt pretium Pallæ, aut Melitenſis aut Cei veſtimenti. Convivia pretioſis dapibus & toris inſtructa, Ludi,

VARIÆ LECTIONES.

1123. *Mitræ.* Myrrhæ Q1.

1124. *pallam, ac Melitenſia, Ceaque.* pallam, melitenſia A. B. D. pallam, & qualos; & jachia vertunt E. N. C. *quidam Codd.* P. pallam, atque alidentia chiaque K. atque allidens jachiaque P. Q. ac Æolidentia, Chiaque V. Melitenſia Chiaque B. D. I. & ſtlitas & janthina c. in ſtlitas & janthina vertunt *quæd. exempl.* P. interdum in pallas aclides & jatria vertunt; P. *in not. nempe quæ ſibi tutamini & ſaluti erant. Habet quoque* jatria O. & quales denſia choaque Q1. ac levidentia choaque Q2. atque allidenſia chiaque X. in palam atque alidenſia chiaque Y. Z.

1125. *Ludi.* Luidi Y. Z.

NOTÆ.

1123. *Mitræ*] Mitra ornamentum capitis muliebribus & effœminatis conveniens: cujus diminutivum eſt *mitella:* quod patet eo Maroniano teſtimonio:

Copa Syriſca caput graja redimita mitella. Pius.

1124. *Interdum in pallam atque allidens jachiaque vertent*] Corrige meo quidem periculo.

Interdum in pallas aclides & jatria vertunt:

ut ſit hic ſenſus. Tanta eſt hominum cæcitas amoris uredine raptorum, ut vertant hoc eſt commutent arma muliebribus veſtibus: & medica atque ſalubria mundo fœmineo: cum malint amori indulgere quam bello ſalutique propriæ. *Pallam* enim ſcimus eſſe muliebre veſtimentum vel ex fabula Plautina Menechmis. *Aclides* ſunt brevia jacula: de quibus Maro libro 7: 734.

——— ——— ——— *Teretes ſunt aclides illi*
Tela. ſed hæc lento mos eſt aptare lacerto.

ἰατρεύω ſignificat *medeor*, ἰατρεῖον *medicina* hoc eſt officina ubi medelæ fiunt. *jatria* medicinalia: quæ ſunt precioſiſſima: utpote cum gemmatis contineantur vaſis: quæ magni cenſentur. Reperio in nonnullis exemplaribus.

Interdum in pallam in ſtlitas & jantina vertunt.

ut ſignificare velit illum permutare *ſtlitam* veſtem hoc eſt, lata purpura intextam. vertunt igitur mutando: diſtrahendo: vendendo: emendo: reſarciendo: interpolando pallam in *ſtlitam* vel *ſtlatam*, hoc eſt, lata purpura textam: & repudiata palla & ſtlita optant violaceos colores. *Jantina* veſtis eſt coloris violæ quæ ſubinde tyrio jungebatur: & *tyriantina* vocabatur: cui ſuffragatur epigrammatici vatis auctoritas.

Lingonicus tyriantina bardocucullus.

ἴον Græci *violam* vocitant. huc nonnulli trahunt id Perſianum, 1: 46.

Cui circa humeros & jantina lena eſt.

hoc carmen a ſequenti ſeparandum eſt. Alii recognoſcunt,

Interdum in pallam & qualos & jachia vertunt.

lectio ſuperior accommodatior eſt. Pius. *Interdum in pallam, ac Melitenſia, Ceaque vertunt.* Sic reſtituit Adrianus Turnebus, ſeu potiùs Gulielm. Pelliſſerius, Epiſcopus Mompeſſulanus, ſecutus veſtigia veterum codicum. Sic enim habent Vaticanus, Tettianus, Faërn.

Interdum in pallam, atque allidens jacchiaque vertunt:

quibuſcum congruunt Veneti Antiq. Bertin. ſic,

In-

Pocula crebra, Unguenta, Coronae, Serta parantur;
Nequidquam: quoniam medio de fonte lepôrum
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat:
Aut quom conſcius ipſe Animus ſe forte remordet,
Deſidioſe agere aetatem, luſtriſque perire:

Aut

INTERPRETATIO.

Crebra pocula, Unguenta, Coronæ, Serta comparantur: Fruſtra vero hæc omnia, quoniam de medio Voluptatis fonte, (de re ipſa quam amamus) aliquid amari oritur, quod in ipſa Voluptate diſpliceat & vexet: Aut quoniam conſcius ipſe Animus propter vitam inertiſſimè tranſactam ſeipſam caſtiget,

VARIÆ LECTIONES.

1129. *Aut quom.* Ita E. N. Q. X. Y. Z. Reliqui *aut quod. remordet.* demordet Z.

NOTÆ.

Interdum in pallam alidenſia chiaque vertunt. Memmianus,

Interdum in pallam, atque alidenſia chiaque vertunt. Vulgati autem variè depravati ſunt. alii enim habent,

Interdum in pallam & qualos, & janthina vertunt, ut Lugdunenſes: alii,

Interdum in pallam, & qualos, & jacchia vertunt. ut Florent. & Venet. recentiores: alii,

Interdum in pallas & aclides, & jatria vertunt, ut Pariſienſes: quæ ſcriptura à Baptiſta Pio, homine nullius judicii, excogitata eſt. exſtat & hæc,

Interdum in pallam, & ſtlitas, & jantina vertunt. cujus neque rationem, neque ſententiam video. Sic igitur, ut excudendum curavi, cum Gulielmo Pelliſſèrio & Adriano Turnebo legendum puto. Et tamen veterum codicum ſcripturas propoſui, ut ſi quis ingenioſior veriorem lectionem excogitare poterit, habeat paratum, unde adjuvari poſſit. Jam veſteis Melitenſeis & Ceas in pretio fuiſſe ſciunt vel mediocriter docti. M. Tull. Verr. 4. de jure dicundo: *Jam non quæro unde* CCCC. *amphoras mellis habueris, unde tantum Melitenſium, &c.* ibid. *Sed tantumne Melitenſium? quaſi etiam amicorum uxores ornaturus eſſes, &c.* ita enim utrobique legendum eſt, ut *Melitenſium* ſit à recto caſu *Melitenſia.* numero multitud. quamquam ſcio in editione Ciceronis Pariſienſi anni CIↃ. IↃ. LXV. impreſſum eſſe, *tantam Melitenſem veſtem*, culpa operarum: qui quod erat ſumendum, reliquerunt: quod relinquendum, ſecuti ſunt. Plin. lib. 4. de Ceo inſula, *Ex hac*, inquit, *profectam delicatiorem fœminis veſtem auctor eſt Varro.* LAMB. *Melitenſia, Ceaque vertunt*, hanc veram puto ſcripturam. Vide & Indicem. Veteres libri tamen: *alidenſia chiaque*, habent, & quidam veteres: *atque alidenſia.* GIFAN. Veſtium genera, ab inſulis unde advehebantur. Diodor. alicubi. Locus Ciceronis notiſſimus, ut & ille alter Plinii. Ceterum hæc lectio à Turnebo conſtituta fuit. FABER. *Melitenſia Ceaque*, Heſychius Μελίτεα, ὀθόνιά τινα διάφορα ἐκ Μελίτης τῆς νήσου: Cicero Verrina ſecunda meminit multoties *Melitenſium Veſtium*, & Verrina quarta Melitam oppidum Verri ait *textrinum per triennium ad muliebrem veſtem conficiendam fuiſſe*, & inter Melitenſes artifices commendat inprimis Diodorus, τοὺς ὀθόνια ποιοῦντας τῇ τε λεπτότητι καὶ τῇ μαλακότητι διαπρεπῆ. *Bochartus.* CREECH.

1125. *Eximia veſte, & victu*] Si hic verſus mendo caret, videtur eſſe hæc totius loci ſententia: rem veſtiariam & facultates ad victum neceſſarias inſumunt in convivia & opſonia, in ludos, in pocula, unguenta, coronas, ſerta. LAMB. Convivia, quorum veſtes ſtragulæ, culcitræ, pulvinaria, &c. exquiſiti operis ſunt. FABER.

1127. *Nequiquam*] Ita veteres quidam. GIFAN.

1127. *Medio de fonte lep. ſurg. am.*] Ex quo γλυ-

Aut quod in ambiguo Verbum jaculata reliquit,
Quod cupido adfixum cordi viveſcit, ut Ignis:
Aut nimium jactare oculos, aliumve tueri
Quod putat, in voltuque videt veſtigia riſus.
Atque in Amore mala haec proprio, ſummeque ſecundo
In-

INTERPRETATIO.

aut quoniam Mulier amata in ambiguo verbum jaculata fuit, quod Amatoris cordi adfixum viveſcit tanquam Ignis: Aut quoniam Amator putat illam putres oculos nimium jactare, & laſcivius ſpectare alium, & Riſus veſtigia, ſeu reliquias, in vultu videt. Atque hæc omnia incommoda ſunt in Amore illo, qui eſt maxime ſecundus,

VARIÆ LECTIONES.

1131. *jaculata.* jactata *Gryff.*
1132. *cordi.* corde Z. *viveſcit.* inveſtit Q. X.
1135. *Atque.* Atqui P. *mala.* male Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

γλυκύπικρον illud amoris à Græcis dictum, id eſt, *dulce cum amaro conjunctum.* ſic Plaut. Ciſt. 1: 1: 71.

Namque ecaſtor amor & melle & felle eſt facundiſſimus.
Guſtu dat dulce: amarum ad ſatietatem uſque aggerit. Lamb.

1128. *In ipſis floribus*] ἐν ταῖς τῶν ἡδονῶν ἀκμαῖς, id eſt, tum maximè, cùm amor ſuas delicias, ſuumque nectar amantibus propinat. Lamb.

1129. *Aut quod conſcius*] Sic jam edendum curavi in ſecunda editione. In prima autem tantùm timidè & pudenter poſueram videri poſſe legi *Aut quod*, cùm libri veteres haberent partim *Aut cum*, ut vulgati, partim *Aut quom* Melius autem quadrat *Aut quod*, quam *Aut cum*, &c. ſequitur enim,

Aut quod in ambiguo, &c. Lamb.

At ego revocavi meliorum MSS. lectionem, idque ob has rationes; primò non dicit ideo amari illud in ipſa lætitia hominem contriſtare, quod animus ſibi hoc vel illud ſuggerat, ſed quum illud forte accidat, ut inter voluptates ſani quid cogitet; dein illud *quod* duobus poſt verſibus ſequens, ſumi debet ac ſi dixiſſet *aliquod*, non vero ſeparatim, ſi inquit aliquod verbum in ambiguo amica dixerit, ſimile videlicet facetiis illis, *quæ ubi multum ex vero traxere, acrem ſui memoriam relinquunt*, ut inquit Tacitus Ann. 15: 68. de amoris incommodis vide Plaut. Mercat. Prol. ℣. 24. & Terent. Eun. 1: 1: 13. Hav.

1130. *Luſtriſque perire*] In luſtris & ganeis vitam conterere, & corporis vireis abſumere, & rem familiarem perdere. Feſtus; *Luſtra ſignificant lamas lutoſas, quæ ſunt in ſilvis, aprorum cubilia.* à qua ſimilitudine ii qui in locis abditis & ſordidis ventri & deſidiæ operam dant, dicuntur in luſtris vitam agere. Plaut. Aſin. 5: 2: 84.

Cano capite te cucullum uxor ex luſtris rapit. Lamb.

1131. *Aut quod in ambiguo*] Id eſt, aut quod ea quæ amatur, aliquid ambigue locuta eſt. Lamb.

1132. *Viveſcit, ut ignis*] Suprà libro primo, 33.

——— *& vivant labentes ætheris ignes, &c.*

infrà libro quinto: 478.

Et tamen inter utroſque ita ſunt, ut corpora viva Verſent, &c. Lamb.

1133. *Aut nimium jactare, &c.*] Ordo eſt: Aut quod amator putat illam oculos nimium jactare, atque huc & illuc torquere, aliumque virum intueri. Lamb.

1134. *Atque in Amore mala hæc proprio*] Argumentum eſt à minori. Atqui (inquit) in amore ſecundo, & in quo omnia ex animi ſententia procedunt, hæc mala inveniuntur: quanto igitur plura & graviora ineſſe credibile eſt in

 ad-

Inveniuntur, in adverſo verò, atque inopi ſunt,
Prendere quae poſſis oculorum lumine aperto,
Innumerabilia: ut melius vigilare ſit ante,
Qua docui ratione, cavereque, ne inlaqueeris.
Nam vitare, plagas in amoris ne laciamur,
Non ita difficile eſt quam captum retibus ipſis

Exire:

INTERPRETATIO.

in adverſo autem innumerabilia ſunt mala quæ in omnium oculos incurrunt, ita ut multo prudentius ſit ante vigilare ratione qua docui, & cavere ne irretitus ſis: Nam facilius eſt cavere a retibus quam cum captus ſis teipſum

VARIÆ LECTIONES.

1137. *aperto.* operto V. Y. Z.

1139. *ne inlaqueeris.* ne inliciaris A. B. D. I. P. ne illiniaris P. *in not.* Q1. illiciaris C. E. N. ne in ligniaris Q. ne inligniatis X. ne inligniaris X. neque inligniaris Z.

1140. *ne laciamur.* ne jaciamur C. E. N. P. Qm. Y. Z. inliciamur V.

1141. *eſt.* abeſt a Q.

NOTÆ.

adverſo? *Atque* poſitum videtur pro *Atqui*: ut ſæpe alibi, & apud alios probatos ſcriptores. Lamb. Terentianum. Gifan. Amor proprius eſt, cum quis à muliercula ita amatur, ut omnes alios illa abs ſe ſegreget; Cui opponit Lucretius *amorem adverſum* & *inopem*, id eſt, in quo multa tibi adverſa ſint, quique ἀμηχανίαν afferat, & in quo amicam non habes ſatis morigeram. Faber & Creech.

1136. *Inopi*] Ἀμηχάνῳ, ſeu in eo, in quo amator amica non potitur: quæ ſumma miſeria eſt. Lamb.

1137. *Prendere quæ poſſis oculorum lumine*]. Id eſt, quæ oculis cernere queas: quæ ſunt in promtu poſita & manifeſta. Lamb. Hæc mala in amore felici ſunt; quid in adverſo? tot tantæque ibi ſunt calamitates, ut nemo non illas facile pervideat. Faber. In adverſo Amore tot tantæque ſunt calamitates, ut nemo non illas facile pervideat. Alii tamen legunt *operto* id eſt, *cæco*, Quilibet viz. vel cæcus videat. Creech.

1139. *Cavereque, ne inlaqueeris*] Sic nunc edendum curavi, pro *inliciaris*, quod olim probaram ſecutus codices vulgatos. Ad hanc autem conjecturam me duxit codex Bertinianus, & Memmianus, qui habent partim *inliquaris*, partim *inliqueris*. Atque hoc modo ſine dubio legendum. & ne Zoilum quidem hanc lectionem improbaturum puto: niſi fortè ea gratia non probabit, ne deſinat eſſe κυνώπης, aut hebes, aut ἀναίσθητος, aut Zoilus. Uſurpavit hoc verbum Arnobius lib. 2. *Illaqueare, decipere dolis atque inſidiis neſcios.* & M. Tull. ejus participium oratione de Haruſp. reſp. *Illaqueatus jam omnium legum periculis.* Lamb.

1140. *Ne laciamur*] Sic repoſui, ratione & veritate fretus. *Lacio* enim verbum eſt antiquum, teſte Feſto. ſic enim ille, *Lacit*, inquit, *in fraudem inducit: inde eſt allicere, lactat, delectat, oblectat.* Idem: *Lacit, decipiendo inducit. lax enim fraus eſt.* Iterum Lucretius infrà eodem libro:

Quæ lacere in fraudem poſſent, vinctoſque tenere.

Lamb. Ita Lambinus. In veteribus: *jaciamur.* Gifan.

1141. *Non ita difficile eſt: quàm*] *Ita, quàm*; *non ita, quàm*; genus loquendi rarum quidem, ſed tamen non inuſitatum veteribus. ſic ſupra lib. 2. 36.

Nulli, ut opinor, ita hæc ſpecies miranda fuiſſet,
Quàm tibi.

quamquam nonnulli legendum cenſent,

Non tam difficile eſt.

ſed

Exire: & validos Veneris perrumpere nodos.
   Et tamen implicitus quoque poſſis, inque peditus
Effugere infeſtum, niſi Tute tibi obvius obſtes:
Et praetermittas Animi vitia omnia primùm;
Tum quae Corporis ſunt ejus, quam perpetis, ac vis.
Nam hoc faciunt Homines plerumque cupidine caeci:

Et

INTERPRETATIO.

extricare, & valida Cupidinis vincula perrumpere. Tamen cum captus ſis, & perdite amas, potes effugere malum, niſi Tute tibi obſis; & primùm non conſideres omnia vitia Animi, neque Vitia Corporis illius quam miſere amas. Nam Homines Amore cœci,

VARIÆ LECTIONES.

1142. *perrumpere.* prorumpere Q.
1144. *obſtes* obſtet D.
1145. *Et.* Ut E. N. *primum.* pravi C. N. P.
1146. *Tum, quæ.* Ut quæ Qm. Y. Z. ut quaſi X. *perpetis.* Ita c. O. P. Qm. X. Y. precis ac vis Z. præpetis ac vis A. B. C. D. E. N. percupis L. *aliique.*
1147. *Nam hoc faciunt.* Nam faciunt E. P. X. Y. Z.

NOTÆ.

ſed errant. Alii autem ſic:

Nil, ut opinor, ita hæc ſpecies miranda fuiſſet.
Quam tibi jam nemo, &c.

quibus aſſentior. LAMB.

1143. *Et tamen implicitus*] Id eſt, & tamen etiam amore captus, & illaqueatus, & irretitus, explicare & exſolvere te poſſis, niſi tute tibi obſis. LAMB. Sed Miſer jam capitur & adſtringitur, quis expediet? Id agit Poëta ỳ. 43. melius *Chryſippo* & *Crantore*. CREECH.

1144. *Infeſtum*] Amorem, viris, qui curant cæleſtia, infenſum & nimicum. Appoſite itaque dixit Ovidius ſuper his differens qui ad cæleſtes nituntur ſpeculationes.

Non Venus aut vinum cæleſtia pectora fregit.

Feſtiviſſime igitur Palladas inquit ſe uxorem & grammaticam ferre non poſſe. cujus græca carmina ſalſa prorſus & urbana ſubtexere viſum operæ pretium,

Οὐ δύναμαι γαμετῆς καὶ Γραμματικῆς ἀνέχεσθαι.
   Γραμματικῆς ἀπόρου καὶ γαμετῆς μαχίμου.
Ἀμφοτέρων τὰ πάθη, θάνατος καὶ μοῖρα τέτυκται.
   Τὴν οὖν Γραμματικὴν καὶ μόλις ἐξέφυγον.
Οὐ δύναμαι δ' ἀλόχου τῆς ἀνδρομάχης ἀναχωρεῖν.
   Εἴργει χάρτης με καὶ νόμος αὐσόνιος.

Latine ſonant. *non poſſum uxorem & Grammaticen ſuſtinere. Grammaticen indigam & uxorem pugnacem. ex utriſque paſſiones mors & fata parantur. Ipſam Grammaticen vix datur evadere. Non poſſum autem ab uxore Andromache ſecedere: prohibent charta & lex auſonia.* PIUS.

1145. *Et prætermittas*] Eſt ἐπεξήγησις, hoc modo: Et niſi prætermittas ejus quam amas, & animi & corporis vitia, id eſt, niſi velis omnia illius & animi & corporis vitia diſſimulare. Reperitur autem hæc ſcriptura in quinque libris manuſcriptis. Nam vulgati habent, *Ut prætermitt.* LAMB.

1146. *Quam percupis ac vis*] Cùm in libris manuſcriptis reperiſſem partim *præpetis*, partim *præcipis*, partim *præceptis*, partim *percis*: ego *percupis* repoſui. quod ſi quis malet *perpetis*, ut habent nonnulli vulgati; aut *præpetis*, ut quidam ſcripti: non pugnabo. LAMB. *Quam præpetis, ac vis.* Ita veteres libri. Sic *prædulcis.* libri quidam: *perpetis.* GIFAN. Et recte, ut mihi videtur, niſi forte melius ſcribas *præcipis*, quod innuere videtur optimus ex Lugd. Bat. *perpetere* eſt valde petere, *præcipere* vero ante animo & imaginatione rapere. HAVERC.

1147. *Nam hoc faciunt*] Prætermittunt amicarum ſuarum corporis atque animi vitia. ſic hunc

 ver-

Et tribuunt ea, quae non ſunt his commoda vere.
Multimodis igitur pravas, turpeiſque videmus
Eſſe in deliciis, ſummoque in honore vigere.

'At-

INTERPRETATIO.

illa omnia plerumque negligunt, imo eas dotes Amiculis ſuis tribuunt quæ illis non re vera competunt, Idoque invenuſtas multas & deformes videmus eſſe in deliciis, & perdite amari:

VARIÆ LECTIONES.

1148. *his.* ſibi P.
1150. *deliciis.* delictis Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

verſum explico referens ad ſuperiora. alioqui lege,

Ut tribuant ea, &c.

proximo verſu. LAMB. *Nam hoc faciunt Homines plerumque —— commoda vere.* Hanc adjunxi Parentheſeos notam, ut Lucretius rectius intelligatur. GIFAN. Hæc particula *Nam* refertur ad τὸ, *Niſi tute tibi obvius obſtes*, &c. id eſt, niſi tute ipſe tibi fucum facias, & amiculæ ea tribuas animi corporiſque bona quæ non habeat. In eam rem locus inſignis eſt apud Platonem in V. Politicorum, unde ea hauſta ſunt quæ à Plutarcho in lib. περὶ τοῦ ἀκούειν, ut & in lib. de diſcrimine amici ab adulatore, & quæ ab Ariſtæneto in Epiſt. XVIII. ſcripta fuere; Sed quæ propter temporis anguſtias & morem meum nolim tranſcribere; ut nec Ovidiana ex II. Artis, ab illo verſu,

Parcite præcipue vitia exprobrare puellis, &c.

FABER.

1148. *Et tribuunt ea quæ*] Sic habent quinque libri Manuſcripti. Sed ſi ſuperiorem verſum ad hunc referamus, videbitur legendum,

Ut tribuant ea quæ non ſunt, &c. LAMB.

1149. *Multimodis igitur pravas, &c.*] Hic vide, Lector, ingenium & elegantiam poëtæ. Ovidius etiam hæc, ſed nihil ad hunc. GIFAN.

1150. *Summoque in honore vigere*] Legendum fortaſſis eſt, *ſummóque vel honore vigere.* LAMB.

1151. *Alios alii irrident*] Vide hominum vecordiam: qui invicem ſe irrident alter alterum dicentes amare turpiculum, ſcortillum illepidum atque infacetum: cum ipſi habitudinis deterioris & deformioris puellam colant & adorent. quod facit ut credamus illi Catulliano.

Suus cuique attributus eſt error.
Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt. PIUS.

Si hunc verſum cum duobus proximè ſequentibus deleamus, tamquam ſpurios, non ſolum nihil de ſententia decedet, verùm etiam magis erunt media cum primis, & extrema cum mediis contexta & conſentanea. Nunc autem hi tres verſus antecedentia ab iis quæ ſequuntur, disjungunt, & inſignem faciunt hujus loci interruptionem. Nam poſteaquam dixit, nos videre, pravas & deformeis multis modis in deliciis atque in pretio eſſe, debet continuò ſubſequi,

Nigra μελίχροος eſt, &c.

nihilque interponi. quare videntur delendi. quod autem Zoilus eos retinet, manum non verterim. ille judicio ſuo utitur, ego meo. LAMB. Hos tres verſus non rectè delet Lambinus. ſunt in omnibus libris. GIFAN. Hos tres verſus deleri velit Lambinus; at ego nolim; ſunt enim Lucretiani & optimi ſenſus. Amatores quidam ſuadent amico ſuo, qui deformem puellam amet, ut propitiam ſibi Venerem faciat, à qua hujuſmodi amor immiſſus ſit, cum interim ipſi minus amabilem, minus venuſtam, ament, &c. FABER. At ego vel nihil video, vel Lucretiani ſunt, & poſiti olim ab ipſo Poëta poſt ℣. 1148. HAV.

1152. *Ut placeant*] Lego *ut placent.* hoc ſenſu. Sunt quidam ex amatoribus irriſores qui cum ipſi ſcorta colant ſcortea: alios tamen irrident & ſuadent ut Venerem placent: & irato Cupidini ſacrificent: ſedentque Idaliæ matris iram, quom ea irata turpiculi ſcorti amanti objecit turpem faciem & perſonatum monſtrum. Simile illud eſt quod accepimus de Platone: qui triſtem nimiſque matutinæ & caperatæ frontis Xenocratem hortari ſolebat ut Gratiis ſacrificaret: quo eſſet hilarior. PIUS.

1154. *Ni-*

'Atque alios alii inrident, Veneremque ſuädent
'Ut placent, quoniam foedo adflictantur amore:
'Nec ſua reſpiciunt miſeri mala maxima ſaepe.
Nigra, μελίχροος eſt: Immunda & Foetida, ἄκοσμος

Cæ-

INTERPRETATIO.

Atque alii irrident alios, ſuadentque ut Venerem placent, quando aliquid invenuſtum amant, neque Miſeri reſpiciunt ſua mala quæ ſunt plerumque maxima. *Quæ Nigra eſt fuſca dicitur, Immunda & fœtida, Negligens:*

VARIÆ LECTIONES.

1151. Hos tres verſus delet L.

1152. *placent.* placeant P. X. *recte tamen corrig. in not.* P. Z. *ſed a ſec. m. adflictantur.* adflictentur N. Q.

1154. μελίχροος. melichrωus A. melichrus a. B. D. Z. μελίχλωρος c. N. *codd. priſc.* P. μελάγχρους P. mel tetrus Q. melerus Q1. melerios Q2. melenis Q3. meletrus X. melchrus Y. *eſt.* deeſt P.

NOTÆ.

1154. *Nigra*] Tale perceptum eſt Ovidii in libris de arte amandi.

Dic agilem quæcumque brevis: quæ turgida plenam:
Et lateat vitium proximitate boni.

Idem in libris amorum vitia ſibi puellarum excuſat & ad formæ præconium trahit.

Sive procax ulla eſt: capior quod ruſtica non eſt.
Spemque dat in molli mollius eſſe thoro.
Sive eſt docta placet, raras imitata Sabinas:
Sive rudis: placita eſt ſimplicitate ſua. PIUS.

Nigra μελίχροος. Sic habent nonnulli libri Manuſcripti. alii, ut Bertinianus, *melchrus*: quod depravatum eſt ex *melichrous.* Aldinus antiquior, μελάγχρους, id eſt, *nigro colore prædita.* quidam autem typis excuſi, μελίχλωρος, deleto *eſt*, id eſt *pallore ſubviridi*, qualis eſt mellis color: quo nomine utitur Theocritus ἐργατῖναι· ý. 26.

Βομβύκα χαρίεσσα, Σύραν καλέοντί τυ πάντες,
Ἰσχνὰν, ἁλιόκαυστον· ἐγὼ δὲ μόνος μελίχλωρον.

Nonnulli autem μελάγχλωρος legi volunt, id eſt, *nigro & viridi colore.* quo nomine utitur Plato lib. 5. de Repub. ubi hunc amantium errorem pluribus verbis perſequitur. Ego μελίχροος probo magis, quam μελάγχροος. μελίχροος enim valet *mellei coloris: μελάγχροος, nigri.* itaque ſi μελάγχροος legeretur, idem dicetur: niſi quis dicat, idem vitium ab homine Romano, Græco nomine appellatum, levius quodammodo videri, atque extenuari: quemadmodum apparet ex toto hoc loco, ubi nomina & verba ferè omnia extenuantia Græca ſunt. Denique Plutarch. libro περὶ τοῦ ἀκούειν, locum illum Platonis, quem paullo antè commemoravi, proferens, legit μελίχρουν. Cum his autem Lucretianis confer illa Horatiana, in quibus optat Horatius, ut amicorum noſtrorum vitia ita diſſimulemus atque elevemus, ut & amantes amicarum ſuarum corporum vitiis propemodum delectantur, & parentes filiorum vitia levioribus nominibus extenuant, Sat. 5. lib. 1. & præterea locum illum Platonis lib. 5. de Repub. Non celabo autem lectorem, omnia vocabula Græca in libris antiquis ſcripta eſſe litteris Latinis. ego tamen de quorundam doctorum virorum ſententia Græcis excudenda curavi, non reclamaturus, ſi quis ea litteris Latinis ſcribat: immò vero probaturus. LAMB. Hæc Græca nomina. *Nigra Melichrus*, &c. ſcripſi, prout in vet. libris exſtant, & ipſe ſcribenda judicavi. GIFAN. Quæ plane nigra eſt eam μελίχρουν vocant, id eſt, colore mellis, ſeu fuſcam. Ovid.

—— —— —— —— fuſca vocetur
Nigrior Illyrica cui pice ſanguis erit. FABER.

1154. *Immunda & fœtida*, ἄκοσμος] Quæ prorſus immunda eſt, ejus vitium nobis ipſis occultamus, nam ἄκοσμον vocare ſolemus, quæ cultum & nimiam ornamentorum curam reſpuat. FABER. Ariſtænetus lib. 1. Ep. 18. Καὶ ὁ μὲν [illegible]

νέων

Caeſia, παλλάδιον· Nervoſa, & Lignea, δορκάς·
Parvola, Pumilio, χαρίτων ἴα, tota merum ſal:
Magna, atque Immanis, κατάπληξις, plenaque honoris:
Balba,

INTERPRETATIO.

Cæſia, parva Pallas (cui cæſii erant Oculi, γλαυκῶπις,) Nervoſa & exſucca Capra appellatur. Parvula & Pygmæi generis Gratiarum una eſt, tota merum Sal, (politula & elegans) Ingens & immanis Admiranda, & plena Majeſtatis.

VARIÆ LECTIONES.

1155. *Nervoſa.* Nævoſa M. V. nevoſa C. E. N.

1156. χαρίτων ἴα. chariton mia A. B. D. E. Q. V. Y. charitonia C. P. X. charitomnia Q.m. Z.

NOTÆ.

νέων ὅτι σίμος, ἐπίχαρις παρά σοι κληθεὶς ἐπαινεῖ). τοῦ δὲ τὸ γρυπὸν βασιλικὸν ἔφης. τὸ δὲ διὰ μέσον τούτων ἐρεῖς ἐμμετρότατα ἔχειν. μέλαινας δὲ ἀνδρικοὺς ὀνομάζεις· λευκοὺς δὲ θεῶν παῖδας προσείρηκας· μελιχρώτους δὲ οἴει τοὔνομά τινος ἄλλ' ὁ ποίημα εἶναι. ἢ τοῦ ἐνόντος σοι πόθου ὑποκοριζομένου τε καὶ φέροντος εὐχερῶς τὴν ὠχρότητα, εἰ μόνον ἐπὶ ὥρα προσῇ. Καὶ ἑνὶ λόγῳ πάσας προφάσεις προφασίζει, καὶ πάσας φωνὰς ἀναφθέγγῃ· ὥστε διαφιλεραστεῖς μηδὲν ἀποβάλλειν τῶν ἀνθούντων ἐν ὥρα. Id eſt, *Itaque juvenum ſi quis ſimus, laudas tanquam concinnum; aduncum naſum regium vocas; medium inter hos modicum dicis. Nigri ſunt, viriles appellas: albi, deorum filios indigitas; melleorum vero nomen aliunde credis effictum quam ab amore tuo imminuente pallorem, bonique conſulente, dummodo tempeſtivum. In ſumma quoſvis prætextus prætexis, quamvis vocem effers, ut nullum tempeſtiva ætate amatorem amittas.* Hav.

1154. *Et Fœtida*] Fortaſſe legendum *ſordida.* Lamb.

1154. Ἀκοσμος] Id eſt, *inornata.* Lamb.

1155. Παλλάδιον] Id eſt, *parva Pallas*, quæ ab Homero deſcribitur & appellatur γλαυκῶπις, id eſt, *cæſiis & glaucis oculis*: quamquam ſcio etiam aliter Grammaticos Græcos hoc nomen interpretari. Lambin. *Cæſia* Παλλάδιον, Oculi cæſii, ſeu *noctuini* (locus Plauti notus eſt) non probabantur. Ut tale vitium levarent, amicam ſuam *parvulam Pallada* vocabant. γλαυκῶπις Pallas Homero millies. Faber.

1155. *Nervoſa*] Sic habent libri quinque Manuſcripti, & aliquot typis excuſi; non, ut vulgati, *nævoſa.* Lamb. *Nævoſa*, Vulgati ex Marullo; male, contra omnes libros. Gifan.

1155. *Et Lignea*] ἀπόξυλος. Theoc. ἀ καλαμῖτις, id eſt, *arida & exſucca.* Lamb.

1155. Δορκάς] Id eſt, *capra fera, caprea.* Lamb. Capream vocabant, quæ nervoſior eſſet & quodammodo lignea. Faber.

1156. *Parvola, pumilio, χαρίτων, &c.*] Sic nunc reſtituo, auctoritate veterum codicum fretus, à quibus non diſcrepant vulgati. Sed in utriſque corruptam vocem χαριτωνία, & unam ex duabus factam, divido, & rurſum ex una duas facio, χαρίτων ἴα. ἴα autem valet μία. Homerus Ιλιάδ. ν. 354.

Ἦ μὰν ἀμφοτέροισιν ὁμὸν γένος, ἠδ' ἴα πάτρη.

& φ. 569.

Ἐν δ' ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

qui poſterior verſus profertur ab Ariſt. πολ. β. & Ιλιάδ. σ. 25.

Ἰῇ δ' ἐν νυκτὶ γένοντο.

Parvula (inquit) his nominibus appellatur ab amante, *pumilio*, id eſt nana, & humilis ſtaturæ, χαρίτων ἴα, id eſt, *una Gratiarum*, &c. atque hic locus multo jam antè à Gulielmo Pelliſſerio (Adde Turn. Adv. 13: 20. & 27: 35.) fuerat ita reſtitutus, χαρίτων μία. Sed tutius eſt legere ita ut dixi, χαρίτων ἴα. Nam ſic minùs, immo nihil ferè, receditur ab antiqua ſcriptura & recepta, χαριτωνία, cum præſertim ἴα, idem planè valeat quod μία. Itaque hoc modo potiùs arbitror eſſe legendum, & in omnibus libris reponendum, per *unam Gratiarum* autem ſignificat lepidam, politulam. Lamb. *Chariton mia, tota merum ſal*, Ita veteres libri omnes. Forte: *mia: torta*, vel *torva.* Sed ego libros ſequor; & parvam cum magna conjungit poëta. Gifan. Quæ pa-

Balba, loqui non quit, τραυλίζει: Muta, pudens eſt.
At Flagrans, Odioſa, Loquacula, λαμπάδιον fit.
Ισχνὸν ἐρωμένιον tum fit, quom vivere non quit

Prae

INTERPRETATIO.

Balba & quæ vix verba proferre poteſt, τραυλίζει; quæ prorſus muta eſt, Pudens dicitur: At inquieta, importuna, loquacula, parva lampas appellatur, Illa gracilis Amicula dicitur quæ macie confecta riget,

VARIÆ LECTIONES.

1158. τραυλίζει. traulim Q. X. traulizi Qm. Y. Z.
1159. *fit.* ſit C.
1160. Ισχνὸν ἐρωμένιον. Iſchnon eromenion A. B. D. ἰσχὸν ἐρωμένιον. Ισχνὸς, ἐρωμάνιον C. K. N. P. Iſclimon Q. X. iſclinon Q1. ishnion Q2. *fit.* tum ſit C. P.

NOTÆ.

parvula & pumila ſit, dicunt eam eſſe ἴαν χαρίτων, totam ex ſale, & facetiis & elegantia conſtare. Ceterum χαρίτων μία, vel ἴα legas nil intereſt. Faber. & Creech.

1156. *Tota merum ſal*] Sic eſt diſtinguendum. illa (inquit) quæ parvula eſt, vocatur etiam *tota merum ſal*, id eſt, tota ſalſa, & faceta, & elegans. Lamb.

1157. Κατάπληξις] *Stupefactio, terror,* id eſt, ipſo aſpectu terrorem & ſtuporem incutiens. Κατάπληξιν definiunt Philoſophi, φόβον ἐκ μεγάλης φαντασίας: id eſt, *metum ex magna aliqua ſpecie, ſeu viſione animo objecta.* Lamb. Quæ talis eſt, eam κατάπληξιν, quaſi *terribilem*, &c. locus ex *Cantico Canticorum* hic proferri poſſet. *Plenam* autem *honoris* intelligo venerandam, vel quæ ſolo aſpectu reverentiam in animis virorum ingeneret. Faber. Intelligit Cant. 6: 4.

1158. *Balba, loqui non quit,* τραυλίζει] *Balbutit.* Lamb. Si qua ita balba eſt ut vix loqui poſſit, dicunt eam τραυλίζειν. Eſt autem leviſſimum oris vitium τραυλισμὸς, quale in Alcibiade fuiſſe docent Ariſtoph. & Plutarch. at ψελλισμὸς dicitur, cum præceps balbuties facta eſt. τραυλὸς circa literam R. labitur, ut ὀλᾶς pro ὀρᾶς, ψελλὸς autem totas aliquando ſyllabas obterit, & miſere perdit. Faber.

1158. *Muta, pudens eſt*] Si qua puella ſit muta, elinguis, aut infans, ait amans, eam ingenuo pudore, quo minus loquatur, impediri. nam pudor obeſt locuturo. Horat. Sat. 6. lib. 1: 57.

Infans namque pudor prohibebat plura profari.

ad quem locum annotata ſunt à nobis nonnulla. Lambin. Si qua eſt pæne muta, pudentem eſſe dicimus. Præ pudore non libenter loquitur, ajunt. Faber.

1159. Λαμπάδιον] *Parva lampas*, ſeu *parva fax.* Lamb. Unde nomen meretriculæ procacioris apud Varr. in Agathone:

Quid triſtiorem video te eſſe? num angit hæc Lampadion? Hav.

1159. *At flagrans*] Ardentior paulo, & neſcio quomodo inquieta. Faber.

1159. *Odioſa*] Importuna, &c. eam λαμπάδιον vocamus; quia faces è picea &c. crepitant: nam apud veteres fax è ligno fiſſili & *inſpicato*, ut Virgilius vocat, fiebat, ſine cera, reſina &c. Faber.

1160. Ισχνὸν ἐρωμένιον *tum fit*] Id eſt, cum ita macilenta eſt, ut vivere nequeat, appellatur ἰσχνὸν ἐρωμένιον, id eſt, *amicula gracilis.* ἐρωμένη, *amica, puella quæ amatur*: ex quo ὑποκοριστικὸν nomen ἐρωμένιον, ut à γλυκέρα γλυκέριον, φοινίκη φοινίκιον, &c. Lamb. *Iſchnon eromenion*, omnes veteres libri. Etiam: *Iſchnoeromenion.* Reliqua omnia ſe bene habere videntur, ex omnibus veteribus libris. Nihil ergo mutandum. Gifanius. Amaſia Græcè ἐρωμένη dicitur, ſed ἐρωμένιον amaſiola, ſeu amicula. ἰσχνὸς vero inter macrum & habitiorem eſt; quod plerique non obſervant. Gracilem vocavit Ovidius.

Sit gracilis macie quæ male viva ſuâ eſt.

Locum autem Lucretii in oculis habebat Ovidius.

Prae macie: ῥαδινὴ vero eſt, jam Mortua tuſſi.
At Gemina & Mammoſa, Ceres eſt ipſa ab Jaccho.

Si-

INTERPRETATIO.

tabidam puellam macilentam appellant. Turgida & mammoſa dicitur ea ipſa Ceres quam amavit Bacchus;

VARIÆ LECTIONES.

1160. *ῥαδινὴ.* rhadine A. B. D. *ῥοδάνη* c. *codd. priſc.* P. tuſſit c. P. *ῥαδινὴ vero eſt.* *ῥαδινὴ Βήττω* eſt jam mortua tuſſi P. *in not.* Radine eſt nam Mortua tuſſis X. *tuſſi.* tuſſit C. O. P. tuſſi P. *in not.*

1161. *At Gemina &c.* At Lamia & A. V. At jamina & Z. At Jamina & Mammoſacer eſt Y. At lamina mamma Q1. At *λάβρα*, immanis; acriſque eſt icta ab jaccho C. E. N. At lamia eſt manioſa deo eſt certe ipſa ab c. P. At Gemina & Mannio ſacer eſt ipſa ab Q. At lamina & Mammoſacer eſt ipſa X.

NOTÆ.

dius. Tale aliquid eſt in illo Lucilii *Vix vivo homini ac monogrammo.* Faber. Cujus quaſi ἥμιου ὦπται, ut loquitur Callimachus in Epigr. 53.

> Τῆς Αγορανάκτος με λέγε, ξένε, κώμικον ὄντως
> Αγκεῖσθαι νίκης μάρτυρα τοῦ Ροδίου
> Πάμφυλον, οὐκ ἐν ἔρωτι δεδαυμένον. ἥμισυ δ' ὦπται
> Ισχάδι καὶ λύχνοις Ισιδος εἰδόμενον.

id eſt, *Dic me, o hoſpes, poſitum eſſe victoris Agoranactis Rhodii teſtem vere comicum Pamphilum, non quidem in amore ambuſtum: dimidium vero conſpicitur Caricæ & lucernis Iſidis ſimile.* Confert vero ibi ſtatuam iſtam ligneam (ut videtur) atque ideo tempore contractam & corrugatam, ficui, quæ arida dimidio minor eſt recenti, atque lucernis Iſidis, diutiſſime ſervatis. Havercamp.

1161. Ρωδινὴ] Tenuis: exſucca: inanis: minuta. Cæterum in codicibus antiquis legitur *ῥοδανὴ* qua voce ſignificatur *trama.* Eſt. *n. trama* filum quod in tela ſubtexitur minutum & tenuiſſimum: ut decenter macerrima puella *trama* vocitetur, ſubtilis ſcilicet & tenuicula. Simile eſt illud Perſianum 6: 73.

> ——— *Mihi trama figuræ Sit reliqua.*

dein pro *vero eſt jam mortua tuſſit*, Scribe meo quidem periculo *βήττω eſt jam mortua tuſſi.* Si forte, Lucretius inquit, quis hæret puellæ tuſſi quaſſæ & vexatæ, appellabit illam *betto*, nomine a tuſſi detorto. Βήττω enim apud Græcos ſignificat *tuſſio.* Si proletarium & popularem codicem ſequi malueris hic erit ſenſus: appellant tenuem puellam, cum vero (hoc eſt re vera) ſit mortua tuſſi, non emaciata. Sed *tuſſi* perinde legendum erit nomen: non *tuſſit* verbum. Pius. Puella (inquit) jam tuſſi mortua & tabida, amanti *ῥαδινὴ* eſt, id eſt *gracilis.* Theocr. *εἰδ. ἐργατ.* 10: 24.

> Μῶσαι Πιερίδες συναείσατε τὰν ῥαδινάν μοι
> Παῖδα. Lamb.

Quia tuſſis, poſtquam in ἕξιν abiit, aut certe diuturnior eſt, corpora tenuat; ideo, ut hoc vitium verbis minuerent, puellas ejuſmodi *ῥαδινὰς* vocabant. Unde à Theoc. 11: 45. Cypariſſi *ῥαδιναὶ* dicuntur; ubi *ἐπιμήκεις καὶ λεπτοὶ*, ait ſignificari Scholiaſtes. Faber.

1162. *At Gemina & Mammoſa, Ceres eſt ipſa ab Jaccho*] Sic reſtitui, ſcripturæ veteris veſtigia ſecutus. Nam cum ita ſcriptum reperiſſem in libris veteribus,

> *At jamina & mammo ſacer eſt ipſa ab Jaccho.*

primum non dubitavi reponere, *mammoſa Ceres eſt, &c.* deinde cum hærerem in illo *jamina*, in cujus locum nonnulli codices habebant *Lamina*, Adrianus Turnebus (Conf. Adv. 27: 35.) me expedivit: qui ſtatim mihi dixit, ſibi videri *gemina*, pro *jamina*, parva immutatione facta, eſſe legendum. *geminam* autem, interpretabatur ille *opimam*, *amplam*, & *obeſam.* Idem mihi indicavit Arnobii locum plurimum ad hujus loci intelligentiam conferentem libro tertio, ſic autem ille: *Avet animus, atque ardet in Chalcidicis illis magnis, atque in palatiis cæli, Deos Deaſque conſpicere intectis corporibus atque nudis: ab Jaccho Cererem (Muſa ut prædicat Lucretii) mammoſam, Helleſpontiacum Priapum inter deas virgines atque*

ma-

Simula, σιλωνὴ, ac Satyra eſt: Labioſa, φίλημα.

Cae-

INTERPRETATIO.

ſimis naribus inhoneſta, Silena & Satyra; Labiis vero prominentibus invenuſta Oſculum vocatur.

VARIÆ LECTIONES.

1163. *Labioſa.* labroſa C. E. Q1. λιλᾶζα φιλοίνη. c. λαλᾶζα φιλοίνη O. P. φίλημα. *codd.* P. laloſa Q. labroſa N. Q2. labeoſa Y. Z.

NOTÆ.

matres circumferentem res illas, prœliorum ſemper in expeditione paratas. Idem lib. 5. *Ceres mammis cum grandibus.* eodem lib. paucis poſt: *Mammæ promtæ.* Jam *Ceres ab Jaccho*, id eſt Ceres illa, quam Jacchus amat, vel Ceres amica Jacchi. *ipſa* autem poſitum eſt ad ſignificandam ſimilitudinem hujus puellæ mammoſæ & Cereris. Poſtremo *geminum* idem interdum valere quod *amplum*, vel illud ſatis probat, quod Horatius Od. 14. libr. 2. Geryonem *ter amplum* dicit, quem *tergeminum* Lucretius, Virgil. & alii appellant. Itaque *tergeminos honores* in Oda 1. lib. 1. poſuit Horatius pro ampliſſimis honoribus, ut ego in ſecunda editione Horatiana indicavi, & Turnebus probat: quamquam alii ad numerum honorum & magiſtratuum referunt, fortaſſe minus rectè. Et quoniam illius odæ primæ mentio facta eſt, libet hìc mihi horum verſuum explicationem retractare,

Hunc ſi mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis, &c.

uſque ad illum,

Numquam demoveas, ut trabe Cypria, &c.

Nam hunc locum vulgò ſic explicant, & me cum vulgo ſic memini eum explicare: Numquam demoveas, ſeu dimoveas, etiam ampliſſimis conditionibus de ſuo vitæ degendæ genere, hunc, nempe ambitioſum aliquem, ſi populus Romanus eum ſtudeat ampliſſiſimis honoribus ornare. Illum numquam demoveas, ſi ſit dives arator, & magnam vim frumenti ex agris ſuis percepti & collecti in horreis ſuis condiderit: illum (inquam) gaudentem agros patrios ſurculo findere, &c. numquam igitur his perſuadeas, ut navigare inducat animum. Sed hæc explicatio quadrare non poteſt, neque hanc probant docti viri, in his Joan. Auratus, Petr. Angelius Bargæus, quibus aſſentior. Quamobrem autem non ſit probanda, hæc cauſa eſt. Quid enim mirum ſit, hominem, cui ſit conditio & ſpes explorata obtinendorum ſummorum magiſtratuum, & eum qui habeant in horreis ſuis conditum maximum frumenti numerum, navigandi periculum adire nolle? Sic igitur potius hic locus explicandus ac diſtinguendus eſt: Sunt quos victoria certaminum Olympicorum evehit ad Deos, hoc eſt, Diis proximos & beatiſſimos efficit. adſcribe ad vocem *Deos* comma, hoc modo: Hunc, nempe ambitioſum aliquem, evehit ad Deos, ſi eum populus Romanus certat afficere ſummis honoribus. ut hoc totum, *Si mobilium turba Quiritium Certat hunc tergeminis tollere honoribus*, ſit loco ſuppoſiti, ut Grammatici loquuntur: proinde quaſi ita dicat Horatius, alium facit ſibi beatiſſimum videri, ſtudium & voluntas populi Romani in eum conferendorum ampliſſimorum honorum, aura popularis denique. ſequitur deinde, *Illum ſi proprio, &c.* quæ ſimiliter explicanda ſunt, repetito ἀπὸ κοινȣ̃ verbo *evehit*, hoc modo: illum evehit ad Deos horreum frumenti plenum, quantum eſt in Africa, & intellige, hunc non eſſe aratorem, ſed hominem alioqui locupletem & copioſum, qui habet horrea ſua maxima frumenti copia referta. Jam poſt vocem *areis* ſcribe punctum, ſeu interpunctionis notam. Nam quæ ſequuntur, dividenda ac ſeparanda ſunt à ſuperioribus hoc modo,

Gaudentem patrios, &c.

id eſt, alium autem, qui delectatur agris ſuis, ſibique à patre relictis, eoſque ſua manu libenter arat, numquam vel ampliſſimis conditionibus à ſuo inſtituto demoveas, & adducas, ut naviget. Lamb. Ita Lambinus. Veteres libri: *Lamia.* Vide Indicem. Gifan. Hunc locum laudat Arnobius lib. III. Ceres autem mammoſa

Caetera de genere hoc longum eſt ſi dicere coner.

Sed

INTERPRETATIO.

Alia ejuſdem generis infinita, ſi foret ſat otii, enumerare poſſim:

VARIÆ LECTIONES.

1164. *eſt.* id X.

NOTÆ.

pingebatur; unde & illi ſolenne epithetum, τρoφὸς, & cauſa in promptu eſt. Ceres ab Jaccho, id eſt Ceres ἡ τοῦ Ἰάκχου, quam ſcilicet Jacchus, ſeu Bacchus amavit. *Ipſa* autem comparationem ἀνεμβιβαστικὴν innuit, ita ut ejuſmodi puellam dicas eſſe pæne *ipſammet* Cererem. Per geminam autem intellige corpulentiorem & pleniorem, ut *duplex ficus.* Horat. & *duplex ſpina* Virgil. in Georg. de boni equi ſignis; quod ille à Varrone habuit lib. II. R. R. c. 7. quamquam hoc poſterius aliter intelligi poſſit. Faber. At vero cum Jacchus ab aliis tradatur filius fuiſſe Cereris & frater Proſerpinæ, uti cerni poteſt apud Salmaſium ad Dedicat. ſtatuæ Regillæ pag. 92. hic æque Jacchi mater, quam Bacchi amica intelligi poteſt, quod & epitheton *mammoſa*, ut enixis proprium, ſuadere videtur. Hav.

1163. *Simula, σιλαινὴ, ac Satyra eſt*] Si qua puella ſimis eſt naribus, ſilena, & ſatyra ab amante nominatur. ſileni enim, ſimi & pinguntur & finguntur. Lamb. Quia fere ſimi pingebantur Sileni, Bacchi comites, ut & Satyri. Sileni ſeniores & Satyrorum magiſtri. Vide Caſaubonum in aureolo libello de Satyrica, *&c.* Faber.

1163. *Labioſa, φίλημα*] Quæ eſt labris prominentibus, ea (inquit) φίλημα dicitur, id eſt *oſculum*, ſeu *os ad oſcula factum & compoſitum.* Nam & ſuavius viros oſculantur puellæ labioſæ, quam quæ ſunt brevibus labris: & labioſas oſculari viris dulciſſimum eſt. *labioſa* autem, ſeu *labeoſa*, legendum, ut habent libri manuſcripti. Et verò intereſt inter *labia* & *labra*, ut vult Verrius Flaccus, teſte Soſipatro Cariſio. ſic enim ille libr. 1. *labra* & *labia* indiſtincte dicuntur, &c. Verrius autem Flaccus ſic diſtinguit, *modica eſſe labra, labia immodica, & inde Labiones dici.* Nam & Terent. Eunucho 2: 3: 42.

——— ——— ——— *labiis demiſſis gemens.*

& Plaut. Mil. 2: 1: 15.

Labiis dum ductant eum.

Nonius Marcellus docet etiam *labias* dici genere fœminino, & profert locum illum Plaut. Sticho 5: 4: 41.

Age tibicen, quando bibiſti, refer ad labias tibias.

Cum hæc jam bis edidiſſem, Zoilus κυνώπης meam totius hujus loci reſtitutionem uſquequaque probavit, præterquam in *gemina*, pro quo *Lamia* poſuit: neque profeſſus eſt, quem ſecutûs ſit, aut unde ſumſerit, ſed omnia ſibi more ſuo, id eſt, impudentiſſime atque injuſtiſſime arrogavit. Nam totus hic locus (ut ceteros taceam) ante meam editionem, miſerabilem in modum corruptus ac depravatus erat. Lamb. Inter blanditias erat, *meum oſculum, meum ſuavium*, φίλημα, φιλημάτιον, & labioſæ habent quî oſculentur. Faber.

1164. *Cætera de genere hoc*] Hoc hemiſtichium aliquoties ab eodem uſurpatur, ut ſuprà admonuimus: idque mutuatus eſt Horatius Sat. 13. lib. 1: 14.

Cetera de genere hoc, adeo ſunt multa, loquacem Delaſſare valent Fabium. Lamb.

Cetera de genere hoc *pæne infinita ſunt*, neque illa *attingere coner*; ſed optimi ſcriptoris locum emendabo, qui hodie à nemine intelligitur. Apud Ariſtophanem in Pluto anus quædam eſt facetis ſane & lepidis morata moribus. Ei olim adoleſcens quidam fuerat, formoſus ſane & ſtrenuus, quique res ipſius ex ſententia procurabat. Id quamdiu factum eſt, tamdiu nulla inter eos ſimultas, jurgium nullum, querela fuit nulla. Sed *mala ætas, mala merx*, inquit Comicus; neque libenter vetulam amet qui potiorem conditionem habeat. Itaque amaſius ille bonæ mulierculæ ubi primum habere cœpit unde res conſtabiliret ſuas & ſibi meliuſcule faceret, deſerta miſella animum ſuum alio contulit; quæ res aniculam ita perculit, ut eo dolore amens & plane perdita cœlo terræque ærumnas narraret ſuas, ut in Medea Ennius & Eurip. dixerunt. Ibi autem cum chorum adiiſſet,

inter

Sed tamen eſto jam quantovis oris honore,

Quoi

INTERPRETATIO.

Attamen ſit formoſiſſima,

VARIÆ LECTIONES.

1165. *eſto jam.* extollam quantovis *quidam.*

NOTÆ.

inter ceteras verborum delicias, quibus ad ſe uſum eſſe olim adoleſcentem commemorat, ſe ab illo vocari ſolitam eſſe ait *Nitarium* & *Batium* ℣. 1011.

> Καὶ νὴ Δί', εἰ λυπουμένην γ' αἴσθοιτό με,
> Νιτάριον ἂν καὶ Βάτιον ὑποκορίζεται.
> *Et per Jovem, ſicubi me triſtem cerneret,*
> *Nitarion appellabat, aut Batium ſuum.*

Quæritur itaque quid ſit Nitarium, quid ſit Batium. Alii alia fortaſſe conferent, nos ea, Lector, quæ jam jam leges. Scripſit olim Symmachus, Ariſtophanis Interpres, ideo *Nitarium* vocatam fuiſſe aniculam, quod Nitarus quidam ob mollitiem famoſus fuerit. Sed contra judicium faciet qui amiculæ blandiens, eam aut Bathylli nomine, aut Ganymedis, vocaverit; Quare ridicule Terentianus ille Thraſo fecit, qui coram Thaide auſus ſit dicere, *Ego illum Eunuchum, ſi ſit opus, vel ſobrius.* Alii autem qui eam ſententiam Symmachi probare non poſſent, Nitarium plantæ genus eſſe dixerunt, unde nullus eſſe ſenſus poſſit, niſi, [Me quaſi pro floribus habebat,] rem plane fatuam & imperito magiſtello dignam: θέλει οὖν εἰπεῖν, ὅτι, ὡς ἄνθη εἶχέ με, inquit. Didymus autem ſcribit *Nitarium* & *Batium* eſſe blanda dicta, quibus mulierculas delinibant, ΝΙΤΑΡΙΟΝ ΔΕ ΝΕΟΤΤΙΟΝ, οἱονεὶ κοράσιον. Alii vere σκατοφάγοι homines ajunt βάταλον ſignificare ἕδραν, podicem ſcilicet, atque inde βάταλον vocatam illam mulierem fuiſſe; quod ita ridiculum eſt & ineptum, nihil ut ineptius quidquam fingi queat, ut ne de turpiſſima imagine dicam. Quin & vocem illam ſignificare fatuum ajunt, vel mollem & delicatum, uti *batus piſciculus* eſt (quem tamen eundem eſſe arbitror, qui apud nos *Raya* dicitur, non inter piſciculos habenda.) Denique pumilas mulieres βατύλους dictas fuiſſe ajunt; quod tamen Græci ſermonis ratio non patitur, dicendum enim fuit βατύλας, forma diminutiva à βαιὸς exiguus. Et hæc quidem ab illis ſcripta fuere; Videamus ecquid aliquanto meliora ſint, quæ mihi in mentem. Legendum puto, non Νιτάριον, quod nihili eſt, ſed Νηττάριον, id eſt, *anaticulam*, à νῆσσα; unde ex Dorico ἁ νᾶσσα Latinum *anas* prodiit. Inter ceteras autem amatorculorum blanditias aves locum habebant; idque non apud Græcos & Italos tantum, ſed apud Hebræos ipſos, qui interdum belli homines erant, & columbulas & turtures in eam rem adhibebant. Sed de anaticula locus Plauti in Aſin. ſuffecerit 3: 3: 103.

> *Dic igitur me anaticulam, columbam & catellum,*
> *Hirundinem, monedulam, paſſerculum.*

Βάτιον autem avicula etiam eſt, ea ipſa, opinor, quam *rubellinam* vocamus, aut alia quævis ex earum genere quæ βάτοις ſeu rubetis aut ſpinetis delectantur. Hoc itaque mihi debebit Ariſtophanes, quod, qui locus antea à nemine intelligebatur, nunc planus erit & perſpicuus. Ceterum æquitatis meæ eſſe arbitror agnoſcere Didymum, doctiſſimum illum & laborioſiſſimum Grammaticorum, non aliter olim ſenſiſſe, atque nunc ſentio; ſed ab imperitis compilatoribus locus illius ita corruptus eſt, id ut hodie apparere nequeat. Nam in illis verbis νεόττιον οἱονεὶ κοράσιον, mendum eſt. Pro νεόττιον autem legendum νήττιον quod idem eſt ac νηττάριον ſeu *anaticula.* Locus Scholiaſtæ κατὰ πλάτος ſic habet: Σύμμαχός φησι, Νίταρος πολὺς ἐπὶ μαλακίᾳ ὀνειδιζόμενος ἐν τοῖς ἑξῆς δράμασι καὶ Βάτος. καὶ τὰς μικρὰς δὲ θηλείας, Βατύλους ἔλεγον. καὶ Θεοπόμπου δρᾶμά ἐστι Βατύλη. τινὲς δὲ νιτάριον καὶ βάτιον εἴδη φυτῶν, θέλει οὖν εἰπεῖν ὅτι ὡς ἄνθη με εἶχε. Δίδυμος δὲ φησιν ὑποκορίσματα πρὸς γυναῖκας. νιτάριον δὲ, νεόττιον, οἱονεὶ κοράσιον. ἄλλως. φιλοφρονητικὴ ἡ προσφώνησις. βάταλον δὲ τὴν ἕδραν παρὰ καὶ τὸ βάτιον. τὸ δὲ συνεσταλμένως ἀναγινώσκειν ἀνόητον, ἢ δύνασθαι βάτον ἀντὶ τοῦ τρυφερὸν καὶ μαλακὸν, οἷος ὁ βάτος τὸ ἰχθύδιον. FABER.

1165. *Sed tamen eſto jam*] Id eſt, ſed tamen demus, eam eſſe eximia forma, demus eſſe ve-

Quoi Veneris membris vis omnibus exoriatur:
Nempe aliae quoque ſunt, nempe hac ſine viximus ante;
Nempe eadem facit, & ſcimus facere omnia turpi:
Et miſeram tetris ſe ſuffit odoribus ipſa,
Quam famulae longe fugitant, furtimque cachinnant.

At

INTERPRETATIO.

ex omnibus ſuis membris Amorem jactet, nempe aliæ quoque ſunt formæ non deterioris, nempe olim ſine illa viximus, nempe facit eadem quæ turpis, & ſcimus illam fœda multa & obſcæna facere: Nempe ſe fœtidam & immundam odoribus ſuffire cogitur, & ipſæ famulæ longè illam fugiunt, & furtim cachinnant.

VARIÆ LECTIONES.

1166. *vis.* jus Q1. *exoriatur.* exhortatur Q. X..
1167. *ſunt.* ſint P. Abeſt Q. X. *viximus.* maximus Q. X.
1168. *omnia turpi.* omnia turpis C. P. Qm. X. Y. Z.
1169. *Et miſeram.* Et miſera in N. P. *in not.*
1170. *longè.* longi Y. Z. *fugitant.* fugiant Q. fugiunt X.

NOTÆ.

nuſtiſſimam, atque adeo ipſi Veneri parem: at aliæ ſunt item formoſæ: at ſine hac antea viximus. libri veteres tres habent *eſtolam.* quod lectori indicandum eſſe duxi, ut meminerit, in libris Manuſcrip. ſæpe *l* pro *i*, & *i* pro *l* ſcriptum reperiri. LAMB.

1166. *Quoi Veneris*, &c.] Cujus membra Venerem ipſam & omnes ejus ſuavitates adæquent. FABER.

1167. *Nempe aliæ quoque ſunt, nempe, &c.*] Elegantiſſime ſermonis objurgatorii naturam expreſſit Poëta. Sic apud Plaut. in Rud. a. II. ſ. VII. LA. *Nempe, meæ.* SC. *nempe neſcio iſtuc.* Et mox. LA. *Nempe, puellæ?* SC. *nempe, moleſtus es.* Item in Catalectis veterum Poët. pag. m. 216.

Nempe parum caſta es. nempe es deprenſa. negabis?
Res venit ad lites. rurſus & illa nega.
Dic potius: ſed nempe ſemel, ſed nempe puella,
&c. PREIG.

1168. *Nempe eadem facit, & ſcimus facere omnia turpi*] *Eadem turpi* Græcorum more dixit, ταὐτὰ τῇ αἰσχρᾷ, id eſt, *eadem facit atque ea quæ turpis eſt.* ſic libr. 3: 1051.

——— *eadem aliis ſopitus quiete eſt.* LAMB.

Eadem ac turpis facit. FABER. Eadem facit Turpi, ideſt: *Eadem ac turpis*, Hæc ante oculos Ovidius, cum ſcripſerit Rem. Amor. ℣. 437.

Quid, cui clam latuit reddente, &c. CREECH. Horat. A. P. 467.

Invitum qui ſervat idem facit occidenti HAV.

1169. *Suffit*] Imbuit. ſed magis proprio verbo uſus eſt. quo & ſuprà. LAMB.

1171. *At lacrymans excluſus*] Sic Tibull. lib. 2: 6: 13.

Juravi quoties rediturum ad limina numquam?
Cum bene juravi, pes tamen ipſe venit.

ſic ille apud Terent. Eunuch. 1: 2: 2:

Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem,
Cum arceſſor ultro? &c.

vide quæ annotavimus ad illum locum Epod. Od. 11: 22.

Ad non amicos (heu) *mihi poſteis, &c.* LAMB.

1172. *Operit*] Tibullus 1: 2: 14.

——— ——— *Cum poſti florea ſerta darem.*

non minus ineptit Phedromus Plautinus amator: qui peſſulos irrigat ne inter aperiendum verbum faciant. Adoleſcentulos hoſcine excluſos videre poteris poſti ſupplices oſcula figere: cantilenam illam Plautinam meditari ex Curc. 1: 2: 64. *Suſſilite heus peſſuli ſuſſilite.* PIUS.

1172. *Poſteiſque ſuperbos*] Id eſt, & foreis ſuperbas. *ſuperbas* autem, hoc eſt, ſuperbæ puellæ, ut apud Horat. Od. 14. lib. 2: 26.

——— &

At lacrymans excluſus Amator limina ſaepe
Floribus & Sertis operit, poſteiſque ſuperbos
Unguit Amaracino, & foribus miſer oſcula figit.
Quem ſi jam admiſſum, venientem offenderit aura
Una modo, cauſas abeundi quaerat honeſtas:

Et

INTERPRETATIO.

At Amator excluſus ſæpe floribus & coronis limina lachrymans operit, poſtes ſuperbos pretioſo unguento unguit, & foribus oſcula miſer figit; quem tamen jam admiſſum ſi una modò vel minima res (v. g. fœtor) offenderit, tum ſubitò honeſtas cauſas abeundi quærit,

VARIÆ LECTIONES.

1171. *limina.* lumine Q.
1174. *admiſſum.* miſſum K. Q. X. Y. Z. amiſſum N. immiſſum E. P. viſum V. miſerum Q1. *venientem.* veniens C. E. P. *Creech.* & F. vel venti oſtenderit F.

NOTÆ.

——— ——— ——— ——— *& mero*
Tinguet pavimentum ſuperbum.
id eſt domini ſuperbi. LAMB.

1173. *Unguit amaracino*] Unguit oleo; ſeu potius unguento ex amaraco. *unguit* autem legendum eſt, & ita habent lib. vet. LAMB.

1174. *Quem ſi jam admiſſum*] Oſtendit inconſtantiam & mobilitatem amantium, ubi cum excluſi fuerunt, deſiderio puellæ contabeſcunt: ubi vero intromiſſi ſunt, leviſſima re offenſi diſcedere volunt: & tum reſipiſcunt, tumque ſe ſtultitiæ condemnant, quod mulierculam tanti fecerint. Fortaſſe autem ſignificat, utile, atque adeo ſalutare eſſe amantibus, amicarum ſuarum ingenia, & mores, & victus conſuetudinem, & vitia noſſe: quoniam his cognitis, quantopere deſipuerint, qui talem amarint, intelligunt. cujus rei exemplum eſt notiſſimum apud Terent. Eun. 5: 4: 8. ſic enim Parmeno:

Id vero eſt, quod ego mihi puto palmarium,
Me repperiſſe, quomodo adoleſcentulus
Meretricum ingenia & mores poſſet noſcere:
Mature ut cum cognorit, perpetuo oderit:
Quæ dum foris ſunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compoſitum quidquam, nec magis elegans:
Quæ, cum amatore ſuo cum cenant, ligurriunt.
Harum videre ingluviem (al. *inluviem*) *ſordeis inopiam, &c.*
Noſſe omnia hæc, ſalus eſt adoleſcentulis. LAMB.

1174. *Venientem*] Omnes quidem libri vulgati habent *veniens*: itaque olim in prima editione ſcripſeram, ſecutus libros illos vulgatos. Nunc autem, ut jam in editione ſecunda ſcripſi, *venientem* malo, quomodo habent cod. Bertin. & Memm. & Tett. Hæc enim lectio vera & recta eſt, ut ſit hæc ſententia: amantem jam admiſſum & modo venientem, ſi eum una duntaxat aura offenderit, cauſas abeundi quærere ſpecioſas: tanta inconſtantia eſt, *admiſſum*, *venientem* autem ἀσυνδέτως poſita ſunt, ut infrà ſtatim, *ſubat*, *ardet*. LAMB. Ita libri noſtri, & alii veteres. Vulgati fere: *veniens*. GIFAN. De inconſtantia amatoris. Modo excluſus lacrymis limen & poſtes durioris amiculæ rigabat, modo unguentis illinebat, aut aſperſis floribus ningebat; Deos atque aſtra incuſabat; nihil denique ſe miſerius quidquam deplorabat; tandem tandem reſerata janua eſt, ibi tum homo noſter conſilium ſuum damnat; Vix ſatis ingreſſus eſt, cum jam egreditur, &c.

Quem ſi jam admiſſum venientem offenderit aura
Una modo, cauſas abeundi quærat honeſtas.

Ita vulgo legitur; Sed quomodo tandem ſtare poſſit *venientem* cum *admiſſum*? Itaque tolerabilior aliorum codicum lectio eſt, *veniens aura*, niſi ſi conjectura noſtra probari poteſt,

Quem ſi jam admiſſum vel venti *offenderit aura.*

Id eſt vel leviſſima res, folium, pluma, muſca, &c. FABER *in Emend.*

1174. Quem

Et meditata diu cadat altè ſumpta querela:
Stultitiaeque ibi ſe damnet, tribuiſſe quod illi
Plus videat, quam mortali concedere par eſt.
Nec Veneres noſtras hoc fallit: quo magis ipſae

Omnia

INTERPRETATIO.

obliviſcitur illius querelæ quam diu fuerat meditatus, & qua ſortem ſuam apud Amicam deplorare inſtituerat, & ſeſe damnat ſtultitiæ, quod ſentiat ſe plus illi tribuere quam ulli mortali tribuiſſe par erat. Hoc etiam nugivendulæ iſtæ mulierculæ probe norunt,

VARIÆ LECTIONES.

1176. *cadat.* cadet C. E. P. X. Y. Z.
1177. *Stultitiæque ibi ſe.* Stultitiaque ſibi ſe X.
1178. *concedere.* contendere K.
1179. *magis ipſæ.* magis ipſa E.

NOTÆ.

1174. *Quem ſi jam admiſſum venientem*] Alii *Veniens*, & rectius; Faber conjicit *vel Venti*, id eſt, vel leviſſima res, folium, pluma, Muſca, &c. Creech.

1176. *Alte ſumpta*] Ex alto tracta & a magno receſſu. Simile illud Maronianum Æn. 8: 593.

——— ——— *quid cauſas petis ex alto?*

Tunc apud amicam vocabit inſanum: delirum: vanum: qui adſcripſerit ſibi illa quæ ſatis eſſent ipſi Veneri. qualis eſt illa Propertiana exprobratio. 3: 23: 1.

Falſa eſt iſta tuæ mulier fiducia formæ.
Olim oculis nimium facta ſuperba meis.
Noſter amor taleis tribuit tibi Cynthia laudes:
Verſibus inſignem te pudet eſſe meis.
Miſtam te varia laudavi ſæpe figura.
Ut quod non eſſet eſſe putaret amor. Pius.

1179. *Nec Veneres noſtras hoc fallit*] Id eſt, nec hoc ignorant noſtræ puellæ. nam quos volunt in amore retinere, eos omnia vitæ ſuæ poſtſcenia celant; id eſt, non admittunt eos in eam familiaritatem, ut eis ſuas ſordeis domeſticas, ſuæque vitæ inhoneſtam rationem aperiant. *fallit*, id eſt latet, λανθάνει. Lamb. *Veneres* Amiculas, &c. Faber.

1180. *Vitæ poſtſcenia celant*] Cum in libris Manuſcript. reperiſſem partim *poſtcenia*, partim *poſtcænia*: ego *poſtſcænia*, ſive *poſtſcenia*, littera *ſ* addita, reſtitui. Erat autem *poſtſcenium*, ſeu *poſtſcænium*, locus poſt ſcenam, ubi multa fiebant, quæ à ſpectatoribus audiebantur tantùm, non autem cernebantur: quale erat βροντεῖον apud Græcos: in quo, ut ſcribit Julius Pollux, calculis compluribus in utres conjectis, & illis utribus per aëra verſatis, atque agitatis, tonitru ſimilitudo referebatur. *Proſcenium* autem (ut docet Diomedes) eſt pulpitum & locus ante ſcenam, in quod pulpitum prodibant actores. Itaque *proſcænia vitæ* hic non convenit. Nam per *poſtſcænia vitæ* (ut diximus) ſignificat Lucretius abſconditam & intimam puellarum ſeu meretricum vivendi conſuetudinem, & omnia quæ domi faciunt, cùm ſolæ ſunt: quæ ſuis amantibus occulta eſſe volunt. *proſcænia* autem *vitæ* contrà ſignificarent quidquid puellæ impudicæ, & hujuſmodi mulieres, coram amatoribus ſuis & loquuntur, & faciunt: quod totum eſt fictum & ſimulatum, & ad illiciendos amanteis comparatum: nihilque in eo verum, nihil ſimplex, nihil genuinum. At hæ mulieres fucum, munditiem, luxum, ſplendorem, riſum, blanditias, & reliquum apparatum meretricium habent in promptu poſitum; & ſuis amantibus oſtentant. ſordeis autem ſuas, inopiam, ingluviem, illuviem, immunditiem, maculas corporis, rugas, crineis emtos, & ſimilia, occultant. ſic Ovid. lib. 3. de arte amandi:

Multa viros neſcire decet: pars maxima rerum
Offendet, ſi non interiora tegas.

Idem ibidem:

Quæ

Omnia ſummopere hos vitae poſtſcenia celant,
Quos retinere volunt, adſtrictoſque eſſe in amore:
Nequidquam: Quoniam tu animo tamen omnia poſſis
Protrahere in lucem, atque omneis inquirere riſus.

Et

INTERPRETATIO.

ideoque maximè cavent, ne iſti Amatores quos retinere cupiunt immunditias ſuas obſervent. Fruſtra verò hæc cautio, quoniam Ratione detegere potes atque omnia latibula explorare:

VARIÆ LECTIONES.

1180. *ſummopere.* ſummo opere Y. *poſtſcenia.* proſcenia C. E. N. proſcænia M. *corrig.* P. *in not.* poſtcenia c O. P. X. poſt tema Q. poſtſcenia A. D. poſtcænia Y. Z.
1181. *adſtrictoſque.* adſcriptoſque P. Q. X.
1182. *poſſis.* poſſes P. X. Y. Z.
1183. *inquirere riſus.* Ita c. O. P. Q1. Y. Z. uſus A. C. Q. niſus a. K. viſus Q2. inquirere in uſus E. N. P. *in not.* inquirens uſus C. inquire uſus X. anquirere niſus *Lamb. & qui illum ſequuntur.*

NOTÆ.

Quæ male crinita eſt, cuſtodem in limine ponat,
Orneturque Bonæ ſemper in ore Deæ. LAMB.

Vitæ poſtſcænia celant. Ita Lambinus; egregie. In veteribus libris: *poſtcenia*, & *poſttenia*. Marullus, & Vulgati; *proſcænia*; peſſime. GIFAN. *Vitæ poſtſcenia*, Metaphora à theatro. De hac mulierculārum cautione vide Ovid. de Remed. FABER.

1183. *Anquirere niſus*] Secutus olim fueram codices vulgatos, *anquirere in uſus*, niſi quod illi habent *inquirere. anquirere* autem ſeu *inquirere in omneis uſus*, ſic interpretabar, *inquirere omnia meretricum facta ſcilicet in uſus tuos:* plane duriuſculè. Itaque admonueram lectorem libros ſcriptos habere *omneis anquirere*, ſeu *inquirere riſus.* Per *riſus* autem, ſi hæc lectio recta eſſet, ſignificaret Lucretius fallacias meretricum, quibus illudunt ſuos amatores: ſententia huic loco conveniente, ſed quæ non ſatis ex verbis poſſe elici videatur. Nam per *riſus* ſignificarentur potiùs deriſiones & ludibria. Quare harum lectionum nunc mihi neutra placet. Venit poſtea mihi in mentem hæc tertia,

——— ——— *omneis inquirere luſus:*

ut per *luſus* meretricum fallacias, quibus ſuos auctores illudunt, intelligamus. Sed ne hæc quidem mihi ſatis poſtea probata eſt, quia & aliquanto remotior ſit à ſcriptura vel recepta, vel antiqua: & minus cum antecedentibus aut conſequentibus cohærere videatur. Cum me tandem in omneis parteis cogitando vertiſſem, exiſtimavi, aptiſſimè legi poſſe,

——— ——— *omneis anquirere niſus:*

ut per *niſus* ſignificet Lucretius ſtudia, quæ adhibent puellæ illæ ad arteis ac fallacias ſuas occultandas, ceteraque ſua vitia tegenda. Quæ ſententia cohæret aptiſſimè & cum illis ſuperioribus,

Omnia ſummopere hos vitæ poſtſcenia celant, &c.

& cum iis quæ ſequuntur,

Prætermittet te humanis concedere rebus.

id eſt, non admodum ſtudebit, aut nitetur te ſua mala & vitia celare. Cùm hæc paullo poſt ſecundam editionem excogitaſſem, cujus rei teſtes ſunt mihi viri doctiſſimi & ampliſſimi: cognovi, idem cuidam malè de me merito veniſſe in mentem: ſi credibile eſt hoc eveniſſe, & non ab altero excogitatum, iſtum ſibi aſſumſiſſe. Uſus eſt eodem nomine & libr. 5: 912.

Trans maria alta pedum niſus ut ponere poſſet.

LAMB. Sic reſtitui. In veteribus libris: *riſus.* R. pro N. ut ſupra eodem hoc libro ℣. 217. &c. Vel etiam: *uſus.* Vide Indicem: *Niſus.* Vulgati: *in uſus.* GIFAN. Imo *viſus* inquirere jubet num veri ſint, num ficti. HAV.

1184. *Et ſi bello*, &c.] Horum verſuum hæc ſententia eſt: Quin etiam, niſi plane difficilis eſt & Moroſa, ſatis multa apud illam videbis, quæ efficient ut magno niſu opus non ſit ad deprehendenda Corporis vitia; ſed ea ſinet ut pervi-

Cc deas,

Et ſi bello animo eſt, & non odioſa viciſſim
Praetermittere humanis concedere rebus
Nec mulier ſemper ficto ſuſpirat amore:
Quae complexa viri corpus cum corpore jungit.
Et tenet adſuctis humectans oſcula labris.
Nam facit ex animo ſaepe, & communia quaerens

Gau-

INTERPRETATIO.

Imo ipſæ ſi ingenuæ ſint indolis, & non abſurde ſuſpicaces & moroſæ, vitia iſta quæ humana poſtulat conditio non magnopere celabunt. Nec ſemper ficto Amore ſuſpirat Mulier, quæ complexa jungit Corpus cum Viri corpore, & tenet humectans oſcula adſuctis labris, Nam ſæpe facit ex animo, & quærens communem

VARIÆ LECTIONES.

1185. *Prætermittere.* Ita Q. V. X. Y. Z. Prætermittite P. *corrig.* Prætermittit te. prætermitteret humanis Q1. *Alii* prætermittet te.
1186. *ficto ſuſpirat amore.* fictos ſuſp. amores *Broukh. ad Tibull.* 1: 7: 41.
1188. *adſuctis.* adſuetis C. E. P. Q. X.
1189. *Nam.* Non Q. X.

NOTÆ.

deas, ſperans te non ita illis offenſum iri, quippe quæ non unius mulieris propria ſint, ſed communia omnium. Faber & Creech.

1184. *Prætermittet te humanis concedere*] Id eſt, ſinet te ignoſcere incommodis humanis, id eſt, non admodum in eo laborabit, ut te celet ſua incommoda ac mala: ſed ea te ſinet cernere, ſperans fore, ut ea æquo animo feras, tamquam humana, & hominibus uſitata: hic verſus, & ejus explicatio, declarant, ſuprà legendum eſſe *anquirere niſus.* Lamb. *Prætermittet* autem ut ſupra ỳ. 1145.

Et prætermittas *animi vitia omnia primum.* Creech. MSS. lectionem potus ſecuti ſumus, ſi illa (inquit) non odioſa eſt prætermittere, id eſt, facile prætermittat. Hav.

1186. *Nec mulier ſemper*] Neque vero mulier (inquit) ſemper ſe amare ſimulat, ſed interdum ipſa quoque amat ex animo. Cujus rei exemplum capere licet ex Silenio puella Plautina, quæ ex animo Alceſimarchum amat. Sic autem de ea altera meretrix, Gymnaſium,

—— —— *hoc ſis vide, ut petivit*
Suſpirium alte? & pallidula es, &c.

quæ petita ex auctore, in Ciſtellaria, non longè à principio 1:1:58. Lamb. De Meretriculis, quæ tantùm propter quæſtum faciunt, & prohibent conceptum, ſatis: Jam dicturus cur Liberi ſint modò Patribus, modò Matribus, modò utrique Parenti ſimiles, aliquando verò Avos & Proavos referant, præmittit ỳ. 17. quibus docet quaſdam fœminas ex Animo facere, propter voluptatem quam non minus quàm Mares percipiunt. Communia enim ſunt Veneris gaudia, quod Brutorum Animalium conjunctiones abundè probant. Creech.

1188. *Adſuctis humectans*] Ita veteres libri. Vulgati: *adſuetis*, mendoſe. Gifan. *Adſuctis humectans oſcula labris*, Sic legendum, non *aſſuetis*, ut eſt in libris vulgatis. Eſt autem *adſuctis*, participium à verbo *adſugo.* Mirè verò expreſſit amantium oſculantium nequitias improbulas: qui labra labris affigentes alter ex alterius labris humorem ſugunt, quaſique animas alter alterius hauriunt. hæc autem oſcula dicuntur à poëtis *humida*; alia verò *ſicca.* Hic locus ita in duabus ſuperioribus meis editionibus reſtitutus eſt: eamque reſtitutionem ſecutus eſt Zoilus, quaſi ſuam, inſtituto ſuo. Lamb.

1189. *Nam facit ex animo ſæpe*] Id eſt, nam ſæpe *facit* illa omnia quæ dixi, *ex animo*, nihilque ſimulans: vel dic, *facit ex animo*, id eſt amat ex animo. Lamb.

1189. *Communia quærens Gaudia*] Et Quærens communem cum viro voluptatem, ſtudet rem Veneream perficere. Lamb.

1190. *Spa-*

Gaudia, ſollicitat ſpatium decurrere amoris:
Nec ratione alia Volucres, Armenta, Feraeque,
Et Pecudes, & Equae maribus ſubſidere poſſent,
Si non, ipſa quod illorum ſubat ardet abundans
Natura, & venerem ſalientum laeta retractat.
Nonne vides etiam, quos mutua ſaepe voluptas

Vin-

INTERPRETATIO.

cum Viro voluptatem ardet rem veneream perficere; Nec profectò Volucres, Armenta, Feræ, Pecudes & Equæ Marium in venerem ruentium impetus tolerarent, niſi illarum etiam Libido ardeſceret, & non minus quam ſalientes Mares voluptate fruerentur. Nonne etiam ſæpe obſervas ut illi in vinculis

VARIÆ LECTIONES.

1193. *ſubat.* ſubito ardet E. M. N. P.
1194. *ſalientum.* fallentem Q. fallentum X. Y. *retractat.* læta retractant A. B. C. D. E. *Gaſſ.* N. X. Y. nectere tractat c. O. P.
1195. *etiam, quos.* ſubitò quos C. E. etiam c.

NOTÆ.

1190. *Spatium amoris*] Honeſte intelligit finem coitus: quem tunc deſcripſit Ovidius, cum inquit.

Ad metam properate ſimul. tunc plena voluptas
Cum pariter victi fœmina virque jacent. PIUS.

Eleganti & honeſta tranſlatione ſignificavit, mulierem interdum etiam amare ex animo, & corpus ſuum cum viri corpore commiſcentem ipſam quoque communia ex re Venerea gaudia percipere properare. eſt autem tralatio ducta à ſtadiis in quibus curritur, ut notavimus ſuprà ad illum locum,

——— ——— *decurſo lumine vitæ,*

lib. 3: 1055. ubi tamen legendum fortaſſe eſt *limite vitæ.* LAMB.

1192. *Subſidere*] ſuccumbere. LAMB.

1193. *Subat, ardet abundans*] Sic reperi ſcriptum in libris Manuſcriptis, pro quo vulgati habent *ſubito ardet*, mendoſè. dicuntur autem *ſubare* quadrupedes fæminæ, cùm libidine flagrantes marem appetunt, & maximè ſues: Feſtus: *Suillum genus, inviſum Veneri prodiderunt poëtæ, ob interfectum ab apro Adonim, quem Dea illa diligebat: quidam autem, quod immundiſſimi ſint ſues ex omni manſueto pecore, & ardentiſſimæ libidinis: ita ut opprobrium mulieribus inde tractum ſit, cum ſubare & ſubire dicuntur.* Auctor vocabularii Latino-Græci Manuſcr. *Subat*, inquit, ὀργᾷ. ὀργᾷν autem eſt *complexum maris aut fæminæ appetere.* utitur hoc verbo Horat. Epiſt. 12: 11.

——— ——— ——— *jamque ſubando*
Tenta, cubilia tectaque rumpis.

quod ſi cui pervicaci magis placebit ſcriptura vulgata, *ſubito ardet*, equidem cum eo non pugnabo. Sed quamobrem antiquam rejiciamus, cauſam non video. dictum eſt autem *ſubat, ardet*, ἀζωδέτως. quale illud apud Hom. Ιλ. λ. 119.

——— ——— Σπεύδων, ἱδρώουσα,

id eſt, *properans, ſudans.* & alia ſexcenta. LAMB. Alii: *ſubit.* In Vulgatis: *ſubito.* Quod Marullus commentus erat. GIFAN. Subat, atque ardet: Alii *ſubito ardet: Subare* autem quadrupedes Fœminæ dicuntur, cùm libidine flagrantes Marem appetunt, & maximè ſues. *Feſtus.* CREECH.

1194. *Et Venerem ſalientum læta retractat*] Si legemus *retractant*, ſubintelligetur pronomen *illa*, nempe *animalia*, hoc modo: & animalia illa de genere fæminarum, Venerem marium ſalientium atque irruentium, læta viciſſim & pro ſua parte tractant, id eſt, maribus in Venerem ruentibus pariter & mutuò reſpondent: una cum maribus voluptatem rei Venereæ tractant. ſin *retractat*, quo modo hîc edi juſſi, ſubintelligemus *natura illorum animalium.* utitur autem eodem loquendi genere infr. eod. lib. 1265.

Vinxit, ut in vinclis communibus excrucientur?
In triviis non ſaepe Canes diſcedere aventeis,
Divorſi cupidè ſummis ex viribus tendunt,
Quom interea validis Veneris compagibus haerent?
Quod facerent numquam, niſi mutua gaudia noſſent:

Quae

INTERPRETATIO.

communibus cruciantur quos mutua voluptas vinxit? Ut quum Canes in Triviis aventes diſcedere ſummis viribus diverſi cupide tendunt, cum interea hæreant validis Veneris compagibus adſtricti? Quod tamen nunquam facerent, niſi noviſſent mutua gaudia,

VARIÆ LECTIONES.

1196. *vinclis.* vitiis K. irus Qm. *excrucientur.* exſtruentur Q.
1197. *non ſæpe.* quum ſæpe A. B. *Creech.* P. Q1. X. Y. quin ſæpe E. N.
1198. Deeſt P. X. ut & Q. Y. Z. ſed ibidem reperitur poſt verſum 1205.
1199. *Cum.* deeſt P.

NOTÆ.

Clunibus ipſa viri Venerem ſi læta retractet. Lamb. *Salientum*, Quidam MSS. *fallentum*, quod ſuo ſenſu & acumine non caret, puto tamen natam lectionem inde quod ſæpe in MSS. ita longa invenitur litera *i* quaſi pro *l* ſit accipienda, ut ſæpiſſime vidi in *L. B.* Haverc.

1196. *Ut in vinclis*] Fortaſſe legendum *uti vinclis, &c.* Lamb.

1197. *In triviis non ſæpe Canes*] Secutus ſum olim lib. vulgatos in quibus eſt, *quin ſæpe Canes.* Nam in Manuſcript. ſcriptum eſt, *In triviis cum ſæpe Canes*, &c. in quibuſdam, *In triviis con ſæpe*: unde nunc facio, *non ſæpe Canes, &c.* hac ſententia: Nonne ſæpe canes in triviis diſcedere cupientes, diverſi, hoc eſt in diverſas parteis, ſummis viribus contendunt? quæ ſcriptura recta eſt. nam & *quin*, quod habent lib. vulg. rejiciendum: & *cùm*, ſeu *quom*, propter alterum *cùm*, quod proxime ſequitur ferri non poteſt. Jam quod ad hujus loci emendandi rationem attinet: ſæpe jam admonui, *con* ex *non*; & contrà, *non* ex *con* à librariis illis factum eſſe. Lamb. *In triviis quum*, Ita veteres libri; recte. Eſt enim exemplum verſuum illorum: *Nonne vides, &c.* Vulgati: *quin*; male. Gifan. Meliùs cum Gifanio, *In Triviis quum.* Creech.

1199. *Compagibus*] Vinculis, nodis, copulis. Lamb.

1201. *Quæ lacere*] Sic repoſui, ſola veritate fretus, ſic ſuprà: 1139.

Nam vitare plagas in amoris ne laciamur, &c. hujus quoque loci reſtitutionem diſſimulans ſequitur Zoilus, ita ut ſit hoc perpetuum in iſto, ϗ τὸ ῥ Φωκυλίδȣ. Lamb. Veteres libri; & Vulgati: *Quæ jacere.* Gifan.

1203. *Et commiſcendo cum ſemen*] Nunc quærere incipit, quamobrem filii patribus ac matribus ſimiles ſint, aut diſſimiles. *commiſcendo* autem, id eſt, inter commiſcendum. ſeu in commiſtione viri & fœminæ. qua de re plura Lactantius libro de opif. Dei. Lamb. Scio locum hunc à quodam tentatum eſſe, ſed nil neceſſe fuit. Faber. Cum Semina inter ſe permiſta coaleſcant, ſi Virile ſuperaverit, Patri ſimilis provenit ſive Mas, ſive Fœmina; Si Muliebre prævaluerit, progenies cujuſque Sexus ad imaginem maternam reſpondet. Hincque plerumque fieri ſolet, ut unius tantum lineamenta prætendant: ſi vero æqua fuerit ex pari Semine permiſtio, figuræ quoque miſcentur, ut Soboles illa communis aut neutrum referre videatur, quia totum ex altero non habet; aut utrumque quia partem de ſingulis mutuata eſt: Quod autem Nati Avos aut Proavos aliquando referant, id fit, quia Semen contexitur e Moleculis pluribus, quæ non ſemper exſolutæ omnes ad Atomos uſque, nec proximè ipſas in generatione prima proximave aliqua, ſeſe deinceps in aliqua conſequentium ſic explicant, ut quod potuiſſent in proxima id agant ſolum in remota. Hæc: ꝟ. 24. Salmaſius

Ep.

Quae lacere in fraudem poſſent, vinctoſque tenere.
Quare etiam atque etiam (ut dico) eſt communis voluptas.
Et commiſcendo quom Semine, fortè virile
Foemina vi mulxit ſubita, vi conripuitque;
Tum ſimiles Matrum materno ſemine fiunt:

Ut

INTERPRETATIO.

quæ illos in fraudem induere, & vinctos retinere valeant. Non eſt dubitandum igitur, quin (ut modo dixi) Voluptas ſit mutua & communis tam Fœminæ quam Mari. Et cum inter commiſcendum Fœmina forte vi ſubita attraxit Semen virile, & illud corripuit, tum liberi materno Semine prævalente orti fiunt ſimiles matribus,

VARIÆ LECTIONES.

1201. *lacere.* jacere C. E. N. P. Qm. X. Z.

1203. *Semine forte virile.* Semina, forte virilem V. ſemine forte virilli Y. cum ſemine forte virilli X. ſemine K. *Salm. Wall.* virilis *Salm.* vir illi *Wall.* virili P. *in not. tamen* P. *corrig.* virile. Semen forte ſemino Q. ſemen forte ſemine Qm. & *adſcrib.* forte vir illi, quo in ſemine forte virili Z. *ſed pro* quo *ſuperſcribitur* cum.

1204. *Fœmina commulxit.* Fæmineum mulſit C. E. P. Fæmina inmulſit A. B. X. vi mulcet K. vi mulcit Z. vim vicit V. *Salm.* inſerit 1197. P.

NOTÆ.

Ep. 51. legit

Et commiſcendo cum ſemine, *forte virilis*
Fœmina vim vicit, *ſubita vi corripuitque.*

CREECH. Turnebi (vide Notam ſequentem) conjecturam, etiam non inſpectam, ultro eram ſecutus, & porro ſequor. HAV.

1204. *Fæmina commulxit ſubita, vi conripuitque*] Cùm ſecutus eſſem initiò, hoc eſt in prima editione, omni ex parte libros vulgatos, niſi quod *mulxit.* non, ut illi habent, *mulſit*, excudendum curaram, in hoc uno ſcripturæ veteris auctoritatem non aſpernatus, (quæ ſcriptura talis eſt,

Et commiſcendo cum ſemine forte virile
Fæmina vi mulcit ſubita vi, &c.)

quod ex *mulcit*, feceram *mulxit* (nam *mulcit* ſcriptum putabam, & etiam nunc puto, pro *mulcſit.* c ſ enim ſæpe ſcribebatur à librariis illis pro *x*) in ceteris autem ſcripturam veterem, ut depravatam, rejeciſſem: de toto hoc loco ita ſenſeram, itaque ſcripſeram, & vero his ipſis verbis uſus. Si quis tamen veteris ſcripturæ rationem habendam putabit, quemadmodum mihi maximè videtur: ſic aliqua poterit haberi, ut hoc modo legamus:

Et commiſcendo cum ſemen forte virile
Fæmina commulxit ſubita vi, conripuitque;

vel hoc modo,

Et commiſcendo cum ſemen forte virile
Fæminei mulxit ſubito vis, conripuitque, &c.

quæ lectio omnium planiſſima eſt, & fortaſſe vera. Adrian. Turnebus autem multò ſeveriùs ac religioſius veterem ſcripturam retinet, hoc modo:

Et commiſcendo cum ſemine, forte virile
Fæmina vi mulxit ſubita, vi conripuitque.

Venio nunc ad receptam, eam dico, quam ſecutus ſum, quamvis non admodum probem: quæ talis eſt,

Et commiſcendo cum ſemen forte virile
Fæmineum mulxit ſubita vi, corripuitque, &c.

quam ſic explico: Cùm in commiſcendo, atque in concubitu, ſeu complexu maris & fæminæ, ſemen fæminæ vi quadam ſubita *mulxit*, id eſt, attraxit, & corripuit ſemen virile (quod non ſemper accidit: icirco addidit *forte.* nam ſæpe ſemen virile effluit ex locis muliebribus, neque mulgetur, aut rapitur à matrice:) tum igitur ex

 ma-

Ut Patribus patrio: ſed quos utriuſque figurae
Eſſe vides juxtim, miſcenteis volta Parentum:
Corpore de Patrio, & Materno ſanguine creſcunt,
Semina quom Veneris ſtimulis excita per artus
Obvia conflixit conſpirans mutuus ardor:
Et neque utrum ſuperavit eorum, nec ſuperatum eſt.

Et

INTERPRETATIO.

Ut patrio Semine prævalente orti fiunt Patribus ſimiles, ſed quos utriuſque Parentis vultum pariter referre vides, naſcuntur tam de Matris quam Patris ſemine, cum mutuus ardor conſpirans commiſit obvia ſemina Veneris ſtimulis per artus excita, & neutrum ſuperavit alterum.

VARIÆ LECTIONES.

1207. *juxtim.* miſtim E. N. P. Q. X. *volta.* multa P. Q.
1211. *neque utrum.* nequutrum *vel* nec utrum K. pro *neutrum.*

NOTÆ.

materno quidem ſemine fiunt filii matrum ſimiles; ex paterno autem, patrum. Hæc mihi videtur eſſe hujus loci ſententia. ego tamen malim legi,

Fœminei mulxit ſubito vis, &c.

ut ſit *vis fœminei ſeminis.* Hæc igitur tum mea fuit ſententia, ſeu potius opinio quædam probabilis, taliſque hujus loci explicatio. In ſecunda editione ſic ſcripſi, ut fere eſt in veteribus lib.

Fœmina commulxit ſubita vi, conripuitque.

eandemque hîc quoque retineo: cujus ſententia ita aperta eſt, ut declaratione non egeat. Sed quod Lucret. hîc *maternum ſemen* appellat, Ariſtot. lib. de ortu animalium, negat fœminas in re Venerea ſemen ullum mittere: cujus ſententiam improbant ac refellunt medici. Jam quod ad ſimilitudinem ac diſſimilitudinem filiorum attinet, medici item ajunt, ſi ſemen paternum ſit potentius ac dominantius & ſemine materno, & ſanguine menſtruo, tum filios & animo & corpore patri eſſe ſimileis: ſin ab utroque ſuperetur, tum eos & ingenio, & figura corporis ad matrum ſimilitudinem propius accedere. Lambin. *Cum ſemen forte virile Fœmina immulſit, ſubita vi conripuitque.* Ita ex veteribus, qui habebant: *Fœmina vi mulcit.* Vulgati: *Fœmineum mulſit.* Imo in antiquis: *Fœmina inmulcit.* Gifan.

1206. *Ut Patribus patrio*] Sic omnes quidem habent libri tum Manuſcr. tum excuſi: ſed videtur legendum *Ut Patrum patrio.* nam conſuetudo Latini ſermonis poſtulat, ut verba ſic conſtruantur: tum ſimiles matrum filii fiunt, ſemine materno ſcilicet dominante, vel materiæ locum obtinente, ut fiunt ſimiles patrum, patrio ſemine. nam particulæ copulantes & disjungentes copulant & disjungunt ſimileis caſus. Lamb.

1207. *Eſſe vides juxtim*] Sic legi debet, & ita habent quinque lib. Manuſcr. *juxtim* autem pro *juxta*, id eſt, ſimiliter, æqualiter, pariter. Salluſt. bello Jugurth. *Hiemem atque æſtatem juxta pati.* Plaut. Aulul. 4: 7: 1.

Dixi tibi mater: juxta mecum rem tenes.

Idem Trin. 3: 1: 24.

Juxtaque eam curo cum mea. Lamb.

Juxtim. Ita veteres plerique. Alii: *miſtim.* Gifan.

1207. *Miſcenteis volta Parentum*] Sic habent libri Manuſcript. atque hanc ſcripturam agnoſcit Nonius in voce *vultus*, ubi hunc verſum profert cum ſuperiore, ut probet, uſitatum eſſe veteribus *vultus, us*, & *vultum, i. miſcenteis vulta* autem, ſeu *vultus parentum*, id eſt, ſimilitudinem utriuſque parentis promiſcuè & æqualiter referenteis. Lamb. *Volta*, pro *voltus.* Sic veteres, & jam, ni fallor, alibi Lucretius uſurpavit. Faber & Voss. Anal. 1. pag. 161.

1208. *Et*

Fit quoque, ut interdum ſimiles exſiſtere Avorum
Poſſint, & referant Proavorum ſaepe figuras,
Propterea, quia multa modis primordia multis
Miſta ſuo celant in corpore ſaepe Parentes,
Quae Patribus Patres tradunt à ſtirpe profecta.
Inde Venus varia producit ſorte figuras:

Ma-

INTERPRETATIO.

Fit etiam ut aliquando Liberi ſint ſimiles Avis, aut vultus Proavorum referant, quoniam Parentes ſæpe celant in ſuo corpore multa Semina, quæ a ſtirpe profecta Patres tradunt patribus: Ex iis vero Seminibus varias & differentes figuras, prout ipſa Seminum natura poſtulat, producit Venus,

VARIÆ LECTIONES.

1214. *multa modis.* multimodis C. D. E. N. P. Qm. X. Y. Z.
1217. *varia.* variè N. Q. X. varias Z. *ſed a ſ. manu.*

NOTÆ.

1208. *Et Materno ſanguine*] Ex hoc loco poſſit videri, Lucretio nihil intereſſe inter ſanguinem menſtruum, & ſemen maternum (quod nullum eſſe negat Ariſtot.) cum tamen hæc plurimum inter ſe differant. ſed dicamus, *maternum ſanguinem* hîc intelligendum ſemen. nihil enim aliud eſt ſemen hominis, quàm ſanguis optimus, & concoctus, & ad gignendum aptus. *σπέρμα* nominant Græci. ſanguinem menſtruum autem, *καταμήνια* iidem appellant. Lamb.

1210. *Conflixit*] ἐνεργητικῶς accipiendum, quaſi commiſit, colliſit. Lamb.

1211. *Et neque utrum*] Sic habent libri ſcripti: vulgati autem, *Et neutrum.* ſed nihil refert. Lamb. Ita veteres libri. Vulgati: *neutrum.* Forte etiam: *ne utrum.* Gifan.

1212. *Exſiſtere Avorum,* &c.] Neque facie tenus, ſed & mente. Suet. in Nerone cap. I. *Plures e familia cognoſci referre arbitror, quo facilius appareat ita degeneraſſe a ſuorum virtutibus Nero, ut tamen vitia cujuſque quaſi tradita & ingenita retulerit.* Hav.

1214. *Propterea, quia multa modis*] Sic legendum, non *multimodis.* Lamb.

1216. *Quæ Patribus Patres tradunt*] Quæ Patres tradunt filiis ſuis, qui ſuſceptis liberis patres ſunt. Lamb.

1217. *Inde Venus varia producit ſorte figuras*] Secutus ſum cod. Bertinian. cum quo congruunt Parienſ. & Veneti antiq. & Lugdunenſes alteri. Nam Vaticanus habet

Inde Venus varie producit ſæpe figuras,

cum quo congruunt Florentini. alii partim,

Inde Venus variæ producit ſorte figuras:

partim,

Inde Venus varie producit ſorte figuras.

fortaſſe legendum,

—— *Varias producit ſæpe figuras.*

neque tamen eam ſcripturam, quam ſecutus ſum, rejiciendam cenſeo. Lamb. *Varia.* Ita quidam libri. Quidam: *varie.* & quidam: *forte. Sæpe* quidam. *varie, forte.* Gifan.

1219. *Quandoquidem nihilo minus*] Hoc referendum eſt ad illud quod proximè dixerat, Venerem ſæpe referre non ſolum vultus, verum etiam voces & comas majorum. quod quia mirum alicui videri poterat, ſubjiciens rationem, quandoquidem (inquit) hæc, nempe comæ & voces, nihilo minus conſtant de ſemine certo, quàm oris forma, & totius corporis habitus & figura. quin ſit autem legendum *nihilo minus*, etiam reclamantibus libris omnibus, neminem puto dubitaturum. Nam ſi *nihilo magis* legeretur, diceret Lucretius, res aliquas incerto ſemine naſci: quod pugnat vel cum Epicuri decretis, ſi

ſemen

Majorumque refert voltus, voceſque, comaſque.
Quandoquidem nihilo minùs haec de ſemine certo
Fiunt, quam Facies, & Corpora, Membraque nobis.
Et Muliebre oritur patrio de ſemine ſaeclum:
Maternoque mares exſiſtunt corpore creti.
Semper enim partus duplici de ſemine conſtat:
Atque, utri ſimile eſt magis id, quodcumque creatur,
Ejus habet plus parte aequa, quod cernere poſſis,

Sive

INTERPRETATIO.

exprimitque Avorum & Proavorum Vultum, Vocem, aut Comam, illa enim omnia fiunt e certo Semine non minus quam Facies, Corpora, & quælibet membra Corporis. Fœminæ autem partim e Patris ſemine, & Mares partim e Matris ſemine naſcuntur; Omnis enim partus fit e ſemine utriuſque Parentis: Utri vero Parenti partus ſit magis ſimilis, Illius Seminis habet majorem partem, quod videre licet,

VARIÆ LECTIONES.

1219. *minus hæc.* magis hæc A. B. C. E. N. P. Q. X. Y. Z.
1221. *ſemine ſæclum.* ſemine ſemen *Gaſſ.*
1224. *utri ſimile eſt.* veriſimile eſt P. Q. X. viri ſimile Q1. *creatur.* creator N. X. Y.
1225. *quod.* quæ C.

NOTÆ.

ſemen pro primis corporibus accipiamus: vel cum ipſius Lucretii verbis, ſi ſemen patrium & maternum intelligamus. *Nihilo magis* enim vim habet negandi: ut *nihilo minus* affirmandi. Lamb. *Nihilo magis hæc*, Sic omnes libri. Fortè legendum: *minus.* Atque ita variatum etiam ſupra. Lib. II. ℣. 533. Gifan.

1221. *Sæclum*] Genus. Lamb.

1223. *Semper enim partus duplici de*] Duplici de ſemine, nempe patrio & materno. *partum* uſurpavit pro eo *quod paritur*, ut lib. 2. Lamb.

1223. *Duplici de corpore*] Quoniam Semen per membra atque artus decedit Corpore toto lib. 4. ℣. 1036. Creech.

1225. *Plus parte æqua*] Plus æquali parte: id eſt, habet plus ejus cui magis ſimilis eſt, quàm ejus cui minus ſimilis eſt. Lamb.

1225. *Quod cernere poſſis*] Alii libri habent, *quæ cernere poſſis*: quam lectionem non probo. Lamb.

1226. *Sive Virûm ſuboles, &c.*] Sic legendum, & ita habent libri Manuſcr. & ita ſcriptum reperi in vocabulario Manuſcr. Claudii Puteani, hac interpretatione ſubjecta: *Suboles*, ἐπιγονὴ, γενεὰ, γονή. denique hanc ſcripturam agnoſcit Feſtus in voce *ſuboles*, his verbis: *Suboles ab oleſcendo, id eſt creſcendo, ut adoleſcentes quoque & adulti, & indoles dicitur.* Lucret. lib. 4: 1226.

Sive virûm ſuboles, &c.

Virg. Ecl. 4: 49.

Cara Deûm ſuboles, magnum Jovis incrementum.

Qui autem dicunt, contra rationem, & veterum Grammaticorum, librorumque Manuſcript. auctoritatem, receptam conſuetudinem hujus vocis ſcribendæ per *o* in prima ſyllaba, eſſe retinendam, & hoc uſui dandum: aut videant, ne, dum in hac voce corruptæ conſuetudini indulgent, idem facere cogantur in multis aliis: aut mihi, cur tam inconſtanter in aliis vocabulis vitioſam ſcribendi conſuetudinem, quantumvis receptam damnent & corrigant, in uno atque altero ferendam cenſeant, cauſam, niſi eis moleſtum eſt, afferant, rationemque exponant. Etiam hujus loci reſtitutionem diſſimulanter ſecutus

Sive Virum ſuboles, ſive eſt Muliebris origo.
Nec divina ſatum genitalem Numina quoiquam
Abſterrent, pater à natis ne dulcibus unquam
Adpelletur, & ut ſterili Venere exigat aevom;
Quod plerique putant: & multo ſanguine moeſti
Conſpergunt aras, adolentque altaria donis,
Ut gravidas reddant uxores ſemine largo:
Nequidquam Divôm numen, ſorteiſque fatigant.

Nam

INTERPRETATIO.

ſive Mas, ſive Fœmina ſit partus. Neque Dei unquam efficiunt, ut aliquis ſuam operam Veneri fruſtra det, & nunquam a natis dulcibus Pater appelletur, quod tamen illos efficere multi putant; ideoque multa immolant ſacrificia, multiſque donis aras cumulant, ut largo ſemine injecto gravidas uxores ſuas reddant: Nequicquam verò Hi ſtupidi Deos & Oracula ſollicitant,

VARIÆ LECTIONES.

1227. *quoiquam.* quenquam P. quicquam X.

1228. *Abſterrent.* Abſtergent A. B. D. abſtereret Q1. *pater à natis.* præter agnatis X. Y. præter ac natis Z. *& a ſ. m.* præterea. *ne dulcibus.* & dulcibus *Gaſſ.* gnatis nec dulcibus Q1. ſed totus verſus abeſt a Q.

1230. *plerique.* plerumque P. V. X. Y. Z. *multo.* multas c. O. P. Q. X. *priſca tamen exempl. Pii.* multo.

1232. *Ut.* At. N.

NOTÆ.

cutus eſt Zoilus, cum ego princeps ita reſtituerim in Lucretio & Horatio, ubi antea legebatur *ſoboles.* LAMB.

1226. *Origo.* Sexus. FABER.

1227. *Nec divina ſatum*] Conſtat ſibi Lucretius. Nam hominis erat de natura rerum ſe dicturum ſeu ſcripturum profitentis, maximè ejus qui Epicurum ſequeretur, omnium rerum cauſas afferre atque explicare, nihilque ad Deos referre. LAMB. Contra illos qui ſterilitatem mulieri aut viro à Diis immitti putabant. FABER. Cauſæ ſterilitatis quas attulit ex temperie Seminis, ỳ. 31. probæ quidem & veræ: quas e motibus nequioribus ỳ. 15. illæ non abſurdæ, ſed parum pudicæ: a Diis autem Viro vel fœminæ ſterilitatem immitti negat, neque id mirum ſi e thalamis excludat iſtos Deos, quos in intermundiis collocavit. CREECH.

1228. *Abſtergent*] Ita veteres libri. Vulgati: *Abſterrent.* Vide Indicem. GIFAN.

1231. *Adolentque altaria donis*] *Adolent*, id eſt *augent, honorant*, & ita Nonius. Virgil. Æn. libr. 7: 71.

Præterea caſtis adolet dum altaria tedis.

aliàs *adolere* eſt urere κατ' ἐυφημισμόν. Virgilius Pharmac. 65.

Verbenaſque adole pingueis & maſcula tura.
LAMB.

1233. *Fatigant*] *Fatigant Deos* precibus & hoſtiis ſcilicet. ſic Horatius Od. 2. libri primi 26.

——— ——— ——— prece qua fatigent
Virgines ſanctæ minus audientem
Carmina Veſtam?

fatigant ſorteis, conſulentes oracula. Virg. lib. 4. Æneid. 346.

Italiam Lyciæ juſſere capeſſere ſortes. LAMB.

 1234. *Nam*

Nam ſteriles nimium craſſo ſunt ſemine partim:
Et liquido praeter juſtum, tenuique viciſſim.
Tenue, locis quia non potis eſt adfigere adhaeſum,
Liquitur extemplo, & revocatum cedit ab ortu:
Craſſius hoc porro, quoniam concretius aequo
Mittitur; aut non tam prolixo provolat ictu,
Aut penetrare locos aeque nequit; aut penetratum,

Aegre

INTERPRETATIO.

nam ſunt infœcundi, aliquando quia Semen eſt nimis craſſum, aliquando quia nimis tenue & liquidum eſt: Tenue autem Semen, quia locis muliebribus adfigi iiſque adhærere non poteſt, ſubitò liquitur, atque effluit: Craſſum vero Semen quia nimis concretum ejicitur, non tam longè fertur quam par eſt, aut quia minus penetrat meatus muliebres,

VARIÆ LECTIONES.

1237. *Liquitur.* Linquitur Q. *cedit.* redit abortu X. Y. Z.
1238. *hoc.* hic Y. Z. *concretius æquo.* cum concretus magis æquo Q. X.
1239. *non tam.* notam Q1. *provolat.* pervolat *Gaſſ.* *ictu.* icto N.
1240. *penetratum.* penetratis L. *in Vet. ed.*

NOTÆ.

1234. *Nam ſteriles nimium*] Duas cauſas affert ſterilitatis: unam, quod ſemen nimis craſſum ſit; alteram, quod nimis tenue. Lamb.

1235. *Præter juſtum*] Suprà modum; ſuprà quàm ſatis ſit. Lamb.

1235. *Viciſſim*] Partim. Lamb.

1236. *Tenue*] Vel proceleuſmaticus eſt, vel *tenue* diſyllabum eſt. Lamb.

1236. *Locis*] Vaſis muliebribus. Lamb.

1236. *Adfigere adhæſum*] Adhærere. profert & hunc verſum Nonius Marcell. in voce *adhæſus*, & item alterum, qui eſt lib. 3: 382.

Nam neque pulveris interdum ſentimus adhæſum. Sed videtur duriuſculè dictum *adfigere adhæſum*, pro *adhærere.* quid ſi legamus *adfigi adhæſim?* Quod autem Thraſo vult legi *adfigi adhæſum*, ut ſit participium; fieri non poteſt. nam participium paſſivum *adhæſus, a, um*, à verbo *adhæreo* abſoluto, neque reperitur in tota Lingua Latina, neque formari poteſt. Quod enim Grammatici notant, interdum participia paſſ. formaſſe veteres à verbis neutris aut abſolutis: ea, cum rara ſint, exemplo nobis eſſe non debent. Lambin. *Adfigi adhæſum.* Sic reſtitui, conjectura ductus. Vide ſupra Lib. 1. ỳ. 210. & Indicem: *Adfigere;* ut hic vulgati. Gifan.

1237. *Ab ortu*] Sic legendum ſeparatim, non *abortu* conjunctè, & ita habent libri Manuſcripti. Lamb.

1240. *Locos*] Sic τόποι apud Ariſtot. Hiſt. An. lib. 7. cap. 3. Cicero item ſimpliciter *locos*, Varro *Locos muliebres.* Creech.

1240. *Aut penetratum*] In prima editione ſcripſeram *penetratis*, rejecta ſcriptura vulg. *penetratum*, admonitus à cod. Vatic. in quo ſcriptum erat *penetrati.* deinde hæc adjeceram in Scholiis: Et verò, ut *penetratis* legatur, ratio & veritas poſtulant. *penetratis* ſubintell. *locis.* niſi quis dicat *penetratum* ſignificationem habere ἐνεργητικῶς, & poſitum pro eo quod eſt, *cum penetravit:* cujuſmodi participia ſunt, *juratus, pranſus, cenatus,* &c. & ita ſupr. 674.

Quæ penetrata queunt ſenſum progignere acerbum. Itaque in ſecunda editione, mutata ſententia; *penetratum* (quod tamen in prima non planè damnaram, ut intelligere licet ex iis quæ ſuprà commemorata ſunt) repoſui. Idem etiam hîc ſequor: ut intelligamus, eſſe ἐνεργητικόν. Lamb. Ita omnes veteres fere; rectiſſime. Lambinus: *penetratis.* Gifan.

1242. *Nam multum harmoniæ Veneris*] Docet, alios viros aliis fæminis ad procreationem libero-

Aegre admiſcetur muliebri Semine ſemen.
Nam multum harmoniae Veneris differre videntur.
Atque alias alii complent magis, ex aliiſque
Suſcipiunt aliae pondus magis, inque graveſcunt.
Et multae ſteriles Hymenaeis ante fuerunt
Pluribus, & nactae poſt ſunt tamen, unde puellos
Suſcipere, & partu poſſent diteſcere dulci:

Et,

INTERPRETATIO.

aut poſtquam penetraverit ægrè muliebri Semine miſcetur: Nam omnium Semina non conveniunt cum Seminibus omnium, & Alii Mares alias Fœminas magis complent, & aliæ Fœminæ ab aliis Maribus magis gravidæ fiunt: Multæ etiam multos expertæ Viros infœcundæ vixerunt, demum tamen Marem adeptæ ſunt

VARIÆ LECTIONES.

1241. *muliebri.* mulieri Y. Z.
1245. *Et.* Cum Y.
1246. *nactæ.* natæ c. O. P. *ſed* nactæ *quoque inter alios* Y. Z. *poſt ſunt.* poſſunt tamen C. E. N. P. Q. X. Y. Z. *unde.* inde N. P.
1247. *poſſent.* poſſunt P.

NOTÆ.

rorum convenire. Itaque multum intereſſe qui vir cum qua muliere matrimonio copuletur, & nuptias contrahat. *harmoniæ*, id eſt convenientiæ. Lamb. Intellige temperamenti convenientiam, *συναρμογή*. Locus Epicratis in Antilaide apud Athenæum, quem citat Gifanius, ad hunc verſum nihil quidquam facit. Cum enim de Laide jam vetula loquens Epicrates ſcribit, Τὰς ἁρμονίας τε διαχαλᾷ τοῦ σώματος, ibi αἱ ἁρμονίαι nihil aliud ſunt quam juncturæ & articuli corporis. Itaque riſum debet Thraſo Lambinianus, quod ei toties evenit, quoties Græca, in quibus imperitiſſimus erat, voluit attingere; quod Index hominis facile oſtendat. Faber.

1244. *Pondus*] Uteri pondus, fœtus eſt. Faber.

1245. *Hymenæis ante fuerunt Pluribus*] Multæ pluribus hymenæis, id eſt pluribus nuptiis, antea ſteriles fuerunt, neque ex viris pluribus liberos ſuſcipere potuerunt, &c. Lamb.

1246. *Et nactæ poſt ſunt tamen*] Id eſt, & tamen poſtea alias nuptias nactæ, & alii viro junctæ ſunt, unde liberos ſuſcipere & fæcundæ eſſe poſſent. hunc locum (abſit verbo invidia) ſane ἀςόχως reſtitui, modicè à veteribus codicibus adjutus, cum antea in hoc loco ſemper hæſiſſem. partim propterea quod participium *nactæ* inſolenter mihi per ſe poſitum videbatur, partim propter ineptam repetitionem verbi *poſſunt*. Cum igitur reperiſſem ſcriptum in aliis codicibus veteribus *& nactæ poſſunt*, &c. in aliis,

——— *& natæ poſſunt tamen unde puellos*
Suſcipere, & partu poſſent diteſcere dulci:

ſic reſtitui, quemadmodum excudendum curavi,

——— *& nactæ poſt ſunt tamen, unde*, &c.

quæ lectio perſpicuè vera & recta eſt. nam vulgati habent *poſſunt tamen inde*, &c. Lamb. Egregie Lambinus. Vulgati: *poſſunt tamen inde.* Ita infra fere. vi. 1194. Gifan.

1246. *Puellos*] In hac ipſa voce *puellos* profert hunc verſum Nonius: & præterea Ennianum illum, p. 28.

Ipſe ſuos Divis mos ſacrificare puellos:

& Lucillii,

Cumque hic tam formoſu' tibi, ac te dignu' puellus.

& illud Varronis, Teſtamento: *Sic ille puellus Veneris repente rado cecidit cruentus olim.* Lamb.

 1248. *Et*

Et, quibus ante domi foecundae ſaepe nequiſſent
Uxores parere, inventa eſt illis quoque compar
Natura, ut poſſent natis munire ſenectam.
Uſque adeo magni refert, ut Semina poſſint
Seminibus commiſceri genitaliter apta,

Craſ-

INTERPRETATIO.

e quo multos liberos ſuſceperunt. Illi denique quorum Uxores multos annos ſteriles nullo partu auxerunt familiam, tandem comparem Fœminam adepti liberos procrearunt Senectutis decus & tutelam: Tanti profecto refert ut Semina ad generationem apta Seminibus paribus commiſceantur,

VARIÆ LECTIONES.

1251. *refert.* id refert A. B. *poſſint.* poſſent Z.

NOTÆ.

1248. *Et quibus ante domi fœcundæ*] Legendum mihi videbatur olim *infæcundæ*, & ita primo edideram, cum in omnibus libris legatur *fæcundæ*. mihi enim hoc ſentire videbatur Lucret. Et ii qui habuiſſent domi uxores ſibi infæcundas & ſterileis, invenerunt tandem comparem & fæcundam, ex qua liberos ſuſciperent. Sic ſuprà *ſterileis* appellavit mulieres, non quod tales eſſent natura, cùm ex alio viro poſtea liberos ſuſceperint, ſed quod ab illo viro gravidæ non fierent. Sed Turnebus putat, ſcriptura recepta ſervata incolumi, hunc locum ita explicari poſſe, ut eadem ſit ſententia, atque ſi *infæcundæ* legeretur, hoc modo, & iis quibus antea fuiſſent uxores fæcundæ quidem illæ, ſed quæ ex his viris concipere non potuiſſent, inventa eſt uxor aliqua compar, & temperatione reſpondens, ex qua liberos ſuſcipere poſſent. Omnino mihi nunc videtur *fæcundæ* rectè huic loco quadrare poſſe, nihilque eſſe immutandum. videtur enim mihi Lucretius hoc oſtendere velle, quod ſuprà poſuit, Veneris harmonias differre, & alios viros aliis fæminis eſſe aptiores, & contrà alias fæminas aliis viris. Multæ fæminæ, inquit, certis viris nuptæ, ſteriles fuerunt, neque concipere potuerunt: poſt alium virum nactæ ſunt, ex quo liberos ſuſceperunt. Rurſus plures viri reperti ſunt, qui cum certis mulieribus, quantumvis fæcundis, matrimonio copulati, ex iis liberos procreare non potuerunt: iidem aliam uxorem nacti, ex ea liberos ſuſceperunt. LAMB. *Fœcundæ ſæpe.* Ita omnes libri. Male Lambinus: *infæcundæ.* Sæpe fit, ut fecunda uxor ex aliquo non concipiat, quia non eſt compar natura. GIFAN.

1249. *Inventa eſt illis quoque compar Natura*] Illis viris inventa eſt uxor compar naturâ, τῇ φύσει. *natura* accipio, ut ſit ſeptimi caſus. poteſt tamen etiam eſſe recti caſus, & cohærere cum voce *compar*, ut alii malunt, ut per naturam comparem, uxorem comparis naturæ intelligamus. LAMB.

1250. *Natis munire ſenectam*] Nam hanc gratiam debent parentibus liberi, ut non ſolum eos alant, verùm etiam tutos ab injuria præſtent, quantum in eis ſitum ſit. Heſiodus de liberis,

——— ——— ——— Θρεπτήρια δοῖεν.

Sic Catullus Epithalam. Juliæ & Manlii:

Nulla quit ſine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe nitier. LAMB.

1251. *Uſque adeo magni id refert; ut*] Conjectura ductus, poſtulante ſententia, *id*, interjeci. GIFAN. *Uſque adeo magni refert, &c.* Vel legendum neceſſario,

Uſque adeo magni hoc refert, &c.

videlicet, quæ mulier cum quo viro jungatur & miſceatur, ad id, ut ſemina ſeminibus commiſceri poſſint genitaliter apta, i. accommodata ad gignendum, &c. vel dicendum. poſt verſum

Craſſaque conveniant, &c.

verſum talem, & qui talem ſententiam contineat, deſiderari,

Quæ

Craſſaque conveniant liquidis, & liquida craſſis,
'Quae quoi juncta viro ſit foemina per Veneris res.
Atque in eo refert, quo victu vita colatur.
Namque aliis rebus concreſcunt Semina membris,
Atque aliis extenuantur, tabentque viciſſim.

Et

INTERPRETATIO.

ut craſſa conveniant liquidis, & craſſis liquida: Magni etiam refert quo victu utamur, nam aliud genus Alimenti producit Semen, aliud diminuit. Permagni etiam refert quibus modis

VARIÆ LECTIONES.

1253. *conveniant.* conveniunt X. Y. Z.
1254. Deeſt A. B. E. N. P. Q. X. Y. Z.
1255. *Atque in eo.* Ita C. E. P. V. X. Y. Z. Alii malunt *adeo.*
1257. *extenuantur.* extenuantur item N.

NOTÆ.

Quæ cum quo cupide jungatur per Veneris res,

id eſt, uſque adeo magni refert, quæ fæmina cum quo viro corpus ſuum commiſceat. quo verſu addito, integer & planus erit hic locus: alioqui lacer, mutilus, & obſcurus. Cum hæc ſuperiora ſcripſiſſem, miſſum eſt ad me ab Jo. Columbino, viro docto, populari meo, exemplum Lucretianum olim Lutetiæ typis excuſum, ad cujus oram è regione hujus loci adſcriptus erat hic verſus cum hac inſcriptione, & quaſi commendatione: Verſus reſtitutus ex V. C.

Quæ cui juncta viro ſit fæmina per Veneris res.

qui quidem verſus ita mihi videtur Lucretio dignus, ut non dubitem, quin ſit Lucretianus. Cum hæc edidiſſem, Zoilus, quia non poterat negare, conjecturam meam eſſe veram, noluit verſum illum ita ſcribere,

Uſque adeo magni hoc refert, &c.

quomodo legendum cenſueram, ſi verſus

Quæ quoi juncta viro, &c.

non addatur poſt hunc

Craſſaque, &c.

ſed ita,

Uſque adeo magni id refert, &c.

ſic ſolent fures: formas rerum furtivarum immutant, ne agnoſcantur. quamquam hic non potuit formam immutare. tantum pro *hoc*, quod erat meum, *id* ſubſtituit: quod reddit verſum *κακόφωνον*, ob concurſum duarum vocalium iteratarum *i*, *i*, in *magni id.* Vide quid os ſuum faciat, & plumæ alienæ. LAMB.

1252. *Genitaliter apta*] Ita ut aliquid gignatur. FABER.

1253. *Craſſaque conveniant*, *&c.*] Lambinus poſt hunc verſum poſuerat hunc:

Quæ cui juncta viro ſit femina per Veneris res.

Sed libris repugnantibus non auſim. GIFAN.

1253. *Liquida craſſis*]. Huic verſui ſubjungit Lambinus, & rectè quidem e Codd.

Quæ cui juncta viro ſit Fœmina per Veneris res.

CREECH.

1255. *Atque adeo refert*, *&c.*] Refert verò etiam quo victu vir & fæmina utantur. LAMB.

1256. *Aliis rebus*] Alio cibo, alioque victu. LAMB.

1256. *Concreſcunt Semina membris*] Semina cum membris, vel in membris creſcunt. LAMB.

1257. *Atque aliis extenuantur*] Nihil muto, tametſi duo codices ſcripti, Faërni & Tettii habeant,

Atque aliis tenuantur item:

impreſſi autem Florentini,

——— ——— *extenuantur itemque aliis:*

quas lectiones ſuſpicor eſſe ab iis excogitatas, qui putarent, hunc verſum eſſe vitioſum propter verbum *extenuantur*: quod conſtat quinque ſyllabis, prima longa, deinde duabus brevibus,

 dein-

Et quibus ipſa modis tractetur blanda Voluptas,
Id quoque permagni refert: nam more Ferarum,
Quadrupedumque magis ritu, plerumque putantur
Concipere Uxores, quia ſic loca ſumere poſſunt
Pectoribus poſitis, ſublatis Semina lumbis.
Nec molles opus ſunt motus Uxoribus hilum.

Nam

INTERPRETATIO.

ipſa blanda Voluptas tractetur, nam Uxores plerumque putantur concipere ferarum more, & ritu quadrupedum, quia ſic pectoribus poſitis & ſublatis lumbis illarum loca ſumere poſſunt Semina. Neque opus eſt ut Uxores mollibus motibus utantur,

VARIÆ LECTIONES.

1263. *molles opus ſunt.* molles proſunt c. N. moles proſunt P. obſunt *quidam.* ne molleſcere poſſunt Q1.

NOTÆ.

deinde quarta longa, & poſtrema brevi. Sed fugit illos, aut hîc eſſe anapæſtum pro dactylo, aut ſpondeo, aut verbum *extenuantur*, hîc ita pronuntiandum eſſe, ut ſit quattuor ſyllabarum duntaxat, & *u* ſit conſonans. quorum alterutrum ſæpe fieri in voce *tenuis*, antè docuimus. Lamb.

1257. *Tabentque*] Id eſt, & minuuntur. Lamb.

1259. *Nam more Ferarum*] Si more ferarum uxorem ſcandas & averſe dedoles, credunt illam fœcundius parituram. Quadrupedum coitus fit mare fœminam inſcendente. Urſus tamen humano more ſemiſupinam fœminam amplexus init. hunc Lucretianum Veneris modum Naſo ſignavit lib. III. de arte amandi.

Tu quoque cui rugis uterum Lucina notavit,
Ut celer averſis utere Parthus equis. Pius.

Hoc Veneris genus deſcribit Naſo libro tertio de arte amandi:

Quæ facie præſignis erit, reſupina jaceto:
Spectetur tergo, cui ſua terga placent. Lamb.

1261. *Quia ſic loca*] Loca muliebria, ἡ μήτρα. Varro libro quarto de Lingua Latina: *Loci muliebres, ubi naſcendi initia conſiſtunt.* Marcus Tullius lib. ſecundo de natura Deorum: *Cum autem in locis ſemen inſedit, rapit omnem fere cibum ad ſeſe, eoque ſæptum fingit animal.* Inde Lucret. infra 1268.

——— ——— *atque locis avertit ſeminis ictum.* ordo autem eſt: quia ſic *poſitis pectoribus*, id eſt, muliere prona & averſa jacente, & lumbis ſublatis, loca poſſunt ſumere ſemina virilia. Lamb.

1263. *Nec molles opus ſunt*] Sic legendum, & ita habent libri veteres. ſic loquitur ℣. 1272.

Conjugibus quod nil noſtris opus eſſe videtur:

& ſup. item ſæpe. mendoſi igitur ſunt libri vulg. qui habent, *Nec molles proſunt.* Lamb.

1265. *Clunibus ipſa viri, &c.*] Si clunium motu ipſa læta *Venerem*, id eſt, voluptatem viri, *retractet*, id eſt iterum atque iterum tractet, & viro cluneis agitanti pariter reſpondeat. ſic ſupra 1194.

——— *& Venerem ſalientum læta retractat.* Lamb. Turpicula res eſt, atque adeo paucis attingenda; ſed attingenda tamen; quod ita faciemus ut Stoicorum dogmati, qui τ̀ σοφὸν εὐθυῤῥημονεῖν & ſimpliciter loqui volunt, non pareamus. Dico igitur depravatum eſſe hunc verſum,

Clunibus ipſa viri Venerem ſi læta retractet;

legendumque,

Criſſans *ipſa viri Venerem ſi læta retractet.*

Miram vero Criticæ audaciam, inquies; fateor; ſed clementer & placide, niſi moleſtum eſt; Donatum audi ad Eunuchum Terentii Act. 3. Sc. 1. in ea verba, [FORTE HABUI SCORTUM.] ubi inter cetera hoc ſcribit: *A parte ergo ſui meretrices* ſcorta *dicuntur, vel* ἀπὸ τ̃ σκαίρειν, *quod Græce* palpitare *intelligitur, quod illæ faciunt ſaltando aſſidue, vel potius* CRISSANDO, *ut Lucretius ait lib. 4. ob eam cauſſam ut concinniorem Venerem exhibeant viris, aut ſibi abigant conceptum,* &c. Planiſſime ergo ſcripſerat Poëta non *Clunibus*, ſed *Criſſans*: Dubitari enim non poteſt, quin

hunc

Nam Mulier prohibet ſe concipere, atque repugnat,
Clunibus ipſa viri Venerem ſi laeta retractet:
Atque exoſſato ciet omni pectore fluctus.
Eicit enim Sulcum recta regione viaque
Vomeris: atque locis avertit Seminis ictum.

Id-

INTERPRETATIO.

Nam Fœmina prohibet ſe concipere ſi ipſa læta clunibus retractet Viri venerem; atque omni exoſſato pectore ciet fluctus: Nam recta regione & via Sulci ejicit Vomerem, Seminiſque ictum locis avertit.

VARIÆ LECTIONES.

1265. *Clunibus ipſa.* Criſſans ipſa F. ex Donato, qui forſan *criſſando* legit, vel circumlocutionem Lucret. uno verbo expreſſit. *retractet.* retractat Z.

1266. *exoſſato.* exoſſatim. *priſc. codd.* P.

1267. *Eicit enim Sulcum.* Ita Q. V. Y. Z. Icit O. Ejicit enim ſulcum C. E. N. Icit enim ſultum c. X. Eſcit V. *Wall.* ſultum P. *quidam legunt* ſultu, *quidam* ſulcum P. *in not.* ſulci *Lamb. & reliqui.*

1268. *Vomeris: atque.* Ita C. E. N. Q. V. X. Y. Z. Volneris c. O. P. *Lamb. & illum ſecuti* Vomerem. *Seminis ictum.* Semini' jactum F. *Creech.*

NOTÆ.

hunc Lucretii locum ante oculos haberet Donatus, cum cetera, quæ profert, hic legantur;

Nam mulier prohibet ſe concipere, atque repugnat.

Cui loco hæc Donati verba reſpondent [*aut ſibi abigant conceptum.*] Illa autem [*ob eam cauſam ut concinniorem Venerem exhibeant viris*] quo tendunt tandem; niſi ad Lucretiana quæ legis?

Et ſimul ipſa viris Venus ut concinnior eſſet.

Quare non eſt ut alium locum reſpexerit Terentii Interpres, quam qui nunc nobis in manibus eſt. Sed quid iſtud monſtri eſt, *Criſſans*, unde terrarum advectum fuit? Illæ ipſæ docebunt, ô bone, de queis agitur; Tu mihi ad illas pergito. Martialem lib. 10: Ep. 68. tamen legiſſe poteras; vel fortaſſe leges. Saltem auctor obſceni carminis, (vide Schiopp. ad Priap. Ep. 18.) ſi memini ſatis, olim ſcripſerat,

Criſſabit tibi fluctuante lumbo.

Scin' quid ſit *fluctuante*? illud ipſum eſt quod dixerat Lucretius,

Atque exoſſato ciet omni pectore fluctus.

Nihilo, inquis, doctior abeo. Quid, illud Satyrici autem? *Romule ceves*? Non intelligo, dices? Ipſe autem non interpretor; quanquam de admiſſura veterini pecoris, & ceterorum animantium loqui & jus & fas ſinebant; ſed de homine, grave piaculum eſt, ſcilicet. Faber. *In Emend.* Vide Emendationes. Locus Lucilii hic adſcribi poſſit; ſed apud Nonium legatur. Faber. *In Notis.*

1265. *Retractet*] Libri veteres *retractat*. Lamb.

1266. *Atque exoſſato ciet omni pectore*] Id eſt, omni *pectore* ſeu corpore *exoſſato*, id eſt, ita inflexo & incurvato, ut exoſſe videatur, fluctus commovet. Apul. libro primo de aſino aur. *Inque flexibus tortuoſis enervam & exoſſem ſaltationem explicat cum omnium qui aderant, admiratione.* ſic Jo. Auratus, homo acerrimi ingenii, doctrinæque ſingularis, verſum illum Heſiodi in lib. ἔργα καὶ ἡμέρ.

Ἤματι χειμερίῳ, ὅτ' ἀνόστεος ὃν πόδα τένδει.

qui vulgo de polypo pedem ſuum rodente intelligitur, interpretatur de homine ignavo & inerti, qui nullo in hiemem æſtate præterita præſidio parato, nullaque re ad vitam tolerandam proviſa, corpore contracto domi reſidet, frigore rigens, fameque tabeſcens. In nonnullis libris legitur *exoſſatim*: quod ſi cui probabitur magis, eadem tamen erit ſententia, eademque interpretatio quadrabit. Præterea ne illud quidem lectorem celabo, cuidam docto viro legendum videri,

——— *ciet omneis pectore fluctus.* Lamb.

1267. *Eicit enim Sulci recta regione viaque Vomeris*,

Idque ſua cauſa conſuerunt Scorta moveri,
Ne complerentur, crebrò, gravidaeque jacerent,
Et ſimul ipſa viris Venus ut concinnior eſſet:

Con-

INTERPRETATIO.

Scorta vero ſua cauſa iſtiuſmodi motibus utuntur, ut prohiberent conceptum, & ſimul ut ipſa Voluptas major eſſet Viris & gratior;

VARIÆ LECTIONES.

1269. *Idque ſua cauſa.* Hacque ipſa cauſa F. Sicque ſua *vel* Atque ſua L. *in not.*
1270. *gravidæque.* gravida atque V. gravidaque Y. Z. *verum ſæpius mutari genus ſolet.*

NOTÆ.

meris, &c.] Hunc locum, approbante, atque adeo adjuvante M. Antonio Mureto, feliciſſimè (mea quidem ſententia) reſtitui. eſt autem totus hic ſermo ἀλληγορικὸς, per quem ſignificat Lucretius, mulierem clunium agitatione conceptionem ſeminis virilis prohibere, quia *vomerem*, id eſt, membrum virile, tali corporis motu ejicit è recta via ac regione *ſulci ſui genitalis*, id eſt partis ſuæ pudendæ; & à *locis*, id eſt à ſedibus illis muliebribus, avertit ſeminis virilis ictum. ſignificat id quod uno verbo Græci dicunt, ſemen οὐκ εὐθυβολεῖσθαι, id eſt, *non recta via in loca jaci.* ſic ferè Virg. locutus eſt Georg. 3: 135. ubi de equis ſcribit:

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali arvo, & ſulcos oblimet inerteis.

Sic autem Arnobius partem illam fœminæ inhoneſtam, & arvum genitale, *ſcrobem* appellat lib. 4. *Etiamne Pertunda, quæ in cubiculis preſto eſt virginalem ſcrobem effodientibus maritis?* Sic Sophocles in OEdipo tyr. OEdipum ipſum de ſe loquentem facit,

——— ——— τὴν τεκοῦσαν ἤροτεν,
Ὅθεν περ αὐτὸς ἐξέφυ ...,

id eſt, *matrem ſuam aravit, ex qua ipſe ſatus eſt.* ſic Plautus Aſinar. de quodam marito qui ſcortabatur:

Fundum alienum arat, incultum familiarem deſerit.

Eodem pertinet facetiſſimi poëtæ Martialis Epigramma: quod eo libentius huc adſcribam, quod non reperitur in libris vulgatis: ego autem in membranis calamo exaratis, cum in Italia eſſem, repertum in meo codice typis impreſſo, ſuo loco, id eſt, libro ſeptimo, repoſui, ac reſtitui. quamquam non diſſimulabo, ab alio quodam, eoque docto viro, ex alio item exemplari manuſcripto protractum ac prolatum eſſe. Sic igitur Martialis 7: 101.

Milo domi non eſt: peregre at Milone profecto,
Arva vacant. uxor non minus inde parit.
Cur ſit ager ſterilis, cur uxor fertilis, edam.
Quo fodiatur, ager non habet: uxor habet.

Jam *eicit* diſyllabum eſt, ut antè diximus. Præterea non eſt, quod quemquam moveat tertia ſyllaba vocis *vomerem*, in qua *m* non eliditur. hoc enim non inuſitatum fuiſſe veteribus, etiam ſupra docuimus. Hanc hujus loci reſtitutionem Adriano Turnebo viro doctiſſimo & humaniſſimo cum oſtendiſſem, probavit ille quidem: ſed cum videret, in omnibus libris manuſcriptis legi *Vomeris*, videndum eſſe dixit, poſſitne vetus ſcriptura, nulla immutatione facta, retineri. Itaque re aliquantiſper conſiderata, dixit mihi fortaſſe ſervata voce *Vomeris*, hunc locum ita legi & explicari poſſe: *Eicit* enim, ſubintell. Venerem, vel ſeminis ictum, recta ſulci regione, & recta via vomeris. ſic quidem vir ille doctiſſimus: ſed *recta via vomeris* quid ſibi velit, non eſt facile expedire. LAMB. Præclare Lambinus: quod & noſtris veteribus libris confirmatur. GIFAN. At vero quid ſimplicius, quam, ſervata MSS. fide, *ſulcum vomeris* capere de ipſa aratione, & ſulco quem vomer arando facit? laſcivo enim venere ejicitur (inquit Poëta) recta ſua via atque regione, & ita exorbitans ſemen diſperdit. HAV.

1268. *Seminis ictum*] Lego, *Seminis jactum.* Primum nunquam dictum eſt, icere ſemen, ſed jacere: deinde Metaphora ab agro colendo & ferendo ducta eſt, uti probat, tum illud *ſulci*, tum *vomerem*; & alibi, *muliebria conſerat arva.* & Græcè ἐπ' ἀρότῳ παίδων. & alia ſexcenta. FABER. *In Emend.* & CREECH.

1269. *Id-*

Conjugibus quod nil noſtris opus eſſe videtur.
Nec divinitus interdum, Veneriſque ſagittis
Deteriore fit ut forma Muliercula ametur.
Nam facit ipſa ſuis interdum Foemina factis,

Mo-

INTERPRETATIO.

de quibus Uxores non debent eſſe ſollicitæ. Neque Numen aliquod aut Cupidinis ſagittæ, quod vulgo putant, efficiunt ut fœmina minus formoſa aliquando ametur, Nam interdum ipſa Fœmina obſequio ſuo & munditie facit

VARIÆ LECTIONES.

1273. *Nec.* Nam P.

NOTÆ.

1269. *Idque ſua cauſa*] Quidam *Idque* dictum putant pro *ideoque*, ſeu *ob idque.* duo libri Manuſcripti hoc totum *Idque* habent demerſum in litura, ut fortaſſe legendum ſit *Itque*, pro *Itaque.* codex Vaticanus habet *Ipſaque.* Quid ſi legamus, *Icque?* quid ſi, *Atque?* LAMB.

1270. *Ne complerentur*, &c.] Lego, *hacque ipſa cauſa*, ita enim ratio poſtulat. & ſane ita alibi locutus Lucretius eſt in v.

Illa ipſa *intervalla nihil de corpore libant.*

Adde quod in MSS. Codd. legitur,

Ipſa ſua cauſa conſuerunt ſcorta moveri.

FABER. *In Emend.*

1270. *Ne complerentur*, &c.] Diſciplina enim eſt ſcortis, curare ne gravidæ fiant. partus enim de mulieris forma multum detrahit. adde quod non facilè completur fæmina, niſi ſe uni dediderit, quod eſt alienum à re meretricia. Ratio autem, quamobrem mulier, quæ cum pluribus rem habet, non facilè ſemen concipiat, hæc eſt: multorum virorum concubitus, & multi ſeminis complurium virorum jactus, loca muliebria plus nimio lubrica reddit. ex eo fit, ut ſemen virile non facilè continere poſſint. LAMB.

1272. *Conjugibus noſtris*] Etiamſi vulgo ferant cælibem vixiſſe Lucretium. Sed figura notiſſima eſt. FABER.

1273. *Nec divinitus eſt interdum*] Iſtud *eſt* ab obſcitantia Typothetæ ortum fuit. itaque tollendum. FABER. Demum cum Amor à Simulachris excitetur, & Simulachra è formoſis corporibus profluentia eum potiſſimum concilient; unde deformes ſæpe ſint in honore & deliciis v. 10. ? Cave ne divinitus hoc fieri dixeris, nam Dii id non magis curant quam Manes ſepulti, in obſequio autem eſt Venuſtas, & a Munditie ſæpe veniunt Sagittæ: Saltem Conſuctudo conciliat Amorem. Illud Epicuri adjiciam, ἡ συνουσίη ὤνησε μὲν οὐδέποτε, ἀγαπητὸν δ', εἰ καὶ μὴ ἔβλαψε. CREECH.

1273. *Veneriſque ſagittis*] Id eſt, Cupidinis ſagittis, qui filius Veneris eſt. alterum pro altero poſuit: ut Virgil. Georg. 3: 89.

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus.

Cum Cyllarus equus fuerit Caſtoris, Caſtorque eques fuerit, Pollux autem pugil. LAMB.

1276. *Morigeriſque moris*] Tarditatibus brevibus amorem augentibus: ſed tamen morigeris poſtea & obſequentibus. ut exprimat illud Ovidianum.

Fac ſubeat blandis rara repulſa jocis.

in priſco codice legitur. *Morigeriſque modis.* Morigeræ dicuntur illæ: quæ ad amatoris nutum præſto ſunt. Plautus Capt. 5: 2: 13.

Morigerus fuit puer: nunc non decet.

habet obſcenam ſignificationem verbum *morigerari*: trahiturque ad pudenda & fellatores. Tranquillus in Tiberio. *Tabula in qua Atalanta Meleagro ore morigerabatur.* PIUS. *Modis*, moribus, τρόποις. *morigeris* autem, id eſt obſequentibus, & commodis. vel dic *modis morigeris*, id eſt morem gerendo viro. LAMB.

1276. *Munde corpore culto*] Cum in aliquot libris Manuſcriptis reperiſſem ſcriptum *culto*, ſæpeque antea hic locus mihi ſuſpectus fuiſſet, pro-

 pter

Morigeriſque modis, & munde corpore culto
Ut facilè inſueſcat ſecum Vir degere vitam.
  Quod ſupereſt, Conſuetudo concinnat amorem.
Nam leviter quamvis, quod crebro tunditur ictu

Vin-

INTERPRETATIO.

ut Vir libenter cum illa vitam degeret: Denique Conſuetudo conciliat amorem, nam quod crebro ictu, etſi levi, tunditur

VARIÆ LECTIONES.

1276. *modis.* moris c. P. X. Y. Z. ſed modis *priſci codd.* P. *munde.* Ita Y. Z. Reliqui *mundo. corpore.* Ita C. E. N. P. X. Y. Z. *Reliqui* corporis N. *culto.* Ita a. Y. Z. culta E. N. P. Q. X. cultu *Reliqui*

1277. *Ut facilè inſueſcat ſecum Vir degere vitam.* Ut facile ſueſcat ſecum degere vitam Q. X. Y. ut facile ſueſcat ſecum degerere vitam Z.

NOTÆ.

pterea quod hoc totum,

——— ——— *& mundo corpore culta,*

ut habent libri vulgati, non ſatis aptè cohærebat cum iis quæ antecedunt: conjectura ductus ſic repoſui,

——— ——— *& mundo corpori' cultu:*

quæ ſcriptura ſine controverſia, recta & germana Lucretiana eſt: altera autem, inepta, inconcinna, & propemodum non Latina. Jam quod ad hujus loci ſententiam attinet, ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς, id eſt, *in rebus amatoriis, alienant amanteis immundæ*, ut ſcribit Marcus Tullius Epiſtolarum ad Attic. libri noni Epiſtola nona. LAMB. *Et mundo corporis culto.* Ita nos ex veterum librorum veſtigiis. In quibuſdam erat: *corpore culto.* Vulgati: *corpore culta.* Lambinus: *corporis cultu.* GIFAN. Non diſplicuit optimorum MSS. lectio

——— ——— *& mundè corpore culto.*

Plautus Pœn. 5: 4: 5.

Tanta ibi copia venuſtatum aderat, in ſuo quæque loco ſita mundè. HAVERCAMP.

1277. *Facile*] Libenter. Terent. Ut ego illi *facile involem in capillum!* Et hæc quidem de amore Lucretius; in quibus explicandis ſi paulo brevior fui, prudens ſcienſque feci, qui viderem, ita comparatum eſſe totum illud negotium, ut ad illius intelligentiam nemo interprete opus habeat. Sed dum ſciens prudenſque pleraque tranſilio, aliquid mihi inſcienti & imprudenti evenit, quod nollem factum, fieri infectum ſi poſſet; Emendationem ſcilicet cujuſdam loci Ovidiani prætermiſi, qui & ingenii pleniſſimus eſt & elegantiorum hominum cura digniſſimus. Is in I. Triſtium legitur, Elegia I. ſub finem. In ea librum ſuum, quem in Urbem mittebat, alloquitur, eique mandata his verbis dat: *Poſtquam in muſeum noſtrum perveneris, ibi fratres tuos aſpicies, parve liber; quos ego eodem ſtudio quondam produxi; Pleroſque omnes facile agnoveris, quippe qui titulos apertos oſtendant; ſed procul ab illis tres in intimo angulo latitantes videbis, qui, &c. eos cave ſalutes; cum enim tot mihi calamitates attulerint, parenticidæ potius quam alio quovis nomine tibi vocandi erunt.* Sed poëtam ipſum audire ſatius eſt. Sic igitur ſcribit:

Cum tamen in noſtrum fueris penetrale receptus,
Contigeriſque tuam ſcrinia curva domum;
Adſpicies illic poſitos ex ordine fratres,
Quos ſtudium cunctos evigilavit idem.
Cætera turba palam titulos oſtendit apertos,
Et ſua detectâ nomina fronte gerit.
Tres procul obſcura latitantes parte videbis,
Hi quoque, quod nemo neſcit, amare docent.

Otioſe, opinor, legiſti: Ecquid igitur ſentis vitium in poſtremo diſticho eſſe?

Hi quoque, quod nemo neſcit, amare docent.

Qua enim ratione HI QUOQUE amare docent, cum tres tantum *artis amatoriæ* libros ab Ovidio ſcriptos eſſe conſtet? Quamobrem cum

te

Vincitur in longo ſpatio tamen, atque labaſcit
Nonne vides, etiam guttas in ſaxa cadenteis
Humoris longo in ſpatio pertundere ſaxa?

INTERPRETATIO.

in longo temporis ſpatio diſſolvitur: Nonne etiam vides guttas Aquæ cadentes in ſaxa in longo ſpatio iſta ſaxa pertundere?

VARIÆ LECTIONES.

1280. *in longo.* id longo A. marg. longo X. *labaſcit.* labeſcit Q.

NOTÆ.

τὸ QUOQUE locum ibi habere nequeat, legendum, manuſcriptis, quantum eſt, reclamantibus,

Tres procul obſcura latitantes parte videbis;

Quos tandem, Ovidi?

HOS QUI, quod nemo neſcit, amare docent.

Hos ſcilicet QUI de arte amandi tractarunt. Sed tandem ſit modus, & ad quintum Lucretii librum tranſeamus. Ceterum an hæc emendatio cuiquam uſque adhuc in mentem venerit, neſcio, niſi quod in editione M. DC. LXI. nil tale animadverti; ut nec in omnium poſtrema, anni M. DC. LXII. Sed in hac tamen aliquid reperi circa loci hujus explicationem, quod tale eſt, ut nil imperitius, nil homine mediocriter erudito indignius fingi poſſit. Si certe ad illud exemplum cetera in eo libro ſe habent, tanto omnium peſſima editio eſt quanto omnium ſplendidiſſima. Hunc enim verſum, *quod nemo neſcit, amare docent;* ſic ibi explicatum reperi, quaſi dixerit poëta, *Hi docent amare, quod opus à me compoſitum eſſe nemo ignorat.* ridicule. Sententia enim Ovidii fuit, libros illos id docere quod cuncti ſine omni magiſtrorum opera noverunt; quid? amare ſcilicet. Neque enim præceptore opus eſt, id ut addiſcas. O acutum hominis judicium, quiſquis notam adeo bellam ex Merula ſuo exceptam ibi adſcribendam curavit! FABER.

1278. *Concinnat*] *Concinnare* (inquit Nonius) *à cinno, potionis genere ex multis liquoribus confecto.* Marcus Tullius Orat. perfect. *Eſt autem quidam interjectus inter hos medius, & quaſi temperatus, nec acumine poſteriorum, nec fulmine utens ſuperiorum, ut cinnus amborum, neutro excellens, utriuſque particeps, vel utriuſque, ſi verum quærimus, expers.* quo loco in libris vulgatis legitur *vicinus amborum. Concinnare* igitur eſt conficere, componere, & quaſi *cinnum efficere.* LAMB.

1280. *In longo ſpatio*] Ita nonnulli, veteres libri: *id* recte. GIFAN.

1281. *Nonne vides etiam guttas, &c.*] Sic ſuprà libro 1: 314.

Stillicidi caſus lapidem cavat.

& Cherilus:

Πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ.

id eſt,

Lymphæ gutta cavat lapidem perſæpe cadendo.

& Propertius, (exſtat apud Ovid. de Arte 1: 476.) niſi fallor: (non enim ſatis memini: & nunc aliò properans, quærere non potui)

Quid magis eſt durum ſaxo? quid mollius unda?

Dura tamen molli ſaxa cavantur aqua.

Et Tibull. Eleg. quarta libri primi ℣. 14.

Longa dies molli ſaxa peredit aqua.

Et Plutarchus libro περὶ παίδων ἀγωγῆς· Σταγόνες γὰρ ὑδάτων πέτρας κοιλαίνουσι· σίδηρος δὲ καὶ χαλκὸς ταῖς ἐπαφαῖς τῶν χειρῶν ἐκτρίβεται, &c. id eſt, *Guttæ enim aquarum ſaxa cavant; ferrum & æs contactu manuum deteruntur.* LAMB.

IN hoc libro admodum pauca ſunt quæ approbet Philoſophus; nulla enim in univerſa Philoſophia futilior quam illa de Simulachris & Imaginibus opinio: Nam credamus tenues exuvias & membranulas a rerum ſuperficie continuò direptas, dum undique volitant ſe mutuò inter-

cidant & dilacerent neceſſe eſt; Ita denique miſceantur, ut nihil præter Centauros, Scyllas, & ejuſmodi monſtra videremus, aut imaginaremur.

Dicendum tamen *Lucretium* de iſtis Imaginibus & Simulachris uſque ad ℣. 471. acutè & decorè diſputâſſe, & benè ornâſſe fabulam.

Deinde ad ℣. 524. Poëta tractat Scepticos eo, quo debuit, faſtu, & ſeveritate, Spernenda enim profectò & reprimenda iſta Animalia: Neque Ego iſtam erga *Senſus* indulgentiam improbarem, niſi illis conceſſerat provinciam majorem quàm commodè adminiſtrare poſſunt: Senſus minimè fallaces agnoſco, Ideone verò oculo meo magnitudinem Solis, Lunæ, & Aſtrorum emetiar? Ne quid acerbius dicam, hæc eſt nimis ruſtica opinio.

Sonum, Saporem, Odorem Corporea eſſe, omnemque ſenſationem corporibus peragi, ad ℣. 725. agnoſcent omnes, qui qualitatibus & aliis ægri Ariſtotelis inſomniis non detinentur.

De Imaginatione verò uſque ad ℣. 820. cum nulla ſint Simulachra, non eſt ut fuſius agamus: & Ridenda prorſus vaniſſima iſta opinio quæ uſque ad ℣. 855. docet membra noſtra tam artificioſe & ſubtiliter compoſita non ideo fuiſſe facta ut utamur, ſed jam facta oblatum ſibi uſum arripuiſſe.

De Fame & Siti uſque ad ℣. 874. protulit, quæ ferri poſſunt: De motu verò Animalium ad ℣. 904. inepta omnia. Denique cum Somnus *Lucretii* diſperſionem Animæ conſequatur, quidni Nos immortali Anima donati æternum vigilemus? De Inſomniis ad ℣. 1031. meræ nugæ: Reliqua vero nocte & tenebris tegenda.

Creech.

FINIS LIBRI QUARTI.

LIBRI QUINTI
ARGUMENTUM.

I. LAudes Epicuri, cui propter inventam atque explicatam Philoſophiam plus debent Homines, quàm Cereri, Baccho, Herculi, aliiſque Divis, quos grati venerantur, ad v. 56. II. Deinde ad v. 92. proponit totius Libri Argumentum, cujus partes poſtea explicat: Et III. ad v. 157. Terram, Mare, Cœlum, Solem, Sidera Mortalia docet, nec, quod Stoïci putarunt, Animata, Dei ipſius partes, aut Sedem & Domicilium Deorum eſſe, quod Vulgus exiſtimat, aſſerit. IV. Nequis Mundum a Diis fuiſſe factum, atque ideo immortalem credat, ad v. 236. varias rationes congerit tam a Natura Deorum, quàm a vitiis hujus mundi ductas, quibus probare conatur hanc compagem non fuiſſe a Diis conſtitutam: V. ad v. 417. Quatuor Elementa, Terram, Aquam, Aëra, & Ignem, e quibus Mundus conſtat, naſci & interire, & proinde Mundum ipſum aliquando incæpiſſe, aliquando etiam periturum arguit; variiſque aliis Argumentis confirmat hanc compagem nec ab æterno extitiſſe, neque futuram eſſe immortalem. VI. ad v. 509. agit de primo Mundi exortu, & ſingulis ejus partibus, prout graviores aut leviores ſunt, ſedes ſuas & locos aſſignat. VII. ad v. 613. Multa de Cæli & Siderum motibus proponit, at nihil certi decernit: deinde docet cur Terra, cur tota compages, quod Corpus grave eſt, nulli fundamento innixa pendeat: Solem denique, Lunam, Sidera metitur, atque illa nec majora nec minora eſſe quam nobis apparent pronunciat. VIII. ad v. 770. Varias utriuſque Solſtitii, Æſtivi & Hyemalis, cauſas reddit, quo mo-

do Nox fiat, Cur Aurora Solem præcedat, cur Dies & Noctes viciſſim ſeſe ſuperent, cur Luna vultum & figuram variet, cur denique Sol ac Luna Eclipſin patiantur, diſputat. IX. Deinde a Cœlo deſcendens Herbarum, Arborum, Avium, Brutorum, Hominum origines deſcribit ad v. 835. X. Monſtra quoque, mutila quædam atque imperfecta Animalia naſci concedit, ſed Chimæras, Centauros, Scyllas, reliquaque Poëtarum portenta ſuaviter deridet ad v. 922. XI. Demum ad v. 1090. Primorum Hominum Vires, rudem Vitam, Cultum, Victum, Ingenium, Mores, Domicilia, Matrimonia deſcribit, & docet unde Sermo, Voces, & rerum Nomina. XII. Tandem poſt Ignem in Terras a Fulmine delatum cultior Vita, & Victus mollior, Pacta & fœdera inierunt Homines, Agros partiti ſunt, & Pulcherrimi aut fortiſſimi Reges conſtituuntur, at brevi orta Seditione Reſpublica emerſit ad v. 1160. XIII. ad v. 1240. diſputat de Deorum Metu, & de ortu Religionis, quam divinæ Naturæ & cauſarum Naturalium ignorantiæ acceptam refert. XIV. Quæ ſequuntur Metallorum ortum, primas bellandi artes, Artis Textrinæ, Agriculturæ, Muſices, & aliarum artium ortum atque progreſſum continent.



Frans van Mieris inv. et delin : V : *J. Wandelaar fecit.*

T. LUCRETII CARI
DE
RERUM NATURA
Liber Quintus.

Quis potis eſt dignum pollenti pectore carmen
Condere, pro rerum majeſtate, hiſque repertis?
Quiſve valet verbis tantùm, qui fingere laudes
Pro meritis Ejus poſſit, qui talia nobis
Pectore parta ſuo, quaeſitaque praemia liquit?

Nemo

INTERPRETATIO.

Quis tam excellenti ingenio præditus eſt, ut Encomium componere valeat, quod hæc admiranda Epicuri *inventa merentur? Quis Carminis tam peritus artifex, ut fingat laudes pares meritis illius, qui nobis reliquit tot tantaque munera ingenio ſuo acquiſita?*

VARIÆ LECTIONES.

1. *pollenti.* palanti c. P. polenti A. B. pallenti Q1. X. pallentis Q.
2. *majeſtate, hiſque repertis.* majeſtatiſque repertis C. E. N. P. Qm. X. majeſtatis atque Y. Z. majeſtate atque K.
3. *valet verbis tantum, qui fingere.* Ita C. E. F. K. N. Q. X. Y. Z. quis fingere P. valet tantum verbis, ut fingere D. queis pingere laudes A. B. quîs F.
4. *qui.* quia Y.

NOTÆ.

1. *Pollenti*] Codex Bert. habet *palanti*: alius, *patanti*. unde quid ſi quis faciat *præſtanti*? Lamb. *Polenti*, Sic legendum hinc libri quidam. *palenti*, & *palanti*. Gifan.

2. *Pro rerum majeſtate, hiſque repertis*] Cùm in libris vulgatis omnibus impreſſum eſſet,

——— ——— ——— *majeſtatiſque repertis*;

in Manuſcriptis autem partim ita ſcriptum repeririſſem,

——— ——— *majeſtate, hiſque repertis*;

partim ita,

——— ——— *majeſtate, atque repertis*,

ego illo potiùs modo excudendum curavi, non repugnaturus, ſi quis altero modo,

——— ——— *majeſtate, atque repertis*,

re-

Nemo (ut opinor) erit mortali corpore cretus.
Nam ſi, ut ipſa petit majeſtas cognita rerum,
Dicendum eſt: Deus ille fuit, Deus, inclute Memmi,

Qui

INTERPRETATIO.

Nemo, ut puto, mortalium hoc poteſt efficere. Nam ſi dicendum eſt, ut dignitas rerum ab illo explicatarum poſtulat, Ille Deus fuit, Deus inquam, O præclare Memmi,

VARIÆ LECTIONES.

7. *Nam ſi.* Nemo ſi P. C. Nemo ceu P. *in not.* Nam ſic Q. X.
8. *ille fuit.* ipſe fuit A. B. D. I. Z.

NOTÆ.

reponat. Lamb. *Hiſque repertis*, Ita veteres libri. Gifan.

3. *Qui fundere laudes*] Libri aliquot Manuſcripti habent *quis fingere*, aut *quis findere*: nonnulli, *quis figere*: vulgati partim *quis fundere*, partim *qui fundere*. quæ ſcripturæ omnes depravatæ videntur, niſi forte *qui fundere* retinendum eſt. Nam primum illud,

Quisve valet verbis tantum,

per ſe poſitum, novum & inuſitatum eſt. debet enim ſubſequi aliquid tale,

——— *ut ejus laudes deſcribere poſſit*,

aut quippiam aliud ſimile. deinde hoc totum,

——— ——— ——— *quis fingere laudes*, &c.

non ſincerum ſonat. ſignificat enim, veras laudes non futuras. At nonne ridiculum eſt profiteri ſe aliquem falſis laudibus ornare velle? Hæc cum mecum ipſe conſiderarem, exiſtimabam ſic aptiſſime & commodiſſime poſſe legi,

Quiſve valet verbis tantum, ut depingere laudes, &c.

vel,

——— ——— *ut deſcribere laudes*, &c.

Sed cum hæ conjecturæ nimium longe diſtarent à ſcriptura & vulgata, & antiqua; neutram earum ſum auſus recipere, maluique unam ex vulgatis tueri ac retinere,

——— ——— *qui fundere laudes*, &c.

ut *fundere laudes* intelligamus eſſe tranſlate dictum, quo modo illud lib. 1:

——— ——— *ſuaveis ex ore loquelas Funde:*

& infra non longe,

——— ——— ——— *fundere fata:*

à Cicerone, & Terentio, & aliis, *fundere verba, verſus, orationem, voces*, &c. Licet etiam per me ſic legere,

Quiſve valet tantum verbis, ut fundere laudes, &c. Lamb. *Queis pingere laudes*, ita conjectura ductus ſcripſi. In libris fere: *quis fingere*, vel ut in quibuſdam Vulgatis *fundere*. Quam phraſin non intelligo. Gifan. MSS. Codices conſtanter habent vel *fingere*, vel *fundere*; Giſanius autem legendum conjecit, *pingere*. In eum locum hæc, quæ ad rem faciant, ſcribit Interpres, dum illud *fingere* impugnat: *Deinde hoc totum*, quis fingere laudes, *&c. non ſincerum ſonat. ſignificat enim, veras laudes non futuras. At nonne ridiculum eſt profiteri ſe aliquem falſis laudibus ornare velle?* Sed ibi Vir doctus & memorioſus oblitus ſui eſt. *fingere* enim, ut ex infinitis locis M. Tullii conſtat, idem eſt ac πλάσσειν Græcorum, *figurare*, ſcilicet, *formare*, &c. unde & *fictores* qui Græcis ſemper, & Latinis nonnunquam, plaſtæ dicuntur. Egregia itaque metaphora uſus eſt Lucretius, quæ ſcilicet à *fictorum arte* ſeu *plaſtica* ducta ſit: ita Cicero in lib. de Orat. dixit, *volucres fingere atque conſtruere nidos:* alibi, *vis quæ finxit hominem.* in Acad. Iterum in cl. orator. *Peripateticorum inſtitutis commode fingitur oratio*, id eſt, πλάσσεται, συντίθεται. Sed Horatius, nonne in IV. dixit,

——— ——— ——— *operoſa parvus Carmina fingo?*

Quare hic locus Lucretii ſic legi, & tuto quidem, poteſt.

Quiſve valet verbis tantum, queis (id eſt *queis*) *fingere laudes. Pro meritis*, &c. Faber. *In Emend.*

Vide

Qui Princeps vitae rationem invenit eam, quae
Nunc adpellatur Sapientia: quique per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantiſque tenebris,

In

INTERPRETATIO.

qui primus invenit eam Vitæ rationem, quæ nunc appellatur Sapientia, *quique per Philoſophiam a ſe inſtitutam Vitam tantis fluctibus jactatam, tantaque caligine involutam,*

VARIÆ LECTIONES.

10. *adpellatur.* appelletur Q. *quique.* quippe per I.

NOTÆ.

Vide Emendationes. Manil. I. *In cœlo vibrantia fulmina fingunt.* FABER. *In Not.* Secutus ſum meliorum MSS. lectionem, utrumque tamen recte dicitur, nam & de Catone, verba ejus oraculis comparans, dixit Lucanus 9: 565.

Effudit dignas adytis è pectore voces.

De Poëtarum tamen labore *fingere* magis mihi placet, illos enim apibus quoque ceras fingentibus & libantibus floriferos ſaltus comparavit 3: 11.

Floriferis ut Apes, &c. HAV.

4. *Ejus*] Epicurum intelligit. FABER.

6. *Mortali corpore cretus*] *Cretus*, id eſt creatus. hunc locum graviter atque acriter exagitat Lactantius lib. 3. de falſa ſapientia. LAMB.

7. *Nam ſi, ut ipſa*] *Nam ſi ut* dactylus eſt, neque vocalis eliditur: quod ſæpe alias fieri admonuimus. ſic inf. eod. lib. 75.

——— *Terrarum qui in orbi ſancta tuetur Fana, &c.* LAMB.

8. *Deus ille fuit*] Libri manuſcr. habent, *Deus ipſe fuit.* LAMB. Errat Lactantius, qui exiſtimaverit hæc de Epicuro ſcripta non fuiſſe, ſed de Pythagora, Thalete, aut &c. Id certe refellit verſus ille, *Cujus ego ingreſſus veſtigia*, qui mox occurret. Hunc autem locum prorſus reſpiciebat Cicero, cum in I. Tuſcul. ſcripſit: *Quæ quidem cogitans, ſoleo ſæpe mirari nonnullorum inſolentiam Philoſophorum, qui naturæ cognitionem admirantur, ejuſque* inventori *&* principi *gratias exultantes agunt, eumque* VENERANTUR UT DEUM. *Liberatos enim ſe per eum dicunt* GRAVISSIMIS DOMINIS, *&c.* Hoc notaſſe profuerit. FABER. Vid. ỳ. 88.

Et dominos acres adſciſcunt.

Verùm Gratus Poëta agnoſcit per quem profecerat, & ſi revera metu, terroribus, ſuperſtitione homines Epicurus liberaſſet, cæteris Divis jure præferendus videretur. CREECH.

9. *Princeps*] Primus. ſic lib. 1: 95.

Quod patrio princeps donarat nomine regem.

Nonnulli vel ex hoc loco colligunt, non ſignificari Epicurum, ſed alium antiquiorem ſive Pythagoram, ſive Socratem, ſive unum aliquem è ſeptem, ſive ipſum Thaletem. Firmianus lib. 3. de falſa ſapientia cap. 14. *Unde apparet, eum* (inquit) *aut Pythagoram laudare, qui ſe primus* (*ut dixi*) *Philoſophum nominavit: aut Mileſium Thaletem, qui de rerum natura primus traditur diſputaſſe.* LAMB.

10. *Nunc appellatur Sapientia*] Sic Ennius lib. 7. ex Feſto:

Nec quiſquam ſophiam, ſapientia quæ perhibetur,
In ſomnis vidit prius quam ſam diſcere cœpit.

Sic enim primum verſum emendavi. in ſecundo autem verſu *ſam* idem valet quod *eam.* Sed quod ad hujus loci ſententiam attinet, eam maximè illuſtrant ea quæ loquitur Torquatus apud M. Tull. lib. 1. de finib. his verbis: *Nam cum ignoratione rerum bonarum & malarum maxime hominum vita vexetur, ob eumque errorem & voluptatibus maximis ſæpe priventur, & graviſſimis animi doloribus torqueantur, ſapientia eſt adhibenda, quæ & terroribus cupiditatibuſque detractis, & omnium falſarum opinionum temeritate derepta, certiſſimam ſe nobis ducem præbeat ad voluptatem. Sapientia enim eſt una, quæ mæſtitiam pellat ex animis, quæ nos exhorreſcere metu non ſinat: qua præceptrice in tranquillitate vivi poteſt, omnium cupiditatum ardore reſtincto.* LAMB. Nomen hoc ab Aliis Philoſophis relictum ſuæ Doctrinæ tribuerunt Epicurei, viri

In tam tranquillo, & tam clara luce locavit.
Confer enim Divina aliorum antiqua reperta.
Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus inſtituiſſe;
Quom tamen his poſſet ſine rebus Vita manere:
Ut fama eſt aliquas etiam nunc vivere genteis.

At:

INTERPRETATIO.

in tam tranquillum, & in tam claram lucem tranſtulit: Compara enim aliorum inventa propter quæ Divi habentur, Ceres fertur fruges, Bacchus vinum hominibus monſtraſſe, cum tamen ſine Frugibus & Vino, uti fertur aliquas gentes jam vivere, commode vitam ſuſtinere poſſint;

VARIÆ LECTIONES.

12. *locavit.* luce vocavit K. V. Y. Z.
13. *aliorum.* illorum X.
14. *fruges.* frugeſque Y.

NOTÆ.

quidem non ſemper nimis modeſti: Authorem quæris: adeſt Horatius nitidus iſtius gregis Porcus:

> *Parcus Deorum cultor & infrequens*
> *Inſanientis dum* Sapientiæ
> *Conſultus Erro.* Creech.

12. *In tam tranquillo, & tam clara luce locavit*] Vide ut paria paribus reddiderit: è *fluctibus* in *tranquillo*, è *tenebris* in *luce* vitam locavit. Errant autem, qui legendum cenſent *in tam tranquilla*, quaſi cohærere debeat cum voce *luce*. ſic enim dicimus, *eſſe in tranquillo*, & *referri in tranquillum.* Lucill.

> *Quodque te in tranquillum ex ſævis transfert tempeſtatibus:*

ex Nonio, in nomine *ſævus.* M. Tull. de Offic. lib. 1. *Quare in tranquillo tempeſtatem adverſam optare, dementis eſt: ſubvenire autem tempeſtati quavis ratione, ſapientis.* Lamb. Tale aliquid apud Lucilium; ſed & apud Terentium idem legas. Faber. Quidam MSS. iique non malæ notæ *vocavit*, vulgatam tamen lectionem præfero; quod enim *locatur in tranquillo* per otium poteſt conſiderari, quod in *luce clara*, ab omnibus poteſt conſpici. Hav.

13. *Reperta*] Εὑρήματα. *Inſtituiſſe*, inveniſſe. Faber.

14. *Namque Ceres*] Cum multa de Cerere tradita ſint à veteribus, tum hoc unum non videtur hoc loco prætermittendum, quod ſcriptum reliquit Diod. Siculus lib. 5. οὐκ ἄξιον δὲ παραλιπεῖν τῆς θεοῦ ταύτης τὴν ὑπερβολὴν τῆς εἰς τοὺς ἀνθρώπους εὐεργεσίας. χωρὶς γὰρ τῆς εὑρέσεως τοῦ σίτου, τήν τε κατεργασίαν αὐτοῦ τοὺς ἀνθρώπους ἐδίδαξε, καὶ νόμους εἰσηγήσατο, καθ' οὓς δικαιοπραγεῖν εἰθίσθησαν. δι' ἣν αἰτίαν φασὶν αὐτὴν θεσμοφόρον ἐπονομασθῆναι. τούτων δὲ τῶν εὑρημάτων οὐκ ἄν τις ἑτέραν εὐεργεσίαν εὕροι μείζονα. καὶ γὰρ τὸ ζῆν καὶ τὸ καλῶς ζῆν περιέχουσι. id eſt, *Non eſt autem prætereundum hujus Deæ (Cereris) immenſum in homines beneficium. Nam præter quam quod frumentum invenit, etiam ejus ſubigendi rationem docuit, & leges dedit, quibus juſtitiam colere didicerunt. Atque ob hanc cauſam dicunt eam legiferam eſſe nominatam. His autem beneficiis nullum majus reperiri poteſt. Nam & vivendi, & bene vivendi rationem continent.* Virg. Æn. 4: 57.

> ——— *mactant lectas de more bidenteis*
> *Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo.*

Idem lib. 1: Georg. 147.

> *Prima Ceres ferro mortaleis vertere terram*
> *Inſtituit, cum jam glandeis Dodona negaret.*

Et Orpheus,

> Γῆ μήτηρ πάντων, Δημήτηρ πλουτοδότειρα:

id eſt,

Tel-

At bene non poterat ſine puro pectore vivi.
Quo magis hic meritò nobis Deus eſſe videtur:
Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis
Dulcia permulcent animos ſolatia vitae.
  Herculis antiſtare autem ſi facta putabis,
Longius à vera multo ratione ferere;

Quid

INTERPRETATIO.

At ſine puro (a metu & cupiditate bene purgato) pectore commode vivere nefas eſt: quapropter potiori jure hic Epicurus *nobis videtur eſſe Deus, cujus præcepta per multas gentes diffuſa faciunt ut Homines tranquillam agant ſine metu & terrore vitam. Si vero credes egregia Herculis geſta plus utilitatis & beneficii quam* Epicuri *præcepta Hominibus afferre, magis magiſque à verò aberrabis.*

VARIÆ LECTIONES.

18. *At bene.* Ut bene K. 18. 19. 20. delet X.
20. *didita.* dedita P. Q. *recte in not. corrig.* didita P.
21. *animos.* animum Z.
22. *putabis.* putabas Z. *ſed ſuperſcr.* putabis.
23. *ferere.* referre Z.

NOTÆ.

Tellus omniparens, largitrix divitiarum,
Alma Ceres.

Sic ferè Arnobius lib. 1. Adverſ. genteis: *Si enim vos Liberum, quod uſum reperit vini; ſi quod panis, Cererem; ſi Æſculapium, quod herbarum; ſi Minervam, quod oleæ; ſi Triptolemum, quod aratri; ſi denique Herculem, quod feras, quod fures, quod multiplicium capitum ſuperavit compeſcuitque natrices, Divorum retuliſtis in cœtum: honoribus quantis afficiendus eſt nobis, qui ab erroribus nos magnis, inſinuata veritate, reduxit? qui velut cæcos, paſſim, ac ſine ullo rectore gradienteis, ab deruptis, ab deviis, locis planioribus reddidit?* LAMBIN.

14. *Liberque liquoris vitigeni laticem*] Liquoris vitigeni laticem, id eſt vinum. Virg. lib. 1. Georg. 7.

Liber & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta,
Poculaque inventis Acheloïa miſcuit uvis.

de Baccho cum multa Diodorus Siculus lib. 1. tum ibidem eundem *Oſirin* atque *Bacchum* fuiſſe narrat: multa ſimiliter & libr. 2. 3. 4. LAMB.

17. *Ut fama eſt aliquas*] Lege Diodorum Siculum lib. 3. de iis populis qui oram ſinus Arabici, & Troglodyticam regionem, & Æthiopiam Auſtralem ac meridionalem incolunt: quorum alii piſcibus, alii teſtudinibus, alii radicibus, alii frondibus, & ſeminibus, & fructibus arborum, & gramine; alii locuſtis veſcuntur, neque uſum, aut naturam frugum noverunt. LAMB. Id hodieque verum eſt; nam vix ſexta orbis pars triticum novit. FABER.

18. *At bene non poterat ſine puro*] Quia
Sincerum eſt niſi vas, quodcumque infundis aceſcit,
ut ait Horatius noſter 1. Ep. 2: 54. & idem 1. Ep. 50.
Valeat
inquit,
——— ——— ——— poſſeſſor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti. LAMB.

18. *Vivi*] *Agitari vita* haud poterat. FABER.

20. *Didita*] Diſperſa. LAMB.

21. *Solatia vitæ*] Sic libro ſexto ℣. 4.
Et primæ dederunt ſolatia dulcia vitæ. LAMB.

22. *Antiſtare*] Anteire, antecellere. Uſus eſt eodem verbo & Catullus ad Verannium:
Veranni, omnibus è meis amicis
Antiſtans mihi millibus trecentis.
ſic enim legunt nonnulli, cum vulgo legatur
Antiſtes mihi millibus trecentis. LAMB.

Quid Nemeaeus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille Leonis obeſſet, & horrens Arcadius Sus?
Denique quid Cretae taurus, Lernaeaque peſtis
Hydra venenatis poſſet vallata colubris?
Quidve tripectora tergemini vis Geryonaï?
Et Diomedis equi ſpirantes naribus ignem

Thra-

INTERPRETATIO.

Quid enim ingens ille Nemeæus Leo, quid horrendus (ſetoſus) Arcadius Aper hominibus hujus ætatis nocuiſſet? Denique quid Taurus Cretæ, quid Lernæa peſtis Hydra Serpentibus venenatis cincta in Nos commiſiſſet? Quid tricorporis Geryonis triplex robur? Et Diomedis Equi naribus ſuis ignem efflantes

VARIÆ LECTIONES.

28. *vis Geryonaï.* tergemini quoque Geryonæ vis? c. O. P.

30. *Tracen.* Tracia V. X. Z. *qui quoque hunc verſum ſequenti poſtponunt, & delent* unciſque t. Ung. Arc. volucres. *Legunt enim, ut & Q.* Tantopere officerent nobis Stymphala colentes.

NOTÆ.

23. *Ferere*] Sic habent duo libri Manuſcripti, & ita vulgati. alii *fereris*. nihil refert. LAMB.

24. *Quid Nemeæus*] Perſequitur aliquot Herculis labores: quorum primus fuit Leo Nemeæus, magnitudine inuſitata, neque ferro, neque ære, neque ſaxo vulnerabilis, ſed ſola vi manuum violabilis. Leonis autem hiatus περιφραστικῶς, id eſt leo. Sic apud Plautum in Perſa, ſtatim ab initio, Toxilus ille ait, *eum qui amans egens princeps ingreſſus eſt in amoris vias, ſuperaſſe ærumnis ſuis ærumnas Herculis*: deinde 1: 1: 3. aliquot Herculis labores enumerans;

Nam cum leone, & cum excetra, cum cervo, cum apro Ætolico,
Cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim,
Quam cum amore, &c. LAMB.

24. *Quid Nemeæus, &c.*] De Herculis laboribus ageretur, niſi pueri iſthæc noſſent; & alio properandum. FABER.

24. *Hiatus*] Λέουσι χάσμ' ὀδόντων. Anacreon. FABER.

25. *Et horrens Arcadius ſus*] Aper Erymanthius: qui tertius labor fuit. non enim ordinem ſervat Lucretius. Sic autem Virgilius *ſuem horridum* dixit libro quarto Georg. 407.

Fiet enim ſubito ſus horridus. LAMB.

26. *Cretæ taurus*] Quem Paſiphaë adamavit, ex quo natus eſt Minotaurus. quam de Paſiphaë fabulam tractat Virgilius in Sileno, ibi,

Paſiphaën nivei ſolatur amore juvenci.
Ah virgo infelix, quæ te dementia cepit? &c.

hic autem labor fuit ſeptimus. LAMB.

26. *Lern. q. peſt. hydra*] Cujus erant cervices centum, totidemque ſerpentium capita: quorum uno abſciſſo, duo renaſcebantur. LAMB.

27. *Vallata*] Cincta tanquam vallo. LAMBIN. Superius 2: 537.

In genere anguimanos Elefantos India quorum
Millibus e multis vallo munitur eburno. HAV.

28. *Quidve trip. terg.*] *Geryo*, ſeu *Geryones*, Chryſaoris Iberiæ regis filius, *tergeminus*, & *ter amplus*, & *triceps*, & *tricorpor* ideo à poëtis dictus: quia tres fratres erant, viribus corporis præſtantes. Virgilius libro octavo: 202.

Tergemini nece Geryonis, ſpoliiſque ſuperbus.

Horat. Od. 14. lib. 1: 8.

——— ——— qui ter amplum
Geryonen, Tityonque triſti
Compeſcit unda.

de hoc lege Pauſan. Attic. & Elic. & Diod. Sicul. libro 4. fuit autem hic decimus labor. LAMBIN.

29. *Et Diomedis equi*] Hic fuit octavus. Diome-

Thracen, Biſtoniaſque plagas, atque Iſmara propter,
Tantopere officerent nobis? unciſque timendae
Unguibus Arcadiae volucres Stymphala colentes?
Aureaque Heſperidum ſervans fulgentia mala
Aſper, acerba tuens, immani corpore Serpens,
Arboris amplexus ſtirpem: quid denique obeſſet,

Pro-

INTERPRETATIO.

in Thracia, regionibus Biſtoniis, & circa montem Iſmarum, quid Damni nobis intuliſſent? Arcadiæ volucres lacum Stymphala colentes, & uncis unguibus horrendæ, & ingens ille Serpens cuſtos Heſperidum hortorum aureis pomis fulgentium, immitis, atroci aſpectu, & mole corporis immanis & truncum arboris amplexus, quo inquam damno

VARIÆ LECTIONES.

35. *ſtirpem.* ſtipites? quid c. O. P.

NOTÆ.

medis ſive equi, ſive equæ, χαλκᾶς φάτνας εἶχον διὰ τὴν ἀγριότητα, &c. (inquit Diodor. Sic.) id eſt, *ærea præſepia habebant propter immanitatem ac feritatem*: catenis ferreis propter roboris præſtantiam vinciebantur: alebantur autem non hordeo, aut avena, aut alio cibo è terra nato, ſed corporibus humanis membratim diſcerptis ac dilaceratis. Virgilius libro 10: 581.

Non Diomedis equos, non currum cernis Achillis?

Sed Diomedes ille, alius eſt ab hoc. LAMBIN. Thracem Diomedem intellige. FABER.

30. *Thracen*] Propter Thracen, id eſt, prope Thraciam, erat enim hic Diomedes, Thrax, ſeu Threx. LAMB.

30. *Biſtoniaſque*] Thracias, à Biſtonia urbe, vel à ſtagno Biſtone: ex quo Biſtonides. Horat. Od. 19: 20. lib. 2:

Biſtonidum ſine fraude crines. LAMB.

32. *Arcad. voluc. Stymph. col.*] Hic fuit quintus. *Stymphalus*, urbis & montis nomen in Arcadia, & *Stymphalis palus*: unde *Stymphalides aves*, quæ magnitudine gruibus pares erant (ut tradit Pauſan. in Arcad.) figura ibibus ſimiles: roſtra habebant ita ſolida & dura, ut arma penetrarent: ſuberi autem ſoli cedebant. *Stymphalia monſtra* appellat Catullus carm. ad Manlium:

Tempore, quo certa Stymphalia monſtra ſagitta
Perculit imperio deterioris heri.

eas aveis ſagittis ſuis confixit Hercules, ut declarant verſus Catulli, & tradit Pauſan. Arcad. Sed Diodorus Siculus ſcribit libro quarto, eum conſtructo æneo crepitaculo, & ingenti per id ſonitu excitato illas abegiſſe. LAMB.

32. *Aureaque Heſperidum*] Duodecimus hic fuit Herculi labor injunctus ab Euryſtheo, ut ex hortis Heſperidum mala aurea, ſeu oveis aureas aſportaret: (nam μῆλον apud Græcos utrumque ſignificat) quorum cuſtos erat draco pervigil. de hoc autem dracone, & de Heſperidibus lege Diodorum Sic. lib. 4. Virgil. Æn. 4: 483.

——— ——— ——— monſtrata ſacerdos,
Heſperidum templi cuſtos, epulaſque draconi
Quæ dabat, & ſacros ſervabat in arbore ramos.

Ordo autem eſt hic, & hæc ſententia: Et ſerpens ille, ſive draco, ſervans aurea mala Heſperidum, aſper, horribili adſpectu, immani corpore, arborem amplexus, quid tandem obeſſet, juxta litus Atlantæum, id eſt maris Atlantici, ad quod neque quiſquam Romanus adit, neque quiſquam barbarus audet adire? LAMB.

34. *Acerba tuens*] Acerbo aſpectu, acerbè intuens. imitatus eſt Virg. Georg. 3: 149.

Aſper, acerba ſonans. LAMB.

35. *Stirpem*] Truncum. Virg. Æn. 12: 781.

——— ——— lentoque in ſtirpe moratus.

ibidem, 208.

Cum ſemel in ſilvis imo de ſtirpe reciſum
Matre caret. LAMB.

36. *Pro-*

Propter Atlantaeum littus, pelageque ſevera,
Quo neque noſter adit quiſquam, neque Barbarus audet?
Caetera de genere hoc quae ſunt portenta perempta,
Si non victa forent, quid tandem viva nocerent?
Nil, ut opinor: ita ad ſatiatem terra Ferarum

Nunc

INTERPRETATIO.

Mortales ille affeciſſet, cum remotus jacuerit juxta Littus Atlantæum, & inhoſpitale æquor, quæ loca neque Romanus aliquis, neque Barbarus penetrare audet? Reliqua ejuſdem generis monſtra quæ ille Hercules occidit, ſi non occidiſſet, ſi jam viverent, quid nocerent? Nil, uti puto; Namque etiam

VARIÆ LECTIONES.

36 *Propter Atlantæum littus.* Oceani propter litus C. E. N. P. *in not.* Oceanum propter littus P. X. Oceanum propter latum *priſci codd.* P. *in not.* Propter Atlantarum D. Prope Aectianeum littus Q1. Propter Atianeum Y. Z. *quorum* Z. *pro V. L. habet* Atianeam, *ſed quam corrigit.* *pelageque ſevera.* Pelagique ſonora P. C. E. N. X. Pelagique ſevera Q1. V. Y. Z.

39. *Si non victa.* Si non juncta Q. non ſic victa X. ſed non juncta Y. ſed non vincta Z. *quid.* qui P. X.

NOTÆ.

36. *Propter Atlantæum littus*] Cum in omnibus libris Manuſcriptis, quos quidem viderim, Vaticano, Tett. Faërn. Bertin. Memm. ſcriptum reperiſſem,

Propter Atianeum litus;

in vulgatis autem,

Oceani propter litus:

deque hac ſcripturæ diſſimilitudine cum Adrian. Turnebo communicaſſem, meamque ſuſpicionem & conjecturam ei aperuiſſem, quam faciebam ex antiqua ſcriptura, cum dicerem, in voce *Atianeum* ineſſe aliquid ulceris, & fortaſſe maris Atlantici litus ſignificari: ille meam ſuſpicionem comprobans, ſic legendum eſſe judicavit *propter Atlantæum littus*, atque ita excudendum, immutatione facta ſcripturæ veteris, nempe mutato *i* in *l*, & ex *e* vocali, facta diphthongo *æ*, & addito *t*. quæ emendatio minime violenta eſt. Quod autem in ſecunda editione, vulgata lectio retenta eſt, hujus facti culpam typographus ſuſtinere debet. Lamb. Egregie Lambinus ex veteribus libris. Vulgati:

Oceani propter, pelagique ſonora.

Gifan. & Voss. *De Analog. lib.* 1. *cap.* xli.

36. *Pelageque ſevera*] Sic habent libri quinque Manuſcripti. per *pelage ſevera* autem intellige non navigabilia, & quæ non præbent ſe navigantibus placata, aut facilia, ſed infeſta, & inimica. Sic Plautus in Trinummo, 4: 1: 6. *Neptunum ſeverum* dicit. Sic enim ille: *Namque te omnes ſævumque, ſeverumque, atque avidis moribus commemorant.* ſic Virgilius libro tertio Georg. 35.

Invidia infelix Furias, amnemque ſeverum
Cocyti metuet.

Iterum Plautus Ciſtell. 3: 15.

Haud voluiſti iſtuc ſeverum facere?

quo loco Melænis meretrix Alceſimarchum adoleſcentem alloquitur, qui ſe, ferrum tenens, interficere voluerat. Licet tamen fortaſſe legere *ſonora*, ut habent libri vulgati nonnulli. qua de re judicent eruditi: ego interea nihil muto. Vide ſupra libro quarto: 462.

——— ——— ——— *ſevera ſilentia noctis*
Undique cum conſtant, &c.

pelage autem Græcum eſt, πελάγη, ut μέλη *mele.* ſic libro ſexto: 619.

At pelage multa & late ſubſtrata videmus.

Lambin. Στυγνὸν πέλαγος. *amnemque ſeverum,* Virgil. de Acheronte. Faber. Eadem voce utitur Manilius lib. 2: ℣. 190.

Atque hæc Seditio Pelage nunc ſidere Lunæ
Mota tenet: Creech.

37. Quo

Nunc etiam ſcatit, & trepido terrore repleta eſt
Per nemora ac monteis magnos, ſylvaſque profundas:
Quae loca vitandi plerumque eſt noſtra poteſtas.
At niſi purgatum eſt pectus, quae proelia nobis,
Atque pericula tunc ingratîs inſinuandum?

Quan-

INTERPRETATIO.

nunc feris abundat, & plena eſt monſtrorum, quæ trepidum terrorem incutiunt per nemora, magnos montes, & denſas Sylvas: quæ tamen loca commode vitare poſſumus: At niſi Animi noſtri ſint purgati, quot tumultibus agitaremur, quæ pericula nos miſeros manerent?

VARIÆ LECTIONES.

41. *ſcatit.* ſcatet, & C. ſenet, & c. O. P. ſentit Q. X. ſtaret Qr.
44. *At.* ac P.
45. *tunc ingratis.* eſt ingratis a. ſunt ingratis C. E. Q. V. Y. Z. *Gaſſ.* P. ſe inſinuant dum V.

NOTÆ.

37. *Quo neque noſter adit quiſquam*] Cicero certe aſſerit ſua tempeſtate non latius navigari ſolere quam ab oſtiis Ponti Euxini ad Columnas Herculis. Faber.

40. *Nam ad ſatiatem*] Nam etiam hodie ad ſatietatem, πρὸς κόρον: id eſt, valde repleta eſt terra ferarum. de hac voce alibi. Lamb. & Voss. *De Analog. lib.* I. *cap.* 48. *& de Conſtruct. cap.* XXX.

41. *Scatit*] Sic legendum, & ita habent libri aliquot manuſcripti, non *ſcatet.* ſic infrà: 597.

Largiſſimum fontem ſcatere atque erumpere flumen.

ſic apud hunc *fulgit, fervit*, &c. codex Bertinianus tamen & Memm. habent, *Nunc etiam ſonet.* unde quidam faciunt *ſenet.* quo verbo utitur & Catullus carm. ad Faſelum:

——— ——— ——— *nunc recondita*
Senet quiete. Lamb.

43. *Quæ loca*] Subaudi *tamen.* Quæ *tamen* loca. Faber.

44. *Quæ prœlia nobis Atque pericula tunc ingratîs inſinuandum*] Id eſt, quæ tunc prœlia inire, quæque pericula adire nos oportet vel invitos? *inſinuandum*, ſubintellige *eſt:* id eſt, inſinuare & ſubire nos oportet. *ingratiis*, id eſt, velimus nolimus. ſic ſuprà lib. 3: 1282.

——— ——— *at, quod ſcilicet, (ut fit)*
Effugere haud potis eſt, ingratiis hæret, & angit.

ad quem verſum notavimus, *ingratiis* nomen eſſe potius, quam adverbium. quod ſi cui adhuc minus probatum, aut perſuaſum ſit: fidem fecerit (opinor) illud Plautinum Mercatore *tuis ingratiis:* in ſcena, cujus principium eſt, *Pentheum diripuiſſe*, &c. Cum in libris omnibus legeretur,

Atque pericula ſunt ingr. &c.

ego

Atque pericula tunc.

repoſui: quæ ſcriptura ſine controverſia recta eſt; altera autem depravata. Hunc locum Zoilus, ab ingenio & inſtituto ſuo non diſcedens, ſecutus eſt tacitus & diſſimulans, tamquam integrum in aliis libris repertum, & non à me emendatum. Lamb. *Tunc ingratis* In libris: *ſunt.* non recte. Gifan. in priori edit. *Eſt ingratîs*, ſic ſcripſi. In omnibus veteribus: *ſunt.* Marullus, & Vulgati: *tunc.* Vide *Verſuum Hiatus.* Gifan. in altera edit.

45. *Inſinuandum*] Prœlia inſinuandum, id eſt, ſubeunda ſunt prœlia. Faber. Si Saturnium audimus, gerundia hæc uſurpantur in nominativo plurali, quod fieri cenſet in hoc Lucretii, ubi *inſinuandum* poni cenſet pro *inſinuanda.* Sed fallitur. Nam *pericula* eſt caſus incuſativus; quia ut dicimus *inſinuo* vel *fugio pericula*, ſic *inſinuandum*, vel *fugiendum pericula.* Eſt igitur rectus, ſed ſinguli

Quantae conſcindunt hominem Cuppedinis acres
Sollicitum curae? quantique perinde timores?
Quidve Superbia, Spurcities, Petulantia, quantas
Efficiunt cladeis? quid Luxus, Deſidieſque?
Haec igitur qui cuncta ſubegerit, ex animoque
Expulerit dictis, non armis; nonne decebit,
Hunc Hominem numero Divûm dignarier eſſe?

Quom

INTERPRETATIO.

quam acerbæ ſollicitudines à Cupiditate ortæ anxium hominem lacerarent? quanti ſimiliter timores? Quantas calamitates afferrent Superbia, Spurcities, Laſcivia? quantas Luxuria & Deſidia? Igitur qui hæc cuncta ſubegit, & præceptis non armis ex Animo expulit, non æquum eſt ut hunc Hominem inter Divos numeremus?

VARIÆ LECTIONES.

46. *conſcindunt.* cum ſcindunt *quidam.* tum ſcindunt P. Y. Z. *Cuppedinis.* cupedines N. Y. Z.

48. *Spurcities, Petulantia.* ſpurcitia, ac petulantia A. B. C. D. E. P. X. Y. Z. ſpurcitia & pet. Q

49. *Deſidieſque* deſidiæque C. P. X. Y. Z.

51. *decebit.* decebat K.

NOTÆ.

guli numeri. Voss. *De Analog. lib.* III. *cap.* X.

46. *Cuppedinis*] Id eſt cupiditatis. idem lib. 6: 24.

Et finem ſtatuit cuppedinis atque timoris.

& ſup. lib. 4: 1083.

Tam magis ardeſcit illa cuppedine pectus:

& item ſæpe. *Cupiditates* (inquit M. & Tull. de Finib.) *ſunt inſatiabiles, quæ non modo ſingulos homines, ſed univerſas familias evertunt: totam etiam labefactant ſæpe remp. Ex cupiditatibus, odia, diſſidia, diſcordiæ, ſeditiones, bella naſcuntur.* Ibidem ſub perſona Torquati dicit, Epicurum tria genera cupiditatum poſuiſſe: unum earum quæ eſſent & naturales, & neceſſariæ; alterum earum quæ naturales eſſent, nec tamen neceſſariæ; tertium earum quæ nec naturales eſſent, nec neceſſariæ, &c. LAMB. Cupiditatis. FABER.

47. *Perinde*] Similiter. LAMB.

48. *Spurcities, Petulantia*] Quidam libri habent *ſpurcities, petulantia,* &c. ἀσυνδέτως. quos ſequor. Nam in aliis eſt, *ſpurcitia, ac petulantia,* &c. minus recte. LAMB. Spurcus, ἀσυρής: Qui, ut interpretatur Polybius lib. 17. ὁλοσχερῶς εἰς ἀσέλγειαν ἐξώκειλε. Vide Caſaubonum ad Theophraſti characteres p. 180. CREECH.

50. *Subegerit*] Horat. lib. 2. Epiſt. 1: 11.

Notaque fatali portenta labore ſubegit. LAMB.

51. *Dictis, non armis*] Id eſt, verbis & rationibus, non ferro neque telis, neque corporis viribus, ut Hercules. Sic M. Tull. lib. 1. de natura Deorum, non longe ab extr. *At quomodo in his loquitur? ut Coruncanium aut Scævulam pontifices maximos te audire dicas, non eum, qui ſuſtulerit omnem funditus religionem: nec manibus, ut Xerxes, ſed rationibus, Deorum immortalium templa & aras everterit. Quamquam Herculem illum Gallicum Galli illi exiſtimabant plura confeciſſe lingua, ratione, & conſilio, quam viribus, lacertis, & ferro.* LAMB. *Non armis*, ut Hercules. FABER.

52. *Hunc Hominem*] Sive Pythagoram, ſive Thaletem, ut vult Firmianus. LAMB.

52. *Numero Divûm dignarier*] Profectò decebit. Nam cum animi ratio nobis ſit cum diis communis, corporis vires vero cum beſtiis: is qui viribus & lacertis, & armis urbeis expugnat, & res magnas gerit, parum differt à bellua. Qui vero ratione, & conſilio, & oratione rerum potitur, & res magnas adminiſtrat, is

ho-

Quom bene praeſertim multa, ac divinitus ipſis
Immortalibus de Divis dare dicta fuerit:
Atque omnem rerum Naturam pandere dictis.
  Quoius ego ingreſſus veſtigia, nunc rationes
Perſequor, ac doceo dictis, quo quaeque creata

Foe-

INTERPRETATIO.

Præcipue cum idem Vir multa de Diis ipſis immortalibus præclare docuit, totamque naturam rerum optime explicavit. Ego vero illum ducem ſequutus Philoſophor, & doceo quam neceſſum eſt omnes res creatas

VARIÆ LECTIONES.

53. *divinitus ipſis.* divinitus ipſa D.
54. *Immortalibus de.* Jam mortalibus O. P. Y. *de Divis.* è divis C. E. N. O. P. Q1. V. Y. Z.
56. *nunc.* dum rationes D. E. N. Y. Z. *Creech.*
57. *Perſequor.* Profequor Q1.

NOTÆ.

hominis proprio munere fungitur. Quare laudandi ſunt Lacedæmonii, qui cum alioqui eſſent militares & bellicoſi, legibuſque fere omnibus uterentur ad rem militarem comparatis, tamen ei qui rem aliquam præclaram & laudabilem conſilio & ratione adminiſtraſſet ac perfeciſſet, majorem laudem, quam ei qui viribus & armis, tribuebant. Itaque re bene geſta hic gallum, ille bovem immolabat. teſtis Plutarchus in Marcello. LAMB.

54. *Immortalibus de Divis*] Sic reſtitui, uſum & conſuetudinem Latini ſermonis ſecutus. Nam ſic loquuntur Latini: *ſermo de Divis: dicta*, ſeu *verba de Divis.* LAMB. *De divis*, librum Epicuri περὶ ὁσιότητ@ intelligit. FABER.

55. *Pandere dictis*] Sic lib. 1: 55.
——— *& rerum naturam pandere dictis.* LAMB.

56. *Quoius ego ingreſſus veſtigia, nunc rationes*] Olim in prima editione, cum ſcripturam receptam, &, quæ in omnibus fere libris vulgatis reperitur,

Cujus ego ingreſſus veſtigia dum rationes
Perſequor.

ſecutus eſſem: ſcripſeram, hunc verſum pertinere & referendum eſſe ad verſum abhinc decimum, cujus principium eſt,

Quod ſupereſt, nunc huc rationis detulit ordo.

& eſſe ἀνακόλουθον propter longum hyperbaton. Sic enim videri Lucretium loqui debuiſſe:

Cujus me ingreſſum veſtigia dum rationes
Perſequor, &c.
Quod ſupereſt, nunc huc ration. detul. ordo, &c.

Alioqui quomodo illud,

Cujus ego ingreſſus veſtigia,

apte cohærere poſſit cum his,

Quod ſupereſt nunc huc, &c.

non facile expediri poſſe. Itaque ſic putaveram eſſe ſcribendum: & vero ſic à Lucretio eſſe ſcriptum,

Cujus me ingreſſum veſtigia.

Poſt ea, re attentius conſiderata, & libris omnibus de integro conſultis: cum in uno atque altero lib. Manuſcript. & in aliquot vulgatis ita reperiſſem,

Cujus ego ingreſſus veſtigia, nunc rationes
Perſequor.

hanc eſſe veram & rectam ſcripturam judicavi, qua probata, nihil jam erit ἀνακόλουθον, nullum hyperbaton. ſequetur enim decem poſt verſibus,

Quod ſupereſt, nunc huc, &c.

per ſe, & ſeparatim legendum atque accipiendum, neque, ut ab hoc loco pendens, intelligendum. LAMB. ℣. 36. habes libri argumentum, Probabit enim Poëta Mundum aliquando incepiſſe,

Foedere ſint, in eo quam ſit durare neceſſum:
Nec validas aevi valeant reſcindere leges.
Quo genere in primis Animi natura reperta eſt
Nativo primum conſiſtere corpore creta:
Nec poſſe incolumis magnum durare per aevom.
Sed Simulacra ſolere in ſomnis fallere mentem,
Cernere quom videamur eum, quem vita reliquit.

Quod

INTERPRETATIO.

exiſtere ea conditione qua primum factæ ſunt, neque poſſe (validas ævi leges reſcindere) durare ultra ſpatium a Natura fixum & conſtitutum. Inter res creatas inveni & demonſtravi Animas mortales eſſe, naſci & interire, neque in æternum integras manere poſſe, Sed Simulachra in Somnis ſolere mentem fallere, ita ut videamur cernere eum, quem olim reliquit Vita.

VARIÆ LECTIONES.

59. *ævi valeant.* valeant ævi K. Q. X. Y. Z.
62. *incolumis.* incolumem P. C. Q. Q1. X. Y. vinculum eſt Z.
64. *videamur.* videantur Q.

NOTÆ.

piſſe, aliquando etiam periturum, Deinde Mundi & Animalium originem deſcribet, docebit quæ Animalia naſci potuerunt, quæ finxit Poëtarum vanitas & Vulgi ſuperſtitio: Quomodo Nomina rebus impoſita, & mutua per voces commercia, unde Religio & metus Deorum dicet. Denique Solis, Lunæ, Syderum curſus explicabit, Eaque Sola vi Naturæ, nulla vero Providentia volvi demonſtrabit. Niſi enim motus cœleſtes expiicet, haud facilè tollet omnem de Providentia opinionem: Nam Religio, ut primo libro obſervat,

Caput e Cœli regionibus oſtendit. Creech.

56. *Nunc Rationes*] Ita in veteribus quibuſdam & noſtris melius, quam in aliis: *dum.* Gifan. Alii *dum rationes*, & forſan meliùs. Creech.

60. *Quo genere in primis*] Lib. 3. Lamb.

62. *Nec poſſe incolumis*] Sic lib. 3: 604.

Non modo non omne incolumis durare per ævum,
Sed minimum quodvis neque conſ. temp.

vel ut in omnibus lib. legitur,

Non modo non omnem poſſit dur. per ævum &c.

Quod autem hic nonnulli libri vulgati habent,

Nec poſſe incolumem, &c.

mendoſi ſunt: & legendum,

Nec poſſe incolumis, &c.

quo modo edendum curavi. Nam præterquam quod veteres codices aliquot hanc lectionem confirmant, etiam ratio adjuvat. Hic enim eſt ordo verborum: Et reperta eſt anima non modo non poſſe incolumis o. d. p. æv. Sed ſimulacra in ſomnis mentem fallere reperta ſunt. Lamb.

63. *Sed Simulacra*] Quæ *ſimulacra* vulgus pro animis à corpore ſeparatis accipit. Vide Gafarelli collectionem de *Taliſmanis.* Faber.

64. *Cernere uti videamur*] Cum in codice Vaticano ſcriptum reperiſſem,

Cernere ut videamur, &c.

ego ſic repoſui,

Cernere uti videamur, &c.

Nam vulgati codices habent,

Cernere cum videamur, &c. Lamb.

65. *Quod ſupereſt*] Nunc inſtituit docere, mundum eſſe natum, & interiturum. Scripſeram autem olim, hunc verſum pendêre ab illo verſu qui eſt ſupra,

Cujus ego ingreſſus veſtigia, dum rationes
Perſequor, &c.

ut

Quod ſupereſt, nunc me huc Rationis detulit ordo,
Ut mihi, mortali conſiſtere corpore Mundum,
Nativomque ſimul, ratio reddunda ſit, eſſe:
Et quibus ille modis congreſſus Materiaï
Fundârit Terram, Coelum, Mare, Sidera, Solem,
Lunaïque globum; tum quae tellure Animantes
Exſtiterint: & quae nullo ſint tempore natae.
Quove modo genus Humanum variante loquela
Coeperit inter ſe veſci per nomina rerum:

Et

INTERPRETATIO.

Deinde inſtituti mei ratio, atque Epicuri doctrinæ ordo poſtulat, ut docerem Mundum Mortalem, aliquando incepiſſe, aliquando periturum eſſe: & ut demonſtrarem quibus modis Semina caſu & temere convenientia Cœlum, Terram, Mare, Sidera, Solem, & Lunæ orbem conſtruxerunt: ut docerem inſuper, quæ Animalia e Terra orta ſunt, & quæ nunquam extiterunt, licet ab aliquibus credantur extitiſſe: Quo etiam modo Homines lingua ſonos variante rerum nomina invenerunt, & cœperunt confabulari.

VARIÆ LECTIONES.

65. *nunc me huc.* nunc huc A. B. C. D. E. N. P. Y. Z.
73 *veſci.* noſci per C. E. N. P. Q1. X. noſti per Q.

NOTÆ.

ut vulgo legitur. hocque addideram, fortaſſe ſic eſſe legendum,

Cujus me ingreſſum veſtigia, dum rationes
Perſequor, &c.

Nunc autem nihil opus eſt immutare, ſi ita legatur, ut edidimus,

Cujus ego ingreſſus veſtigia, nunc rationes
Perſequor, &c.

neque hac lectione probata, hic verſus *Quod ſupereſt, &c.* ab illo pendebit: ſed per ſe legetur, ut diximus. Porro quod ad hujus loci ſententiam attinet. Plato mundum natum quidem facit non tamen interiturum: non quod natura ſua ſit ſempiternus, aut quod neget, id omne quod oritur, interire: ſed propter bonitatem opificis Dei, qui nolit opus tam præclarum ac perfectum diſſolvi. Ariſtoteles putat neque eſſe natum, neque interiturum. Epicurus & natum, & interiturum. quicquid enim natum ſit, etiam interire. ſic Arnobius lib. 2. *Mundum quidam ex ſapientibus exiſtimant neque eſſe natum, neque ullo tempore periturum: immortalem nonnulli, quamvis eum conſcribant eſſe natum & genitum. Tertiis collibitum dicere eſt, & eſſe natum, & genitum, & ordinaria neceſſitate periturum.* Quomodo autem mundus ex corporibus primis conflatus & concretus ſit, docebit infra eodem lib. 418.

Sed quibus ille modis congreſſus Materiaï
Fundarit cælum, &c. LAMB.

65. *Huc*] Junge cum τῷ *Ut*, verſu ſequenti. Itaque mundum eſſe *interibilem* (ſic loquitur Tertullianus,) nunc probabit. FABER. *Huc rationis*, Vulgati: *me huc.* ſed τὸ *me*, a veteribus fere abeſt. GIFAN.

68. *Congreſſus Materiaï*] Concilium primorum corporum, coitus & cœtus primordiorum. LAMB.

71. *Quæ nullo tempore*] Intellige Chimæras, Centauros, Scyllas, Hermaphroditum, &c. FABER.

73. *Cœperit inter ſe veſci*] Sic reſtitui partim ſecutus fidem codicum manuſcriptorum, partim Nonii Marcelli teſtimonio adductus, qui ſic legit hunc verſum, & *veſci* interpretatur *uti. Veſci* (inquit) *etiam ſignificat uti. Virgil. Æn.* 1: 550.

Gg 2 *Quem*

Et quibus ille modis Divôm metus inſinuârit
Pectora, terrarum qui in orbi ſancta tuetur
Fana, Lacus, Lucos, Aras, Simulacraque Divôm.
Praeterea, Solis curſus, Lunaeque meatus
Expediam, qua vi flectat Natura gubernans:
Ne forte haec inter Coelum, Terramque reamur
Libera ſponte ſua curſus luſtrare perenneis,

Mori-

INTERPRETATIO.

Quo denique modo Hominum mentes invaſit ille Deorum metus, qui per orbem terrarum conſervat Fana, Lacus, Lucos, Aras, & Imagines Deorum. Præterea docebo, qua vi Solis Lunæque curſus regens Natura dirigat, Ne forte credamus iſta Sidera ſponte ſua inter Cœlum & Terram perpetuo ſe volvere,

VARIÆ LECTIONES.

75. *qui.* quin Q1.
78. *vi flectat.* vis flectat K.
79. *hæc.* Ita repoſuimus ex D. *Lamb.* Q1. Y. Z. *Reliqui* hîc. *ſed* hoc Q.

NOTÆ.

Quem ſi fata virum ſervant, ſi veſcitur aura
Ætherea.

Lucret. lib. 5: 73.

Quove modo, &c.

Pacuvius:

Fugimus, qui arte hac veſcimur.

Idem arm. judicio:

Qui viget, veſcatur armis, & percipiat præmium.

Etiam hujus loci emendationem ſequitur, & tacitus probat Zoilus, eam præteriens, tamquam lectionem vulgatam, & in omnibus libris repertam: cum libri vulgati habeant, *inter ſe noſci, &c.* LAMB.

73. *Veſci*] Uti. Locus à Lambino reſtitutus. FABER.

74. *Inſinuarit Pectora*] Virg. 2. Æneid. 228.

Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Inſinuat pavor.

ubi ſimilem ex Clodio locum notat Servius: *Inſinuem intro eam penitus.* Sed & *ingeminare*, & *inſtigare*, ita uſurpari doctiſſimus Grammaticorum Voſſius docuit lib. 3: de Analogia cap. 3. HAVERCAMP.

75. *Terrarum qui in orbi*] In provocabulo *qui*, *i* vocalis non eliditur, & corripitur: quod non eſſe novum ſæpe admonuimus. qui Deorum metus (inquit) tuetur Deorum fana, lacus, lucos, aras, ſimulacra: id eſt facit, ut homines fana, &c. quæ ſupra dicimus, Diis immortalibus conſecrent. LAMBIN. *Orbi*, Recta hæc eſt ſcriptura pro *orbe*. Ita dixerunt, *parti*, *poſti*, *ſordi*, *forti*, *vecti*, *ungui*. Confer Voſſ. de Analog. 1: 12. HAV.

78. *Natura gubernans*] Sic infra paucis poſt verſibus:

Quod procul à nobis flectat fortuna gubernans,

(vel; ut aliis in libris legitur,

——— ——— ——— *Natura gubernans.*)

Sed nonne hæc pugnant inter ſe, Deos facere otioſos, aut negare, eos curam habere rerum humanarum, & ponere naturam gubernantem? Non pugnant. Vult enim Epicurus, Deos eſſe beatos: beatos autem eſſe non poſſe exiſtimat, niſi ſint ab omnibus negotiis vacui ac ſoluti: multo igitur minus, ſi mundum regant, & curis rerum humanarum implicentur. naturam autem ponere gubernantem, non pugnat cum illa opinione, Deos omni cura & negotio eſſe vacuos ac ſolutos. Hoc enim ſignificat, nullum alium

eſſe

Morigera ad fruges augendas, atque animanteis:
Neve aliqua Divôm volvi ratione putemus.
Nam, bene qui didicêre Deos ſecurum agere aevom,
Si tamen interea mirantur qua ratione
Quaeque geri poſſint, praeſertim rebus in illis,
Quae ſupera caput aetheriis cernuntur in oris;
Rurſus in antiquas referuntur Religiones,

Et

INTERPRETATIO.

eo tantum fine ut Fruges atque Animalia creſcere faciant; Ne etiam putemus ab imperante & dirigente aliquo Deo circumferri: Nam qui bene didicerunt Deos ſummo in otio vitam ſuam agere, ſi forſan admirentur qua ratione res ſingulæ fieri poſſunt, præcipue quæ ſupra caput in locis cœleſtibus cernuntur, in Antiquas Religiones iterum relabuntur,

VARIÆ LECTIONES.

83. *didicere:* dixere Q.
86. *ſupera.* ſupra Q. X. *ætheriis.* ætheris Y. æthereis Z.

NOTÆ.

eſſe hujus mundi gubernatorem, quam naturam. Sic Minucius in Oct. *Etiam Epicurus ille, qui Deos otioſos fingit, naturam tamen ſuperponit.* LAMBIN. Per *Naturam* nihil intelligit Lucretius præter Atomorum in hanc mundi compagem temere conjectarum vim & motum. CREECH.

79. *Ne forte hæc*] Sic habent libri manuſcripti quinque. *hæc* autem, nempe ſolem & lunam. vulgati porro habent, *Ne forte hîc.* LAMB.

81. *Morigera*] Obſequentia, ſeſe accommodantia. LAMB.

82. *Neve aliqua Divûm*] Diogenes Laërtius. Καὶ ἡ θεία δύναμις πρὸς ταῦτα μὴ προσαγέσθω· ἀλλὰ ἀλειτούργητος διατηρείσθω, καὶ ἐν τῇ πάσῃ μακαριότητι· ὡς εἰ μὴ τοῦτο πραχθήσεται, ἅπασα περὶ τῶν μετεώρων αἰτιολογία ματαία ἔσται. id eſt, *Et divina poteſtas ad hæc ne adhibeatur: ſed adminiſtrationis & functionis omnis expers ſervetur. Nam ſi hoc non fiet, tota quæ de rebus ſuperis redditur ratio, inanis erit.* LAMB.

83. *Nam, bene qui didicere Deos ſecurum*] Hic verſus, & novem deinceps ſubſequentes, iterantur non longe à principio libri ſexti. LAMB.

83. *Securum agere ævum*] Securè vivere. ex hoc illud Horatianum ſumtum eſt ſatyra quinta libri primi 101.

——— *namque Deos didici ſecurum agere ævum.*

ſic ſupra libri 1: 58. & 2: 646.

Omnis enim per ſe Divûm natura neceſſe eſt
Immortali ævo ſumma cum pace fruatur, &c.

LAMB.

84. *Si tamen interea mirantur*] Inde Horatius Epicureus Ep. 6: 1.

Nil admirari *prope res eſt una, Numici,*
Solaque quæ poſſit facere & ſervare beatum:
Hunc Solem, & Stellas, & decedentia certis
Tempora momentis, ſunt qui formidine nulla
Imbuti ſpectent:

Iſtum Horatii locum è Lucretio interpretare, & prudentius facies quam alii Interpretes. CREECH.

85. *Quæque geri*] Id eſt, à natura gubernante adminiſtrari. licet etiam legere *geni*, id eſt gigni. ſed nihil muto. LAMB. Lambinus: *geni*, non recte. GIFAN.

86. *Quæ ſupra caput æthereis*] Plane ut Socrates. Itaque quod vulgo Socrati ab aliis tributum eſt, id Epicuro tribuit Tertullianus lib. II. ad Nationes. *Sed Epicurus qui dixerat*, Quæ ſuper nos nihil ad nos, *cum & ipſe cœlum aſpicere deſiderat, ſolis orbem pedalem deprehendit*, &c. FABER.

88. *Et Dominos acreis adſciſcunt*] Nempe Deos: quos, *dominos ſuperbos* appellat libr. 2: 1091.

Quæ bene cognita ſi teneas, natura videtur
Libera continuo dominis privata ſuperbis, &c.

ſic

Et Dominos acreis adſciſcunt, omnia poſſe
Quos miſeri credunt, ignari quid queat eſſe,
Quid nequeat; finita poteſtas denique quoique
Quanam ſit ratione, atque alte terminus hærens.
Quod ſupereſt, ne Te in promiſſis plura moremur,
Principio, Maria ac Terras, Coelumque tuere:
Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Treis ſpecies tam diſſimileis, tria talia texta,

Una

INTERPRETATIO.

acerbis Dominis ſe ſubjiciunt, quos infælices exiſtimant poſſe omnia perficere, quia ignorant quid poſſit eſſe, quid non poſſit, inſuper quo modo cuique rei Poteſtas finita eſt, itemque Poteſtatis terminus in rei unius cujuſque Natura fixus & penitus impactus. Quod ſupereſt, ne Te promiſſis diutius morer, Primum aſpice Mare, Terras, Cœlum; Triplicem horum naturam, tria Corpora, O Memmi, *tres ſpecies rerum tam diſſimiles, tria talia (tam admiranda) texta*

VARIÆ LECTIONES.

91. *atque alte.* utque alte A. B. *hærens.* hæreat A. B. D.
92. *ne Te.* nec Z. *moremur.* moremus E. meremur Z.
94. *Horum.* Quorum C. E. P. Q1. V. Y. Z.

NOTÆ.

ſic M. Tullius libro 1. de natura Deorum: *Itaque impoſuiſtis cervicibus noſtris ſempiternum dominum, quem dies & nocteis timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem, curioſum, & plenum negotii Deum?* LAMB. *Dominos acres*, Deos. Vide ſupra locum Cicer. ex I. Tuſcul. FABER.

91. *Quanam ſit ratione*] Hic verſus cum ſuperiore iteratur libro primo, & libro ſexto. LAMB.

91. *Utque alte term. &c.*] Supra lib. 1. ℣. 77. GIFAN.

92. *Quod ſupereſt*, &c.] Tandem ℣. 19. Rem ipſam aggreditur, præclaram quidem illam, ſed difficilem; & quam vix perſuadebit. Non facile credimus quod nolumus, Quis autem velit videre Mundi ruinam, quam ſine ſua pernicie experiri non poteſt? Ipſe Poëta talis tantique caſus miſereri videtur,

——— ——— Tria talia texta
Una dies dabit Exitio ——— ℣. 95.

certè timet ℣. 108.

Quod procul à nobis flectat Fortuna gubernans. CREECH.

92. *Ne te in promiſſis plura moremur*] Quidam viri docti cenſent delendam præpoſitionem *in*.

93. *Tuere*] Intuere, aſpice. LAMB.

94. *Horum naturam, &c.* Sic neceſſario legendum. nam in vulgatis legitur,

Quorum naturam, &c.

Hanc etiam meam conjecturam comprobat Zoilus re tantum, non etiam verbo. LAMB.

95. *Treis ſpecies, &c.*] Hunc verſum profert Nonius in voce *textus*. LAMB.

96. *Una dies dabit*] Idem lib. 2. extr.

Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi
Expugnata dabunt labem, putreiſque ruinas.

Idem infra eodem lib. 997.

At non multa virûm ſub ſignis millia ducta
Una dies dabat exitio, &c.

hoc æmulatus eſt Ovidius his verſibus:

Carmina ſublimis tunc ſunt moritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies.

Quod autem ad hujus mundi interitum attinet, tum id fore nonnulli tradiderunt, cum ſeptem errantia ſidera in unum ex 12. animalibus, quæ ſunt in circulo ſignifero (Græci ζωδιακὸν nominant)

Una dies dabit exitio: multoſque per annos
Suſtentata ruet moles & machina Mundi.
Nec me animi fallit, quam res nova, miraque menti,
Accidat, Exitium Coeli Terraeque futurum:
Et quam difficile id mihi ſit pervincere dictis:
Ut fit, ubi inſolitam rem adportes auribus ante,
Nec tamen hanc poſſis Oculorum ſubdere viſu;
Nec jacere indu Manus, via qua munita fidei

Proxi-

INTERPRETATIO.

Una dies diruet, & compages hujus Mundi, quæ per multos annos integra duravit, diſſolvetur. Non quidem neſcius ſum id quod jam aſſero, Mundum viz. aliquando ruiturum eſſe, Tibi novum, abſurdum, & prorſus incredibile videri, & quam difficile ſit mihi id ita demonſtrare ut Te perſuaſum fatearis: Hoc enim plerumque fit cum proponas auribus rem novam, quam tamen oculis videre non potes, neque manu tractare qua (per manus viz. & oculos)

VARIÆ LECTIONES.

99. *Accidat.* Accidit C. E. N. P. Accidet Q.
100. *pervincere.* permittere dictis c. P. Q. X.
101. *ubi.* ibi Y. tibi Q.
103. *indu Manus.* indumanus C. E. P. *qua.* quam Y.

NOTÆ.

nant) coierint & convenerint: idque per Deorum pugnam, quæ deſcripta eſt ab Homer. lib. Iliad. υ. ſignificari volunt. in ea enim concurrunt Apollo, Diana, Venus, Mars, Mercurius, ejuſque pugnæ ſpectator Jupiter fingitur. Jam per *Apollinem*, ſolem; per *Dianam*, lunam ſignificari, nemo eſt, qui neſciat. Neque quemquam movere debet, quod Saturnus abeſt ab ea pugna. *Saturnus* enim Κρόνος à Græcis dicitur, & per eum tempus ſignificatur, quod Græci, verſa tenui in aſpiratam, χρόνον vocant. Saturni igitur abſentia ſignificat tum tempus eſſe deſiturum, cum id evenerit. Nam plane tempus ſine ſiderum & cæli converſione conſtare non poteſt. Negat autem hoc Ariſtotel. 1. lib. de cælo: negat & Plato in Timæo. ſed hoc intereſt inter Platonem & Ariſtot. quod Plato mundum à Deo creatum eſſe ait, interiturum negat, non quod ſua natura non ſit mortalis, ſed quod non ſit conſentaneum bonitati opificis Dei, quod opus tanto conſilio, tantaque ſapientia fabricatus ſit, id opus aut diſſolvere, aut aliqua vi diſſolvi ſinere, ut paullo ante retulimus: Ariſt. autem quid quid natum ſit, vult etiam interire poſſe, atque adeo interiturum: cælum autem neque natum eſſe, neque umquam interiturum. LAMB. Ovid. ex hoc fonte hauſerat, *Exitio terras cum dabit una dies.* FABER.

97. *Suſtentata ruet moles*] Hunc verſum profert Probus Grammaticus. LAMB.

98. *Nec me animi fallit*] Genus loquendi uſitatum Latinis, & maximè poëtis, ut huic ipſi: quod alibi notavimus. LAMB. Protherapeuſi & ſupra, lib. 1. ℣. 921. ſimili de cauſa utitur. GIFAN.

99. *Accidat*] Quidam: *Accidit.* GIFAN.

99. *Exitium*] Subaudi τὸ, nempe, &c. LAMB.

101. *Ante*] Junge cum *inſolitam.* LAMB.

102. *Oculorum ſubdere viſu*] Oculis ſubjicere. *viſu*, id eſt viſui. LAMB.

103. *Nec jacere endo Manus*] Jacere in manus, id eſt ſenſibus ſubjicere; probare teſtimonio ſenſuum, quæ *via proxima*, id eſt tuta & compendioſiſſima eſt ad veri cognitionem, &c. FABER.

103. *Indu Manus*] In manus. *endo* & *indu* præpoſitiones antiquæ, quæ valent *in*: *jacere* autem *in manus*, id eſt manibus contrectandam dare. LAMB.

Proxima fert humanum in pectus, templaque mentis:
Sed tamen effabor: dictis dabit ipſa fidem res
Forſitan, & graviter terrarum motibus ortis
Omnia conquaſſari in parvo tempore cernes:
Quod procul à nobis flectat Fortuna gubernans:
Et Ratio potius, quam Res perſuadeat ipſa,
Succidere horriſono poſſe omnia victa fragore.
Quâ prius adgrediar quam de re fundere fata
San-

INTERPRETATIO.

certa rerum notitia in hominum pectora, ubi mentes habitant, proxime defertur. Dicam tamen, & forſan ipſa res probabit mea dicta, & forſan brevi tempore videbis omnia Terræ motibus divulſa confundi. Quod Fortuna rerum domina a Nobis procul avertat. Et Ratio potius quam res ipſa Nos edoceat totam Mundi compagem diſſolutam horrendo fragore conquaſſari poſſe. De qua re antequam incipiam fundere Oracula

VARIÆ LECTIONES.

104. *humanum.* haud manum Z.
106. *motibus ortis.* Ita repoſui ex C. E N. P. Q1. V. X. Y. Z. Vulgat. *motibus orbis.*
108. *Fortuna.* Natura Q1.

NOTÆ.

Lamb. *Endo manus*, Ita veteres libri. Vulgati: *Indu.* Gifan.

103. *Qua*] per quam partem, nempe per ſenſum tangendi, & ſenſum videndi. Lamb.

104. *Proxima*] Via maximè propinqua. ea enim maximè credimus, quæ cernimus & tangimus. Lamb.

104. *Templaque mentis*] Mentem, vel potius mentis ſedem, nempe præcordia, ſeu pectus, ex ſententia Epicuri: ut ſupra diximus, libro tertio, 141.

Idque ſitum media regione in pectoris hæret.
& libro ſecundo princip.

Tum vacuum pectus linquunt, curaque ſolutum.
Lamb.

105. *Dictis dabit ipſa fidem res Forſitan*] Id eſt, forſan res ipſa, nempe mundi interitus, fidem conciliabit meis verbis, te vivo, & vidente: cum omnem hunc mundum conquaſſari, & concidere, & diſſolvi cernes, tum mihi credes. Lamb.

108. *Flectat.* Avertat. Lamb. & Faber.

108. *Fortuna gubernans*] Nonnulli libri habent *natura gubernans*, ut ſupra non longè. ego nihil muto. Nam ſi, ut ille apud Minutium in Octav. diſputat, vel fortuna certa, vel incerta natura eſt, neque Deus curam habet rerum humanarum, (quod dictu quidem nefarium & impium eſt, ſed tamen Epicureorum rationi conſentaneum) recte dicitur à Lucretio, & hîc *fortuna gubernans*, & illic *natura.* Lamb. Quidam libri: *natura.* Ego, *fortuna*, malim; nam illud: *Et ratio potius*, reſpondet fortunæ. Supra ℣. 78. dixit: *natura gubernans.* Hinc & hic in quibuſdam libris eſt: *natura.* Epicureum eſt, omnia tribuere fortunæ. Gifan.

110. *Succidere*] Subter cadere. Lamb.

111. *Qua prius adgredior*, &c.] Quoniam verò *Stoicorum* vanitas, aliorum Ignorantia, & Vulgi ſuperſtitio multa præjudicia huic Opinioni oppoſuerant, illa omnia amolitur *Lucretius*; & primo ℣. 36. Stoicos refutat. Quippe iſti Homines Solem, Lunam, Mare, Terras, totum denique Mundum Spiritu intus infuſo Animatum Deum eſſe voluerunt. *Manilius* 1. 258.

Hoc opus immenſi conſtructum corpore mundi,
Membraque Naturæ diverſa condita forma
Aëris, atque Ignis, Terræ, Pelagique jacentis
Vis

Sanctius, & multo certa ratione magis quam
Pythia, quae tripode è Phoebi, lauroque profatur:
Multa tibi expediam doctis ſolatia dictis:
Relligione refraenatus ne forte rearis,
Terras, & Solem, Coelum, Mare, Sidera, Lunam,
Corpore divino debere aeterna manere:
Proptereaque putes ritu par eſſe Gigantum,
Pendere eos poenas immani pro ſcelere omneis,
Qui

INTERPRETATIO.

ſanctius & multo certius quam Pythia, quæ ex Tripode & Lauro Phœbi edit Oracula, multa quæ Philoſophia ſubminiſtrat digna & utilia cognitu Te docebo: Ne forſan religione refrænatus credas Terram, Solem, Cœlum, Mare, Sydera, Lunam, tanquam Dei unius immenſi membra immortalia debere eſſe & æterna; idcique putes æquum eſſe ut non minus quam Gigantes pro atroci impietate pœnas luerent omnes illi,

VARIÆ LECTIONES.

111. *Quâ.* quæ c. P. X.
113. *è Phœbi.* a Phœbi E. Q. X. Y. Z.
116. *Cœlum.* & cœlum A. B. C. D. E. L. P. X. Y. Z.
117. *æterna manere.* æterna meare C. X. Y. Z.
118. *par.* pars P. Q. X. Y. Z. par *not.* P.

NOTÆ.

Vis Animæ divina regit, ſacroque meatu
Conſpirat Deus, & tacita ratione gubernat.

Hos autem contemnit Poëta, & indignatur; injuriarum forſan memor, nec nugarum patiens. CREECH.

111. *Fundere*] Tralatio eſt. ſic ſupra, ỷ. 3. *fundere laudes.* LAMB.

112. *Sanctius, & multo, &c.*] Hic verſus, & qui proxime ſequitur, jam ſupra poſitus exſtat libro primo. LAMB.

114. *Multa tibi &c.*] Prius quædam removet impedimenta, quæ & objici poſſent, & deterrere Memmium, quam ad quæſtionem præcipuam: Mundum interiturum, veniat. Vide etiam Macrob. lib. II: in Somn. Scip. GIFAN.

114. *Doctis dictis*] Sic Plautus Aſinar. 3: 1: 21.

—— —— —— —— *an tu tibi*
Verba blanda aurum rere? dicta docta pro datis?

Idem in Trinummo:

Multa ego poſſum docta dicta; & quamvis facunde loqui, &c.

Sic idem dixit in Mil. glor. 2: 1: 69. *doctis dolis:* & in Pſeud. 1: 5: 70. & 113. *doctos dolos.* Sic iterum Lucret. ſupra libro ſecundo: 985.

Et ſapere, & doctis rationem reddere dictis.

LAMB.

115. *Relligione refrenatus*] Superſtitione & inani Deorum metu repreſſus. LAMB.

117. *Manere*] Quidam libri vet. habent *manere*, in his Bertinianus: quos nunc ſequor: alii, *meare.* quos ſi quis ſequi malet, *meare* interpretabor *moveri*, *labi*, ut libro 1: 129.

—— —— —— *ſolis lunæque meatus*
Qua fiant ratione, &c. LAMB.

118. *Proptereaque putes, &c.*] Id eſt, & idcirco putes æquum eſſe eos omneis dare pœnas, pro ſua impietate, ut Gigantes impios, qui ſuis rationibus mundum interiturum eſſe probare conantur. LAMB.

120. *Qui ratione ſua diſturbent mœnia mundi*] Elegantiſſima figura, Ratione ſua diſturbant mœnia mundi, id eſt, probant mundum interiturum. Ita Virgilius, *ingentes erigit alnos*, id eſt, deſcribit quo pacto ex Heliadibus alni ſurrexerint.

Qui ratione ſua diſturbent moenia Mundi,
Praeclarumque velint coeli reſtinguere Solem,
Immortalia mortali ſermone notantes.
  Quae procul uſque adeo divino ab numine diſtent,
Inque Deûm numero ſic ſunt indigna videri,
Notitiam potius praebere ut poſſe putentur,
Quid ſit vitali motu, ſenſuque remotum.
Quippe etenim non eſt cum quovis corpore ut eſſe
Poſſe Animi natura putetur, Conſiliumque.
Sicut in aethere non Arbor, nec in aequore ſalſo
Nubes eſſe queunt, neque Piſces vivere in arvis;

Nec

INTERPRETATIO.

qui argumentis ſuis Mundi Mœnia diffringere, & ſplendentem Cœli Solem extinguere conantur, aſſerentes ea Mortalia eſſe, quæ revera ſunt æterna. Hæc vero omnia (Mare, Terra, Cœlum, &c.) tam longe diſtant à divino Numine, tam indigna ſunt ut inter Deos habeantur, ut ex iis potius cognoſcere poſſimus quid ſit vitali motu & ſenſu deſtitutum. (ſunt inertia plane corpora & inſenſilia.) Nulla enim ſuadet ratio Animam & Animum poſſe cum quolibet corpore conjungi, ſicut in Aëre Arbor, in ſalſo Mari Nubes non poſſunt eſſe, Piſces in Agris vivere nequeunt:

VARIÆ LECTIONES.

121. *reſtinguere.* reſtringere P. X.
123. *ab.* a Q. Y. Z.
124. *ſic ſunt.* quæ ſint C. D. E. I. N. P. Q. Y. Z. quæ ſunt Q1. ſic ſint L.
125. *ut.* & Q1.
126. *vitali.* in tali Q.
128. *Conſiliumque.* conciliumque *legi velit* P. *in not. & ita* Q1. conſuliumque Z.
129. *nec in æquore.* non æquore C. D. E. I. P. X. Y. Z.

NOTÆ.

rint. Inde apud Ariſtotelem *οἱ γεννῶντες τ̀ κόσμον* (*generantes mundum*) id eſt, qui probant mundum genitum eſſe, mundum nativum eſſe. Et illud Platonis notandum, qui *τοὺς ῥέοντας* (*fluentes*) alicubi vocat eos ex Philoſophis qui omnia in fluxu perpetuo eſſe dicerent. Eadem figura uſus eſt Manilius lib. 1: cum de Philoſophia loquens ait,

Eripuitque Jovi fulmen, vireſque Tonantis,
leg. *Tonanti.*
Et ſonitum ventis conceſſit, nubibus ignem.

Id eſt, probavit, illa omnia cauſis naturalibus niti, neque ea Deos curare. Locos hic plures ex libris ſacris afferre poſſim; Adde locum alium Lucret. inf. 161. *Nec fas eſſe Deûm,* &c. Faber.

122. *Immortalia*] Cælum, ſolem, lunam, &c. *mortali ſermone notantes,* id eſt mortalia eſſe dicentes, quæ immortalia ſint. Lamb. & Faber.

123. *Quæ procul uſque adeo*] Hæc nunc dicuntur ex perſona Lucretii. Lambin. Abeſt a veteribus noſtris. Gifan.

127. *Quippe etenim non eſt*] Id eſt, non enim fieri poteſt (inquit) ut animus & conſilium cum quovis corpore ſit, Quare ſol, luna, cælum, terra, mare, &c. quibus cum animus jungi non poteſt, inquit, immortalia non ſunt. ſic lib. 3: 786.

Denique in æthere non arbor, non æquore in alto
Nubes eſſe queunt, &c.

ibi enim duodecim verſus & amplius hujus loci, jam poſiti ſunt. Lambin.

129. *Nec*

Nec Cruor in lignis, nec ſaxis Succus ineſſe:
Certum, ac diſpoſitum eſt, ubi quidquid creſcat, & inſit.
Sic Animi natura nequit ſine Corpore oriri
Sola, neque à nervis, & ſanguine longiter eſſe.
Hoc ſi poſſet enim, multo prius ipſa Animi vis
In Capite, aut Humeris, aut imis Calcibus eſſe
Poſſet, & innaſci quavis in parte ſoleret:
Tandem in eodem homine, atque in eodem vaſe maneret.
Quod quoniam noſtro quoque conſtat Corpore certum,
Diſpoſitumque videtur, ubi eſſe, & creſcere poſſit
Seor-

INTERPRETATIO.

Nec Sanguis in Ligno, nec Succus in Saxis poteſt eſſe: Certum & definitum eſt ubi unaquæque res creſcat & exiſtat. Sic Anima non poteſt ſine Corpore ſola oriri, neque à Nervis & ſanguine ſeparata, vel ſine Nervis & ſanguine exiſtere: Hoc enim ſi poſſit, Anima potius in Capite, Humeris, aut imis calcibus, imo in quavis parte corporis oriri videretur, & tandem per totum Hominem diffundi. Quoniam vero certa & definita ſint loca in noſtro Corpore ubi ſeorſum Anima & Animus oriri poſſit & creſcere,

VARIÆ LECTIONES.

131. *nec.* neque Q1. X. Y. Z. *ſuccus.* cruor Q. X. fucus Z.
132. *creſcat.* creſcit Q. creſcet Y. Z.
134. *longiter.* longius eſſe C. N. P. Q1. X. Y. Z.
135. Hos quatuor verſus rejicit F. *Hoc.* Quod Q. Y. Z.
137. *innaſci.* innoſci D. *quavis.* quamvis Q.
138. *maneret.* manere Q1. X. Y. Z.
139. *quoniam.* cum Q. quando Q1. X.

NOTÆ.

129. *Nec in æquore ſalſo*] Lib. 3: eo quem indicavi loco, legitur *non æquore in alto.* LAMB.

132. *Ubi quidquid creſcat*] Id eſt, ubi quicque creſcat. LAMB. Quidque, jam alibi. FABER.

134. *Longiter eſſe*] Ita veteres libri. Vulgati: *longius.* GIFAN. Supra 3: 676.

——— *ab letho longiter errat.* HAV.

135. *Hoc ſi poſſet*] Superioribus & *Sicut in æthere non arbor*, &c. Uſque ad decimum ℣.

Tandem in eodem homine, &c.

probare ſuſcepit Lucretius, ſidera, cœlum, animata non eſſe; ſed cum hi quatuor verſus,

Hoc ſi poſſet enim, multo prius ipſa animi vis
In capite, aut humeris, aut imis calcibus eſſe
Poſſet, & innaſci quavis in parte ſoleret,
Tandem, &c.

Cum, inquam, hi quatuor verſus ad materiem, qua de agitur, nil faciant, huc illos temere ex III. cum ceteris tranſlatos fuiſſe arbitror. Lector judicabit. FABER. Quatuor hos verſus huc cum aliis temere tranſlatos conjicit *Faber:* Sed ad rem æque ac reliqui faciunt. Nam ſi in ipſo noſtro corpore Nervis, Venis, & Sanguine inſtructo certa & definita loca ſint, ubi Anima & Animus ſeorſum naſcantur & exiſtant; fruſtra Animam & Animum in Cœlo, Mari, Terra, aliiſque Corporibus nullis omnino organis donatis Aliquis requirat. CREECH.

139. *Conſtat Corpore certum*] *Conſtat certum*, id eſt certum eſt. LAMB.

140. *Diſpoſitumque videtur*] Et quoniam in noſtro corpore locus animo & animæ certus ac diſ-

Seorſum Anima, atque Animus: tanto magis inficiandum,
Totum poſſe extra Corpus, formamque animalem
Putribus in glebis Terrarum, aut Solis in igni,
Aut in Aqua durare, aut altis Aetheris oris.
Haud igitur conſtant divino praedita ſenſu,

Quan-

INTERPRETATIO.

eo vehementius negandum eſt, Totum (Animam & Animum) poſſe eſſe extra Corpus, aut in putribus glebis terrarum, in Igne Solis, in Aqua, aut in alto Aëre & Cœlo exiſtere. Hæc igitur (Mare Cœlum &c.) minime credenda ſunt divino ſenſu prædita,

NOTÆ.

poſitus eſt, in quo ſint: nempe animi ſedes, pectus eſt; anima autem per totum corpus fuſa eſt: quoniamque animus alibi eſſe, quam in certo corporis humani loco non poteſt; tanto magis negandum eſt animum extra corpus humanum in terrarum glebis, aut in ardore ſolis, aut in aqua, aut in æthere permanere. LAMB.

141. *Seorſum anima atque animus*] Hæc in III. FABER.

145. *Haud igitur conſtant*] Vellejus apud Ciceronem lib. I. de Nat. Deor. *Qui Mundum ipſum Animantem ſapientemque eſſe dixerunt, nullo modo Animi naturam intelligentes, viderunt, in quam naturam cadere poſſit.* CREECH.

147. *Illud item non eſt*] Cum verò Dii ſint immortales & æterni, pares ſedes habeant neceſſe eſt, inde Deos in Cœlis, atque ideo nunquam ruituris, omnes collocant. Reſpondet Poëta ỳ. 10. Illud omne eſſe ſive Poëtarum, ſive Vulgi figmentum, Nam tenuior eſt Deorum Natura quam ut tangat tam craſſa Corpora, ideoque iſta Deos habitare minime putandum. CREECH. *Non eſt ut*, Non poteſt fieri ut, οὐκ ἔστιν ὅπως. LAMB.

147. *Sedes Eſſe Deûm*] Negat Lucretius, ullam mundi partem Deorum ſedem eſſe, cum Homerus & plerique Philoſophi conſentiant, cælum Deorum eſſe domicilium. idem teſtatur & vita communis, inquit Ariſtoteles libro de mundo: Nam manus ad cælum porrigimus atque attollimus, cum vota facimus ac precamur. Sed ubi volebat Deos habitare Epicurus, ſi nullis in partibus mundi ſedem habent? in intermundiis, id eſt, duorum aut plurium mundorum ſpatiis. M. Tullius de divinatione lib. 2. *Deos enim ipſos jocandi cauſa induxit Epicurus, perlucidos, & perflabileis, & habitanteis, tanquam inter duos lucos, ſic inter duos mundos, propter metum ruinarum: eoſque habere putat eadem membra, quæ nos, &c.* Idem lib. I. de natura Deorum: *Tum Vellejus fidenter ſane, ut ſolent iſti, nihil tam verens, quam ne dubitare aliqua de re videretur, tamquam modo ex Deorum concilio, & ex Epicuri intermundiis deſcendiſſet: Audite, inquit, non commentitias, &c.*

149. *Tenuis enim natura*] Sic Argumentatur Lucretius: Deorum natura tenuiſſima eſt, atque à ſenſibus noſtris remotiſſima. at quod eſt hujuſmodi, neque quicquam tangere, quod nobis ſit tactile, neque à nobis tangi poteſt. omnes autem mundi partes ſub ſenſus noſtros cadunt. ergo nullæ mundi partes Deorum ſedes eſſe poſſunt. Quod autem dicit hîc Lucr. Deorum naturam eſſe tenuem, longeque à noſtris ſenſibus remotam, animique vix mente videri; id ipſum eſt, quod ſignificabat Epicurus, cum λόγῳ θεωρητοὺς, ſeu una voce, λογοθεωρήτους, id eſt ratione ſpectabileis, ſeu qui ratione intelliguntur, & μονογράμμους appellabat: & M. Tull. lib. 2. de divin. *perlucidos & perflabileis.* Vocis autem hujus λογοθεώρητος facta mentio me admonet, ut explicem jocum illum Ciceronis in Caninium Rebilium, quem refert Macrob. lib. 2. Saturn. propterea quod video à quibuſdam non ſolum non intelligi, verum etiam, quod miſerabile eſt, depravari, & pro λογοθεώρητος, ὀλιγωρητέος ſubſtitui. Primum igitur ſciendum eſt, hunc Caninium, cum in locum Q. Maximi conſulis, qui pridie Kal. Januar. mortuus erat, ſuffectus eſſet, unum diem duntaxat conſulatum obtinuiſſe, nempe uſque ad Kal. Januarias, quæ poſtridie fuerunt. quo die creati ſunt alii conſules. de quo ſic idem M. Tullius ſcribit ad Curionem lib. 7. Epiſt. *Ita Caninio conſule ſcito neminem prandiſſe, nihil tamen eo conſule mali factum eſt. fuit enim mirifica vigilantia, qui ſuo toto conſulatu ſomnum non viderit.* Quod totum etiam urbane & facete in Caninii conſulatum tam brevem à M. Cicerone di-

Quandoquidem nequeunt vitaliter eſſe animata.
Illud item non eſt ut poſſis credere, ſedes
Eſſe Deûm ſanctas in mundi partibus ullis.
Tenuis enim natura Deûm, longeque remota

Sen-

INTERPRETATIO.

cum nec Anima nec Vita donari poſſunt. Inſuper nulla ratio ſuadet Sanctas eſſe Deorum ſedes in ullis Mundi partibus (Cœlo viz. aut Sole) & Numina illas Mundi partes habitare: Nam Deorum Natura eſt valde tenuis & longe infra

NOTÆ.

dictum eſt. Hoc poſito & cognito, aperta eſt jam ſuperioris illius joci ſententia. ſignificat enim M. Tull. Caninium conſulem, tanquam Epicuri Deos, intelligentia tantum & ratione cerni poſſe, qui tam breve tempus conſul fuerit. Videlicet quomodo, quæ res ita parvæ & minutæ ſunt, ut effugiant ſenſum oculorum, eæ res ratione tantum intelliguntur, non oculis ſentiuntur, ideoque à Græcis λογοθεώρητα nominantur: ſic M. Tullius Caninii conſulatum tam brevem, & vix unius diei, pervenuſte ac perfacete λογοθεώρητον dixit: non, ut illi volunt, ὀλιγωρητέον, id eſt *contemnendum:* quo nihil alienius aut abſurdius fingi poteſt. Venit nunc mihi in mentem unius præterea loci apud M. Tullium Ciceronem in oratione in Piſonem, quem locum ſimiliter vir longè omnium doctiſſimus, idemque, dum vixit, mihi cariſſimus, & aliquot annos meus collega, Adr. Turnebus corruptum exiſtimans, emendare conatus eſt, cum ſit integer & incorruptus, nullaque emendatione egeat. Verba Ciceronis hæc ſunt: *Quod ſi reprehendis, quod cupidi gloriæ fuerint, cum bella aut parva, aut nulla geſſiſſent: tu tantis nationibus ſubactis, tantis rebus geſtis, minime fructum laborum tuorum, præmia periculorum, inſignia virtutis contemnere debuiſti. neque vero contemſiſti, licet ſis Themiſta ſapientior: ſed os tuum ferreum ſenatus convicio verberari noluiſti.* Hactenus Cicero. Putavit ille vir, hæc verba *licet ſis Themiſta ſapientior*, eſſe mendoſa, & ſic emendanda, *licet ſis tu in iſto ſapientior.* Sed, ut dixi, nullius emendatoris operam requirunt. Fuit nempe Themiſta mulier Philoſophiæ Epicureæ dedita, Leontei, ſeu Leontis uxor, ad quam ſcripſit Epiſtolas Epicurus, ut teſtatur Diogenes Laërt. qui eam ſæpenumero commemorat: ideoque longum ſit locos omneis hîc referre: uno atque altero contenti erimus: ſic igitur Laërtius: Πρὸς Θεμίσταν τὴν Λέοντος γυναῖκα γράφων, οἷός τε, φησὶν, εἰμὶ, ἐὰν μὴ ὑμεῖς πρὸς μὲ ἀφίκησθε, αὐτὸς τρικύλιστος, ὅπου ἂν ὑμεῖς καὶ Θεμίστα παρακαλῆτε, ὠθεῖσθαι. id eſt, *Ad Themiſtam Leontis uxorem ſcribens, poſſum, inquit, ſi vos ad me non veneritis, ipſe ter-volubilis, quocumque vos & Themiſta me invitaveritis, tanquam pulſu aliquo externo incitatus ferri.* Idem: Λεοντεύς τε Λαμψακηνὸς ὁμοίως, καὶ ἡ τούτου γυνὴ Θεμίστα, πρὸς ἣν γέγραφεν Ἐπίκουρος. id eſt, *Et Leonteus Lampſacenus ſimiliter, ejuſque uxor Themiſta, ad quam ſcripſit Epicurus.* Commemorat hanc Themiſtam idem Laërt. duobus, aut etiam (opinor) tribus aliis locis. Commemorat & Lactantius Firmianus libro tertio, qui de falſa ſapientia inſcribitur, his verbis: *Denique nullas umquam mulieres philoſophari docuerunt* (Epicurei ſubintell.) *præter unam ex omni memoria Themiſtam: neque ſervos, præter unum Phædonem, &c.* Satis nunc exiſtimo perſpicuum eſſe in nomine *Themiſta* nullum ſubeſſe mendum: quod vir ille, alioqui doctiſſimus, ſuſpicatus eſt: eademque opera in promtu eſſe verborum M. Tullii ſententiam. Nam cum Piſonem compellet, hominem (ut vult ipſe Cicero) Epicureum, Epicurus autem gloriam & triumphos contemneret, quod nihil ſit in eis, quod ad voluptatem referri poſſit: more ſuo jocans Cicero dicit, *eum non contemſiſſe triumphum, quamvis ſit Themiſta*, muliere præceptis Epicuri polita atque erudita, *ſapientior.* Non neceſſe habeo aliorum conjecturas refellere, ſi qui poſt Turnebum auſi ſunt huic Ciceronis loco, tanquam ſanæ corporis parti, ſcalpellum admovere. Spero enim eos, his lectis, niſi erunt valde pervicaces, & niſi ſe & ſuas conjecturas nimis amabunt, veritati conceſſuros, ac manum daturos. Turnebum quidem, quo ingenio, quaque animi æquitate & facilitate eum cognovi, ſi reviviſcat, non dubito, quin ſuæ

Senſibus à noſtris, animi vix mente videtur.
Quae quoniam manuum tactum ſubfugit, & ictum,
Tactile nil nobis quod ſit, contingere debet.
Tangere enim non quit, quod tangi non licet ipſum.
Quare etiam ſedes quoque noſtris ſedibus eſſe
Diſſimiles debent, tenues de corpore eorum.
Quae tibi poſterius largo ſermone probabo.
Dicere porro, Hominum cauſâ voluiſſe parare

Prae-

INTERPRETATIO.

noſtros ſenſus, ita ut ſenſibus noſtris percipi non poſſit, imo vix ipſa mente percipiatur, Quæ quidem Deorum natura quoniam infra ſenſus noſtros eſt, neque manibus noſtris tractari aut palpari poteſt, nihil debet contingere quod eſt Nobis tactile, nam id quod tangi non poteſt, non poteſt tangere: Igitur Sedes Deorum debent eſſe diſſimiles noſtris Sedibus, & ea tenuitate qua ſunt ipſa Deorum Corpora. Quæ omnia longa diſputatione infra explicabo. Dicere autem Deos voluiſſe

VARIÆ LECTIONES.

151. *tactum ſuffugit.* contactum fugit D.
153. *quod tangi.* ſi tangi P.
155. *de corpore.* pro corpore L.
157. *voluiſſe.* volui ipſe Z.

NOTÆ.

conjecturæ ſuæque emendationis vehementer pœniteat. Redeo ad Deos Epicuri, quorum dicebat eſſe *quaſi corpus*, non corpus; *quaſi ſanguinem*, non ſanguinem, ut refert M. Tull. l. 1. de nat. Deor his verbis: *Idem facit in natura Deorum dum individuorum corporum concretionem fugit, ne interitus & diſſipatio conſequatur, negat eſſe corpus Deorum, ſed tanquam corpus: nec ſanguinem ſed tanquam ſanguinem, &c.* ſequitur aliquot verſibus poſt: *Illud video pugnare te, ſpecies ut quadam ſit Deorum, quæ nihil concreti habeat, nihil ſolidi, nihil expreſſi, nihil eminentis: ſitque pura, lævis, pellucida. Dicemus ergo idem, quod in Venere Coa: corpus illud non eſt, ſed ſimile corpori: nec ille fuſus & candore mixtus rubor, ſanguis eſt, ſed ſimilitudo ſanguinis quædam. Sic in Epicureo Deo non res, ſed ſimilitudines rerum eſſe, &c.* LAMB.

150. *Animi vix mente videtur*] Vix cogitatione & intelligentia comprehenditur. ſup. lib. 4: 762.

Mens animi vigilat. LAMBIN.

152. *Contingere debet*] Contingere, id eſt, attingere, tangere. LAMB.

153. *Quod tangi non licet ipſum*] Quidam legendum putant, *Quod tangi non queat ipſum.* LAMB.

154. *Quare etiam ſedes*] Quæ tenuitatis differentia eſt nos inter & deos ipſos, eadem inter ſedes deorum & noſtras eſt. Itaque *tenues de corpore eorum* ſignificabit, tenues eſſe quaſi ex iiſdem corpuſculis conſtent, quibus & dii conſtant. FABER.

155. *Tenues de corpore*] Id eſt tenues, quaſi de corpuſculis & primordiis, ex quibus dii conſtant, factæ. ſed omnino malim legi *tenues pro corpore eorum.* LAMB. Quæ tenuitatis differentia eſt nos inter & Deos ipſos, eadem inter ſedes Deorum & noſtras eſt; Itaque *tenues de corpore eorum* ſignificabit, tenues eſſe, quaſi ex iiſdem corpuſculis conſtent, quibus & Dii conſtant. *Faber.* Lambinus legit *Tenues pro corpore eorum.* CREECH.

157. *Dicere porro*] Negat mundum hominum cauſa eſſe à Deo creatum. hos autem verſus profert & Lactantius Firmianus. LAMBIN. At Dii

hunc

Praeclaram mundi naturam, proptereaque
Id laudabile opus Divôm laudare decere,
Aeternumque putare, atque immortale futurum,
Nec fas eſſe, Deûm quod ſit ratione vetuſta
Gentibus humanis fundatum perpetuo aevo,
Sollicitare ſuis ulla vi ex ſedibus unquam,
Nec verbis vexare, & ab imo evertere ſummam:
Caetera de genere hoc adfingere, & addere, Memmi,

Deſi-

INTERPRETATIO.

præclarum hunc Mundum fabricare Hominum cauſa, ideoque nos debere honorifice ſentire de laudabili iſto Deorum opere, & credere illud immortale & æternum fore, & non fas eſſe id, quod olim Dei Hominum cauſa æternum eſſe voluerunt, conari probare aliquando ruiturum, Argumentis diſturbare, Summamque rerum (Mundum) ab fundo evertere. Hæc vero & ejuſmodi alia qui dicit, O Memmi,

VARIÆ LECTIONES.

158. *proptereaque.* Prætereaque P. propterea quod Q1.
159. *Id.* Ad O. P. X. Y. Z. Id *reponit in not.* P.
163. *ulla vi ex ſedibus.* Ita Q1. V. Y. Z. ulla vi ex ſenſibus unquam C. P. ullum ex ſedibus a. B. Q. illud ex ſedibus Q2. ullum de ſedibus *Reliqui.*
164. *ſummam.* ſumma a. B. C. E. O. P. Y. Z. fundo L.

NOTÆ.

hunc Mundum fabricârunt, & æternum eſſe voluerunt. Reſp. *Lucretius* ℣. 25. Sui an Hominum cauſa fabricârunt? Sui ſiquis dixerit, idem dicat, Quid Deo cultus Hominis confert beato, & nulla re indigente. Quid autem erat quod concupiſceret Deus Mundum ſignis & luminibus tanquam Ædilis ornare? Si ut Deus melius habitaret, antea viz. tempore infinito in tenebris tanquam in gurguſtio habitaverat? poſt autem, varietatenè eum delectari putamus, quia Cœlum & Terras exornatas videmus? Quæ iſta poteſt eſſe oblectatio Deo? quæ ſi eſſet, non ea tam diu carere potuiſſet. Hominum cauſa qui dicit, idem explicet, quomodo nobis non exiſtentibus inſuave foret non eſſe. Creech.

159. *Divûm*] Quidam veteres: *Diûm.* Gifan.

161. *Nec fas eſſe, Deûm quod*] Ordo & ſententia eſt: nec fas eſſe quemquam id, quod ſit ratione & conſilio Deorum, hominum cauſa conditum, id eſt mundum, verbis & argumentis ſuo loco movere, aut labefactare conari &c. Lamb.

163. *Sollicitare*] Propriè. Nam ſollicitare (inquit Feſtus) eſt ſolo citare, id eſt, ex ſuo loco movere. ſolum autem quin ſignificet locum (inquit idem) quis dubitet, cum exſules quoque dicantur loco patriæ ſuæ pulſi? Lamb. *Ullum ex ſedibus*, ita veteres libri, recte. Vide Me in Indice. Gifan. Arriſit tamen ſcriptura optimorum Codd. *ulla vi ex ſedibus*, neque enim tam ab ullo mortalium negat Lucretius moveri hoc eoſdem ſede ſua velle; quam ulla vi & ratiocinatione, quantacunque illa ſolida ſit atque veritatem evincens. Hav.

164. *Et ab imo evertere ſummam*] Sic habet codex Vaticanus; verumtamen ego legendum puto *evertere fundo*, hac ratione ductus, quod, cum in quattuor libris manuſcriptis & in omnibus impreſſis repererim, *evertere ſumma*; in uno Vaticano, *evertere ſummam*: quæ ſola ſcriptura videtur tolerabilis, & ſpecioſa: exiſtimem omnia exemplaria eſſe corrupta, depravata, ac detorta à ſcriptura recta *fundo*, & *ſummam* eſſe emendatum ab eo qui facilè viderit *ſumma* eſſe mendoſum.

omni-

Deſipere eſt; quid enim Immortalibus, atque Beatis
Gratia noſtra queat largirier emolumenti,
Ut noſtra quidquam cauſa gerere adgrediantur?
Quidve novi potuit tantò poſt antè quietos
Inlicere, ut cuperent vitam mutare priorem?
Nam gaudere novis rebus debere videtur,
Quoi veteres obſunt; ſed, quoi nil accidit aegri
Tempore in anteacto, quom pulchre degeret aevom,
Quid potuit novitatis amorem accendere tali?

An,

INTERPRETATIO.

delirat. Quid enim commodi noſtra gratia Immortalibus atque beatis Diis conferre poſſit, ut noſtri cauſa aliquid facere conarentur? Illoſque Deos qui per tot anteacta ſecula quietam agebant vitam quid impelleret, ut priorem vivendi rationem mutare cuperent? Nam Ille ſolum debet affectare novam conditionem cui vetus diſplicet, at in illo, qui tempore anteacto vitam agebat fælicem nullis malis nullaque ægritudine vexatam, quid excitaret iſtam mutandi cupiditatem?

VARIÆ LECTIONES.

168. *quidquam.* quidquid Q. X.
173. *in ante acto.* inante acto. a. B.
174. *Quid.* Qui P. *amorem accendere.* amore accedere O. amore accendere E. Qɪ.

NOTÆ.

omnino *evertere ſummam* mihi non admodum probatur, quia hæc tria verba, *ſollicitare, vexare, evertere*, referantur ad illud quod eſt ſuprà, nempe *quod ſit Deorum ratione vetuſta Gentibus humanis fundatum perpetuo ævo:* quod nihil eſt aliud, quam mundus. Jam ſic ſup. locutus eſt lib. III: 83, 84.

Hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiaï
Rumpere, & in ſumma pietatem evertere fundo:

ubi vulgo legitur, *evertere ſuadet.* neque tamen ignoro ita Latine dici poſſe, *evertere ab imo*, ſimpliciter. ſic enim Virgil. eſt locutus lib. 2: 625.

——— *& ex imo verti Neptunia Troja.* Lamb. *Evertere ſumma*, ſic omnes Veteres, & Vulgati. optime. *Summa*, id eſt, cœlum, reſpondet τῷ *imo.* Quidam Veteres: *ſummam.* Gifan. *Summam*, mundum viz. Mundum autem dixit *Summam* ex eorum Philoſophorum ſententia qui *Unicum* agnoſcebant. Lambinus legit *Fundo.* Creech.

163. *De genere hoc*] Veteres quidam *de hoc genere.* Gifan.

166. *Quid enim Immortalibus, atque Beatis*] Totius hujus loci ſententiam perſecutus eſt M. Tull. primo libro de natura Deor. his verbis: *Quid autem erat, quod concupiſceret Deus mundum ſignis & luminibus, tamquam ædilis, ornare? ſi ut Deus ipſe melius habitaret: antea videlicet tempore infinito in tenebris, tanquam in gurguſtio, habitaverat. Poſt autem varietatene eum delectari putamus, qua cælum & terras exornatas videmus? Quæ iſta poteſt eſſe oblectatio Deo? quæ ſi eſſet, non ea tamdiu carere potuiſſet. An hæc, ut fere dicitis, hominum cauſa à Deo conſtituta ſunt? ſapientumne? propter paucos ergo tanta eſt facta rerum molitio. an ſtultorum? at primum cauſa non fuit, cur de improbis bene mereretur, &c.* Lamb.

168. *Ut noſtra quidquam, &c.*] Vide Cic. I. de Nat. Deor. Gifan.

173. *Tempore in ante acto*] Sic puto legendum ex meo quodam. Vulgati: *in anteacto.* Gifan.

174. *Quid potuit novitatis amorem accendere*] Sic reſtitui, trium librorum manuſcript. fidem ſecutus. Nam vulgati ſic habent,

——— *novitatis amore accedere tali?*

mendoſe. Porro autem *novitatis amorem accendere alicui*, eſt aliquem impellere, aut adducere, ut re-

An, credo, in tenebris vita, ac moerore jacebat,
Donec diluxit rerum genitalis origo?
Quidve mali fuerat nobis non eſſe creatis?
Natus enim debet, quicunque eſt, velle manere
In vita, donec retinebit blanda voluptas.
Qui nunquam verò vitae guſtavit amorem,
Nec fuit in numero, quid obeſt non eſſe creatum?
  Exemplum porro gignundis rebus, & ipſa
Notities Hominum, Divis unde inſita primùm?

Quid

INTERPRETATIO.

An viz. Deorum vita in mœrore & tenebris jaceret, uſque dum ſplendidæ hæ pulcherrimæque res naſcerentur? Aut quid mali fuiſſet nobis nunquam fuiſſe natis? Nam quicunque natus eſt debet velle manere in vita, quamdiu blanda Voluptas eum retinebit; Qui vero vitæ delicias nunquam guſtavit, nec unquam extitit, quid illi obfuit nunquam extitiſſe? Deinde quodnam exemplare aut Imaginem habuerunt Dei ad quam res omnes effingerent?

VARIÆ LECTIONES.

176. *diluxit.* diduxit c. O. 176. & 177. tranſponuntur in Y. Z.
177. Deeſt P. *fuerat.* fueret A. B.
181. *creatum.* creato? *Quidam Codd.*
183. *Divis unde inſita.* Dis unde eſt inſita X. Y. Z.

NOTÆ.

rebus novis ſtudeat, ſeu ut res novet. LAMBIN. Vulgati: *amore accedere.* Sæpe pro *accendere*, & *incendere* ſcripſerunt *accedere*, & *incedere*, & contra. GIFAN.

174. *Tali*] Tali ὄντι, ſeu Deo ſeu Homini. FABER.

175. *An, credo, in tenebris*] An ſcilicet Deorum vita jacebat in tenebris & mærore, donec mundus creatus eſt? an habitabant Dii tanquam in gurguſtio? quod eſt abſurdum dictu. LAMB. *An credo, in tenebris vita, ac, &c.* Sic interpungendum. GIFAN.

177. *Quidve mali*] Hunc verſum, qui fuerat alieno loco poſitus, in ſuum locum reſtitui. debet enim legi poſt verſum, *Donec diluxit, &c.* quod probavit Zoilus re & facto. neque tamen, quo auctore fecerit, indicat, aut ingenuè fatetur. LAMB. Ita legendum putavi. Vulgati: *fuerat.* Vide Indicem. GIFAN.

181. *Nec fuit in numero*] Rerum creatarum. FABER.

181. *Eſſe creatum*] Alii *Eſſe creato*, ut ℣. 177. *Eſſe creatis.* LAMB. GIFAN. & CREECH.

182. *Exemplum*] Τὸ παράδειγμα, exemplum, quod ſequerentur, & ad cujus ſimilitudinem mundum crearent. vel *exemplum*, id eſt, ἰδέα, εἶδος LAMB. Tota omnium rerum notities a Simulachris rerum incurrentibus derivatur, Dii etiam nihil inconſideratè faciunt, quicquid agere conſtituunt illud prævident: At nullæ Imagines rerum in Mentem Divinam cadere potuerunt, cùm res ipſæ nondum extiterint; ideo ineptè aliquis dicat Deos Cœlum, Terram, Animalia, Omnia creâſſe. CREECH.

183. *Notities Hominum*] Ἡ ἔννοια, ipſa idea, τὸ εἶδος. hujus loci hæc ſententia eſt: Nihil creari, nihil fingi poteſt ſine idea, ſeu ſpecie, ſeu exemplo: nec ſine ejus rei quæ creanda eſt, notitia, & cognitione informata. At unde primum Diis immortalibus inſitæ ſunt ideæ rerum creandarum? unde nacti ſunt illarum notitias, per quas ſcirent, animoque cernerent, quid facere inſtituerent? Platonici reſponderent ideas eſſe æternas, & in

 mente

Quid vellent facere ut ſcirent, animoque viderent?
Quove modo eſt unquam vis cognita Principiorum,
Quidnam inter ſeſe permutato ordine poſſent,
Si non ipſa dedit ſpecimen Natura creandi?
Namque ita multimodis multis Primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,
Ponderibuſque ſuis conſuêrunt concita ferri.
Omnimodiſque coire, atque omnia pertentare,
Quaecunque inter ſe poſſint congreſſa creare,

Ut

INTERPRETATIO.

Unde Humani generis notities illis inſita, ut ſcirent & intelligerent quid vellent facere? Quo etiam modo ſit vis Principiorum cognita, unde noverint Semina iſta permutato inter ſe ordine & ſitu varias res poſſe conſtituere, niſi ipſa Natura, conſtituendo & componendo res, docuiſſet quid Semina valerent? Namque rerum Primordia ab æterno proprio ſuo pondere & aliorum ictibus agitari ſolebant, & moveri, omnibus modis convenire, & pertentare omnia quæcunque hiſce cœtibus facere & componere valerent,

VARIÆ LECTIONES.

185. *unquam vis.* inquam vis E.
186. *Quidnam.* Quidve X. Quidque C. E. P. Y. Z. Quicquid V. Quidquam N. *ſeſe.* ſe Y. Z.
187. *ſpecimen.* ſpeciem C. P. Y. Z. *creandi.* creando D. L. Cr.
188. *Namque ita.* Namque ea Q1. Sed quia multo *Gaſſ. multimodis.* Ita L. A. B. C. N. P. X. Y. Z. *Alii*, multa modis, *ſed minus recte, opponitur enim* omnimodis, *inf.* 191. *atque pariter verſ.* 423. & 426.
190. *ferri.* fieri Q.
191. *Omnimodiſque.* Omni' modiſque L. *Confer verſ.* 426. & 717. 1023.

NOTÆ.

mente divina ab infinito tempore unà cum Deo inſitas. Lamb.

185. *Quove modo eſt umquam*] Sic reſtitui, ſecutus codices Faërn. Tettian. nam vulgati habent *inquam.* Vaticanus autem habebat *numquam*: utrumque mendoſe. Lamb.

187. *Si non ipſa dedit ſpecimen Natura creandi*] Primum *ſpecimen*, non *ſpeciem*, ut eſt in vulgatis, legendum eſt: *ſpecimen* enim nunc dicit (opinor) quod ſuprà *exemplum*, id eſt παράδειγμα, appellavit: ſeu potius *ſpecimen* poſuit pro eo quod arguit & ſignificat, qualis quæque res ſit, id eſt, pro indicio & nota rei: δεῖγμα nominant Græci: quo modo auctor vocabularii Latino Græci, mihi à Claudio Puteano commodati, interpretatur; ſic enim dicimus, *ſpecimen innocentiæ Rutilium fuiſſe: ſpecimen ſuæ virtutis aliquem dare: ſenatum omni vitio carere, & ceteris ordinibus ſpecimen eſſe debere.* Deinde *creando* legi malim, ut habent codices Florentini, quam *creandi*: ut ſit hæc totius hujus loci ſententia: nullo alio modo principiorum vim & poteſtatem cognoſci potuiſſe, quid illa valerent, ordine, & ſitu, & cæteris mutatis, niſi quia natura creando & gignendo *ſpecimen dedit*, id eſt, oſtendit quæ eſſet vis principiorum. Verumtamen in hac voce non ſum auſus à libris Manuſcript. diſcedere, qui omnes ad unum habent *creandi*. Lamb. Ita veteres libri. Vulgati: *ſpeciem.* & mox Marullus, ac Lambinus, contra libros: *creando.* Gifan. Sic al. ſed Lamb. *creando.* melius. Faber. & Creech.

188. *Multimodis*] Ita optime Veteres libri, ut

&

Ut non ſit mirum ſi in taleis diſpoſituras
Deciderunt quoque, & in taleis venêre meatus,
Qualibus haec rerum genitur nunc Summa novando.
Quod ſi jam rerum ignorem Primordia quae ſint,
Hoc tamen ex ipſis Coeli rationibus auſim
Confirmare, aliiſque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis divinitus eſſe paratam
Naturam rerum, tanta ſtat praedita culpa.
Principiò, quantum Coeli tegit impetus ingens,

Inde

INTERPRETATIO.

ut mirandum non ſit, ſi in talem ordinem aliquando deciderunt, & obtinuerunt eos motus, quibus adminiſtratur hic Mundus, & perpetuò renovatus conſervatur. Si verò neſcirem rerum Origines, tamen ex ipſis Cœli rationibus multiſque aliis rebus probare poſſim, Mundum non fuiſſe à Diis factum, tot tantiſque vitiis laborat. Principio, Orbis, quem rapidus Cœli ambitus tegit,

VARIÆ LECTIONES.

194. ***Deciderunt.*** deciderint P. ***meatus.*** novatus *Codd. Pii.*
195. ***genitur.*** Ita ***Lamb.*** &c. genitur A. B. C. D. E. P. X. Y. Z.
196. *ſi.* abeſt Q. X. Z. jam nunc Q1.
201. ***quantum Cœli.*** quam tum cœli c. O. P. Q. ***tegit.*** tegat P. *in not.*

NOTÆ.

& alibi. Vulgati: ***multa modis.*** GIFAN.

195. ***Qualibus hæc genitur***] Id eſt gignitur. mendoſe autem hîc legitur ***geritur***, neque ullo modo ferri poteſt. nam ſumma non geritur, ſed ***genitur***, ſeu gignitur, & creatur quotidie novando. Zoili autem ſententiam contra me latam, non minus inanem, quam inane rerum, flocci non facio. LAMB. Lambinus: ***genitur.*** male. GIFAN. Codd. *Geritur*, Nec melior quidem hæc vox *Genitur* Lambini. CREECH.

195. ***Novando***] Novando ea quæ ætate ſunt confecta & conſumta. LAMB.

196. ***Quod ſi jam rerum, &c.***] Id eſt, quod ſi concedam, me ignorare, quæ ſint principia rerum, &c. Hi verſus quattuor qui deinceps ſequuntur, jam ſupra poſiti ſunt lib. 2: 177. paucis immutatis:

Nam quamvis rerum ignorem prim. q. ſint:
Hoc tamen ex ipſis c. r. auſ.
Confirmare tibi, &c. LAMBIN.

Sequuntur ℣. 27. argumenta e vitioſa hujus Mundi conſtitutione ducta; Quippe Sapientiſſimi Artificis opus fuiſſet abſolutum, non horridum Montibus, Sylvis, Paludibus, &c. Aliæ partes non rigerent perpetuo gelu, neque alias nimii Calores torrerent: Deinde Fruges potiùs quam Spinas, Sentes, & cætera inutilia produceret, Denique nullis procellis vexaretur, Non aleret Feras Humano Generi infeſtas, neque varii Morbi varias Anni tempeſtates ſequerentur, & Funera præcipitarent: Sed omnia fuiſſent optimè diſpoſita & ornata, Quieti atque uſibus Humani generis accommoda, & Deo digna. CREECH.

199. ***Paratam***] In libro 2: 180. ***creatam.*** LAMBIN.

200. ***Tanta ſtat***] Id eſt, adeo multa inſunt peccata, multaque quæ reprehendi poſſint: vel multa non recte, neque ordine facta, in natura rerum, & in hoc mundo. epiphonema. Sed in lib. 2: 181. aliter,

——— ***quæ tanta eſt prædita culpa.*** LAMB.

201. ***Quantum***] Non dixit ***quantum terræ***, ſed ***quantum*** ſimpliciter. non enim quicquid cælum complectitur & tegit, terra eſt, ſed partim terra habitabilis, partim mare, partim fluvii & lacus, & paludes, partim ſilvæ & nemora, partim ter-

Inde avidam partem Montes, Sylvaeque ferarum
Poſſedêre, tenent Rupes, vaſtaeque Paludes,
Et Mare, quod latè Terrarum diſtinet oras.
Inde duas porro prope parteis fervidus Ardor,
Aſſiduuſque Geli caſus mortalibus aufert.
  Quod ſupereſt arvi, tamen id Natura ſua vi
Sentibus obducat, ni vis Humana reſiſtat,
Vitaï cauſa valido conſueta bidenti
Ingemere, & terram preſſis proſcindere aratris.

Si

INTERPRETATIO.

magnam partem montes occupant & Sylvæ ferarum domus, Rupes etiam, vaſtæ Paludes, & Mare quod varias Terræ regiones latè ſeparat. Præterea, duas fere totius orbis partes nimius Calor (ſub Zona torrida) & continuum frigus (ſub Zonis frigidis) aufert mortalibus. Id Terræ quod ſupereſt Sentes ſolos produceret, niſi Homines domarent, ſoliti victus quærendi cauſa bidenti valido ingemere, & depreſſis Aratris terram proſcindere;

VARIÆ LECTIONES.

202. *avidam.* aliam partem M.
204. *diſtinet.* deſtinat P. Q. *priſci codd.* P. diſtinet.
210. Abeſt a Z.

NOTÆ.

ra propter ardorem aut frigus inhabitabilis. Lambin.

201. *Impetus ingens*] *Cæli impetum* dixit, cæli ambitum celerrimum & volubiliſſimum. ſic M. Tull. lib. 2. de natura Deorum: *Cum autem impetum cæli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, conſtantiſſimeque conficientem viciſſitudines anniverſarias, &c.* Lamb.

202. *Avidam partem*] Id eſt magnam partem, vaſtam & ingentem, quaſi avide occupatam, per hypallagen. ſic poſuit Horat. Od. 14. lib. 2. *pavimentum ſuperbum.* pro pavimento ſuperbi domini. Lambin. Magnam, multam. ſupra. Faber. Marullus: *aliam.* peſſime. Gifan. Magnam, ingentem, Interpretes, Quia viz. Avidi magna omnia deſiderant, vel quia avidè occupata eſt, Quis feret hæc? *Avidam* Bibulam Nardius, nam Terra eſt Humoris avidiſſima: inepte. Nec porro Interpretes prætendant

Avido *complexu quem tenet Æther.*

lib. 2: ℣. 1065. non attinet. Melius igitur cum vulg. legatur *Aliam*, ſed potius *Habitant*: Neque inſolentius *Montes Habitant* quam *Sylvæ poſſident.* Creech.

204. *Diſtinet*] Diſtrahit, dividit, ſeparat. Porſena ad Romanorum legatos, apud Liv. 1: 15. de Tarquiniis: *Alium hinc, ſeu bello opus eſt, ſeu quiete, exilio quærant locum, ne quid meam vobiſcum pacem diſtineat.* Hav.

205. *Fervidus Ardor*] Sub zona torrida. Lamb. & Faber.

206. *Aſſiduuſque Geli caſus*] Sub duabus zonis extremis nimio frigore rigentibus. *gelus* autem etiam maſculino genere uſitatum fuiſſe veteribus teſtatur Nonius Marc. profertque hæc verba ex Afranio:

——— *Quis tu es ventoſo in loco*
Soleatus, intempeſta noctu, ſub divo,
Aperto capite, ſilicem cum findat gelus? Lamb.

Zonæ extimæ. Faber.

208. *Sentibus obducat*] Spinis operiat. *ſentes* à *ſentiendo* dictæ ſunt, quæ ſint aſperæ tactu. ex quo jocus Plautinus Captivis 1: 2: 83.

Heg. Aſper meus victus ſane eſt. Erg. ſenteis neceſſitas? Lamb.

208. *Ni-*

Si non foecundas vertentes vomere glebas,
Terraïque ſolum ſubigentes, cimus ad ortus:
Sponte ſua nequeant liquidas exiſtere in auras:
 Et tamen interdum magno quaeſita labore,
Quom jam per terras frondent, atque omnia florent;
Aut nimiis torret fervoribus aetherius Sol,
Aut ſubiti perimunt imbres, gelidæque pruinae,
Flabraque ventorum violento turbine vexant.
 Praeterea genus horriferum Natura Ferarum,

Hu-

INTERPRETATIO.

Niſi nos, inquam, Homines fœcundas glebas Vomere vertentes, Terramque ſubigentes excitemus ad exerendam vim frugibus producendis aptam, profecto nunquam ſponte ſua naſcerentur. Interdum tamen fruges labore magno quæſitas, cum jam floreant per Terras, & lætæ meſſis ſpem faciant, vel nimio calore Sol urit, aut ſubiti imbres, & gelidæ pruinæ enecant; aut Procellæ turbine violento jactant, & proſternunt. Præterea, cur Natura terra marique nutrit & auget horrendas feras

VARIÆ LECTIONES.

211. *vertentes vomere.* iterantes vomere V.
212. *cimus.* ſtimus Q. ſcimus X. Z.
213. *exiſtere.* exurgere *priſci codd.* P. Q.
214. *Et tamen.* ſed tamen *Quidam.*
217. *ſubiti.* ſubita Y.

NOTÆ.

208. *Ni vis Humana reſiſtat*] Arando, fodiendo, ſarriendo, paſtinando, colendo denique, ut ſtatim dicet. LAMB.

210. *Ingemere*] Sic Virgil. Georg. lib. 1: 45.

> *Depreſſo incipiat jam tum mihi taurus aratro*
> *Ingemere.*

Animadvertat lector, participium *conſueta* jungi hîc cum infinitivo, quemadmodum ſupra obſervavimus ad illum locum,

> *At conſueta domi catulorum blanda propago*
> *Degere, &c.*

lib. 4: 995. LAMB.

210. *Proſcindere*] Idem Virgil. lib. 2. Georg. 237.

> *Et validis terram proſcinde juvencis.*

211. *Si non fœcundas vertentes, &c.*] Hic verſus cum duobus qui ſequuntur, jam ante poſiti ſunt lib. 1. LAMB.

212. *Cimus*] Excimus, excitamus. Priſcianus in VIII. *Quartæ duobus; co is & queo quis. In antecedente unum invenitur cieo cies. hoc eſt voco. unde Virgilius. Bella cient. Idem. ære ciere viros. Invenitur tamen idem etiam in io deſinens quartæ conjugationis: unde Statius in octavo Thebaïdos. Suus excit in arma Antiqua Tiryntha Deus. Lucanus in ſecundo. Nunc urbes excite feras. Lucretius. Aurarum cimus ad ortus.* PIUS.

213. *Sponte ſua*] Vi ſua: nullo noſtro labore. Maro Georg. 2: 47.

> *Sponte ſua quæ ſe tollunt in luminis auras.* PIUS.

214. *Et tamen interdum magno, &c.*] Virg. lib. 1. Georg. 114.

> *Nec tamen, hæc cum ſint hominumque boumque labores,*
> *Verſando terram, experti, nihil improbus anſer, &c.*

ibidem 311.

 Quid-

Humanae genti infeſtum, terrâque marique,
Cur alit, atque auget? cur Anni tempora morbos
Adportant? quare Mors immatura vagatur?
Tum porro Puer, ut ſaevis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
Vitai auxilio, quom primùm in luminis oras

Nixi-

INTERPRETATIO.

Humano generi infeſtas? Quare variæ tempeſtates Anni varios afferunt Morbos, quare tam frequentia ſunt immatura funera? Deinde Puer, ut Naufragus à ſævis undis projectus, nudus humi jacet, Infans, omni vitæ auxilio indigus, cum primum

VARIÆ LECTIONES.

222. *Adportant.* Important L.
225. *Vitai.* ita A. B. *Lamb.* ſed Codd. MSS. *Vitali.*

NOTÆ.

Quid tempeſtates auctumni, & ſidera dicam, &c. quæ cum his Lucretianis conferre non parum juvabit. Lamb.

222. *Apportant*] Quidam legi volunt *Important*, quod magis probarem, ſi quo in codice ſcriptum reperiſſem. ſic quidem eſt locutus infra eodem lib. 370.

Aut aliam quamvis cladem importare pericli. Lamb.

223. *Tum porro,* &c.] Archiæ ſuper humana vita non erit inſerium afferre verſus luculentiſſimos.

Θρήικας αἰνείτω τις. ὅτι στοναχεῦσι μὲν υἷας
Μητέρος ἐκ κόλπων πρὸς φάος ἐρχομένους.
Ἔμπαλι δ' ὀλβίζουσιν, ὅσους αἰῶνα λιπόντας
Ἀπροϊδὴς κηρῶν λάτρις ἔμαρψε μόρος.
Οἱ μὲν, γὰρ ζώοντες, ἀεὶ παντοῖα περῶσιν
Ἐς κακὰ, τοὶ δὲ κακῶν εὗρον ἄκος φθίμενοι.

Hoc eſt, *Thraces laudat aliquis quia filios lugent matris ex alvo in lucem prodeuntes. Rurſus beatos vocant quoſcunque ævum deſerentes improviſa Parcarum ſæva capit mors. Ii quidem viventes univerſa tranſeunt ad mala. Hi autem malorum invenerunt remedium morientes.* Pius. Lege ad hunc locum Plinium lib. 7. de imbecillitate naturæ humanæ, & Lactantium lib. de opificio Dei, cap. 3. Lamb. ℣. 13. aliud habes argumentum; Si Dii Mundum feciſſent, Melior foret Hominum, quam Aliorum Animalium conditio, at longe deterior, & ſi rem ipſam attendas, Brutis Parens videtur Natura, Hominibus Noverca. Creech.

223. *Projectus*] Longe jactus. Lamb.

225. *Vitaï auxilio*] *Vitali* habent quidem omnes libri: malim tamen legi *Vitaï auxilio*, ut cenſet Muretus: itaque nunc edendum curavi. Lamb. Hoc omnino placet, etſi libri diſſentiant. Nam, ut libri habent, *Vitali auxilio*, Latine non dicitur. Sic ſupra IV. 77. infra VI. 29. & 1151. Gifan. Emendat Muret. *Vitaï auxilio.* Faber. Sic Virg. I. Æneid. 603. *omnium egenos. Vitai* autem, non *Vitali* auxilio, haud dubie ipſe Lucretius ſcripſit. vide Lamb. & Gif. Preig.

225. *Cum primum in luminis oras Nixibus, &c.*] Id eſt, cùm primùm eum natura ex alvo matris enixæ, *longe*, ſeu in conſpectum effudit, atque in lucem extulit. quod proinde eſt, ut ſi dixiſſet: cum primùm natus ſeu editus eſt; vel cùm primùm manibus nutricis exceptus eſt, vel ut Homerus, cùm primùm inter pedes matris cecidit. ſic Homerus Ιλ. τ. 110.

Ὅς κεν ἐπ' ἤματι τῷδε πέσῃ μετὰ ποσσὶ γυναικὸς, &c.

Sic Papinianus lib. I. Silvarum,

——— ——— ——— *tellure cadentem*
Excepi, fovique ſinu. Lamb.

Adde Statii locum alterum, qui eſt I. Theb. ℣. 60.

——— ——— *Si me de matre cadentem*
Foviſti gremio, &c. Preig.

227. *Vagituque locum*] Sic Plin. eo quem dixi loco: *Hominem tantum nudum, & in nuda humo*

ab-

Nixibus ex alvo matris Natura profudit;
Vagituque locum lugubri complet, ut aequum eſt,
Quoi tantum in vita reſtet tranſire malorum.
At variae creſcunt Pecudes, Armenta, Feraeque:
Nec crepitacula eis opus eſt, nec quoiquam adhibenda eſt
Almae nutricis blanda atque infracta loquela:

Nec

INTERPRETATIO.

ex utero Matris illum in oras luminis profundit Natura, lugubri vagitu locum complet, ut par eſt, cui tot mala ſunt in vita ſubeunda. At Pecudum, Pecorum, & Ferarum varia genera creſcunt, non eſt iis opus crepitaculis, neque ulli eorum blanda & dimidiata verba almæ nutricis adhibenda ſunt:

VARIÆ LECTIONES.

226. *profudit.* profundit D. P. Z.

228. *Quoi.* Qui Q1. *tranſire.* tranſire eſt Y. Z.

230. *crepitacula eis opus eſt.* crepitacillis opus eſt C. E N. V. Y. Z. *quidam Codd. Pii.* crepitacula eis c. O. *Creech.* opus eſt *Creech.* opus ſunt *Lamb.* O. P. crepit ancillis opus eſt Q1. ne crepitaculis opus eſt X. *unde patet vera lectio.*

NOTÆ.

natali die abjicit ad vagitus ſtatim & ploratus, nullumque tot animalium pronius ad lacrymas, atque has protinus vitæ principio. LAMB.

228. *Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum*] Profert hunc verſum Lactantius Firmianus lib. ſuprà proximè à nobis commemorato, cap. 3. his verbis: *Itaque naturam non matrem eſſe humani generis, ſed novercam: quæ cum mutis tam liberaliter ſe geſſerit, hominem vero ſic effuderit, ut inops, & infirmus, & omnis auxilii indigens nihil aliud poſſit, quam fragilitatis ſuæ conditionem ploratu ac fletibus ominari, ſcilicet,*

Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum.

Quæ cum dicunt; vehementer ſapere creduntur, propterea quod unuſquiſque inconſiderate ſuæ conditioni ingratus eſt. Ego vero illos numquam magis deſipere contendo, quam cum hæc loquuntur, &c. LAMB.

230. *Crepitacula*] Id eſt crepundia. cum in quibuſdam libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſem,

Nec crepitacula eis opus eſt,

non dubitavi, quin ea ſcriptura à recta & vera,

Nec crepitacula eis opus ſunt,

eſſet depravata. nam quod in omnibus libris vulgatis legitur,

Nec crepitacillis opus eſt,

& ita in Bertin. non dubito, quin hæc ſcriptura ſubdita ſit ab eo qui

Nec crepitacula eis opus eſt,

ferri non poſſe animadverteret, nec veram excogitare poſſet. LAMB. Ita diſerte in libris noſtris. Optime. Ita & Lambinus. Marullus, & Vulgati: *crepitacillis opus.* Vide Indicem. GIFAN. Codd. *Nec crepitacula eis opus eſt*, & rectiùs: Plautus.

Puero opus eſt cibum. CREECH.

231. *Infracta*] Interrupta. quoniam facilius pueri bleſa verba diſcunt quam integra: & ut ait Cato libro de filiis educandis. *Pueri potum & cibum primum buas & papas vocant & matrem mammam: patrem tatam.* hinc exiit illud Epigrammatici poëtæ.

Mammas atque tatas habet Afra: ſed ipſa tatarum
Dici & mammarum maxima mamma poteſt.

Conſimile eſt illud Tibullianum 2: 5: 94.

Balbaque cum puero dicere verba ſenem PIUS.

Fracta, & decurtata. Solent enim patres & matres verbis uti curtatis ad pueros infanteis, non integris. Sic Arnobius lib. 4. de Jove loquens: *Atque ut fletum poneret ineptiſſime tractum crepitaculis obticuit auditis: & ad ſomnos inductus eſt in*

mol-

Nec varias quaerunt Veſteis pro tempore Coeli.
Denique non Armis opus eſt, non Moenibus altis,
Queis ſua tutentur, quando omnibus omnia largè
Tellus ipſa parit, Naturaque daedala rerum.
  Principiò, quoniam Terraï corpus, & Humor,
Aurarumque leves animae, calidique Vapores,
E quibus haec rerum conſiſtere Summa videtur,
Omnia nativo ac mortali corpore conſtant:
Debet tota eadem Mundi natura putari.

Quip-

INTERPRETATIO.

neque diverſas veſtes pro diverſa Anni tempeſtate quærunt: Denique non Armis opus eſt, non altis Mœnibus quibus ſe ſuaque defendant, quoniam Tellus & Natura rerum formatrix ſponte omnibus omnia abundè ſubminiſtrat. Principio, quoniam Terra, Aqua, Aër, Ignis, e quibus hic Mundus componi videtur, Mortalia ſunt & nativa, aliquando naſcuntur, aliquando intereunt, totus etiam Mundus mortalis eſt habendus.

VARIÆ LECTIONES.

234. *Queis ſua.* Qui ſua P. Q. Y. Z. *in not.* Quæ ſua P.
235. *parit.* petit Q.
236. *quoniam.* quomodo Q1. quando Q2.
239. *Omnia nativo & mortali corpore conſtant.* Corpore nativo ac mortalibus omnia conſtant P. *in not.*
240. *Debet tota eadem.* Debet eodem omnis mundi A. B. eadem omnis C. E. I. N. P. Q2. X. Y. debet omnis idem Z.

NOTÆ.

molliſſimis cunis jacens, & vocibus delinitus eſt infractis? Lamb. Arnobio, apud Lambinum comes eat Minucius Felix, in Octavii ſui exordio. *Nam negotii, & viſendi mei gratia Romam contenderat relicta domo, conjuge, liberis; & quod eſt in liberis amabilius, adhuc annis innocentibus, & adhuc dimidiata verba tentantibus loquelam, ipſo Offenſantis linguæ fragmine dulciorem.* Quod nutricibus tribuerat Lucretius, parvulis Minucius accommodat, ſed ſimul elegantiorem multo ſuavidici Poëtæ imitatorem ſeſe præſtat, quam Arnobius. Sen. Epiſt. LXXXIV. *Apes* (Virgilianas illas, de quibus ſuperius locutus fuerat) *debemus imitari, & quæcunque ex diverſa lectione congeſſimus, ſeparare; melius enim diſtincta ſervantur. Deinde adhibita ingenii noſtri cura & facultate, in unum ſaporem varia illa libamenta confundere: ut etiamſi apparuerit, unde ſumptum ſit, aliud tamen eſſe, quam unde ſumptum eſt, appareat.* Preig.

234. *Queis*] Pro *quæ.* Lego *quis.* hoc eſt *quibus.* Obiter corrige Pompeji codicem: in quo ita legitur. *Atavus quia aſta eſt avi. i.e. pater: ut pueri uſurpare ſolent.* ſcribendum eſt *tata* non *aſta.* Pius.

235. *Ipſa*] Sua ſponte. Faber.

235. *Dædala*] Artifex, opifex. Lege quæ annotata ſunt ad illum locum lib. 1: 7.
——— ——— ——— *dædala tellus.* Lamb.

236. *Principio, quoniam*] Oſtendit mundi parteis interire; ex quo vult effici, mundum quoque ipſum interiturum. Lamb. Depulſis iis præjudiciis quæ Stoicorum vanitas aut Vulgi ſuperſtitio opinioni ſuæ oppoſuerat, ṽ. 12. hoc modo diſputat; Cum ea ſit Natura Totius quæ Partium, & obſervemus Mundi partes Terram viz. Aquam, Aërem & Ignem ſubinde mutari, aliquando diminui, & deinde refici; dicendum eſt totam compagem eſſe pariter Mortalem. Creech.

237. Le-

Quippe etenim quorum parteis, & membra videmus
Corpore nativo & mortalibus eſſe figuris;
Haec eadem ferme mortalia cernimus eſſe,
Et nativa ſimul. Quapropter maxima Mundi
Quom videam membra, ac parteis conſumpta regigni,
Scire licet, Coeli quoque idem Terraeque fuiſſe
Principiale aliquod tempus, clademque futuram.
Illud in his rebus ne me arripuiſſe rearis,
Memmi, quod Terram, atque Ignem mortalia ſumpſi
Eſſe:

INTERPRETATIO.

Nam quorum partes & membra videmus mortalia & nativa, illa ipſa quoque cernimus mortalia & nativa: Quapropter cum videam præcipuas partes & maxima Mundi membra ſemel conſumta refici, concludere licet Cœlum Terramque (totum Mundum) aliquando incepiſſe, & aliquando interitura fore. Ne vero, O Memmi, putes me quod probare non poſſum temere arripuiſſe, cum ſuppoſuerim Terram & Ignem Mortalia eſſe,

VARIÆ LECTIONES.

241. *quorum.* Gaſſ. *quoniam parteis.*
242. *nativo.* nativum Q2. X. Z. nativom Y. *& mortalibus.* nativo mortalibus E. N. immortalibus P. motalibus Z.
248. *ne me arripuiſſe.* ne arripuiſſe A. B. ne corripuiſſe C. E. P. Q1. X. Y. Z.

NOTÆ.

237. *Leves animæ*] Venti. profert hunc verſum Nonius. Sic Horat. Od. 12. lib. 4: 2.

Impellunt animæ lintea Thraciæ. LAMB.

240. *Debet eodem omnis*] Ita Veteres noſtri, recte *Eodem* ſc. corpore. Vulgati, & in quibuſdam libris: *omnia eadem.* Lambinus male: *tota eadem.* GIFANIUS. *Debet tota eadem.* Sic reſtitui conjectura ductus, cum in duobus libris Manuſcript. reperiſſem, *Debet omnia eadem. omnia* enim factum eſt ex *oïa*; *oïa*, ex *ota*; *ota*, ex *tota*, *t* autem omiſſum à librario propter alterum *t*, quod antecedit. Hanc emendationem non probavit Thraſo. Videamus ecquam afferat meliorem. ſic ait legendum eſſe,

Debet eodem omnis mundi, &c.

Atqui hæc lectio reperitur etiam in libris Pariſienſibus. ex qua facta eſt illa mendoſior,

Debet eadem omnis,

quæ eſt in omnibus ferè aliis impreſſis. Præterea perſpicuè argumentum eſt à partibus ad totum, hoc modo: partes mundi ſunt *mortali corpore prædita*, id eſt mortales: ergo & totus mundus eſt idem, hoc eſt, mortalis eſt. Præterea ſi forte dicat, *omnis* idem hîc valere quod *tota*: hæc locutio, *Debet tota eadem*, &c. longè (opinor) concinnior & elegantior eſt, quàm altera: quamvis *omnis* interdum uſurpetur pro *toto*, quemadmodum & πᾶς apud Græcos. Poſtremo hîc nihil ferè ſubintelligendum eſt; aut ſi quid eſt, id fit molliter & facilè: illic multa, eaque duriter & laborioſè. Sic enim explicare neceſſe eſt: Debet omnis mundi natura putari conſtare *eodem corpore*, hoc eſt nativo & mortali. LAMB. Giſanius, *Debet eodem omnis*, viz. æquè nativo & Mortali corpore conſtare. CREECH.

243. *Ferme*] Μείωσις eſt; debuit enim plane & diſerte concludere. Sed ita alibi locutus eſt. Donatus, *ferme* pro *facile* in Andr. Act. 3. Sc. 1. FABER. & CREECH.

246. *Fuiſſe Principiale aliquod tempus, clademque*] Id eſt, fuiſſe tempus, quo cælum & terra principium & originem habuerint, & fore cùm intereant. Putant item Stoici fore aliquando, ut

Eſſe: neque Humorem dubitavi, Auraſque perire:
Atque eadem gigni, rurſuſque augeſcere dixi:
  Principiò, pars Terraï nonnulla peruſta
Solibus adſiduis, multa pulſata pedum vi
Pulveris exhalat nebulam, nubeiſque volanteis,
Quas validi toto diſpergunt aëre venti:

Pars

INTERPRETATIO.

neque dubitaverim Aquam & Aërem aliquando interire, aliquando naſci, & augeri: accipe argumenta. Principio, nonnulla pars Terræ continuo calore Solis peruſta, & multorum Hominum pedibus pulſata, nebulam Pulveris nubeſque volantes exhalat, quas nubes Pulveris validi Venti toto Aëre diſpergunt:

VARIÆ LECTIONES.

255. *Quas.* Qua validi I.

NOTÆ.

ut hic mundus ardore deflagret: & nos Chriſtiani credimus. *principiale* autem vox eſt nata à nomine *principium*, non à *princeps*: ut alibi diximus. Lamb.

248. *Illud in his rebus*] Quòd verò præcipuæ partes, & maxima Mundi membra, Terra, Aqua, Aër, Ignis gignuntur, & intereunt; ℣. 59. fuſiùs demonſtrat: Multæ Terræ particulæ in altum feruntur, & Aëra componunt; Multas auferunt flumina, & in Mare volvunt ℣. 14. Aqua item nova indies naſcitur, at pars illius vi Solis in Aërem mutatur, pars in meatibus ſubterraneis Terræ formam induit ℣. 12. Aërem, qui recipit omnes particulas e rebus omnibus perpetuo fluentes, & res illas omnes reficit nemo dixerit æternum, aut immortalem ℣. 8. De Igne denique idem concludendum, cum Radii Solis, qui unicus eſt Lucis & Ignis fons, quolibet momento emiſſi pereunt, Ideoque quod Sol ipſe reparetur, æquè ac Lychni & Tedæ, omninò confitendum ℣. 25. Creech.

248. *Ne arripuiſſe*] Ita quidam libri. In aliis: *corripuiſſe*. Lambinus: *ne me arripuiſſe*, male. Hiatus eſt Ennianus, & Lucretianus. Gifan. *Ne me arripuiſſe*, Sic reſtitui, non levi conjectura ductus. nam cùm in duobus libris manuſcriptis reperiſſem ita ſcriptum, *ne arripuiſſe rearis*, facilè adductus ſum, ut exiſtimarem, *me* pronomen, quod neceſſario deſideratur; & ſine quo neque verſus, neque ſententia conſtare poteſt, eſſe omiſſum à librario ſcriptore propter ſimilitudinem particulæ *ne*: deinde ex *arripuiſſe*, factum eſſe *corripuiſſe* ab aliquo ſemidocto, qui facilè quidem ſentiret verſum claudicare, ſed quid ſententiæ deeſſet, non videret; *ne me arripuiſſe rearis* autem, id eſt, ne fortè me exiſtimes per vim, & temere, & ſine ratione aſſumſiſſe, quaſi abs te datum & conceſſum, id quod ſumſi & poſui, nempe parteis mundi interituras, &c. Cum hæc ſcripſiſſem, Zoilus *arripuiſſe* pro *corripuiſſe* probavit, ſed *me* additum improbavit, eoque nomine me malè hoc modo edidiſſe pronuntiavit. Atqui primùm Latini ſermonis conſuetudo & ratio non ferunt, ut hic locus ita legatur ſine provocabulo *me*. Deinde *hiatus Ennianus*, quem iſte jactitat, hoc loco à Lucretio quæſitus non eſt: neque Lucretius taleis umquam verſus faceret, qualeis iſte ructatur. *Arripere* autem pro *aſſumere non datum ab altero*, etiam uſurpavit M. Tullius lib. 1. de Nat. Deorum: *Primum igitur quidque conſideremus quale ſit? Arripere enim mihi videmini, quaſi veſtro jure, rem nullo modo probabilem*. Lamb. Pluribus tamen adductis exemplis hiatui iſti favet Jo. Ger. Voſſ. de Arte Gramm. 2: 16. Hav.

252. *Principio, pars*] Ad hunc locum uſque ab illo verſu,

Illud in his rebus,

ſententia pendet: hinc autem incipit probare id quod

Pars etiam glebarum ad diluviem revocatur
Imbribus, & ripas radentia flumina rodunt.
Praeterea, pro parte ſua quodcunque alit, auget,
Roditur: & quoniam dubio procul eſſe videtur
Omniparens, eadem rerum commune ſepulcrum:
Ergo Terra tibi libatur, & aucta recreſcit.

Quod

INTERPRETATIO.

Pars etiam Terræ pluvia madefactæ in Aquam vertitur, & præterfluentia flumina partes riparum ſuarum auferunt. Præterea, quodcunque aliquibus ſui partibus auget aliud id ipſum conſumitur, quoniam verò Terra res omnes producit & alit, & res omnes intereuntes eadem recipit, neceſſe eſt, ut Terra pereat & naſcatur, ut aliquando minus, aliquando majus ſit illius Corpus.

VARIÆ LECTIONES.

258. *alit*, *auget.* Ita A. B. C. E. I. L. *Gaſſ.* P. Q. V. alit augetque X. alid auget *Lamb. in pr. Edit. & Creech.* Y. Z.
259. *Roditur.* Redditur P. C. E. N. Q. X. Y. Z.
261. *libatur.* Ita A. B. C. D. E. I. *Gaſſ. Creech.* N. P. Q1. X. Y. Z. limatur *Alii. recreſcit.* aucta ſeneſcit *Gaſſ.*

NOTÆ.

quod ſumſit, ne quis dicat, eum pro ſuo jure & quaſi per vim *arripuiſſe*, ut dixit, non aſſumſiſſe. LAMB.

254. *Exhalat nebulam*] Verbo *exhalat* ſubjunxit caſum accuſandi, ut Virgil. libr. 2. Georg. qui videtur hunc locum imitatus eſſe: 217.

Quæ tamen exhalat nebulam, fumoſque volucreis.

Idem lib. 7: 84.

——— *ſævamque exhalat opaca Mephitin.*

Iterum Lucret. infr. eod. lib. 464.

Exhalantque lacus nebulam, fluviique peremnes.

etiam verbo *exſpirandi*, ut ſup. lib. 2: 354.

Sanguinis exſpirans calidum de pectore flumen.

& verbo *efflandi*, ut infr. eod. libr. 651.

——— *atque ſuos efflavit languidus igneis.*

LAMB.

256. *Pars etiam glebarum ad diluviem*] Profert hunc verſum Nonius in voce *diluvies.* LAMB.

258. *Alit, auget*] Ita libri vulgati omnes, & veteres noſtri, recte. Multis locis ea conjungit Poëta, Lambinus: *alid.* GIFAN. Præterea (inquit) quidquid pro parte ſua aliud alit atque auget, id roditur. Olim edideram *quodcumque alid auget. alid* autem, id eſt *aliud*, ut ſæpe alias. mendoſè autem putabam in vulgatis legi *alit*, per *t*, ex verſu qui ſequitur paullo poſt,

Nam quod cumque alias ex ſe res auget alitque,
Deminui debet, &c.

Nunc receptam ſcripturam retineo, ut intelligamus, *alit*, *auget*, poſita eſſe ἀζωδέτως, ut illa, *ſubat*, *ardet*, lib. 4: 1192. & ſubintelligamus *aliud*, ſeu *alias res.* LAMB.

259. *Roditur*] Id eſt diminuitur. tralatio: quod ſtatim dicit *limari*, alia tralatione. LAMB.

260. *Omniparens*] Virgil. lib. 6. Æneid. 595.

——— *terræ omniparentis alumnum.* LAMB.

260. *Commune ſepulcrum*] Sic Catullus de Troja ad Manlium,

Troja nefas, commune ſepulcrum Europæ, Aſiæque,
Troja virûm, & virtutum omnium acerba cinis.

LAMB. Plautus *Communem locum* dixit, in Prol. Caſinæ, ℣. 19.

Ea tempeſtate flos Poëtarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum. PREIG.

261. *Ergo Terra tibi libatur*] Ita Veteres & vulgati libri. Lambinus tamen; *limatur*; male. GIFAN. Ergo terra minuitur ac deteritur. *limatur* autem legendum, non *libatur. tibi* venuſtatis & concinnitatis cauſa poſitum, ut apud Horat. Epiſt. 3. lib. 1.

Quid

Quod ſupereſt, Humore novo mare, flumina, fonteis
Semper abundare, & latices manare perenneis;
Nil opus eſt verbis, magnus decurſus aquarum
Undique declarat: ſed primùm quidquid Aquaï
Tollitur, in ſummaque fit, ut nihil Humor abundet,
Partim

INTERPRETATIO.

Deinde Mare, Flumina, Fontes novo Humore ſemper abundare Aquaſque perennes fluere non opus eſt argumentis quibus confirmarem, Nam Magni fluvii undique in Mare decurrentes id demonſtrant: ſed primo, Aliquid Aquæ conſumitur, & fit ut tota moles Aquæ nimia non ſit,

NOTÆ.

Quid mihi Celſus agit?

Neque verò me movet cimex Zoilus, qui hanc emendationem damnat. ſatis eſt mihi, eam probari duodecim viris totius Galliæ doctiſſimis, ut taceam non pauciores Italos, Germanos, Hiſpanos, Britannos mihi aſſentienteis. Lambin. Melius *libatur*. Faber. & Creech. Nam & ita *deguſtant* dixit ſuperius ℣. 192. ubi vide Notas. Imo non aliter *libatam animam* dixit diminutam 3: 716.

Partibus amiſſis quoniam libata receſſit.

Neque aliter legendum ibid. 214.

Nil ibi libatum de toto corpore cernas.

ut nec lib. 5: 569.

Illa ipſa intervalla nihil de corpore libant
Flammarum.

De ea vero conſuetudine qua *tibi* hic eleganter vacat, plura collegit Jo. Ger. Voſſ. de Conſtruct. cap. 59. Hav.

261. *Et aucta recreſcit*] Lucanus 6: 277.

Illos Terra fugit dominos: his rura colonis
Accedunt donante Pado. Hav.

264. *Magnus decurſus aquarum Undique*] Id'eſt, magnæ aquæ undique decurrentes, ſive fluvii in mare delabentes. Lucret. ſupr. lib. 1: 1030.

Efficit, ut largis avidum mare fluminis undis
Integrent amnes, &c.

cum fluvii ex fontibus originem trahant: fontes ex aquis, ſubter per terras diditis, & quaſi percolatis. Lamb. *Magnus decurſus*, Subaudi, *Id enim* magnus decurſus aquarum declarat, *&c.* Faber.

265. *Primum quidquid*] Primum quidque, ut ſæpe alias, & quidem paucis poſt verſibus:

Nam primum quidquid fulgoris deperit eii.

Lamb. Quidque, ut ſæpe alias, & ℣. 285. item ℣. 305.

Nam primum quidquid *fulgoris diſperit eii.*

Creech.

267. *Verrentes æquora venti*] Sic infra: 267. & 389.

Nequidquam, quoniam verrentes æquora venti
Deminuunt, &c.

& libro 1: 217.

Sunt igitur venti nimirum corpora cæca,
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cæli
Verrunt. Lamb.

268. *Radiiſque retexens æther.*] Qui cum ſuis ignibus, alitur terræ halitibus humidis, & aquis marinis, ſive extenuatis, & longo intervallo, quaſi percolatis, & dulcibus redditis, ſive manentibus etiam ſalſis. qua de re alibi dictum eſt. Ex humoribus autem, quos Sol non conſumſit, naſcuntur imbres & pluviæ: qui rurſum terram irrigant & madefaciunt, mareque & fluvios redintegrant. Et hic ille eſt Oceanus, quem Homerus facit circum terram fluere, ut vult Ariſt. Iterantur autem hæc eadem infrà eodem libro non longè, 268. & 390.

—— quoniam verrentes æquora venti
Deminuunt, radiiſque retexens ætherius Sol.

Lambin. Idem propemodum ſonus verborum, Virgilio, tanquam aliud agenti, excidit, in illis, Æneid. iv. 118.

Ubi primos craſtinus ortus
Extulerit Titan, radiiſque retexerit orbem.

Et ℣. 65.

Præ-

Partim quod validi verrentes aequora venti
Deminuunt, radiiſque retexens aetherius Sol:
Partim quod ſubter per terras diditur omneis.
Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies Humoris, & ad caput amnibus omnis

Con-

INTERPRETATIO.

partim quoniam validi Venti verrentes æquora diminuunt Aquas, & ætherius Sol radiis ſuis attenuat & elevat; partim quoniam per ſubterraneos meatus diſtribuitur, per iſtos enim meatus Aquæ marinæ rivuli feruntur, qui ad fontem Amnium

VARIÆ LECTIONES.

268. *Deminuunt.* Diminuunt A. C. E. N. P. X. Y. Z. *ita etiam* l. 390. *hujus libri.* Dimminuunt a. B. K. Qr.

269. *diditur.* dividitur Q. X. Y.

NOTÆ.

Præterea, ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiiſque retexerit orbem.

Propius noſtro accedere voluit Statius, ubi V. Theb. pag. m. 228. ita canit.

Exoritur pudibunda dies, cælumque retexens
Averſum Lemno jubar.

Ubi *cœlum*, pro caligine cuncta obumbrante atque operiente, poſuiſſe videtur Statius, ut Homerus paſſim *aëra* ſimpliciter, pro aëre ſpiſſo, atque opaco, adeoque pro ipſa caligine, &c. ut Ex. Gr. Il. γ. ✠. 389.

——— Ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ.

Unde vel in ipſis Sacris Litteris, Eph. II. ✠. 2. ἐξουσία τοῦ ἀέρος appellatur, quæ alibi ἐξουσία τοῦ σκότους, Col. I: 13. Singularis Statii rurſus locus eſt, III. Theb. pag. m. 141. qui forſan huc faciat, ubi Amphiaraus in Apheſante monte cum Melampo auguria captans:

ſic fatus, & alto
Membra locat ſcopulo: tunc pluria ignotaque jungit
Numina, & immenſi fruitur caligine mundi.

Retexere autem de diſſolutione, quæ paulatim, & quaſi filatim fit, quam aptum quamque elegans verbum ſit, ſatis patet. PREIG. *Retexens*, Ἀναλύων, καταλύων. reſolvens. FABER. Penelopes veluti telam. HAV.

270. *Percolatur enim virus, retroque*] Fuit hæc quorundam antiquorum Philoſophorum opinio, quam commemorat Ariſtotel. lib. 2. μετεωρ. fluvios ex mari naſci, quemadmodum in idem relabuntur: quia aqua ſalſa percolata, fit dulcis, & ad bibendum utilis. ſic Ariſtot. διηθούμενον γὰρ γίνεται τὸ ἁλμυρὸν, πότιμον. ſuprà lib. 2: 470.

Et, quo miſta putes magis aſpera lævibus eſſe
Principiis, unde eſt Neptuni corpus acerbum,
Eſt ratio ſecernundi, ſeorſumque videndi, &c.

LAMB.

270. *Virus*] Humor, ſeu liquor naturalis. ſup. lib. 1: 720.

Jonium glaucis adſpergit virus ab undis. LAMB.

271. *Et ad caput*] Id eſt, & ad fonteis. iteratur autem hic verſus cum tribus deinceps ſequentibus, libro 6. LAMB.

272. *Inde ſuper terras fluit*] Id eſt, ex fontibus fiunt fluvii: qui rurſum in mare relabuntur, illudque integrant: ut paullo antè dictum eſt ad illum locum, ✠. 264.

——— ——— *magnus decurſus aquarum.*
Undique declarat, &c.

Sic idem Lucret. ſup. lib. 1: 1030.

Efficit, ut largis avidum mare fluminis undis, &c.

adde & illa ejuſdem ex lib. 2: 589.

Principio tellus habet in ſe corpora prima,
Unde mare immenſum volventes flumina fontes
Aſſiduè renovent, &c.

Ad hanc rationem referendum eſt illud Plautinum in Pœnolo 3: 3: 14.

Viam qui neſcit, qua deveniat ad mare,
Eum oportet amnem quærere comitem ſibi, &c.

Eodem

Convenit; inde ſuper terras fluit agmine dulci,
Qua via ſecta ſemel liquido pede detulit undas.
Aëra nunc igitur dicam, qui corpore toto
Innumerabiliter privas mutatur in horas.
Semper enim quodcunque fluit de rebus, id omne
Aëris in magnum fertur mare: qui niſi contrà
Corpora retribuat rebus, recreëtque fluenteis,
Omnia

INTERPRETATIO.

convenientes erumpunt, & inde ſuper terras fluunt dulci agmine, quà via ſemel ſecta undas liquido pede detulit (ubicunque egeritur humus, & fit foſſa.) Nunc de Aëre dicendum eſt, qui ſingulis horis infinitis pene modis toto ſuo Corpore mutatur. Nam quodcunque de rebus fluit in magnum Aëris mare fertur, qui Aër niſi viciſſim rebus Corpora retribuat, & reficiat fluentes, Omnes res jam jam reſolutæ fuiſſent, & in Aërem mutatæ.

VARIÆ LECTIONES.

273. *detulit.* rettulit P. Q.
274. *qui corpore.* quid corpore P. Y. *ſcribendum tamen jubet*, qui P. *in not.*
275. *in horas.* in oras C. E. N.
276. *quodcunque.* quocunque P. cuicunque *corrigit* P. *in not.*

NOTÆ.

Eodem pertinet illud Homericum Ιλ. φ. ỳ.122. ubi Achilles Lycaonem à ſe interfectum, pede prehenſum, in Scamandrum fluvium jacit. quo facto hæc in eum gloriabundus loquitur:

Ἐνταυθοῖ νῦν κεῖσο μετ' ἰχθύσιν, οἵ σ' ὠτειλῆς
Αἷμ' ἀπολιχμήσονται ἀκηδέες· οὐδέ σε μήτηρ
Ἐνθεμένη λεχέεσσι γοήσεται, ἀλλὰ Σκάμανδρος
Οἴσει δινήεις εἴσω ἁλὸς εὐρέα κόλπον.

id eſt, *Hîc nunc jaceto inter piſceis, qui tibi ex vulnere ſanguinem lingent ſine cura: neque te mater lecto aut feretro impoſitum lugebit, ſed Scamander vorticoſus in latum maris ſinum deferet.* Lambin.

272. *Agmine dulci*] Virgil. lib. 2: Æn. 782.

——— ——— ——— *leni fluit agmine Tibris.*

ſic Ennius lib. 5. p. 64.

Quod per amœnam urbem levi fluit agmine flumen.

agmen pro *actu & ductu*, inquit Macrob. lib. 6. Saturn. Lambin.

273. *Qua via ſecta ſemel*] Ita leviter & mobiliter fluit hic verſus, ut Lucret. fluvium per alveum ſuum currentem ac labentem noſtris oculis ſubjicere videatur. repetitur & lib. 6. Lege, ſi vacas, quæ notavimus ad illum locum Horatii Odæ 16. Epod. 48.

Levis crepante lympha deſilit pede. Lamb.

274. *Aëra nunc*] Nunc de aëre diſſerere incipit. Probat autem, omnia quæ de rebus fluunt, in aërem confluere: aërem autem certa corpora rebus tabeſcentibus retribuere, ne rerum omnium interitus conſequatur. Lamb.

275. *Privas mutatur in horas*] Ita omnino legendum. Vide Indicem. Vulgati: *oras.* Gifan. Singulas, vel proprias. ſed ſi *ſingulas* interpretemur, videbitur legendum,

——— ——— *privas mutatur in horas:*

ſin *proprias*, ferri poterit ſcriptura recepta,

——— ——— *privas mutatur in oras:*

ut per *oras proprias* intelligamus extremitates ignis, aquæ, & terræ. ego tamen

——— ——— *privas mutatur in horas*

legi malo, ſup. lib. 4: 569.

In multas igitur voces vox una repente
Diffugit, in privas quoniam ſe dividit aureis.

Probavit hanc emendationem Thraſo. hoc mirum:

Omnia jam reſoluta forent, & in Aëra verſa.
Haud igitur ceſſat gigni de rebus, & in res
Recidere adſiduè, quoniam fluere omnia conſtat.
Largus item liquidi fons luminis, aetherius Sol
Inrigat adſiduè coelum candore recenti,
Suppeditatque novo confeſtim lumine lumen.
Nam primùm quidquid fulgoris diſperit eij,
Quocunque accidit: id licet hinc cognoſcere poſſis,
Quod

INTERPRETATIO.

Aër igitur jugiter oritur de rebus aliis, & in res alias redit; certum enim eſt res omnes in perpetuo fluore eſſe, particulas emittere, & diminui. Item ætherius Sol, largus liquidi luminis fons, aſſiduè nova luce perfundit Cœlum, & lucem nova luce confeſtim reficit: Nam ea Lux quæ primo emittitur, quam primum attigerit partem in quam deſtinatur, perit:

VARIÆ LECTIONES.

281. *Recidere.* Decidere M. Reccidere L. P. *in not.* Y. Z.
283. *recenti.* regenti Q. X. Y. Z. *ſed in* Z. *corrig.*
285. *eij.* ejus Q1. ej Y. ei N. Z.
286. *poſſis.* poſſe N.

NOTÆ.

rum: illud non mirum, quod probavit, ut ejus auctor aut repertor. LAMB.

276. *Id omne Aëris in magnum fertur mare*] Semper (inquit Lucret.) quidquid è rebus fluit, in aërem longè lateque uſque ab æthere ad terras diffuſum fertur. *aëris mare* tralatio eſt: quæ hîc non ſolùm ad ornandum, verùm etiam ad ſignificandum ac declarandum adhibita eſt. ſignificatur enim hac tralatione natura aëris mollis & humida: quam idcirco poëtæ effæminarunt, & *Junonis* nomine appellarunt. LAMB. Aëris capacitatem, κύτος. FABER.

278. *Fluenteis*] Suo fluxu. FABER.

281. *Reccidere*] Sic legendum, & ita habet codex Bertinian. & codex Memm. in utriſque Aldinis autem legitur *Recidere*, per unicum *c*, mendoſe. *Reccidere* enim dictum, ut *rettulit*, *reffer-re*, *redducere*, *remmota*, & ſimil. apud Virgilium Horat. & apud hunc eundem. LAMB. Marullus: *decidere*; male, contra veteres libros. GIFAN.

281. *Quoniam fluere*] Sic ſuprà lib. 4: 228. & 6: 933.

Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi.
LAMB.

282. *Largus item liquidi fons*] Infr. eod. lib. 597.

Jam licet hinc fontem ſcatere, atque erumpere flumen
Ex omni mundo, &c. LAMB.

283. *Inrigat cœlum candore*] Ita Manil. II. *irriget orbem omnia pervolitans.* Ita & Tertull. de Pompejis, (urbs eſt Italiæ) *Perfudit ignis Pompejos.* FABER. Sol enim *Fons* luminis. Vid. ℣. 661. & lib. 4: ℣. 375. CREECH.

284. *Suppeditatque novo confeſtim*] Sic ſuprà lib. 4: 376.

Semper enim nova ſe radiorum lumina fundunt:
Primaque diſpereunt, quaſi in ignem lana trahatur, &c.

& infrà eodem lib. 823.

Quæ faciunt ſolis nova ſemper lumina gigni.

ad quem verſum plura. LAMB.

285. *Nam primum quidquid fulgoris*] Id eſt, primum quicque fulgoris ei diſperit. LAMB.

287. *Succedere Soli*] Id eſt ſubire ſolem, ſeu ſuccedere ſub ſolem. ſic enim loquitur Cæſ. lib. 1. *Ipſi confertiſſima acie, rejecto noſtro equitatu, phalange facta, ſub primam noſtram aciem ſucceſſerunt,*

Quod ſimul ac primùm nubes ſuccedere Soli
Coepere, & radios inter quaſi rumpere lucis,
Extemplo inferior pars horum diſperit omnis;
Terraque inumbratur, qua nimbi cunque feruntur,
Ut noſcas ſplendore novo res ſemper egere,
Et primum jactum fulgoris quemque perire;
Nec ratione alia res poſſe in ſole videri,
Perpetuò ni ſuppeditet lucis caput ipſum.
Quin etiam nocturna tibi, terreſtria quae ſunt,
Lumina, pendentes Lychni, claraeque coruſcis
Fulguribus pingues multa caligine Tedae,

Con-

INTERPRETATIO.

Id autem ita eſſe hinc potes cognoſcere, quod ſimul ac Nubes ſubeant Solem, & radios lucis quaſi interrumpunt, ſtatim pars omnis radiorum quæ eſt infra Nubes perit, & quacunque Nubes feruntur, Terra inumbratur: Atque hæc probant res nova luce ſemper indigere, & lucem primò emiſſam perire: Nec alia ratione Res in luce videri poſſe, niſi Sol ipſe fons lucis novos radios perpetuò emittat. Quinetiam nocturna lumina, quæ ſunt terreſtria, Pendentes viz. Lychni, Tedæ coruſcis fulgoribus micantes, multoque fumo pingues,

VARIÆ LECTIONES.

297. *Fulguribus.* Fulgoribus X.

NOTÆ.

runt. Idem lib. 2. *Teſtudine facta portis ſuccedunt, murum ſubruunt*, & Virgil. Georg. 3: 418.

Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere, & umbræ.

Idem lib. 4: 227.

——— *atque alto ſuccedere cælo.* LAMB.

290. *Qua nimbi*] Legendum arbitror,

——— *qua nubes cumque feruntur.* LAMB.

294. *Ni ſuppeditet*] Niſi ſuppetat. abſolutè enim accipiendum. LAMB.

295. *Quin etiam nocturna tibi*] Negat Ariſtoteles libr. 2. μετεώρ. ſimile eſſe lumen ſolis ceteris luminibus & flammis, quæ humido aut pingui aluntur, ſi aluntur. nam cetera lumina (inquit) continenter mutantur, neque umquam ſunt eadem: at ſolis lumen ſemper eſt unum & idem. quod ſi verum eſſet, ſolem humoribus ali: non ſolum quotidie novus ſol oriretur, ſed ſemper & aſſiduè novus eſſet: quod falſum atque abſurdum eſt. LAMB.

296. *Pendentes Lychni*] Virgil. lib. 1. Æneid. 730.

——— *dependent Lychni laquearibus aureis.*

LAMB. Plures locos colligit Macrob. Saturn. 6: 4. HAV.

297. *Fulguribus*] Id eſt fulgoribus, ut ſæpe alias. LAMB.

298. *Ardore miniſtro*] Ardoris operâ; ita efficiente ardore. FABER.

399. *Suppeditare*] Nunc ἐνεργητικῶς, ſubminiſtrare, præbere, πορίζειν: LAMB.

299. *Tremere*] Notat tremulum aſtrorum lumen. FABER. Tremulos radios ſpargunt Lychni, & Tedæ. CREECH.

300. *Conſtant: inſtant*] Epanaphora. LAMB.

302. *Celeri*] Celeriter lumen ſuboritur, unde, &c. FABER.

302. *Toleratur*] Suſtentatur. ſic Cæſar dixit lib. 1. *Domi nihil erat, quo famem tolerarent.* in codd. Memmiano tamen legitur *celeratur*, & ita in Florentinis: omnino mendoſe. LAMB. Neſcio cur lectioni illi iraſcatur Lambin. quum recte legas *celeratur*, uti quoque exſtat in utroque *Lugd. Bat.*

Conſimili properant ratione, ardore miniſtro,
Suppeditare novum lumen, tremere ignibus inſtant;
Inſtant, nec loca lux inter quaſi rupta relinquit:
Uſqueadeo properanter ab omnibus ignibus ejus
Exitium celeri celeratur origine flammae.
Sic igitur, Solem, Lunam, Stellaſque putandum
Ex alio, atque alio lucem jactare ſubortu,
Et primùm quidquid flammaï perdere ſemper:
Inviolabilia haec ne credas fortè vigere.
Denique non Lapides quoque vinci cernis ab aevo?

Non

INTERPRETATIO.

pari ratione miniſterio Ignis novam lucem perpetuò ſuppeditare properant, inſtant tremere ignibus, (tremulos radios jugiter emittunt) nec lux quaſi interrupta relinquit loca (& continuata luce ædes illuſtrantur:) tanta celeritate lux iſta tedarum quolibet momento evaneſcens, ab omnibus illarum ignibus nova luce inſtauratur: Pariter credendum eſt, Solem, Lunam, & Stellas lucem novam perpetuò ſuborientem emittere, & ſemper perdere primam quamque lucem quam emittunt, ne forſan credas illa integra ſemper vigere, & æterna. Denique nonne vides Lapides ab ævo vinci?

VARIÆ LECTIONES.

298. *properant.* proferant Y. Z.
302. *celeratur.* Ita V. Y. Z. toleratur *Reliqui.*
303. *putandum.* putaudum eſt Q1.
304. *ſubortu.* ſub ortu C. P.
305. *flammaï.* flammarum M. Q1. Y. Z.

NOTÆ.

Bat. & apte ad ſenſum Lucretianum, qui hic non vult oſtendere *tolerari*, id eſt ſuſtentari, exitium eo modo quo *famem tolerari* dixit Cæſar, verum in eo totus eſt, ut evincat novo lumine aſſidue & è veſtigio vetus exſtingui, (conf. ſup. vſ. 284. 285.) atque ita inquit *exitium flammæ*, id eſt fulgor tedæ diſperſus, *celeratur*, ſeu acceleratur novæ flammæ origine. Luſit vero pro more ſuo Lucretius in ſonus repetitione *celeri celeratur.* HAV.

304. *Subortu*] Sic legendum, *ſubortu*, uno vocabulo, à verbo *ſuborior*, quod eſt *in alterius locum orior.* Lucret. lib. 1: 1048.

Quare etiam atque etiam ſuboriri multa neceſſe eſt.
& lib. 2: in extr. 1137.

Unde queat tantum ſuboriri, ac ſuppeditare, &c. LAMB.

305. *Et primum quidquid*] Id eſt, & primum quicque. LAMB.

305. *Flammaï*] Cod. Memmian. habet *flammarum*, & ita Florentin. ego tamen nihil muto. LAMB.

307. *Denique*] Colligit omnia corruptionem pati, & æra & lapides. Simile illud Ovidianum.

Ergo cum lapides: cum dens patientis aratri
Depereant ævo: carmina morte carent. PIUS.

307. *Denique non Lapides* &c.] Superiora argumenta confirmat ℣. 12. Quæ Solidiſſima videmus, ſentiunt vires temporis, & putreſcunt. Turres, Templa, Deorum Simulachra (Nec illa Numen ipſum ſuſtentare poteſt) quis non videt quotidiè labantia? Saxa denique, quæ integra vidimus brevi tempore labefacta ſunt, & montibus avulſa cadunt: Quis autem dicat illa ab æterno

Non altas Turreis ruere, & putreſcere Saxa?
Non delubra Deûm, Simulacraque feſſa fatiſci?
Nec ſanctum Numen fati protollere fineis
Poſſe?

INTERPRETATIO.

nonne altas turres ruere, ſaxa etiam putreſcere? Deorum templa, imo ipſa Simulachra tandem corrumpi, & collabi? Nec Deos ipſos templa ſua & Simulachra diutius

VARIÆ LECTIONES.

308. *Non.* Nonne *Pius in not.*
309. *feſſa fatiſci.* fiſſa fatiſci F.
310. *protollere.* procellere C. E. N. P. Q. X. pſetollere Z. *ſed* Y. *ſatis clare* protollere.

NOTÆ.

terno extitiſſe, quæ temporis finiti vires perferre nequeant? Creech.

307. *Ab ævo*] A tempore, à temporis longinquitate. Lamb.

309. *Fatiſci*] defatiſci? Attius:

Tamen haud fatiſcar, quin tuam opem implorem.

Idem:

Vereor, ſi umquam fatiſcar facere quicquid quibo boni.

Idem valet *fatiſco.* Lucretius ſup. libr. 3: 459.

——— *& (ut docui) ſimul ævo feſſa fatiſcit.*

310. *Procellere*] Vi ante venire: *percellere* proprie urgere ſignificat & impellere. Scribit Gellius circium ventum *bonuſtum plauſtrum percellere.* in Donato proverbium. *Plauſtrum percellis:* ubi mendum ſit nec ne video poſſe ambigi: cum auſtrum percellere ventum naufragium molientem ſit proverbialis locutio: qua Plautus utitur: vel propter populos illos: de quibus meminit Gellius qui cum auſtro bellum geſſerunt: vel quod ictus irritos facit: qui cum auſtro pugnat. Pius.

310. *Fati protollere fines*] Ita ex veterum librorum veſtigiis reſtitui. *Protollere fines*, id eſt, proferre. Adluſum ad id, quod lib. 1. verſ. 78. Vulgati: *procellere.* mendoſe. Veteres libri: *protellere.* Gifan. Secutus eram initio codicem Bertinian. & Vatic. & vulgatos ferè omneis, Pariſ. utroſque Venetos, Lugdunenſeis: in quibus eſt *procellere.* Nunc ex aliis veteribus libris, qui, ut olim lectori indicavi, habent partim *protellere*, partim *pratollere*, *protollere* edendum curavi. quod tamen non diſſimulabo, homini cuidam de me malè merito, qui me læſit nulla injuria laceſſitus, in mentem veniſſe, ne quod in altero reprehendo, in eo ipſe peccare reperiar. *Protollere* autem *fineis fati* dictum pro *diem mortis proferre.* Uſus eſt hoc eodem verbo & Plautus non ſemel, neque uno loco. Sed uno, atque altero exemplo contenti erimus. ſic Caſina 2: 8: 11.

——— ——— *Protollo mortem mihi.*

Ibidem 3: 5: 43.

——— ——— ——— ——— *quia ſi cedes*
Uxorem Olympioni, neque tuam, neque ſuam,
Neque viri vitam ſinet in craſtinum protolli.

Lambin.

312. *Denique non monumenta virûm dilapſa videmus*] Hunc verſum Lucretii non eſſe dejerare poſſim; probare autem, *hic labor eſt:* ſed qui ſenſum aliquem veteris Muſæ habent, ii pedibus in ſententiam noſtram ibunt. Certe minus in clauſula orationis dicit quam in principio dixerat. Faber.

313. *Cedere proporro*] Nihil mutavi in hoc verſu. veruntamen non celabo lectorem, in codicibus quattuor Manuſcr. Vat. Tett. Faërn. Memmian. ita legi,

Quærere proporro ſibi cunque ſeneſcere credas?

cujus ſcripturæ rationem exputare non poſſum. docti quidam in voce *proporro* mendum ſubeſſe ſuſpicantur, & legendum *preretro* cenſent. Ego nunc utrumque verſum, & eum qui in codicibus antiquis reperitur, & eum qui in vulgatis & recentioribus ſpurium & ſuppoſitum eſſe arbitror. Lamb. *Quærere proporro ſibicumque ſeneſcere credas?* Ita libri veteres. In quibuſdam: *omnique.* Sententia videtur: ut credas, ea quærere ſibi aliquando ſenectutem. Haud ſcio etiam, an ſit ſpurius. Marullus primus & hunc depravavit:

Ce-

Poſſe? neque adverſus naturae foedera niti?
Denique non Monumenta virûm dilapſa videmus
Cedere proporro, ſubitoque ſeneſcere caſu?

Non

INTERPRETATIO.

conſervare poſſe quam leges Naturæ patiuntur & permittunt? Denique nonne videmus Hominum monumenta labi, ſubito caſu tanquam Senio confecta ruere?

VARIÆ LECTIONES.

312. Delendum cenſet F. *Monumenta.* monimenta D.

313. *Cedere proporro, ſubitoque ſeneſcere caſu.* Spurium cenſet L. *Quærere proporro ſibi cumque ſeneſcere credas* A. B. I. c. F. (Q. & X. in quibus *ſibi omnique*) Q1. Y. Z. *Quæ ruere proporro ibi conque ſeneſcere credas* V. *Omnia ut porro* F. *Quærere proporro, ſubitoque ſeneſcere credas* L. *caſu.* credas O. P.

NOTÆ.

Cedere proporro ſubitoque ſeneſcere caſu. Quæ hæc eſt impudentia? Gifan.

Cedere proporro ſubitoque ſeneſcere caſu? Ita conſtanter habent veteres libri, niſi quod in quibuſdam legitur,

Omnique *proporro ſubitoque ſeneſcere caſu?*

Sed vide quam in hoc genere literarum nil quidquam *neglectui ſit.* Iſtud *omnique* vitioſum eſt, neque erit unquam, id ut vel διανοίας vel metri ratio pati poſſit; & tamen ejus unius voculæ ope veſtigia veræ lectionis deprehendimus. Sed largiori ſermone opus eſt; cujus veniam, petimus. Dixerat antea: Nonne lapides & ſtructuræ ædificiorum ruunt, & turres ac ſaxa ab ævo vincuntur? nonne ipſa templa, ſedentibus, atque etiam invitis diis, ſenio defeſſa labuntur? Omniaque ut porro, cujus illa cumque generis ſint, ſeneſcere, abire, obire, perire ut credas, nonne & ſilices ipſos, rupeſque, ſolidiſſima terræ corpora, ſeneſcere ante oculos vides? Nunc locum integrum exponam, & ita exponam, uti diſtingui & legi debere videtur:

Denique non Lapides quoque vinci cernis ab ævo?
Non altas Turres ruere, & putreſcere Saxa?
Non delubra Deûm, Simulacraque feſſa fatiſci?
Nec ſanctum numen fati protollere fines
Poſſe? neque adverſus naturæ fœdera niti?
* * * hinc verſum ſuſtuli.
Omniaque ut porro *ſubitoque ſeneſcere credas,*
Non ruere avolſos Silices à montibus altis?

Repetendum autem ἀπὸ κοινοῦ *cernis* ex ℣. 1. unde ceteræ interrogationes pendent. De uſu hujus particulæ *cumque* dicerem quod fortaſſe non pœnitendum eſſet; ſed ſatis in præſens fuerit, unicum Horatii locum, qui doctos torſit, afferre, 1. Od. 32: 15.

——— ——— ——— *mihi cumque ſalve*
Rite vocanti.

Addam tantum, in verſu illo,

Non delubra Deûm, Simulacraque feſſa fatiſci?

Videri poſſe, quamquam nil affirmo, legendum,

——— ——— *Simulacraque* ſiſſa *fatiſci?*

Nam & huc reſpexiſſe Hor. 2. Sat. 5: 39. arbitror,

——— ——— *ſeu rubra canicula findet*
Infantes ſtatuas, &c.

Dein cum *feſſus* & *defeſſus* fiant à *fatiſci* & *defatiſci*, valde mihi credibile ſit ſcripſiſſe hoc loco Lucretium, *feſſa fatiſci?* Scimus tamen ædificiis, templis, muris, ætatem, ſenium, &c. tribui, atque adeo ſtare poſſe & *feſſa*; & qui id probabit, nihil fecerit; nam id, ad me quidem, nihil eſt; conjecturam enim affero, non emendationem. Faber. Giſanius

Quærere *pro porro* ſibi cunque *ſeneſcere* credas. id eſt, ut credas ea aliquando ſibi quærere Senectutem: Sed melior vulgata lectio. *Faber* autem rejicit. *Denique non monumenta* &c. & legit

Omniaque *ut porro, ſubitoque ſeneſcere* credas,
Non ruere avulſos &c.

Sed huic etiam conjecturæ vulgatam lectionem libenter præferam. Creech. Placet Voſſii ſeu conjectura, seu lectio, ita diſtinguenda:

Non ruere avolſos Silices à montibus altis,
Nec validas aevi vireis perferre, patique
Finiti? neque enim caderent avolſa repente,
Ex infinito quae tempore pertoleraſſent
Omnia tormenta aetatis privata fragore.
  Denique jam tuere Hoc circum, ſupraque, quod omnem
Continet amplexu terram; quod procreat ex ſe
Omnia (quod quidam memorant) recipitque peremta:
Totum nativom mortali corpore conſtat.
Nam quodcunque alias ex ſe res auget, alitque,

Demi-

INTERPRETATIO.

Nonne etiam videmus Saxa montibus altis avulſa cadere, neque validas vires ævi Finiti pati poſſe? Profectò enim iſta jam non repente avulſa ruerent, ſi ab æterno omnes ævi vires impetuſque infracta ſuſtinuiſſent. Denique intuere hoc (Cœlum) quod circum ſupraque omnem Terram complectitur, quod ex ſe procreat omnia (uti quidam docent) & eadem peremta recipit, nam id totum nativum prorſus & Mortale eſt: Quodcunque enim ex ſe nutrit augetque alias res, id ipſum

VARIÆ LECTIONES.

319. *tuere.* ruere hoc C. O. P. *omnem.* omne P. Q2. Y. Z.
320. *terram; quod procreat.* terrai; procreat P.
323. *quodcunque.* quocunque P. *recte tamen in not.* P.

NOTÆ.

Quæ ruere proporro ibi, conque ſeneſcere credas?

Ibi, ubi nempe dilapſa ea jam videmus; *conque ſeneſcere*, pro: & *conſeneſcere*, ut paſſim. Preig.

314. *Non ruere avolſos*] Hunc verſum profert Nonius in voce *ſilices*. Lamb.

318. *Tormenta ætatis*] Tralatio eſt vel à tormentis bellicis, vel à quæſtionibus. Lamb.

318. *Privata*] Refer ad vocem *ſaxa*, non *tormenta*. Lamb.

319. *Denique jam tuere*] *Tuere* aſpice, à verbo *tuor*. Denique aſpice hoc cælum, inquit. ſic Ennius,

Aſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes Jovem. Lamb.

V. 6. Illos refutat, qui omnia e Cœlo oriri, & in Cœlum iterum reſolvi ſentiunt, & tamen Cœlum ipſum immortale & æternum aſſerunt; Nam quod in alias res vertitur, & quod ex iis rebus ſolutis reparatur & reficitur, id Nativum prorſus & Mortale. Creech. Pacuvius Chryſe:

Hoc vide, circum ſupra que quod complexu continet
Terram, quod noſtri Cœlum memorant, Graji perhibent æthera
Quidquid eſt hoc, omnia is animat, format, alit, auget, ſerat,
Sepelit, recipitque in ſeſe omnia omniumque idem eſt pater.
Indidemque eadem, quæ oriuntur, de integro æque eodem occidunt.

Quem noſtrum fuiſſe imitatum docet Scaliger ad Varr. de L. L. p. 31. ubi vide plura. Hav.

320. *Amplexu*] Ambitu M. Tull. ex Eurip.

Qui tenero terram circumactu amplectitur. Lamb.

320. *Quod procreat ex ſe*] Tamquam pater. Lamb.

324. *Deminui debet*] Sic habent codices Manuſcripti, Vaticanus, Tettian. Faërn. Memm. Bertin. typis impreſſi verò, *Diminui debet*. Lamb.

325. *Præterea, ſi nulla fuit*, &c.] Mundi novitas v. 14. probatur, tum ex eo, quod Hiſtoriæ

omnium

Deminui debet, recreari quom recipit res.
Praeterea, ſi nulla fuit genitalis origo
Terraï & Coeli, ſemperque aeterna fuêre:
Cur ſupera bellum Thebanum, & funera Trojae,
Non alias alii quoque res recinêre Poëtae?
Quo tot facta virûm toties cecidêre? nec uſquam
Aeternis famae monumentis inſita florent?
Verùm (ut opinor) habet novitatem Summa, recenſque
Natura eſt Mundi, neque pridem exordia cepit.
Quare etiam quaedam nunc Artes expoliuntur,

Nunc

INTERPRETATIO.

debet deminui, & refici iterum, cum iſtas res diſſolutas recipit. Deinde ſi nullus fuerit dies natalis Terrarum Cœli, ſed ab æterno extiterint; cur non varii Poëtæ Carmine explicarunt varias res geſtas ante bellum Thebanum, & Trojæ excidium? Quo tot & tanta Hominum facinora ceciderunt? nec uſquam inſita æternis famæ monumentis vigent? Verum, ut puto, Mundus non eſt admodum vetuſtus, neque multis abhinc annorum millibus incœpit eſſe: atque hanc ob cauſam multæ artes etiam hodiè inveniuntur,

VARIÆ LECTIONES.

324. *Deminui.* Diminui M. O. Y. Z.
326. *Terraï.* Terrarum A. B. C. D. E. N. P. Q. X. Y. Z.
328. *alii.* ali Y. Z.
329. *toties.* tot res cecidere K. *nec.* neque Q1. Y. Z.
332. *eſt Mundi.* mundi eſt Y. Z.

NOTÆ.

ōmnium antiquiſſimæ Thebano aut Trojano bello ſuperiores non ſint, ut eſſe deberent, ſi Mundus foret, non dico æternus, ſed multò vetuſtior; tum ex eo quod Artes omnes recens adinventas habemus, ſiquidem Authores omnium memorantur; cùm, ſi Mundus nunquam cœpiſſet, deberent Artes, ac potiſſimùm Vitæ utiles ſemper extitiſſe. Macrobius in Somn. Scip. lib. 2. Cap. 10. *Quis non hinc exiſtimet Mundum quandoque cœpiſſe, nec longam retro hujus ætatem, cum abhinc ultra duo retro annorum millia de excellenti rerum geſtarum memoria ne græca quidem extet Hiſtoria. Nam ſupra* Ninum, *à quo Semiramis ſecundum quoſdam creditur procreata, nihil præclarum in libros relatum eſt. Si enim ab initio, imo ante initium fuit Mundus, ut Philoſophi volunt, cur per innumerabilium ſeriem ſeculorum non fuerat cultus, quo nunc utimur, inventus? Non literarum uſus, quo ſolo memoriæ fulcitur æternitas? Cur denique multarum rerum experientia ad aliquas Gentes recenti ætate pervenit? Ut ecce Galli vitem, vel cultum oleæ Roma jam adoleſcente didicerunt; aliæ vero Gentes adhuc multa neſciunt, quæ nobis inventa placuerunt: Hæc omnia videntur æternitati repugnare, dum opinari nos faciunt certo Mundi principio ſingula quæque cepiſſe.* CREECH.

325. *Genitalis*] Principialis, ſeu potiùs gignens; aut ad gignendum pertinens. de qua voce ſuprà ſatis multa libro primo, pag. 5. LAMB. Ita fere libri veteres. Marullus, Vulgati: *Diminui.* GIFAN.

327. *Supra bellum Thebanum*] Supera, id eſt ſupra. de quo alias diximus. Fuit autem bellum Thebanum antiquius Trojano. lege Macrob. lib. ſecundo comm. in ſomn. Scip. ubi eadem ferè argumenta leges adverſus mundi æternitatem. LAMB. Paulo antiquius clade Trojana; paulo, inquam, cum conſtet quoſdam duces bello Trojano interfuiſſe, quorum patres Thebas oppugnarint. FABER.

331. *Summa*] Mundus. LAMBIN.

 334. *Nunc*

Nunc etiam augeſcunt; nunc addita Navigiis ſunt
Multa: modo Organici melicos peperere ſonores.
Denique Natura haec rerum, Ratioque reperta eſt
Nuper, & hanc Primus cum primis Ipſe repertus,
Nunc ego ſum, in patrias qui poſſim vertere voces.
Quod ſi forte fuiſſe antehac eadem omnia credis:
Sed periiſſe hominum torrenti ſaecla vapore,
Aut

INTERPRETATIO.

perficiuntur multæ; hodie multa navibus ſunt addita, nuper ab Organicis Muſica reperta eſt. Denique hæc Philoſophia, quam nunc doceo nuper inventa eſt, & Ipſe primus ſum qui nunc illam Latino carmine & ſermone explicem. Quod ſi fortè credas eadem (caſdem artes) quæ nunc vigent olim fuiſſe, Sed Homines Igne periiſſe,

VARIÆ LECTIONES.

338. *ſum.* abeſt Q. X. *poſſim.* poſſum *Lactant.*

NOTÆ.

334. *Nunc etiam augeſcunt*] Codd. Vatic. habet, *Nunc autem augeſcunt.* ſic Demoſth. Philipp. nona, quæ vulgò tertia inſcribitur, ait, cum alia multa ſua ætate immutata & meliora facta eſſe, & creviſſe, tum ea maximè quæ ad rem militarem pertinent: Ἐγὼ δὲ ἁπάντων, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πολλῶν εἰληφότων ἐπίδοσιν, καὶ οὐδὲν ὁμοίων ὄντων τῶν νῦν τοῖς πρότερον, οὐδὲν ἡγοῦμαι πλέον, ἢ τὰ τοῦ πολέμου κεκινῆσθαι καὶ ἐπιδεδωκέναι. & Ariſtoteles lib. de rep. 7. cap. 11. ubi quærit, utrum urbes muris eſſe munitas, an, ut Spartam, nullis mœnibus ſæptas oporteat, ait, ſuis jam temporibus multa & telorum & tormentorum genera ad urbium expugnationes exquiſitiſſima ac perfectiſſima eſſe reperta quæ antiquioribus fuerint ignota. Lamb.

335. *Organici*] Ut tibicines, fidicines, citharœdi. ſup. libr. 2: 412.

Ac muſæa mele, per chordas organici quæ
Mobilibus digitis expergefacta figurant. Lamb.

336. *Denique natura hæc*] Lege Lactantium Firmian. lib. 3: de falſa ſapient. cap. 16. ubi hunc locum profert. Lamb. Notandum maxime; Intelligit enim Phyſicam. Plane eadem ratione Horatius, qui interdum audacior eſt, de Pythagora 1: 28: 15. dixit, *naturæ non ſordidus auctor.* Ratio autem hoc loco Philoſophia eſt. Faber.

337. *Et hanc primus*] Quocirca non immeritò illud de ſe prædicavit, quod eſt initio lib. 4. & in primo lib. non longè ab extr.

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo, &c. Lamb.

338. *In patrias qui poſſim vertere*] Qui poſſim convertere in Latinum ſermonem. Fuit enim Lucretius Romanus. Lamb. Pro, *vertam.* Exempla alibi. niſi ita intelligas, ſuperbiuſculum fuerit; quamquam vera prædicat, quis enim ante Lucretium? Faber.

339. *Quod ſi forte fuiſſe ante hàc, &c.*] Huc pertinent ea quæ ſunt apud Platonem in Timæo non longè à princip. ubi ſenex ille Ægyptius ſacerdos cum Solone loquens, ait, Græcos ſemper eſſe pueros, neque quicquam antiquum noſſe, propterea quod multis non uno tempore in Græciam vel ab ignibus, vel ab aquarum diluvionibus cladibus importatis, non potuerit à majoribus ad poſteros rerum præteritarum cognitio quaſi per manus tradita pervenire. Nonnulli autem legunt hîc,

Quod ſi fortè fuiſſe ante hæc eadem omnia credis,
&c. Lamb.

His argumentis nonnulli Philoſophi hoc modo reſpondent, Olim Artes iſtæ viguerunt, quæ nunc florent, ſed aliquando Ignis, aliquando Aqua delevit, vel Terræ motus hauſit humanum genus: Inde jam novæ videntur nobis & re-

Aut cecidiſſe urbeis magno vexamine Mundi,
Aut ex imbribus adſiduis exîſſe rapaceis
Per terras Amneis, atque oppida cooperuiſſe:
Tanto quippe magis victus fateare neceſſe eſt,
Exitium quoque Terraï, Coelique futurum.
Nam quom res tantis morbis tantiſque periclis
Tentarentur, ibi ſi triſtior incubuiſſet

Cau-

INTERPRETATIO.

Urbes Terræ motibus everſas cecidiſſe, vel rapidos Amnes aſſiduis imbribus auctos Terras inundaſſe, & oppida obruiſſe, tanto magis neceſſe eſt ut credas Terram & Cœlum aliquando interitura. Nam cum res tantis morbis tantiſque periculis affligerentur, ſi vis vehementior impetum feciſſet,

VARIÆ LECTIONES.

343. *atque.* at Y. Z.
344. *quippe.* quique magis V. Y. Z.
345. *Terrai.* Terrarum C. D. I. P. Q2. X. Y. Z.

NOTÆ.

recentes. Hoc reſponſum retorquet Poëta ỳ. 13. Nam Orbem aliquando Ignibus peruſtum, aliquando Aquis obrutum, aut Terræ motibus diruptum nemo ſanus æternum dixerit: Ideo enim Hominem dicimus Mortalem, quoniam illis Morbis tentatur, qui in alios vehementiùs incidentes eos abſtulerunt. CREECH.

340. *Vapore*] Calore. LAMB.

343. *Cooperuiſſe*] In verbo *cooperuiſſe* duæ vocales *oo* cooleſcunt in unam ſyllabam: ut ſuprà lib. 2: 1060.

Tandem cooluerint ea quæ conjecta repentè,
Magnarum, &c. LAMB.

Huc pertinent illa, quæ de literarum inventione Cadmo attributa, aliiſque diſputat Diodorus Siculus lib. ſexto: *Poſtmodum Græcia diluvio oppreſſa; cum plurimi homines periiſſent, & literarum quoque monumenta deleta ſunt, &c.* HAV.

347. *Tentarentur*] Pulchrè dictum, *tentari morbo, periculo, incommodo* ſic lib. 1: 632.

Quæ nondum clueant ullo tentata periclo.

&: 2: 966.

——— ——— nullo primordia poſſe dolore
Tentari. LAMB.

347. *Ibi ſi triſtior incubuiſſet Cauſa*] Hoc negat metuendum eſſe Ariſtot. lib. de mundo cap. 5. Quinetiam ait diluviones aquarum, & incendia deflagrationeſque terrarum ad ſalutem univerſi valere, his verbis: Ἥ τε γῆ φυτοῖς κομῶσα παντοδαποῖς, &c. τὴν ἀγήρω φύσιν ὁμοίως τηρεῖ· καὶ τοὶ καὶ σεισμοῖς τινασσομένη, καὶ πλημμυρίσιν ἐπικλυζομένη, πυρκαϊαῖς τε κατὰ μέρος φλογιζομένη. ταῦτα δὲ πάντα ἔοικεν αὐτῇ πρὸς ἀγαθοῦ γινόμενα, τὴν δι' αἰῶνος σωτηρίαν παρέχειν. σειομένης τε γὰρ διεξάττουσιν αἱ τῶν πνευμάτων παρεμπτώσεις κατὰ τὰ ῥήγματα τὰς ἀναπνοὰς ἴσχουσαι, καθὼς ἄνω λέλεκται. καθαιρομένη τε ὄμβροις, ἀποκλύζεται πάντα τὰ νοσώδη. περιπνεομένη δὲ αὔραις, τά τε ὑπ' αὐτὴν, καὶ τὰ ὑπὲρ αὐτὴν εἰλικρινεῖται. καὶ μὴν καὶ αἱ φλόγες μὲν τὸ παγετῶδες πιαίνουσιν. οἱ πάγοι δὲ τὰς φλόγας ἀνιᾶσι. καὶ τῶν ἐπὶ μέρους τὰ μὲν γίνεται, τὰ δ' ἀκμάζει, τὰ δὲ φθείρεται. id eſt, *Et terra ſtirpibus & plantis variis ornata ac veſtita, &c. naturam ſenectutis expertem pariter retinet: cum tamen & motibus concutiatur, & ab aquis inundantibus obruatur, & incendiis non tota quidem, ſed quibuſdam ſuis partibus deflagret. Hæc autem omnia videntur ei boni gratia evenientia æternam ſalutem afferre. Nam & cum concutitur, diſſiliunt ac diſflantur interjecti ſpiritus, reſpirandi viam per terræ parteis effractas reperientes, quemadmodum ſupra dictum eſt: & cum imbribus purgatur, rebus omnibus inſalubribus & morboſis abluendo levatur: cum autem à ventis perflatur, & quæ ſub ea ſunt, & quæ ſupra, pura redduntur. Jam vero flammæ quidem id quod glaciei natura præditum eſt, denſant: conglaciationes*

Cauſa; darent latè cladem, magnaſque ruinas:
Nec ratione alia mortales eſſe videmur
Inter nos, niſi quod morbis aegriſcimus îſdem,
Atque illi, quos à vita natura removit.
Praeterea, quaecunque manent aeterna, neceſſe eſt,
Aut quia ſunt ſolido cum corpore, reſpuere ictus,
Nec penetrare pati ſibi quidquam, quod queat arctas
Diſſociare intus parteis, ut Materiaï
Corpora ſunt, quorum naturam oſtendimus ante:
Aut ideo durare aetatem poſſe per omnem.
Plagarum quia ſunt expertia, ſicut Inane eſt,
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
Aut etiam, quia nulla loci ſit copia circùm,

Quo

INTERPRETATIO.

diſſolutæ penitus corruiſſent: Nec alia ratione conjicimus nos Mortales eſſe, niſi quod iiſdem Morbis tentamur quibus illi obnoxii erant quos Mors rapuit. Præterea, quodcunque æternum & immortale eſt, neceſſe eſt ut vel perfectè Solidum ſit, ita ut nulla vis frangere, nulla inter partes ejus ſe inſinuare, & earum unionem diſſolvere valeret; Qualia ſunt prima Materiæ Corpora (Atomi) quorum naturam ſuprà docuimus: Aut ideo æternum eſt, quia eſt Intactile, & ictui non obnoxium; Quale eſt Inane: Aut ideo æternum quia nullum eſt ex ulla parte ſpatium,

VARIÆ LECTIONES.

348. *magnaſque.* triſteſque *Gaſſ.*
350. *ægriſcimus.* ægreſcimus A. B. C. E. N. Y. Z. *îſdem.* idem C. E. Q. Y. Z. iidem P. *in not. tamen reponit*, iiſdem P.
352. *neceſſe eſt.* neceſſum eſt Z.
354. *arctas.* artas Q. ætas Q2.
355. *ut.* & Q1.
357. *Aut.* Ante Q. X.
359. *intactum.* vitandum Q. X. *fungitur.* frangitur C. D. E. N. Q1. figitur c. O. P. Q. X.

NOTÆ.

tiones autem flammas remittunt, & rerum ſingularium aliæ oriuntur, aliæ florent, aliæ intereunt. LAMB.

348. *Darent late cladem*] Pro *dediſſent*. Terent. in Adelph. 1: 2: 27. *Nam ſi eſſet unde id fieret, faceremus*, pro, *ſi fuiſſet*, & *feciſſemus*. Aliter locus ille intelligi non poteſt; Demea enim & Micio jam tum in re ampla erant. FABER. Virg. 2: 310.

——— *Jam Deiphobi dedit ampla ruinam*
Vulcano Superante, domus.

qui & alibi ſæpe ſic locutus eſt. HAV.

352. *Præterea, quæcunque*] Hoc eodem argumento, atque adeò iiſdem verſibus ſuprà lib. 3. uſus eſt, ubi probare conatur, animum eſſe mortalem. Quare quæ ad locum illum notavimus, inde repetat lector, ſi quid requiret. LAMB. Nihil æternum aut immortale agnoſcit *Epicurus*, præter Corpora perfectè Solida, Inane, & τὸ πᾶν Univerſum: At Mundus non eſt Corpus perfectè Solidum, nec Inane, neque, cùm Infiniti

ſint

Quo quaſi res poſſint diſcedere, diſſolvique.
Sicut ſummarum Summa eſt aeterna, neque extra
Quis locus eſt, quo diſſiliant: neque corpora ſunt, quae
Poſſint incidere, & valida diſſolvere plaga.
At neque (uti docui) ſolido cum corpore Mundi
Natura eſt, quoniam admiſtum eſt in rebus Inane:
Nec tamen eſt ut Inane: neque autem Corpora deſunt,
Ex Infinito quae poſſint fortè coörta
Proruere hanc rerum violento turbine Summam,
Aut aliam quamvis cladem importare perîcli.
Nec porro natura loci, ſpatiumque profundi
Deficit, exſpargi quo poſſint moenia Mundi,
Aut alia quavis poſſint vi pulſa perire.
Haud igitur lethi praecluſa eſt janua Coelo,

Nec

INTERPRETATIO.

in quod partes illius ſolutæ diſpergi poſſunt; quam ob cauſam Univerſum (τὸ πᾶν) *immortale eſt; extra quod nullum eſt ſpatium quo partes ſolutæ fugiant, neque ulla ſunt Corpora quæ in illud incidere, ſuoque violento impetu diffringere valerent. At vero ut ſuperius docui, Mundus non eſt res perfectè Solida, quoniam in omnibus rebus compoſitis Inane eſt admixtum. Neque Inane eſt: Neque deſunt Corpora quæ ex Infinito advenientia periculum huic Mundo inferre, ejuſque compagem diffringere aut diſſipare valerent: Neque deeſt ſpatium quo Mundi partes diſſolutæ diſpergi poſſint, aut alia qualibet vi pulſæ interire. Igitur lethi janua non præcluſa eſt Cœlo,*

VARIÆ LECTIONES.

362. *ſummarum.* ſicut ſummai *Gaſſ.*
363. *Quis.* Qui X. Y. Z.
366. *quoniam.* quomodo Q1.
368. *coörta.* coporta Q2. coperta X. Y. Z.
369. *Proruere.* Conruere A. B. C. E. P. Corruere N. Q2. X. Y. Z.
370. *Aut.* Et Q.
372. *exſpargi.* Ita C. E. N. Q. X. Y. Z. expergi *Reliqui.*
373. *poſſint.* poſſunt Y. Z.

NOTÆ.

ſint Mundi, hæc compages poteſt dici Univerſum: ℣. 24. vid. lib. 3. v. 808. CREECH.

363. *Quis locus*] MSS. optimi *qui* & ita ſæpe *aliqui* pro *aliquis*, ut ad Tertulliani Apolog. docuimus. HAV.

369. *Conruere hanc rerum*] Ita veteres libri. Lambinus tamen: *Proruere*, male. GIFAN.

372. *Exſpargi*] *Expargi*, ſive *exſpargi* recte, & hoc loco nonnulli legendum cenſent, ut in Variantibus Lectionibus apparet. Vide Voſſ. ad Catull. pag. 170. PREIG.

374. *Haud igitur lethi*] Sic lib. 3. 829. de anima:

Haud igitur leti præcluſa eſt janua menti.

 Emen-

Nec Soli, Terraeque, nec altis Aequoris undis:
Sed patet immani, & vaſto reſpectat hiatu.
Quare etiam Nativa neceſſum eſt confiteare
Haec eadem: neque enim, mortali corpore quae ſunt,
Ex infinito jam tempore adhuc potuiſſent
Immenſi validas aevi contemnere vireis.
Denique tantopere inter ſe quom maxima Mundi
Pugnent membra, pio nequaquam concita bello;
Nonne vides aliquam longi certaminis ollis
Poſſe dari finem? vel quom Sol, & Vapor omnis

Omni-

INTERPRETATIO.

neque Soli, neque Terræ, neque Mari, ſed immani & vaſto hiatu patens illis obverſa eſt; (Igitur Mortalia ſunt Mare, Terra, Cœlum, &c.) *Inſuper fateare neceſſe eſt hæc eadem non ab æterno extitiſſe, nam quæcunque Mortalia ſunt, & aliquando interibunt, non potuiſſent infiniti temporis validas vires ab æterno ſuſtinuiſſe. Denique, cùm maxima Mundi hujus membra ſint ſibi invicem contraria, belloque impio ſe mutuo infeſta petunt, nonne vides aliquem finem longo illorum certamini imponi poſſe? vel cum Sol & Ignis*

VARIÆ LECTIONES.

375. *nec.* neque Y. Z.
378. *quæ ſunt.* quo ſunt D.

NOTÆ.

Emenda obiter Ovidium; occaſione enim quamlibet levi uti volo. Locus eſt II. de Ponto Eleg. VII.

Sed quia res timida eſt omnis miſer, & quia longo
Tempore lætitiæ janua clauſa meæ *eſt.*

Legendum, *janua clauſa* mea *eſt.* Jamdiu eſt, inquit, cum ad me lætitia non reviſit; ſcilicet illi *janua mea* occluſa eſt. Faber.

376. *Sed patet*] Sed janua leti valde latè & vaſtè retrorſum patefacta eſt. Lambin. Virgil. 2: 661.

——— ——— *Patet iſti janua letho.* Hav.

377. *Quare etiam nativa* &c.] Ex eo quod finem habiturus eſt Mundus concludit ℣. 4. Initium habuiſſe: Nam quod aliquando peribit, olim periiſſet. Creech.

380. *Contemnere vireis*] In duobus manuſcript. codicibus ſcriptum erat *contempnere*: quod eo notavi, ut intelligat lector, eodem errore ductos eſſe eos qui *contempſi*, *contemptum*, *ſumpſi*, *ſumptum*, & ſimilia ſcribunt cum *p*, atque eos qui *contempno*, *dampno*, *tempto*, & ſimilia. Lamb.

381. *Denique tantopere* &c.] Aliud demum argumentum deducit ℣. 36. à pugna continua (Elementorum) præcipuarum Mundi partium. Cum enim Ignis cum Aqua committatur, & modo Incendia, modò Eluviones ſuperent, quidni tandem cum totius Mundi ruina hæc concertatio terminetur. Quòd verò magna Incendia & Diluvia contigerint, de Phaëthonte & Deucalione fabulæ demonſtrant, nam Igne vaſtata, & Aquis obruta erat Terra, licet Poëtæ ineptè finxerunt Incendium iſtud & Diluvium interventu Deorum erupiſſe, & ceſſâſſe. Creech.

381. *Cum maxima Mundi Pugnent membra, pio nequaquam concita bello*] Cum maximæ mundi partes inter ſe pugnent, impio bello concitatæ, quale eſt bellum civile & inteſtinum. Hæc eſt illa fortaſſe pugna, quam finxit Hom. lib. Iλ. υ. qui inſcribitur θεῶν μάχη, inter Apollinem & Neptunum. per *Apollinem* enim ſol ſignificatur; per

No-

Omnibus epotis humoribus exſuperarint,
Quod facere intendunt, neque adhuc conata patrantur:
Tantum ſuppeditant Amnes, ultroque minantur
Omnia diluviare ex alto gurgite ponti;
Nequidquam: Quoniam verrentes aequora venti
Deminuunt, radiiſque retexens aetherius Sol;
Et ſiccare priùs confidunt omnia poſſe,
Quam liquor incaepti poſſit contingere finem.
Tantum ſpirantes aequo certamine bellum
Magnis de rebus inter ſe cernere certant:

Quom

INTERPRETATIO.

epotis omnibus humoribus ſuperaverint, quod certant facere, ſed nondum quæ cónantur poſſunt perficere, tantum Humoris Amnes aſſiduè ſuppeditant, & Aquis è vaſto Oceano erumpentibus diluvium minantur: Fruſtra, quoniam venti validi verrentes æquora, & ætherius Sol radiis ſuis attenuans, & elevans, diminuunt Aquas; & confidunt ſe poſſe ſiccare omnia, priuſquam Humor incœptum ſuum perficiat, & diluvium inducat: Ita æquis viribus certatim magnis de rebus pugnant:

VARIÆ LECTIONES.

387. *ultroque.* ultraque P. *in not.*

NOTÆ.

Neptunum mare, & aquarum natura. Hi igitur poſteaquam ſatis diu inter ſe decertarunt, cedunt ad extremum inter ſe, quia par erat, & id quod ab altero alitur, cum ſuo pabulo non diutius pugnare: & alterius pabulum, ab eo cujus pabulum eſt, non ſuperari, neque ad nihilum redigi. Quod ſignificat Homerus eo quem dixi libro. *Apollo* enim, per quem ſol & ardor ſignificatur, pugnans cum *Neptuno*, per quem humor & mare, finit ad extremum ſe vinci. Nam ſi ſol omnem humorem ebiberet atque exhauriret, hic pulcherrimus mundi ornatus ardore conflagraret. LAMBIN.

382. *Membra*] Elementa, &c. FABER.

384. *Et Vapor*] Et calor. LAMB.

385. *Omnibus epotis humoribus*] Omnibus exhauſtis humoribus. quod cum fiet, ut nos Chriſtiani futurum credimus, tum non ſolum totus orbis terrarum, ſed etiam mundus hic univerſus, flammis conſumtus, interibit. LAMB.

385. *Exſuperarint*] Superiores fuerint. LAMB.

386. *Conata*] Sic Accius apud Nonium:

Ego incipio. conata exſequar.

& Cornel. Nepos in Dione: *Verens, ne prius conſilium aperiretur ſuum, quam conata perfeciſſet.* LAMB.

387. *Tantum ſuppeditant*] Vel accipe ἐνεργητικῶς, tantum humoris ſuppeditant: vel abſolutè, uſque adeo ſuppetunt, ἀρκοῦσι. LAMB.

388. *Diluviare*] Diluvio obruere. LAMBIN.

393. *Spirantes*] πνέοντες. Marcus Tullius libro 3. ad Quintum fratrem, *In primiſque* Ἄρη πνέων *Q. Scævula.* LAMB.

394. *Cernere*] Decernere, & controverſiam dijudicare, ac finire. ſic Pacuvius:

Et æquum, & rectum eſt, quod poſtulas, jurati cernant.

ſic dicimus, vitam cernere. Ennius p. 61.

Ferro, non auro, vitam cernamus utrique.

Idem p. 204.

Ter ſub armis malim vitam cernere, quam ſemel modo parere.

Iterum Lucretius ſupra libro 4: 965.

Quom ſemel in terra fuerit ſuperantior Ignis,
Et ſemel (ut fama eſt) Humor regnârit in arvis.
Ignis enim ſuperavit, & ambens multa peruſſit,
Avia quom Phaëthonta rapax vis Solis equorum
Aethere raptavit toto, terraſque per omneis.
At pater Omnipotens ira tum percitus acri
Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu
Deturbavit equis in terram; Solque cadenti
Obvius aeternam ſuſcepit lampada mundi;

Dis-

INTERPRETATIO.

Semel autem ſuperavit Ignis, & vaſtavit Terram, & ſemel, ut fama eſt, Humor orbem Terrarum obruit: Ignis ſuperavit, cum violenti Equi Solis recto tramite exilientes raptârunt Phaëthonta per totum Cœlum, & Terras omnes illi Cœlo ſubſtratas. At Jupiter ira vehementi tum commotus repenti ictu fulminis è curru in Terram dejecit Magnanimum Phaëthontem: Et Phœbus cadenti Phaëthonti obvius æternam Mundi lampada (Solem) ſuſcepit,

VARIÆ LECTIONES.

395. *in terra.* injecta Q1. interea Y.
396. *Humor regnârit.* ſuperarit in *Gaſſ.*
397. *ambens.* ambiens E. N. P. *quidam codd.* P. X. ambens *pro* ambedens.
399. *terraſque per omnes.* terraſque peruſſit *Gaſſ.*
400. *tum.* cum X. Y. Z.
402. *cadenti.* cadentis O. P.
403. *ſuſcepit.* ſuccepit Y. *& editi aliquot, ut Lamb. Faber. & Creech.*

NOTÆ.

Nautæ cum ventis contractum cernere bellum. Lamb.

395. *Superantior*] ἐγκρατέστερος, κρείττων, potentior, validior. Lamb.

396. *Regnârit*] *Superârit*, & ℣. 399. *Terraſque peruſſit*, Gaſſendus. Creech.

397. *Ignis enim ſuperavit*] Ex fabulis Poëtarum hoc dicit, οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ. quod oſtendit ille verſus,

Scilicet ut veteres Grajûm cecinere Poëtæ Faber.

397. *Ambens*] Participium eſt vel à verbo *ambedo*, vel à verbo *ambio*, ut ſit poſitum *ambens* pro *ambiens*. Lamb. Quidam libri: *ambiens*. Gifan. Id eſt, Ambedens ab *Ambedo*: ſic *Ambeſſe* pro *Ambedere*, Alii *Ambiens*. Creech.

398. *Avia cum Phaëthonta*] Nota eſt fabula Phaëthontis, & eam perſequitur Ovid. Metam. libro ſecundo, initio: Plato in Timæo, quid hæc fabula ſignificet, docet, ut mox dicemus. Lamb.

400. *At pater Omnipotens*] Ovid. libro ſecundo Metamorph. 304.

At pater omnipotens ſuperos teſtatus & ipſum,
Qui dederat currus, &c.

Virgil. libro ſexto Æneid. 592.

At pater omnipotens denſa inter nubila telum, &c. Lamb.

401. *Repenti fulminis ictu*] Id eſt, ſubito & repentino, *repens* enim & *repentinus* æque invenitur apud Poëtas aliosque Scriptores; Virg. Æn. 12: 313.

Quo ruitis? quæve iſta repens diſcordia ſurgit?

Valerius Flaccus Argon. 2: 91.

Inſonuit: vox inde repens ut perculit urbem.

Ubi ex Cicerone & Livio plura loca *Carrio* collegit. Haver.

402. *De-*

Disjectoſque redegit equos, junxitque trementeis:
Inde ſuum per iter recreavit cuncta gubernans.
Scilicet, ut veteres Grajûm cecinere Poëtae:
Quod procul à vera eſt animi ratione repulſum.
Ignis enim ſuperare poteſt, ubi Materiaï
Ex infinito ſunt corpora plura coörta;
Inde cadunt vires aliqua ratione revictae,
Aut pereunt res exuſtae torrentibus auris:.

Hu-

INTERPRETATIO.

diſperſos & vagantes Equos reduxit, & trementes, & fulmine territos currui iterum ſubjunxit: Et per antiquum tramitem currum agens recreavit omnia, & refecit. Scilicet, hæc canunt Veteres Græci Poëtæ, quæ abſurda planè ſunt, & futilia commenta: Nam Ignis poteſt ſuperare, quando ſunt plurima Igneæ materiæ corpuſcula ex Infinito in hunc Mundum delata; Tum autem illius materiæ vires aliqua ratione repreſſæ debilitari debent, aut nimio calore res peruſtæ interibunt.

VARIÆ LECTIONES.

407. *vera eſt animi ratione.* vera nimis eſt ratione a. B. D. *Creech.* veris Y.
410. *revictæ.* revinctæ P. rejunctæ Q.

NOTÆ.

402. *Deturbavit equis in terram*] Sed *excepit eum Eridanus, fumantiaque abluit ora*, inquit Ovidius. Ariſtotel. autem περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. ſcribit, Electridas inſulas in latebris & receſſu Adriæ; ab Eridano fluvio quondam fuiſſe exaggeratas; & etiam nunc videre licere paludem ei fluvio propinquam, cujus aqua calida eſt, ex quaque odor exſpiratur tæterrimus; hujus autem loci incolas dicere, Phaëthontem fulmine percuſſum, in hanc paludem decidiſſe. LAMB.

404. *Trementis*] Ovidius Metam. 2: 398.

Colligit amentes & adhuc terrore paventes
Phœbus equos, ſtimuloque dolens & verbere ſævit.
Sævit enim natumque objectat & imputat illis.

PIUS.

407. *Quod procul à vera nimis eſt ratione repulſum*] Idem & Platoni videtur in Timæo, cujus hæc verba ſunt: τὸ γὰρ οὖν καὶ παρ' ὑμῖν λεγόμενον, ὥς ποτε Φαέθων Ἡλίου παῖς τὸ τοῦ πατρὸς ἅρμα ζεύξας διὰ τὸ μὴ δυνατὸς εἶναι κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς ὁδὸν ἐλαύνειν, τά τ' ἐπὶ γῆς ξυνέκαυσε, καὶ αὐτὸς κεραυνωθεὶς διεφθάρη, τοῦτο μὲν μύθου σχῆμα ἔχον λέγεται. τὸ δ' ἀληθές ἐστι τῶν περὶ γῆν καὶ κατ' οὐρανὸν ἰόντων παράλλαξις, καὶ διὰ μακρῶν χρόνων γινομένη τῶν ἐπὶ γῆς πυρὶ πολλῷ φθορά. id eſt, *Nam quod etiam apud nos dicitur, Phaëthontem Solis filium, olim patris curru juncto, propterea quod non potuerit patria via aurigari, & ea quæ ſunt in terra exuſſiſſe, & ipſum fulmine percuſſum periiſſe, hoc quidem dicitur per fabulæ figuram: re vera autem ſignificatur & eorum quæ ſunt in terra, eorumque quæ in cælo & cum cælo moventur, immutatio, tum is, qui fit, longo intervallo interpoſito, rerum quæ in terra ſunt, multis ignibus graſſantibus, interitus.* Ariſtoteles item Phaëthontis fabulam refert ad incendia & flammas ex cælo profectas, quæ parteis mundi ad orientem ſpectanteis exuſſerunt. ſic enim ille libro quarto de mundo, in extremo: Πυρκαϊαί τε καὶ φλόγες, αἱ μὲν ἐξ οὐρανοῦ γενόμεναι πρότερον, ὥσπερ φασὶν ἐπὶ Φαέθοντος, τὰ πρὸς ἕω μέρη κατέφλεξαν, &c. id eſt, *Incendia & flammæ, ea quidem quæ ex cælo antea exortæ, quemadmodum ferunt Phaëtontis ætate, parteis orientaleis exuſſerunt*, &c. Ita autem reſtituit hunc verſum Adrian. Turneb. vulgo enim legitur,

——— *à vera eſt animi ratione repulſum.* LAMB.

A vera nimis eſt ratione repulſum, ſic veteres libri. Marullus: *vera eſt animi.* Et ita Vulgati. vide ſupra, II. 644. GIFAN. Melius *Vera nimis eſt.* CREECH.

410. *Aliqua ratione revictæ*] Id eſt aliqua ratione viciſſim victæ. LAMB.

Humor item quondam coepit ſuperare coörtus,
Ut fama eſt hominum, multas quando obruit urbeis;
Inde ubi vis aliqua ratione averſa receſſit,
Ex Infinito fuerat quaecunque coörta,

Con-

INTERPRETATIO.

Humor item, uti fertur, aliquando ſuperior evaſit, quando multas urbes obruit: Deinde vero cum iſta Humoris materia quæ ex Infinito in hunc Mundum defluxit,

VARIÆ LECTIONES.

413. *Ut fama eſt hominum, multas quando obruit urbeis.* Ut fama eſt, hominum multos quando obruit undis A. B. C. E. I. *Gaſſ.* N. P. Q. X. multas quando obruit undis Y. Z.

414. *Inde.* Unde O. P. Q.

NOTÆ.

413. *Ut fama eſt hominum, multas quando obruit urbeis*] Sic eſt diſtinguendum: quod loquendi genus agnoſcent Latinè docti. Marc. Tull. pro Cluentio: *Non timuiſſe ſi minus vim Deorum, hominumque famam, &c.* Idem pro Sylla: *At ſi tibi nos peregrini videmur, quorum jam, & nomen, & honos inveteravit & huic urbi, & hominum famæ, ac ſermonibus, &c.* Idem de Haruſp. Reſp. *Mitto illam veterem ab ipſis Diis immortalibus, ut hominum fama eſt, Hetruriæ datam diſciplinam.* Lamb. Hanc ſcripturam & interpunctionem agnoſcunt omnes libri. Lambini lectio non placet, *eſt hominum: urbes.* Gifanius. Voſſium vide ad Catull. p. 215. qui dum a Creechio refellitur, non tamen immerito: *perperam in Vulgatis exemplaribus, invitis libris antiquis,* urbes *repoſitum* dicit pro *undis.* Ego Gifanio accederem, cujus lectio ſeu conjectura ſimpliciſſima eſt. Preig. Gifanius,

Ut fama eſt, Hominum multos quando obruit
Undis.

Voſſius, *Hominum multas*, id eſt, Crimina Hominum, ſive impios Homines: At quid hic loci *Lucretius* cum criminibus Hominum? profecto Epicureus nunquam credidit iſtas Aquas ad eluenda Hominum peccata fuiſſe Terrarum Orbi immiſſas. Creech.

413. *Multas quando obruit urbeis*] Cum repeririſſem ſcriptum in Cod. Vatican.

——— ——— *multas quando obruit ūbis,*

repoſui *urbeis.* nam ſæpe obſervavi, in libris veteribus lineam parvam ſuprà duci pro *r*, ut *coōta*, pro *coorta*, *tūba* pro *turba*, *ōdine* pro *ordine.* Præterea ſine ulla varietate ſic habet liber Florentiæ impreſſus. Non probavit hanc emendationem Zoilus. quid mirum? quæ dulcia ſunt, amara videntur ei qui febrem habet, aut cui alioqui palatum corruptum eſt. Atqui ſatis oſtendi hoc genus loquendi *ut fama eſt hominum*, bonis ſcriptoribus eſſe uſitatum. Jam verò hoc *multas obruit urbeis*, homines qui aliquid videant in his litteris, agnoſcent, & probabunt: illud contrà *hominum multos obruit undis*, non item: ut taceam, quod, cùm Lucretius ſignificare velit inſignem diluviem, non ſatis eam his verbis exprimeret, *multos hominum*, ſive *multos homines obruit undis.* quid eſt enim multos homines undis eſſe obrutos? ſi centum, ſi quinquaginta obruti ſunt, multi obruti ſunt. At nunc ex hac mea lectione multæ urbes obrutæ ſunt. quæ verborum ſententia cum Lucretii ſenſu conſentanea eſt. Confirmat denique hanc lectionem hiſtoria, nuntia vetuſtatis, & teſtis temporum præteritorum. Qua de re ſic Arnobius libro primo: *Terrarum validiſſimis motibus tremefactæ nutant uſque ad periculum civitates. Quid? hiatibus maximis interceptas urbeis cum gentibus ſuperiora tempora non viderunt? aut ab hujuſmodi caſibus fortunas habuere ſecuras?* His adde quæ de urbibus terræ motu abſumtis canit ipſe Lucretius libro quinto ỳ. 584.

In Tyria Sidone quod accidit, &c.

Diſrumpatur igitur Zoilus. Lambin.

416. *Conſtiterunt*] Repreſſi & cohibiti ſunt, vel ſe cohibuerunt. Lambin.

417. *Sed quibus ille modis*] Nunc aggreditur ad explicandum, quo pacto ex corporibus primis, quæ

Conſtiterunt Imbres, & Flumina vim minuerunt.
Sed quibus ille modis conjectus Materiaï
Fundârit Coelum ac Terram, Pontique profunda,
Solis Lunai curſus, ex ordine ponam.

Nam

INTERPRETATIO.

aliqua ratione vel impedita, vel averſa fuit, ceſſarunt Imbres, & decreverunt flumina. Sed quibus modis rerum Semina temere conjecta conſtituerunt Cœlum, Terram, Mare, Solem, Lunam, ordine exponam:

VARIÆ LECTIONES.

416. *Imbres.* nubes & *Gaſſ.*
417. *conjectus.* conlectus A.
418. *Cœlum ac Terram.* Terram & Cœlum O. Q. X. Y. Z.
419. *Solis Lunai curſus.* Ita A. B. D. I. *Gaſſ.* Z. *ſed* Y. Solis Lunæ. *Reliqui* Soliſque & Lunæ.

NOTÆ.

quæ neque conſilio, neque certo fœdere inito moventur, factus ſit mundus. Totus autem hic locus de mundi & partium mundi concretione videtur propè ad verbum expreſſus (niſi quod uberiùs à Lucretio tractatur) ex iis quæ exponuntur à Plutarcho libro primo περὶ τῶν ἀρεσκόντ. quæ ſuis locis membratim & particulatim referam: nunc autem univerſa Latinè reddam, quòd exiſtimem ea magnam lucem huic loco allatura. Sic igitur Plutarchus, ut quidem Latinè vertimus: *Mundus in globoſam figuram conformatus, hoc modo concrevit. Cùm prima corpora ſine conſilio & fortuito moverentur, aſſiduoque ac celerrimo motu agitarentur, in idem multa convenerunt, & coierunt, & propterea varietate figurarum & magnitudinum prædita. His autem in eodem loco coactis & coacervatis ea quidem, quæ majora erant & graviſſima, omnino ſubſidebant, quæ parva vero, & rotunda, & lævia, & lubrica, hæc etiam exprimebantur in primorum corporum concurſu, & in altum ferebantur. Ubi igitur ad verberandum apta poteſtas defecit, ea, inquam, quæ in altum extollebat, neque jam plaga in ſublime tollebat, in inferiorem vero locum hæc ferri prohibebantur: ad ea loca, quæ recipere poterant, urgebantur: hæc autem erant illa loca, quæ ſunt in extremis oris mundum ambientibus: & ad hæc corpuſculorum multitudo reflectebatur. Implicata autem inter ſe & impedita ex reflexione, mundum genuerunt. Porro hæc eadem natura prædita corpuſcula, cum eſſent varia, ut diximus, in altum ſublata, aſtrorum naturam perfecerunt. multitudo autem corporum quæ ſurſum ſubvehebantur, aëra verberabat, & hunc exprimebat. Impletus autem aër ſpiritu, atque inflatus ex agitatione & motu, & aſtra una comprehendens, ea una circum agebat, & eorum converſionem ſublimem ſervabat. Deinde ex iis quæ ſubſederunt, terra genita eſt: ex iis vero quæ ſublime ferebantur, cælum, ignis, æther. multa autem etiam materia in terra reſtante, eaque condenſata & ſtipata, & flatuum verberibus, & aurarum ex aſtris exſiſtentium ictibus, comprimebatur hujus figuratio ex partibus minutis conſtans, & humidam naturam genuit. Cum eſſet autem hæc fluida & diffuſilis, in cava terræ loca, & ad capiendum continendumque idonea deferebatur: aut aqua, cum per ſe ſubſediſſet, loca ſubjecta excavabat. Præcipuæ igitur mundi partes ad hunc modum genitæ ſunt.* Lamb. Nativi hujus Mundi exordium explicaturus, Deos, omnemque Providentiam longè removet; & totum opus Materiæ permittit ℣. 16. Inde *Chaos*, rudis & indigeſta Particularum congeries, quæ huc & illuc agitatæ tandem pares cum paribus convenerunt, inde Mare, Cœlum, Terra, Sol, Sidera, & quæcunque hic Mundus continet. ℣. 17. *Plutarchus* ex *Epicuro* de Placit. Phil. lib. I. cap. 4. Ὁ τοίνυν κόσμος συνέστη περικεκλασμένῳ σχήματι ἐσχηματισμένος τὸν τρόπον τοῦτον, τῶν ἀτόμων σωμάτων, ἀπρονόητον, καὶ τυχαίαν ἐχόντων κίνησιν, συνεχῶς τε, καὶ τάχιστα κινουμένων, εἰς τὸ αὐτὸ πολλὰ σώματα συνηθροίσθη, καὶ διὰ τοῦτο ποικιλίαν ἔχοντα καὶ σχημάτων, καὶ μεγεθῶν. Creech.

417. *Conjectus*] Congreſſus, acervus, coitus, ſeu

Nam certe neque conſilio Primordia rerum
Ordine ſe ſuo quaeque, ſagaci mente locârunt;
Nec quos quaeque darent motus pepigere profecto:
Sed quia multimodis multis Primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,
Ponderibuſque ſuis conſuêrunt concita ferri
Omnimodiſque coire, atque omnia pertentare,
Quaecunque inter ſe poſſent congreſſa creare;

Pro-

INTERPRETATIO.

Nam profectò Semina rerum nulla providentia aut ſagacitate mentis ſe in ſuo ordine collocârunt, neque inter ea convenit quibus motibus quæque uterentur, ſed quia Infinita rerum Semina ab æterno aliorum ictibus vel ſuo pondere agitari ſolebant & moveri, omnibus modis convenire, & pertentare omnia, quæcunque hiſce cœtibus facere & componere valerent,

VARIÆ LECTIONES.

421. *Ordine ſe ſuo quæque.* Ita clare Y. probante V. & annuente Z. in quo *Ordine ſuoque quæ.* Ordine quæque ſuo, atque C. N. P. *quidam codd.* P. Se ordine quæque ſuo **E. L.** *Gaſſ.* X. Ordine ſe nec quæque, *Emendat. codd.* P. ordine ſe quæque atque *Reliqui.*

NOTÆ.

ſeu cœtus primorum corporum. quidam legunt *conlectus*, alii *congeſtus*. ego nihil muto. quamquam *conlectus* non improbo. Lamb. *Conlectus*, Ita & hic ſcripſi. Vulgati: *conjectus*. Vide Indicem. Gifan. In prima editione. In ſecunda autem, *conjectus* in textum recipit., idem Giphanius.

418. *Pontique profunda*] Sic dictum *ponti profunda*, ut *vera vitaï*, *ultima naturaï*, &c. Lamb.

419. *Solis Lunaï*] Secutus, ſum codic. Tettian. & Faërn. in quibus ita ſine ulla litura legitur: in codice Vatic. autem, *Solis., Lunæ curſus:* ut facilè appareat, copulationes *que*, *&*, quæ reperiuntur in libris vulgatis, poſterius eſſe ab aliquo adjectas. Sic enim in eis legitur,

Soliſque & Lunæ, &c. Lamb.

Solis Lunaï curſus; ſic veteres libri quidam. Plures veteres: *Solis Lunæ.* Hinc Marullus, & Vulgati: *Soliſque & Lunæ.* Forte legendum: *Solis & Lunæ.* Vide Indicem: *Verſus.* ibique: *Is terminata.* Gifan.

420. *Nam certe neque conſilio*] Hic verſus cum duobus deinceps ſequentibus jam ſuprà poſiti ſunt lib. I. Lamb. Hunc verſum, ut & ſimilem lib. I: 1021. ita invenio correctos & explicatos a Magno Gronovio Patre, Obſ. Nov. IV. 9.

„ *Nam certe neque conſilio primordia rerum*
„ *Ordine ſe ſuo quæque ſagaci mente locarunt.*

„ Sic clare., vetuſtiſſimæ membranæ. Ut & lib. „ I: 1019. ubi repetuntur hi verſus: *Ordine ſuoque quae ſagaci.* levi errore librarii, quem & „ in ſequenti refert: *Nec quoſque quæ refert:* pro, „ *Nec quos quæque refert.* Turbaverunt librarios „ & viros doctos tot ablativi, *conſilio ſagaci mente ordine:* quos ita facile explicabis, neque con- „ ſilio ex ſagaci aliqua mente profecto ſe loca- „ runt quæque ſuo ordine. Lambinus: *Se ordine* „ *quæque ſuo atque ſagaci*: vel, *Se ordine ſo quæque atque ſagaci.* Giffanius: *Ordine ſe quæque* „ *atque ſagaci.* Non aliunde quam diximus illud „ *atque* exortum: nam *ſuo* in unam ſyllabam „ contractum non magis mirum quam in duas „ *ſeorſum*, *deorſum*, *tenuis*, *levius*. in tres *oriundi* „ & lib. II. 660. *& equorum duellica proles.* Ubi „ fruſtra Lambinus: *equoru' duellica.* Gronov. Quæ quidem mihi explicatio jam arridet, licet meminerim aliter emendatum a me fuiſſe hunc verſum libro primo, conjectura forſan non pœnitenda; alterutram ſibi lectionem eligat lector, quæ ſibi ſcilicet maxime placeat. Hav.

430. *Tandem conveniant; ea quæ conjuncta, &c.*]

Ita

Propterea ſit, uti magnum volgata per aevom
Omnigenos coetus, & motus experiundo,
Tandem conveniant ea, quae conventa repente
Magnarum rerum fiant exordia ſaepe,
Terraï, Maris, & Coeli, generiſque Animantum.
Hic neque tum Solis rota cerni lumine largo
Altivolans poterat, neque magni Sidera mundi,

Nec

INTERPRETATIO.

Inde fit, ut per Tempus infinitum volitantia, & motus cœtuſque omnigenos experiundo, tandem illa Semina convenirent, quæ ſubito conjuncta ſæpe fiant magnarum rerum, Terræ viz. Maris, Cœli, atque Animalium, exordia. Tum temporis Solis currus multa luce coruſcus per altum æthera agitatus, Nec Sidera immenſi Cœli,

VARIÆ LECTIONES.

430. *Tandem conveniant ea, quæ* &c. Ita clare exhibent X. Y. Z. neque auſim a tam præclaris Codd. recedere; quum ex ſeqq. V. L. appareat, non aliter eſſe legendum. *ſunt vero hæ.* Tandem conveniant; ea A. B. N. conveniant ea D. V. conveniunt ea *Creech.* quæ conjuncta, repente A. B. D. *Creech.* I. quæ conventa repente C. E. N. Q. V. Tandem conveniant ea, quæ conveniant P. quæ convenere P. *in not. corrigit.*

431. *fiant.* fluunt Q. X. Y. Z. fiunt Q1. *ſæpe.* exordia; nempe F.

433. *Hic.* His *Macrob. & mox pro* claro *largo.*

434. *Altivolans.* Alta volans C. *neque magni.* nec magni C. Q2. Y. Z. Altevolans N. V. X. Y. Z.

NOTÆ.

Ita veteres libri noſtri, diſerte. In aliis: *quæ convenere*, non male. Vulgati male: *ea quæ conventa. Conjuncta*, etiam mox, ℣. 445. GIFAN. *Tandem ea conveniant, quæ ut convenere repente.* Alii, *Tandem conveniunt* ea *quæ* conjuncta &c. Et melius. v. lib. 2. ℣. 1169. In ſequenti verſu pro *ſæpe* Faber legit *nempe.* Ut & lib. 2. ℣. 1060. At profectò vox *repente* modum tantum conjunctionis exprimit, ideoque illa, quam jactat *Faber*, emendatio nulla eſt. Vid. lib. 2. ℣. 1060. CREECH.

430. *Quæ ut convenere*] Cum in omnibus libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſem, *quæ convenêre*, non, ut eſt in quibuſdam vulgatis, *ea quæ conventa:* ſic repoſui, *quæ ut convenêre*, id eſt, ea principia, quæ cum convenerunt & congreſſa ſunt, &c. Licet tamen hunc locum emendare ex illo qui eſt huic ſimillimus, & planè geminus, lib. 2: 1060.

Tandem cooluerint ea quæ conjecta
(vel, ut alii legi volunt, *conlecta*)
repente, &c.

licet etiam legere,
——— ——— *ea quæ conjuncta repente.*
ut infra:
——— ——— *poterant conjuncta manere.*

Harum emendationum Zoilus poſtremam arripuit, ut ſuam. LAMB. Giſanius hoc loco Vulgatam lectionem damnat: *ea quæ conventa*; cum tamen apprime faciat ad confirmandam conjecturam, quam lib. 11. ℣. 97. amplexus eſt, & exponit in Indice, ad vocem: *Conſulta.* Forſan etiam haud mala. Vide Feſtum in: *Conventa conditio*, & *Conventus.* PREIG.

431. *Magnarum rerum fiant exordia ſæpe*] Jam antea monui, qua ratione emendandus hic locus videretur; itaque nihil addam. Vide quæ ad 1: 1061. FABER.

433. *Solis rota*] Græcis δίσκος. Confer. Turn. Adv. 8: 17. & 18: 27. Rotam candidam dixiſſe Sidonium docet:

Inde patefecit radiis Rota candida Cœlum.

Vitruvii locos addit idem lib. 22: 29. HAV.

Nec Mare, nec Coelum, nec denique Terra, neque Aër,
Nec ſimilis noſtris rebus res ulla videri:
Sed nova tempeſtas quædam, moleſque coorta.
Diffugere inde loci partes coepere, pareſque
Cum paribus jungi res, & diſcludere Mundum,
Membraque dividere, & magnas diſponere parteis
Omnigenis è Principiis, diſcordia quorum
Intervalla, Vias, Connexus, Pondera, Plagas,
Con-

INTERPRETATIO.

nec Mare, neque Cœlum, nec Terra, nec Aër, nec res ulla ſimilis noſtris rebus videri potuit; ſed rudis quædam & informis particularum temerè agitatarum congeries: Deinde variæ partes in diverſa loca ſecedere cœperunt, pares res cum paribus jungi, & Mundum diſcludere: partes illius dividere, in ordinem redigere, & diſponere membra ex hac confuſa Seminum congerie: nam ſeminum diſcordia è diſſimilitudine formarum & figurarum varietate orta ita conturbabat. Intervalla, vias, connexus, Pondera, Plagas,

VARIÆ LECTIONES.

435. *neque Aër.* nec Aër *Macrob.* X.
438. *inde loci.* indu loci V. P. *in not.*

NOTÆ.

434. *Altivolans*] Sic legendum, & ita habent duo lib. manuſcript. & aliquot impreſſi: ita denique legit Macrob. lib. 6. Saturn. vulgati enim mendoſè habent, *Alta volans.* Talia ſunt illa, *claricitat*, infrà eod. lib. & *altitonans*, ibidem. Lamb. *Altivolans*, Ita recte veteres libri, & Macrobius. In aliis: *Alta volans.* Gifan.

438. *Inde loci*] Id eſt, ab illo loco, ſeu potiùs ab illo tempore. ſic Ennius apud Feſtum,

Inde loci lituus ſonitus effudit acutos.

& iterum Lucret. infrà eodem libro 789.

——— *inde loci mortalia ſæcla creavit, &c.*

Lamb. *Locus* ſæpe pro tempore ponitur. Itaque *inde loci* ſignificabit *poſtea.* Plaut. Ter. Lucil. Faber. Id eſt *Poſtea.* Infra ℣. 740.

Inde loci *ſequitur Calor.* Creech.

439. *Diſcludere*] Virgil. Ecl. 6: 35.

Tum durare ſolum & diſcludere Nerea ponto
Cœperit.

Nam Macrobius lib. 6. Saturn. cap. 4. hæc Lucretiana cum illis Virgilianis comparat. *diſcludere* autem, id eſt diſcernere, diſtinguere, diſparare. Lamb. Diſcernere, Diſtinguere, &c. At *Diſcluſis* & *Diſcludere* lib. 3: ℣. 172. & lib. 6. ℣. 239. *Diruptis* ſonat, & *Perrumpere.* Macrobius lib. 6. cap. 2. his comparat illa Virgilii in Sileno

Namque canebat uti magnum per Inane coacta
Semina Terrarumque, Animæque, Mariſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul Ignis; ut his exordia primis
Omnia, & ipſe tener Mundi concreverit Orbis:
Tum durare Solum, & diſcludere *Nerea ponto*
Cœperit, &c. Creech.

441. *Diſcordia quorum*] Iſtud *quorum* jungi debet, non cum *diſcordia*, ſed cum *intervalla, vias,* &c. Faber.

447. *Hoc eſt à Terris*] Non poterant principia (inquit) inter ſe dare motus convenienteis, hoc eſt, non poterant à terris cælum ſeparare, &c. Lambin. Explicatio illarum vocum, *dare motus convenientes*, id eſt, inquit, ſeparare cœlum à terra, &c. Faber. Explicatio illarum vocum, *dare motus convenientes*, id eſt, inquit, ſeparare Cælum à Terra &c. *Faber.* Alia verò, quam poſui, interpretatio non eſt inepta; & *Cœlum* rectè Aërem interpretor. Creech.

448. *Secreto*] Sejuncto, ſegregato. Faber.

449. *Secr-*

Concurſus, Motus turbabat, proelia miſcens,
Propter diſſimileis formas variaſque figuras;
Quod non omnia ſic poterant conjuncta manere,
Nec motus inter ſeſe dare convenienteis:
Hoc eſt à Terris altum ſecernere Coelum,
Et ſeorſum Mare uti ſecreto humore pateret,
Seorſus item puri, ſecretique aetheris Ignes.
Quippe etenim primum Terraï corpora quaeque,

Pro-

INTERPRETATIO.

Concurſus, motus, ut convenientes motus mutuo dare & mutuo accipere non potuerunt, & neceſſario fiat partium ſeparatio. Inde magnum Cœlum (Aër) à Terra ſecernitur, Segregato & collecto omni Humore latum Mare extenſum eſt, & puri Ignes ætheris ab aliis rebus ſeparati proprium locum ſortiti ſunt. Quippe primum Singula Terræ corpuſcula,

VARIÆ LECTIONES.

443. *turbabat.* conturbat Q1.
447. *altum ſecernere.* magnum ſecernere D. & *Macrob.*
448. *ſeorſum.* ſorſum Y. Z. *ſecreto humore.* ſecretum, humorque P. Q.
449. *Seorſus.* Surſus Q.

NOTÆ.

449. *Seorſus item*] Macrobius: *Seorſum.* GIFAN.

450. *Quippe etenim*] Cùm rudis & indigeſta corpuſculorum congeries in ordinem redigatur per motum, omniſque motus à gravitate oriatur, rectè inquirit Poëta quid Atomi graviſſimæ agant: Exiſtimavit autem Epicurus coacervatas confuſaſque Atomos irrequieto & ingenito ſuo motu ita ſeſe convolviſſe, revolviſſe, ſuſque deque exagitaſſe, ut poſtremò craſſiores omnes verſus Medium confluxerint, & tenuiores extruſione facta à craſſioribus verſus circumferentiam avolârint. Porro ex craſſioribus quidem illis conflatum fuiſſe Terræ Corpus, quod Semina Aquæ in ſe contineret, ut quæ non potuiſſent perinde avolare cum cæteris: At è cæteris, quod varii in ipſis tenuitatis gradus forent, quaſdam reſtitiſſe non longè à Terra, conſtitiſſe Aërem, reliquas altiùs emerſiſſe, & conſtituiſſe ætherem, & extruſa ſimul Corpuſcula ignea coiiſſe in eas moles, quæ in illo adhuc collucent, & appellantur Sidera. Corpora denique illa minora rotunda, lævia, fuiſſe ad eum motum in circumferentiam per Eliſionem, ſeu expreſſionem à craſſioribus factum ſic determinata, ut cùm ex maſſa tamen non exirent viis parallelis, neque juxtim inciderent, idcirco in ipſo progreſſu ſibi variè obcurſitârint, impetumque acceptum mutuò refregerint, quò uſque impetu denique ceſſante, quæ promotiores, ſive à medio remotiores extiterunt effectæ ſunt ſibi invicem implicitæ, ſeſeque mutuò continentes, comprimentes, atque idcirco ſpeciem quandam Mœniorum Mundi creantes; & quæ deinceps eò appulerunt, ita ſunt ab illis reflexæ, ut ab aliis ſubinde occurſantibus tota illa ætherea atque cæleſtis regio fuerit exinde concinnata. Licebit id fortè intelligere ea comparatione, qua Lucretius rem explicat, dum id potuiſſe fieri oſtendit, ut quando vapores & Halitus ex Aqua Terraque prodeuntes, & ſublimè elati ita ſurſum addenſantur, concreſcuntque in nubila, ut illic fiat quaſi Laquear, ſub quo Aër qui reſtat nobis aſpectabilis contineatur. Hæc ℣. 21. Vide etiam *Plutarchum* Cap. 4. lib. 1. de Placit. Phil. CREECH.

451. *Perplexa*] Implicata & connexa. LAMB.

451. *Coïbant In medio, atque imas capiebant*] Id eſt, coibant & ſubſidebant in medio, qui locus eſt infimus. Sic autem emendavit Adr. Turne-

bus.

Propterea quòd erant gravia, & perplexa, coibant,
In medioque imas capiebant omnia ſedes:
Quae quanto magis inter ſe perplexa coibant,
Tam magis expreſſêre ea, quae Mare, Sidera, Solem,
Lunamque efficerent, & magni moenia Mundi.
Omnia enim magis haec è laevibus atque rotundis
Seminibus, multoque minoribus ſunt Elementis,
Quam Tellus: ideo per rara foramina Terrae
Partibus erumpens primus ſe ſuſtulit Aether
Signifer, & multos ſecum levis abſtulit Igneis:
Non alia longè ratione, ac ſaepe videmus,

Aurea

INTERPRETATIO.

quia gravia erant, & implicata, convenerunt; imaſque Sedes in medio capiebant. Quæ corpuſcula quanto magis preſſe & arcte unita ſunt tanto magis expreſſerunt ea Corpuſcula quæ efficerent Mare, Sidera, Solem, Lunam, & immenſum Cœlum. Nam hæc omnia conſtant è Principiis levioribus, magis rotundis & minoribus, quam Terra: Ideo per patentes meatus Terræ Cœlum Stelliferum primum erumpens in altum aſcendit; & multos Ignes Secum leve abſtulit. Pari pene modo ac ſæpe videmus,

VARIÆ LECTIONES.

452. *In medioque imas.* In medio, atque imas L. V. *Gaſſ. Turneb.* Q1. Y. Z. *forte melius.*
456. *hæc è.* hæc ſunt c. P. hæc ex *Macrob.*
460. *Signifer.* Ignifer Y. Z. *quidam codd.* P.

NOTÆ.

bus. Nam vulgò legitur,

——— ——— ——— ——— *coibant,*
In medioque imas capiebant omnia ſedes.

ſic Epicurus: Κἄπειτα ἐκ τῶν ὑποκαθιζόντων ἐγεννήθη ἡ γῆ, &c. id eſt, *deinde ex iis corpuſculis quæ ſubſidebant, facta eſt terra.* LAMBIN. *In medio; imas, &c.* Sic nos. Marullus: *atque imas.* In libris fere: *que imas.* Male etiam interpunctum Vulgatis. Vide etiam ℣. 487.

In medio ut propulſa ſuo condenſa coiret.

Et Indicem, de *Verſuum* Hiatu. GIFAN.

454. *Tam magis expreſſere*] Epicurus: Ἐκ δὲ τῶν μετεωριζομένων, οὐρανός, πῦρ, ἀήρ. id eſt, *Ex corpuſculis autem quæ ſublime ferebantur, factum eſt cælum, ignis, aër.* Idem apertius: περιπλεκόμενα δὲ ἀλλήλοις κατὰ τὴν περίκλασιν, τὸν οὐρανὸν ἐγέννησαν: id eſt, *implicata autem inter ſe & perplexa, cælum fecerunt.* Sequitur deinceps: τὰ δ᾽ αὐτῆς ἐχόμεναι φύσεως αἱ ἄτομοι, ποικίλαι οὖσαι, καθὼς εἴρηται, πρὸς τὸ μετέωρον ἐξωθούμεναι, τὴν τῶν ἀστέρων φύσιν ἀπετέλουν. id eſt, *Ea vero corpuſcula quæ eandem naturam erant adepta, cum eſſent varia, quemadmodum dictum eſt, in ſublime expreſſa atque extruſa, aſtrorum naturam perficiebant. expreſſere* igitur, id eſt, quod Græci dicunt, & Epicurus uſurpabat, ἐξέθλιψαν, *per expreſſionem ſeu exprimendo emiſere.* LAMBIN.

456. *Omnia enim magis hæc*] Nempe mare, ſidera, Sol, Luna: vel Aër, ſidera, Sol, Luna. Nam ſic quidam legunt ſuprà:

Expreſſere ea quæ aëra, ſidera, ſolem, &c.

LAMB.

459. *Æther Signifer*] Sic habent omneis lib. & manuſcripti, & typis excuſi. nonnulli tamen legunt *Ignifer:* & ita infrà paucis poſt verſibus,

——— ——— *inde æther ignifer ipſe.*

ſed libro ſexto ℣. 480. perſpicuè & ſine controverſia *ſigniferum* dicit æthera:

Ur-

Aurea quom primum gemmanteis rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina Solis,
Exhalantque Lacus nebulam, Fluviique perennes:
Ipſa quoque interdum Tellus fumare videtur:
Omnia quae ſurſum quom conciliantur in alto,
Corpore concreto ſubtexunt nubila Coelum:
Sic igitur tum ſe levis, ac diffuſilis Aether
Corpore concreto circumdatus undique ſepſit,
Et latè diffuſus in omneis undique parteis,
Omnia ſic avido complexu caetera ſepſit.
'Hunc exordia ſunt Solis Lunaeque ſecuta:

Inter

INTERPRETATIO.

cum primum matutina aurea lumina radiati Solis rubent per Herbas rore gemmantes (Sol oritur) & lacus & fluvii perennes exhalant nebulam, Ipſa quoque Terra fumare (fumos emittere) videtur: Quæ omnia (Nebulæ viz. & Fumi) cum in altum ſublata condenſantur, Nubes fiunt, & concreto corpore ſubtexunt Cœlum. Sic levis & diffuſilis æther in ſpiſſum corpus ex omni parte condenſatus ſeipſum continuit, & longè lateque in omnes partes diffuſus ingenti ambitu reliqua omnia complexus eſt. Hunc ætherem Surgentem Principia, quæ conſtituunt, Solem & Lunam,

VARIÆ LECTIONES.

465. *Ipſa quoque interdum.* Ipſoque ut interdum A. mar. C. E. N. Q2. V. X. Y. Z.
468. *tum ſe.* cum ſe C. P. Q. X.
472. *Hunc.* Nunc P. X. Hinc *quidam Codd.* P. Q1. *ſecuta:* ſecuta, &. Y.

NOTÆ.

Urget enim quoque ſigniferi ſuper ætheris æſtus. Ariſtot. quidem libro de mundo, & libro primo de cælo, negat æthera eſſe igneum, idemque ait dictum eſſe ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν, non ἀπὸ τοῦ αἴθειν: id eſt, *ab eo quod ſemper currat & moveatur*, non *ab ardendo.* LAMB.

462. *Gemmanteis*] Sic ſuprà lib. 2: 319.
Invitant herbæ gemmantes rore recenti. LAMB.

464. *Exhalantque*] Et exhalant nebulam, ἀνερ-γηλκῶς. de quo ſup. LAMB.

466. *Conciliantur*] Congregantur. LAMB.

467. *Subtexunt nubila Cœlum*] Eleganter; cujus contrarium vidimus ad ℣. 268. hujus libri, apud Statium tribui Auroræ & ortui Solis, *cœlum* nempe *retexere.* PREIG.

468. *Sic igitur tum ſe*] Sic legendum. *tum* autem, id eſt, cùm mundus naſci cœpit. LAMB.

468. *Diffuſilis*] Qui facilè diffunditur, ῥύσικῶς διακείμενος. Nam quamquam hoc Epicurus de aqua dixit, idem tamen in aëra quadrat, quippe qui humidior ſit, quam aqua, ut vult Ariſtoteles. quadrat & in naturam ætheris, propter incredibilem levitatem, ac mobilitatem, & liquidiſſimam naturam. Itaque infra non longè liquidiſſimus appellatur, & leviſſimus. LAMB.

471. *Avido*] Vaſto & ingenti, ut ſup. 202.
Inde avidam partem montes, ſilvæque ferarum, &c. LAMB.

472. *Hunc*] Nempe æthera, exordia Solis & Lunæ ſunt ſubſecuta, id eſt poſt æthera creari cœpti ſunt Sol & Luna. *exordia* autem pro *primordiis* videtur uſurpaſſe. LAMB. Ita Terram totius Mundi fundamentum, ita Ætherem, Mundi mœnia (cæteros Planetas negligit) conſtituit, Solem autem Lunamque mediæ inter Ætherem & Aërem naturæ, quorum nempe Principia e-

rant

Inter utroſque globi quorum vertuntur in auris:
Quae neque Terra ſibi adſcivit, neque maximus Aether:
Quod nec tam fuerint gravia, ut depreſſa ſederent:
Nec levia, ut poſſent per ſummas labier oras:

Et

INTERPRETATIO.

(*quorum globi inter Ætherem & Terram in Auris volvuntur*) *ſecuta ſunt*; *Quæ Principia neque Terra retinuit*, *neque maximus Æther recepit*, *quoniam neque erant tam gravia ut ad imum ſubſiderent*, *neque tam levia ut ad extremas Mundi oras aſcenderent.*

VARIÆ LECTIONES.

473. Hunc verſum delet L. Parentheſi includunt A. D. B. delet item *Creech. utroſque.* utraſque E. N. P. X. Y. Z. Aſtrorumque globi F. *in auris.* in oras P. *in not. corrigit.*

474. *neque.* nec N. Q1. Y. Z.

475. *nec.* neque N. Y. Z. *fuerint.* fuerunt N.

NOTÆ.

tant Aëriis leviora, graviora Ætheriis, in ipſis Ætheris Aëriſque confiniis collocat, ubi perpetuò, ut Pulmones & Corda in Animalibus, moventur ℣. 9. CREECH.

473. *Inter utroſque, &c.*] Hic verſus delendus, ut ſpurius, minimeque Lucretianus. LAMBINUS. Hunc putat eſſe nothum Lambinus. In quibuſdam: *utraſque*; *auras.* Videtur vel circumſcribendus hic verſus, vel potius nota parentheſeos includendus. GIFAN. Ubi luculentiſſimis verſibus expoſuit Lucretius, qua ratione effectum ſit, ut à terra paulatim ſeſe extulerit æther, tum hoc adſcribit:

Hunc exordia ſunt ſolis lunæque ſecuta;

Dein verſum quemdam addit, qui rota, qui ſaxum & crux gentis Grammaticæ vocari poſſit, niſi commode emendetur. En tibi:

Inter utroſque *globi quorum vertuntur in auris.*

Ad eum locum ſit ſcribit Interpres: [*Hic verſus delendus ut ſpurius, minimeque Lucretianus.*] & recte quidem Lambinus, qui correctionis viam non videbat, ita exiſtimavit. At Giſanius ſe ſe hinc ingenioſe expedivit, *ô jecur Cratetis! Includendus*, inquit, *hic verſus eſt notâ parentheſeos.*] Nihil, ita me Deus juverit, commodius quam iſthæc *parentheſeos machina*; ad illam ne comparanda quidem eſt *helepolis* Demetrii; nil certe ejuſmodi reperiſſet Archimedes. Atque utinam explicaſſet quod Lambinus videre non potuerat; Novum feciſſet: Gifanius enim, (ſemel dictum eſto) quem tanto plauſu, tamque fauſtis acclamationibus excepere Lambini obtrectatores, & qui cum illo ſimultates exercebant, quem vulgus eſſe credit hunc, is non erat, uti pro certo conſtabit, ſi quando Lucretium κατὰ πόδα exponemus. Sed, ne te diutius teneam, pro corruptis illis,

Hunc exordia ſunt ſolis lunæque ſecuta:
Inter utroſque globi quorum vertuntur in auris,

ſic legendum eſt, ſic diſtinguendum:

Hunc exordia ſunt ſolis lunæque ſecuta,
Aſtrorumque, globi quorum vertuntur in auris.

Nempe cum ſolis lunæque ortu, aſtrorum quoque ceterorum ortum conjunxerit, neceſſe eſt; hincque adeo factum, ut cum de motibus aſtrorum infra aget, de ortu tamen illorum nihil quidquam ſcripturus ſit. Sed ea eſt, ſpero, hujus noſtræ emendationis perſpicuitas & neceſſitas, ut plura his addenda non ſint. FABER. Hunc verſum delet *Lambinus*, parentheſi includit *Gifanius*: Faber legit *Aſtrorumque, globi*: quam emendationem excute, & nulla videbitur. Aſtrorum enim ortum ℣. 460. docuit.

——— ——— ——— Se ſuſtulit Æther
Signifer, *& multos ſecum levis abſtulit Ignes.*

Deinde, ℣. 477. in quo *Corpora bina* non *Viva* legendum totam iſtam de Aſtris fabulam evertit: Dele igitur verſum, qui è ℣. 477. natus videatur. CREECH.

474. *Quæ*] Solis & Lunæ exordia, id eſt primor-

Et tamen inter utroſque ita ſunt, ut corpora viva
Verſent, & partes ut Mundi totius exſtent.
Quod genus in nobis quaedam licet in ſtatione
Membra manere, tamen cum ſint ea, quae moveantur.

His

INTERPRETATIO.

Tamen inter Terram & Ætherem ita ſita ſunt, ut duos globos perpetuo volvant; & ſint Mundi univerſi partes: Ut in noſtris corporibus quædam ſunt membra quæ quieſcunt, cum tamen ſint alia quæ continuo moventur.

VARIÆ LECTIONES.

477. *utroſque.* utraſque E. N. P. Q. Y. Z. *corpora viva.* corpora bina D.
480. *moveantur.* quæ moveant nos C. E. P.

NOTÆ.

mordia, ex quibus Sol & Luna creati ſunt. LAMB.

475. *Quod neque tam fuerint*] Aliquot libri manuſcripti habent *fuerunt.* quæ ſcriptura non eſt rejicienda. LAMB.

476. *Per ſummas labier oras*] Sic habent libri manuſcripti. quidam tamen legi volunt *auras.* ego nihil mutandum cenſeo, & *ſummas oras* interpretor extremitates mundi, quas æther occupavit. LAMB.

477. *Et tamen inter utroſque*] Inter æthera & terram. mendoſe enim legitur vulgo, *inter utraſque.* LAMB.

477. *Ut Corpora viva*] Legendum olim putabam, *corpora bina*, vel reclamantibus libris omnibus, non *corpora viva.* nam ſi hanc vulgatam ſcripturam probaremus, ſequeretur, ſolem & lunam eſſe animatos: quos paullo antè negavit vitali motu ſenſuque eſſe præditos. Itaque ſecum ipſe pugnaret. Ac ne quis miretur, hoc mendum in omneis libros etiam veteres irrepſiſſe, redeat in memoriam eorum quæ alias dixi: ſolitos eſſe librarios illos ſcribere interdum *u* pro *b*, & contra *b* pro *u.* ut ſuprà in verſu illo,

Vitaï cauſa valido conſueta bidenti
Ingemere,

libri manuſcripti habent; *conſueta videnti:* & ſexcenta ſimilia reperiuntur. Ita cùm à librario ſcriptore ſcriptum eſſet *vina* pro *bina:* exſtimabam ſemidoctum aliquem ex voce *vina*, feciſſe *viva:* atque ex uno errato duo feciſſe, ut ſolent facilè propagari & multiplicari mala. Nunc tamen non ſum auſus hac tertia editione ſcripturam receptam mutare, ſatis eſſe putans, quid aliquando ſenſerim, & quid ſuſpicatus ſim, lectori indicaſſe. Præterea video hujus ſcripturæ probabilem eſſe rationem. Poteſt enim aliquis dicere, ſic eſſe dicta *corpora viva* Solis & Lunæ corpora, quomodo dicuntur *vivi lacus*, & *ſaxum vivum*, à Virgilio: *ſæpes viva*, & *aqua viva* ab aliis: vel quod ſuaptè natura, & ſine arte, aut opera divina moveantur, vel quòd aſſiduè. Poſtremò licet dicere, *viva corpora* dici Solem & Lunam, vel tanquam igneis, quemadmodum ſuprà libro 1: 1033.

——— *& vivant labentes ætheris ignes;*

& lib. 4: 1131.

Quod cupido adfixum cordi viveſcit, ut ignis.

& Plautus Aulul. 1: 2: 15.

Nam ſi vivet ignis, tu exſtinguere extempulo.

vel tanquam lumina, ut apud Horat. Od. 21. lib. 3:

——— ——— *vivæque producent lucernæ,*
Dum rediens, &c. LAMB.

Ita omnes libri. Lambinus: *bina.* GIFAN.

479. *Quod genus*] Cujus generis, qualia. LAMB.

480. *Membra manere, tamen cum ſint ea, quæ moveantur*] Vulgati: *manere tamen, c. ſ. e. q. moveant nos.* Male infra, ℣. 518.

——— ——— *Ut poſſit Cælum omne manere*
In ſtatione, tamen cum &c. GIFAN.

Cum ſint ea, quæ moveantur. Sic habent quattuor libri Manuſcripti, in quibus eſt Memmianus. nam vulgati habent *quæ moveant nos*, plane mendoſe.

Hanc

His igitur rebus retractis, Terra repente,
Maxima, qua nunc ſe Ponti plaga caerula tendit,
Succidit, & ſalſo ſubfodit gurgite foſſas:
Inque dies quanto circum magis Aetheris aeſtus,
Et radii Solis cogebant undique Terram,
Verberibus crebris extrema ad limina apertam,
In medio ut propulſa ſuo condenſa coiret:
Tam magis expreſſus ſalſus de corpore Sudor
Augebat Mare manando, campoſque nataneis:

Et

INTERPRETATIO.

Segregatis igitur his rebus (*Æthere viz. Sole, Luna, &c.*) *Terræ iſta pars qua nunc magnum Mare extenditur, ſubſedit altius, & cavernas recipiendo Humori ſalſo idoneas excavavit. Poſthac quo magis Cœli calor & radii Solis crebris ictibus undique trudebant verſus Centrum particulas Terræ ad extremas oras multis poris & meatibus hiantis, ut pulſis verſus Medium particulis fiat Corpus denſius & magis compactum, eo magis ſalſus liquor de Corpore ejus expreſſus fluendo Mare extendebat:*

VARIÆ LECTIONES.

483. *ſubfodit.* Ita D. E. I. N. P. X. Y. Z. ſalſos offudit Y. Z. *foſſas.* foſſa *Gaſſ.* ſuffudit *Alii.*
484. *circum.* curvam P.
485. *radii.* radiis Q2. Y.
486. *limina apertam.* limina partem C. E. P. Q2. X. Y.
489. *manando.* mandando c. O. P. malit P. *ſed in not.* mandendo.

NOTÆ.

Hanc emendationem arripuit Thraſo ſuo more. Lamb.

481. *His igitur rebus* &c.] Sed Opus nondum perfectum eſt, nullibi enim, Aqua, Aër, Ignis: Fœculenta igitur iſta congeries, quæ in imum confluxit, Solis radiis ætheriſque æſtu ex omni parte preſſa ſe contraxit, Inde Mare tanquam Sudor emanavit, leviores autem particulæ altiùs evectæ Elementum Ignis & Aëris conſtituerunt: Cùm verò hujus congeriei particulæ quædam duræ magis eſſent rigidæque, omnes non pariter ſubſidebant, inde cava loca Mari recipiendo idonea, Inde etiam Fluviorum alvei, Inde denique plani Campi, & montiùm altitudo ỳ. 18. Creech.

482. *Ponti plaga cærula*] Marc. Virgil. maria *cærula* appellavit ſimpliciter. Æneid. 3: 208.

Annixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.

qui verſus iteratur libr. 4. ſic & Tull. libr. 5. de finibus:

Nam nemo eſt umquam hac tranſvectus cærula curſu, &c.

Lucretius autem lib. 1: 1089. *cæli cærula* dixit:

Et cæli flammam per cæli cærula paſci.

& infrà hoc libr. 5: 770.

——— ——— *magni per cærula mundi.*

& libr. 6: 95.

Principio tonitru quatiuntur cærula cæli.

& eodem libro ỳ. 481. *cærula* ſimpliciter pro *cælis*, ſeu *cælo*,

Et quaſi denſendo ſubtexit cærula nimbis. Lamb.

483. *Et ſalſo ſuffudit*] Codd. Memm. habet, *& ſalſo ſoffudit.* ex qua ſcriptura conjiciebamus ego & Muretus legendum *ſuffudit*: Nam libri vulgati habent *ſuffodit*, fortaſſe mendoſe; niſi quis dicat, *ſuffodit foſſas*, eſſe atticiſmum, neque aliud hîc dici à Lucretio, quam quod dictum eſt ab Epicuro, ut refert Plutarchus, ἐκοίλανε τοὺς ὑποκειμένους τόπους, id eſt *excavavit ſubjecta loca.* Verumtamen *ſuffudit* malim. *ſuffudit* autem

in-

Et tanto magis illa foras elapſa volabant
Corpora multa Vaporis, & Aëris; altaque Coeli
Denſebant procul à terris fulgentia templa:
Sidebant Campi, creſcebant Montibus altis
Adſcenſus: neque enim poterant ſubſidere Saxa,
Nec pariter tantundem omnes ſuccumbere partes.
Sic igitur Terrae concreto corpore pondus
Conſtitit, atque omnis Mundi quaſi Limus in imum
Confluxit gravis, & ſubſedit funditus, ut Faex.

Inde

INTERPRETATIO.

atque eo magis multa Ignis & Aëris corpuſcula terrenis particulis exſoluta evolabant, & longe à Terris fulgens altumque Cœlum conſtituerunt. Plani Campi ſubſidebant, eminebant Montes alti, nam Saxa, rigidæque Terræ partes non potuerunt æque ſubſidere ac molliores. Hoc modo compactum fuit grave Terræ corpus, veluti gravis Limus in imum locum confluxit, & ut Fæx totius Mundi penitus ſubſedit.

VARIÆ LECTIONES.

492. *Denſebant.* Denſabant E. N. P. X. Y. Z.
495. *ſuccumbere partes.* ſubſidere partes *Gaſſ.*

NOTÆ.

interpretor *ſubtus perfudit & complevit.* LAMB.

485. *Cogebant*] Compellebant. LAMBIN.

486. *Extrema ad limina apertam*] Hujus loci reſtitutio Adr. Turnebo debetur: qui cùm videret una mecum ita legi in omnibus libris tum excuſis, tum manuſcriptis,

Verberibus crebris extrema ad limina partem:

δύϛοχώταζα ſic, ut excudendum curavi, emendandum conjecit,

Verberibus crebris extrema ad limina apertam.

Quam ſcripturam ſic explico: Et radii ſolis cogebant terram *apertam*, id eſt nudam, nondum arboribus conſitam, nondum frugibus herbiſque veſtitam, cogebant (inquam) verberibus crebris ad extremas oras, ut propulſa in medio ſuo coiret. Licet etiam *apertam* conjungere cum *verberibus crebris*: & ita interpretari, *expoſitam verberibus crebris.* Sed illo modo malo. LAMB. *Apertam*, Sic Turnebus, & Lambinus, egregie. Libri: *partem.* *Apertam*, congruit verbis: *cogebant, condenſa coiret.* GIFAN.

488. *Expreſſus de corpore ſudor*] Ex ſententia Empedoclis. Vide Emendationes ad librum II. FABER.

489. *Campoſque natanteis*] Id eſt, & æquora maris, ſeu mare ipſum. ſic libro ſexto ℣. 404.

—— —— —— —— *quid undas*
Arguit, & liquidam molem, campoſque natanteis?

ſic Virgilius tertio Georg. 198.

—— *tum ſegetes altæ, campique natantes*
Lenibus horreſcunt flabris. LAMB.

492. *Denſebant*] Id eſt denſabant, ut ſæpe alias. LAMB.

493. *Sidebant*] Subſidebant. LAMB.

494. *Subſidere*] Id eſt ita ſidere, ut planitiem efficerent. LAMB.

499. *Inde Mare, inde Aër &c.*] Motus Aſtrorum ut rectiùs explicet ℣. 11. præmittit, quibus docet Ætherem leviſſimum & liquidiſſimum ſuper inconſtantem & turbulentum Aërem evectum procellarum omnium eſſe expertem, & conſtanti æquabilique motu fluere, neque enim iſte motus Ætheris incredibilis; cùm perennis neque unquam recurrens ſit Ponti Euxini in Propontidem fluxus. CREECH.

499. *Inde Æther ignifer*] Sic habent omnes libri & manuſcripti, & typis excuſi. adjuvat autem hanc ſcripturam Epicuri & Lucretii ſententia, qui volunt æthera eſſe igneum, & ex igni-

Inde Mare, inde Aër, inde Aether ignifer ipſe.
Corporibus liquidis ſunt omnia pura relicta;
Et leviora aliis alia: & liquidiſſimus Aether,
Atque leviſſimus Aërias ſuper influit auras;
Nec liquidum corpus turbantibus Aëris auris
Commiſcet: ſinit haec violentis omnia verti.

Turbi-

INTERPRETATIO.

Inde Mare, inde Aër, inde Cœlum ignibus repletum. Pura omnia Corpuſcula (quæ à Limo & fæce longe aberant) Corpora fluida compoſuerunt. Alia autem aliis erant leviora, & Æther fluidiſſimus atque leviſſimus ſupra Aërem aſcendens illi incumbit, nec purum, liquidumque corpus cum tumultuante & turbido Aëre commiſcet, ſinit iſta omnia violentibus Ventis agitari,

VARIÆ LECTIONES.

503. *Aëris auris.* Aëris auras Y. Z.

504. *Commiſcet.* Commiſcit I. Committit: ſinit P. Committi ſinit, ac C. Commiſti ſunt hac violentis Q. Commiſci ſinit Q1. Y. Z. *hæc.* ac P. aut Q1. nec Q2.

NOTÆ.

ignibus liquidiſſimis conſtare: quod item putabat Zeno, & Anaxagoras: quanquam negat & refellit Ariſtoteles. Volebant iidem illi (Anaxagoram, Zenonem, & Epicurum dico) ſtellas igneis eſſe: quod item negat Ariſtoteles, ut ſuprà diximus. Ex Stoicorum ſententia ſunt illa Marci Tullii lib. 2. de naturâ Deorum: *Hunc aëra rurſus amplectitur immenſus æther: qui conſtat ex altiſſimis ignibus, &c.* ſequitur deinceps, *Ex æthere igitur innumerabiles flammæ ſiderum exſiſtunt, quorum eſt princeps Sol omnia clariſſima luce colluſtrans, &c.* ſic Virgilius libro ſecundo Æneidos 153.

Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas:
Vos, æterni ignes, & non violabile veſtrum
Teſtor numen ait. Lamb.

Æthera *igniferum* vocat, quod Solem Lunam, Stellas tremulo jubare oſtentet. Solis ipſius igniferum hinc orbem agnovit Lucanus 3: 41.

——— ——— *Titan jam pronus in undas*
Ibat, & igniferi tantum demerſerat orbis,
Quantum &c. Hav.

500. *Omnia pura*] Terra enim Limus & Fœx totius Mundi penitus ſubſedit. Creech.

505. *Turbare*] παθητικῶς. Faber.

506. *Suos Igneis*] Sua aſtra: ex quibus, cùm ſint ignes, dicitur *ignifer:* & rurſum, quia ſunt ſigna quædam, *ſignifer.* Lamb.

506. *Impete*] Impetu. ſupra lib. 2: 396.

Tranſmittunt valido quatientes impete campos.

& libro 4: 418.

Deſpectum præbet ſub terras impete tanto.

& item alibi ſæpe. Lamb.

507. *Modice*] Id eſt moderatè. Lamb.

507: *Atque uno poſſe Æthera niſu*] Atque uno & eodem impetu, ſeu tenore, &c. Lamb.

508. *Significat Ponti Mare*] Veteres libri: *Ponto.* Sed lego: *Ponti.* Nam ut Ovidius, lib. VII. Met. 267. *Oceani Mare* dicit *refluum*; ita *Ponti mare non* eſſe *refluum*, ſed unum ſervare æſtus tenorem Strabo, Plinius, & alii ſcribunt: quod & vult Lucretius. Miror, quid Lambinus velit, qui reponit *tantum.* Gifan. *In prima editione.* In prima editione cum me offenderet vulgata & recepta ſcriptura, à qua non diſcrepat antiquiſſima, *ponto mare*, ſcripſeram *tantum mare.* ad quem locum hæc quæ ſequuntur, ſine ulla varietate adſcripſeram: „Ordo eſt, tantum & tam „latum mare, quod certo æſtu fluit & refluit, „& quod unum & eundem fluendi tenorem re„tinet, ſignificat & arguit, æthera uno & eo„dem modo circumagi. Omnibus autem libris „reclamantibus excudendum curavi,

„ Si-

Turbinibus: ſinit incertis turbare procellis:
Ipſe ſuos Igneis certo fert impete labens.
Nam modice fluere, atque uno poſſe Aethera niſu,
Significat Ponti Mare, certo quod fluit aeſtu,
Unum labendi conſervans uſque tenorem.
Motibus Aſtrorum nunc quae ſit cauſa, canamus.

Princi-

INTERPRETATIO.

incertis procellis permiſceri, Ipſe vero certo motu volvitur, omneſque ſuos Ignes circumfert. Namque Æthera uno certoque motu poſſe fluere demonſtrat Mare, quod certo æſtu fluit, unum fluendi tenorem perpetuo conſervans. Nunc canamus, quæ ſit cauſa motibus Aſtrorum;

VARIÆ LECTIONES.

508. *Ponti Mare.* tantum mare D. Ponto A. B. C. E. N. P. X. Y. Z. *in not.* tamen P. corrigit & reponit, *puncto.*

NOTÆ.

,, *Significat tantum mare* &c. ,, cùm habeant *ponto mare.* quæ ſcriptura quid ſibi ,, velit, neſcio, niſi dicamus, intelligendum Pon- ,, tum, aut Helleſpontum. quod ſi placeat, legen- ,, dum eſſet *Ponti Mare.* ,, Hæc igitur olim ſcripſeram: quæ cùm apud me legiſſet Zoilus, quod poſtremo loco poſui, quodque erat optimum, arripuit, ſibique vendicavit. illud alterum *tantum Mare*, quod idcirco ſcripſeram, quia *Ponto Mare* corruptum judicâram, vellicavit, & adſcripſit, ſe mirari, quid ſibi Lambinus velit, qui *tantum* repoſuerit. Quid eſt aliud eſſe βάσκανον & ſycophantam? Nunc igitur quod meum eſt, meo jure repeto, atque aſſero liberali cauſa manu. Lamb. *Significat Ponto Mare*, Sic bene omnes veteres libri. Subaudi, *in Ponto.* Lambinus: *tantum.* Gifan. *in ſecunda editione. Significat Ponti Mare*, Perennem ætheris curſum probari ex motu perenni Ponti Euxini in Boſphorum Thracium, inde in Propontidem, Helleſpontum, *&c.* ſine refluxu; Sed vide tamen Gyllium. Poterunt & ea legi quæ olim ad primariæ nobilitatis Virum Philippum Jaucurtium Vilarnoliæum ſcripſi. Epiſtola edita eſt. Faber. Ita rectè Lambinus, qui aliquando ſcripſit *Tantum Mare.* Non autem fluxus refluxuſque Oceani, quod ridiculè *Fayus* exiſtimavit, (unde enim iſte Oceani motus ſimilis ſit *uni Ætheris niſui*) ſed Maris Euxini curſus intelligendus eſt: *Ponto* Gifanius, id eſt *in Ponto*, abſurdè: Sed *Ponto* in Libris invenit: Ita verò, quaſi *Ponto* vel *Ponto* pro *Ponti* Codices nunquam exhiberent. Creech.

510. *Motibus Aſtrorum*] Nunc de motibus aſtrorum diſſerere meditatur atque incipit. qua de re ſic Laërtius: Τάς τε κινήσεις αὐτῶν οὐκ ἐνδωνάζειν γίνεσθαι κατὰ τὴν τοῦ ὅλου οὐρανοῦ δίνην· ἢ τοῦ οὐρανοῦ ἠρεμοῦντος, τούτων δίνην γίνεσθαι κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἐν τῇ γενέσει τοῦ κόσμου ἀνάγκην ἀπογεννηθεῖσαν ἐπ' ἀνατολῇ. εἶτα τῇ θερμασίᾳ τοῦ πυρὸς ἀεὶ ἐπὶ τοὺς ἑξῆς τόπους ἰόντος. id eſt, *Aſtrorum autem motus nihil obſtat quo minus fiant ex cæli totius vertigine: aut, eo ſtante & quieſcente, horum vertigo fiat ex ea, quæ ab initio in origine mundi ei attributa & impoſita eſt ad ortum ſolis, neceſſitate: deinde ex eo, quod calor ignis ſemper ad loca conjuncta confluxerit.* Lamb. Phyſicorum munere ſe probè fungi exiſtimant Epicurei, ſi poſſibiles quaſdam Motuum cœleſtium cauſas aſſignent: Id jam agit *Lucretius* ỹ. 25. Nam ſi totum Cœlum moveatur, tum poteſt eſſe Aër duplex, alter qui ſupernè premat, Cœlumque in Occaſum urgeat, alter qui inferne quaſi ſubtervehat: Si quieſcat Orbis, tum rapidæ quædam Ætheris particulæ exitum in Inane Spatium quærentes, nec valida Mundi mœnia perfringere valentes circumverſantur, & ſecum Aſtra rapiunt: Vel Aër aliquis externus irruit & verſat, vel tandem ipſa prorepunt Aſtra, prout Corporibus Igni ſuo alendo idoneis per Cœlum ducuntur. Creech.

511. *Si vertitur*] Ut certè vertitur. Sed Epicurus de cælo, & de iis quæ ad cæli motum & naturam pertinent, & de iis quæ μετέωρα Græci ap-

Principio, magnus Cœli ſi vertitur orbis:
Ex utraque Polum parti premere Aëra nobis
Dicendum eſt, extraque tenere, & claudere utrimque;
Inde Alium ſupera fluere, atque intendere eôdem,
Quo volvenda micant alterni Sidera mundi:
Aſt Alium ſubter, contra qui ſubvehat Orbem:
Ut fluvios verſare Rotas, atque Hauſtra videmus.

Eſt

INTERPRETATIO.

Primo, ſi magnus Cœli orbis volvatur, tum dicendum eſt Aëra exteriorem Cœli ſuperficiem circumdare, & utrumque Cœli Polum (tam Septentrionalem, quam Auſtralem) premere: Aliam vero iſtius Aëris partem ſupra fluere, & eò tendere, quo fulgentia æterni Mundi Sydera volvenda ſunt; Aliam autem ſubter fluere, quæ Cœli orbem ab Aëre ſupra fluente devolutum ſubvehat: eodem plane modo quo videmus fluvios rotas atque Hauſtra verſare.

VARIÆ LECTIONES.

511. *vertitur.* vortitur Z.
512. *parti.* parte C. N. P. Q. Y. *ſed a manu rec.* partim I.
513. *Dicendum eſt, extraque tenere.* Dicendum ex utraque tenere P. Q. X: Dicendum eſt, & utraque tenere A. B. C. E. N.
515. *alterni Sidera.* Ita *Creech.* & F. alternis V. *Fabri conjectura placet. Reliqui* æterni.
516. *Aſt.* Aut P. *ſubter, contra.* ſuper contra E. *qui.* quis P.
517. *fluvios.* fluviis *Gaſſ. Nonius. atque Hauſtra.* ac tranſtra Q.

NOTÆ.

appellant, diſputat Academicorum more, nihilque certo affirmat, neque unam harum rerum cauſam affert, ſed plureis. LAMBIN.

512. *Ex utraque Polum parti*] Id eſt ex utraque parte. utrumque enim dicebant veteres, *parte* & *parti*, *voce* & *voci*, *contage* & *contagi*, & ſimilia, in ſexto & ſeptimo caſu. LAMB. *Parti*, Vulgati: *parte.* GIFAN. Si tamen ob metrum tantum *parti* præfertur τῷ *parte*, immerito quidem id fit; ſequuntur enim duæ conſonantes in voce *premere*, præterquam quod poſterior in *parte* pedem inchoat. Alia res eſt, ex. gr. lib. III. 610. v. 928. PREIG.

513. *Extraque tenere*] Cum in libris quattuor manuſcriptis reperiſſem ſcriptum *ex utraque*, in Memmiano autem planè *extraque*, & in vulgatis Florentinis, non ſum veritus hanc ſcripturam ſequi. Adde quod ſententia poſtulare videtur, ut vel ita legamus, ut ego excudendum curavi, parva immutatione facta ab antiqua ſcriptura; vel hoc modo,

Dicendum eſt, & utrinque, &c.

Hæc enim totius hujus loci ſententia videtur eſſe: Si cælum vertitur (quod quidem credibilius eſt) dicendum eſt nobis, aëra ex utraque parte, id eſt à dextra & læva, premere atque urgere polum, & ab utraque parte extrinſecus eum tenere, & includere: alium præterea eſſe aëra, qui ſupra cælum, & ſupra verticem noſtrum extrinſecus labatur, eodemque intendat, quò unà cum cælo ſidera feruntur: alium poſtremò eſſe ſub terra, & ſub pedibus noſtris, qui cælum extrinſecus ſubvehat & ſuſtollat, quemadmodum videmus à fluviis rotas & hauſtra ſublevari & circumverſari. Omnino propiùs accedamus ad ſcripturam antiquam, ſi *& utrinque tenere* legamus. licet etiam legere,

——— *& utraque tenere, & claudere utrinque.*

Sunt autem *hauſtra*, rotarum cadi, ab *hauriendo* nominati, ut docet Nonius. LAMB. *Dicendum eſt; & utraque*, Ita omnes veteres, rectiſſime. Marullus; & Lambinus: *ex utraque*. GIFAN.

515. *Quo*

Eſt etiam quoque uti poſſit Coelum omne manere
In ſtatione, tamen quom lucida ſigna ferantur:
Sive quod incluſi rapidi ſunt Aetheris aeſtus,
Quaerenteſque viam circumverſantur, & Ignes
Paſſim per Coeli volvunt ſe immania templa:
Sive aliunde fluens alicunde extrinſecus Aër
Verſat agens igneis: ſive Ipſi ſerpere poſſunt,

Quo

INTERPRETATIO.

Poteſt quoque fieri ut totus Cœli Orbis quieſceret, interim tamen Aſtra fulgentia volvantur. Sive quoniam rapidæ Particulæ Ætheris incluſæ ſunt, & quærentes viam qua exeant circumferuntur, & per immenſa Cœli ſpatia ſtellas volvunt: Sive quoniam Aër extrinſecus fluens movet & verſat, ſive quoniam ipſi poſſunt eo tendere,

VARIÆ LECTIONES.

519. *ferantur.* feruntur Y. Z.
522. *volvunt ſe immania.* volvunt immania *Creech.* ſub inania c. P. ſe inania A. B. C. E. N. ſummania Q. Y. ſumania Z. ſubmania X.

NOTÆ.

515. *Quo volvenda micant æterni Sidera mundi*] Contra Epicuri doctrinam eſt iſthæc *cœli æternitas* (nam *mundus*, ut ſæpe alibi, hoc loco cœlum eſt.) Tum, ſi quatuor aut quinque illos verſus leges, qui ſupra, qui infra occurrunt, cum de motu aſtrorum, deque motûs ratione agatur, illos, inquam, ſi penſiculate & attente leges, non, ut opinor, invitus mecum legeris,

Quo volvenda micant alterni Sidera mundi.

Vocat autem *mundum*, ſeu cœlum, *alternum*, quod alternis dierum noctiumque vicibus modo Sol modo ſtellæ prodeant, & cœlum vertatur. Faber. Cœlum *Epicurus* non dixerit *æternum*: *Faber* autem legit *Alterni*, Mundum verò ſeu Cœlum *Alternum* dixit; quod *alternis* dierum noctiumque vicibus modo Sol modo Stellæ prodeant, & Cœlum vertatur. Creech.

517. *Ut fluvios verſare Rotas, atque Hauſtra*] Profert hunc verſum Nonius in voce *hauſtrum*. Lamb.

518. *Eſt etiam quoque*] Fieri etiam poteſt (inquit) ut cælum ſtet, ſidera autem moveantur, ſive quod ætheris ignes incluſi, dum exitum quærunt, circumverſantur, & paſſim ſe per cælum circumagunt & circumvolvunt; ſive quod aër extrinſecus fluens, igneis ætheris impellit ac verſat: ſive quod iidem ignes eo feruntur. quo quemque cibus invitat. qua de re plura dicemus infra eodem lib. ad illum locum, 639:

Brumaleis uſque ad flexus, &c.

Fuerunt autem & alii Philoſophi, qui cælum ſtare & quieſcere, terram moveri & verſari dixerunt: quod videtur etiam Plato probare in Timæo. ſed obſcuriùs, ut ait M. Tull. Hoc autem *Eſt etiam quoque*, dictum eſt ἐκ παραλλήλου. Lamb.

522. *Volvunt ſe*] Iſtud *Se* delendum. Creech.

522. *Immania templa*] Sic habent aliquot libri manuſcr. *immania* autem, id eſt ingentia, & immenſa. alii *inania*. quæ ſcriptura illa quidem non eſt rejicienda: ſed *immania* magis probo. Arnobius libro ſexto: *Templa enim hæc quid ſunt? Si humanam infirmitatem roges, neſcio quid immane atque amplum, ſi Deorum potentiam metiaris, &c.* Virgil. lib. 6: 18.

Redditus his primum terris tibi, Phœbe, ſacravit
Remigium alarum, poſuitque immania templa.

Templum Varro lib. 6. de Lingua Latina docet tribus modis dici, à natura, ut *templa cæli*; in Hecuba,

O magna templa cæli, commixta ſtellis ſplendidis.

 ab

Quo quoiuſque cibus vocat, atque invitat eunteis;
Flammea per coelum paſcenteis corpora paſſim.
Nam quid in hoc Mundo ſit eorum, ponere certum
Difficile eſt: ſed quid poſſit, fiatque per Omne
In variis Mundis varia ratione creatis,
Id doceo: plureiſque ſequor diſponere cauſas
Motibus aſtrorum, quae poſſint eſſe per Omne.

E qui-

INTERPRETATIO.

quo proprium cuique alimentum vocat, atque trahit Corpora flammis nutriendis apta per Cœlum paſſim depaſcentes. Nam difficile eſt aſſerere hanc vel illam Cauſam veram certamque eſſe cauſam horum motuum in hoc Mundo, Sed quid poſſit fieri per Univerſum (τὸ πᾶν) *in diverſis Mundis diverſo modo formatis, id doceo, & Aſtrorum motibus aſſigno plures cauſas, quæ per Univerſum eſſe poſſunt,*

VARIÆ LECTIONES.

529. *Mundis varia ratione creatis.* mundi V. Y. creati P. X. Y. Z.
531. *Omne.* omnem Z.

NOTÆ.

ab auſpicio, in terra, ut in Periboea,

Scrupea ſaxa
Bacchi templa prope aggreditur:

a ſimilitudine, ſub terra; ut in Andromacha,

Acheruſia templa alta Orci ſalvete infera.

Idem ibidem paullo ante profert hunc verſum neſcio cujus, niſi fortè ſit Ennii,

Unus erit, quem tu tolles in cærula cœli
Templa. LAMB.

Male Giſan. *inania.* FABER. *Inania templa*, Ita Vulgati, & Veteres quidam, quod rectiſſimum puto; nam ad *Inane* hic reſpicit, in quo omnia volvuntur, & moventur. In quibuſdam tamen *immania*, quod non eſt malum. GIFAN.

525. *Quo cujuſque cibus vocat*] Negat Ariſtotel. ſtellas & ſidera humoribus paſci. ſed hac de re dicemus ad illum quem dixi locum,

Brumaleis uſque, &c. LAMB.

Cibus. Aſtra enim vaporibus paſci putabant. Virg. & alii. FABER.

526. *Paſcentes corpora flammea*] Ut lib. 3: 12.
——— ——— Depaſcimur *aurea dicta.*

Alii autem: *Paſcentes Corpora ſua flammea.* CREECH.

527. *Nam quid in hoc*] Ita loqui ſolèbat Epicurus, cùm ageret de rebus incertis & obſcuris, & à natura involutis: οὐδὲν γὰρ τῶν φαινομένων τούτοις ἀντιμαρτυρεῖ, id eſt, *nihil eorum quæ ſunt in promptu poſita, contra hæc teſtimonium dicit.* & ταῦτα οὐ μάχεται τοῖς φαινομένοις, id eſt, *hæc non pugnant cum iis quæ ſunt in promtu poſita.* & οἱ τὸ ἓν λαμβάνοντες τοῖς τε φαινομένοις μάχονται, καὶ τοῦ, εἰ δυνατὸν ἀνθρώπῳ, θεωρῆσαι διαπεπτώκασιν, id eſt, *qui unum principium rerum omnium ſumunt, & iis quæ ſunt in promtu, repugnant, & facultate cognoſcendi, ſitne in hominis poteſtate poſitum, exciderunt.* LAMBIN.

529. *In variis Mundis*] Supra enim docuit, innumerabileis eſſe mundos. LAMBIN.

530. *Plureiſque ſequor diſponere cauſas*] Sic Epicurus apud Diogenem Laërt. διὸ δὴ καὶ πλείους αἰτίας εὑρίσκομεν τροπῶν, καὶ δύσεων, καὶ ἀνατολῶν, καὶ ἐκλείψεων, καὶ τῶν τοιουτοτρόπων, &c. id eſt, *Quocirca & plureis cauſas reperimus converſionum, & occaſuum, & ortuum, & defectuum, & hujuſmodi rerum*, &c. LAMBIN.

531. *Omne*] τὸ πᾶν. ſic Plato Tim. τὸ γὰρ δὴ πᾶν τόδε τοτὲ μὲν αὐτὸς ὁ θεὸς πορευόμενον ξυμποδηγεῖ, καὶ συγκυκλεῖ, &c. id eſt, *hoc igitur omne Deus ipſe dirigit & verſat*, &c. Sed Platoni *omne & mundus*

E quibus una tamen ſit & haec quoque cauſa neceſſe eſt,
Quae vegeat motum ſignis: ſed quae ſit earum
Praecipere, haud quaquam eſt pedetentim progredientis.
Terraque ut in media Mundi regione quieſcat,
Evaneſcere paullatim, & decreſcere pondus
Convenit: atque aliam naturam ſubter habere
Ex ineunte aevo conjunctam, atque uniter aptam

Par-

INTERPRETATIO.

è quibus tamen cauſis una neceſſe eſt ut ſit cauſa vera & certa quæ Aſtra moveat & verſet, ſed quænam ex illis ſit iſta Cauſa definire non eſt Illius Philoſophi, qui caute Philoſophatur. Et ut Terra in media Mundi regione quieſceret, æquum erat ut illius pondus paulatim decreſceret, & diminueretur; ut vero id fiat, neceſſe eſt ut habeat aliam naturam (Corpoream tamen) ſibi ſubjectam, a prima ſua origine conjunctam & unitam.

VARIÆ LECTIONES.

533. *Quæ vegeat motum ſignis.* Qua vigeat motus M. vigeat D. E. P. Q2. X. Y. Z. multum P. motu *inſignes codd.* P. D.

534. *progredientis.* progredientes P. Q.

337. *ſubter.* ſuper Q1. X. Y. Z.

NOTÆ.

dus idem valent, non item Epicuro, ut & alibi diximus. LAMBIN.

533. *Quæ vegeat motum ſignis*] Olim cùm reperiſſem in omnibus ferè libris ita ſcriptum,

Quæ vigeat motum ſignis:

ſic repoſueram,

Quæ vigeat motu in ſignis.

ſententia autem quæ ex hac ſcriptura elicitur, hæc eſt: Lucretium plureis afferre cauſas motionis aſtrorum, ex quibus hæc etiam una ſit quæ valeat ad movenda ſigna: ſed quæ ſit earum, &c. Nunc conjecturam probo hominis ejus qui me injuſte & contumelioſe læſit, nulla à me injuria laceſſitus, ſi modo ejus eſt, & non aliena,

Quæ vegeat motum ſignis.

Vegere autem (ut docet Nonius) interdum eſt vegetare, vegetum reddere, agitare, excitare. Pomponius, *Animos Venus veget voluptatibus.* LAMBIN. Veteres libri, & vulgati: *vigeat motum ſignis* Ego: *vegeat.* Vide Indicem. Poſſet etiam legi: *Qua vigeat motus*, ex quibuſdam Veteribus, & Marullo. GIFAN.

533. *Vegeat*] Agitet. activum eſt ut alibi, & apud Lucil. FABER.

534. *Haud quaquam eſt pedetentim progredientis*] Sic infra eodem libro 1451.

——— ——— ſimul experientia mentis
Paullatim docuit, pedetentim progredientis.

LAMB.

535. *Terraque ut in medio*] Nunc qui fiat, ut terra in medio quieſcat, docet. Epicurus, τὴν γῆν τῷ ἀέρι ἐποχεῖσθαι, ὡς συγγενῆ, id eſt, *terram in aëra vehi, ut cognatam*, dicebat. Ariſtoteles ideo terram in medio loco conſiſtere docet, quia gravia omnia medium locum petunt, terra autem elementorum omnium graviſſima eſt. Plato in Phædone, ἰσοῤῥοπίαν ipſius terræ, id eſt *ponderis & momenti æquabilitatem*, vult eſſe hujus rei cauſam. ſic Ovid. princip. lib. 1. metamorph.

Nec circumfuſo pendebat in aëre tellus
Ponderibus librata ſuis. LAMB.

Meritò autem aliquis inquirat, cùm Telluris grave pondus toties memorat *Lucretius*, cur in medio Aëre quieſcat, cur non perrumpat & in infinitum Inane præceps deſcendat. Reſpondet

Poëta

Partibus Aëriis Mundi, quibus inſita ſidit.
Propterea non eſt oneri, neque deprimit auras:
Ut ſua quoique Homini nullo ſunt pondere Membra:
Nec Caput eſt oneri Collo, nec denique totum
Corporis in Pedibus pondus ſentimus ineſſe.
At quaecunque foris veniunt, impôſtaque nobis
Pondera ſunt, laedunt permulto ſaepe minora:
Uſqueadeo magni refert, quoi quae adjaceat res.
Sic igitur Tellus non eſt aliena repente

Ad-

INTERPRETATIO.

Mundi partibus Aëriis, quibus incumbit: Ob hanc cauſam non eſt oneri partibus iſtis Aëriis, neque eas premit: Ut cuilibet Homini ſua Membra non ſunt oneroſa, nec Caput premit Collum, nec pedes ſentiunt totius Corporis pondus ſibi incumbens: at quæcunque pondera nobis extrinſecus applicita imponuntur lædunt, quamvis ſæpe levia ſint, neque magni ponderis: tanti refert quæ res cui rei adjungatur. Ita igitur Tellus non aliena (alio loco & non ſimul cum Auris quibus inſidet formata) repente

VARIÆ LECTIONES.

539. *inſita ſidit.* inſita ſedit *Gaſſ.* vivit A. B. C. D. E. N. X. Y. Z. juvit Q.
541. *Ut.* Ita N. P. Y. Z. *Reliqui* &.
546. *cui quæ adjaceat res.* quid quæ adjaceat A. B. N. quid quæque vehat res K. V. quid quæque queat res C. E. V. P. X. Y. Z. quid quæque creat res Q. 2.

NOTÆ.

Poëta ℣. 16. quod quamvis Telluri Aër Solus circumfuſus eſſe contingat, quia tamen tam Aër quam Terra cognatione vincta tenentur, ejuſdemque Totius partes ab ipſa ſui origine ſunt, ideo Aëri Terra non eſt oneri, ſed quaſi omni gravitate compreſſioneque depoſita illi inſidet: Secùs autem foret ſi Terra hæc ex alio Mundo advheretur, ſic enim ſuo pondere Aërem iſtum premeret, quemadmodum minimum pondus noſtris corporibus ſentitur ſi extrinſecùs apponatur, cùm tamen nec caput, nec cætera membra ſibi mutuò ſint gravia, quod ſibi mutuò congenea ſint, communique jure vinciantur. Epicurus ad Herodotum dixit τὴν γῆν τῷ Ἀέρι ἐποχεῖσθαι ὡς συγγενῆ. Hanc verò Telluris cum Aëre connexionem probat ℣. 6. quia Fulmine, quod violentos in Aëre motus excitat, concuſſa tremit: Deinde ne quis miretur Aërem, qui ſit res adeo tenuis, ſuſtinere molem tantopere craſſam, ſubjungit ℣. 8. tenuiſſimam rem, Animam viz. noſtram, ſuſtinere Corpus ponderoſum, imo ſaltu in altum tollere valere. Creech.

539. *Quibus inſita ſidit*] Secutus olim codices vulgat. & manuſcr. edideram

——— ——— ——— *Quibus inſita vivit:*

atque hæc quæ ſequuntur, his iiſdem verbis annotâram: Non dicit terram vivere, ut quæ ſit omnium elementorum maxime bruta & ſtolida: ſed *vivit* hoc loco accipiendum eſt pro eo quod eſt, *ſtatum ſuum conſervat.* ſic lib. 1: 1033.

——— ——— *& vivant labentes ætheris ignes.*

quamquam longè majore ratione dicuntur ignes, quam terra, *vivere*, ut alias notavimus. Hæc olim annotâram. Nunc ex antiquæ ſcripturæ, quæ reperitur in codice Bertin., veſtigiis, venit mihi in mentem rectiſſimè legi poſſe *inſita ſidit.* quamquam *vivit*, quod reperitur in omnibus fere libris, ferri poteſt, ſi interpretemur, *firmiter hæret, ſtabilis manet.* Lege quæ notavimus ad illud ſupra eodem libro,

——— ut

Adlata, atque auris aliunde objecta alienis:
Sed pariter prima concepta ab origine Mundi:
Certaque pars ejus, quaſi nobis Membra, videtur.
  Praeterea grandi tonitru concuſſa repente
Terra, ſupra ſe quae ſunt, concutit omnia motu:
Quod facere haud ulla poſſet ratione, niſi eſſet
Partibus aëriis mundi, coeloque revincta.
Nam communibus inter ſe radicibus haerent

Ex

INTERPRETATIO.

allata eſt, & auris alienis aliunde adjuncta, ſed ab ipſa prima origine Mundi una cum Auris facta eſt, & certa pars Mundi extitit, ut Membra noſtra una cum Corpore conſtituta, & certæ partes videntur eſſe. Præterea, Terra gravi Tonitru repente concuſſa, omnia quæ ſupra ſe ſunt concutit, & tremere facit, quod tamen nullo modo poſſit, niſi partibus Aëriis Mundi, & Cœlo eſſet conjuncta: nam communibus radicibus inter ſe hærent

VARIÆ LECTIONES.

550. *videtur.* videntur A. B. C. D. E. I. P. X. Y. Z.
552. *ſupra ſe quæ ſunt.* ſupra quæ ſe ſunt N. Y. Z. ſupra quæ ſunt quoque Q1.
554. *revincta.* rejuncta E. rei juncta Q.

NOTÆ.

——— ——— ——— *ut corpora viva*
Verſent, & partes ut mundi totius exſtent. LAMB.

Optime Lamb. ſed non ita Gifan. qui, *vivit.* FABER.

541. *Ut ſua quoique Homini*] Probat à ſimili, terram non eſſe aëri oneri, neque in hanc vel illam partem propendere, quia pars eſt mundi & una cum ceteris mundi partibus nata eſt: hoc modo: Quemadmodum ſua cuique homini membra non ſunt oneri, neque pedes in toto corporis pondere ſuſtinendo laborant: ſic terra non eſt oneri mundo, aut alicui ejus parti. LAMB.

546. *Uſqueadeo magni refert, quoi quæ adjaceat res*] Sic reſtitui conjectura ductus, cùm ita ſcriptum reperiſſem in duobus libris manuſcriptis, *quid quæ adaqueat res.* quæ reſtitutio facilis & proclivis eſt. *adaqueat* enim ſcriptum fuit pro *adjaceat*, *quid* pro *quoi*, ſeu *cui.* Hanc quoque emendationem paullulum à ſe immutatam, & verò depravatam, arripuit Zoilus nihil à ſuo ingenio alienum faciens. cùm enim in libris vulgatis legatur

——— ——— ——— *quid quæque queat res,*

in manuſcriptis

——— ——— ——— *quid quæ adaqueat res;*

egoque ex hac ſcriptura fecerim,

——— ——— ——— *quoi quæ adjaceat res?*

ille ſcripſit,

——— ——— ——— *quid quæ adjaceat res,*

ut aliquid, immò ut hoc totum inveniſſe videretur. ſic ſolent fures & κακοήθεις. LAMB. *Quid quæ adjaceat res,* Ita ex veteribus libris ſcripſi. Vulgati: *quid quæque queat res;* ἀπροσδιονύσως. GIFAN.

547. *Sic igitur Tellus, &c.*] Vult terram aëri non eſſe oneri, propterea quia una cum aëre nata eſt, & quia ei jungitur, ut neque à ſe alieno, neque ipſa ab illo aliena, ſed ſuis partibus, quibus eum contingit, ad ejus parteis accommodatis. LAMB.

548. *Objecta*] Quidam legunt *adjecta:* quod tametſi non improbem, nihil tamen muto. LAMBIN.

551. *Præterea grandi tonitru*] Alio argumento probat terram eſſe partibus mundi & ipſi mundo cognatam, nempe quia terra grandi tonitru commota, ea quoque quæ ſunt in aëre, commovet: quod non faceret, ſi non eſſet cum aëre col-

Ex ineunte aevo conjuncta, atque uniter apta.
Nonne vides etiam, quam magno pondere nobis
Suſtineat corpus tenuiſſima vis Animaï,
Propterea quia tam conjuncta, atque uniter apta eſt?
Denique jam ſaltu pernici tollere Corpus
Quid potis eſt nobis, niſi vis, quae membra gubernat?

Jamne

INTERPRETATIO.

à prima origine conjuncta atque unita. Nonne etiam vides quam ponderoſum Corpus ſuſtineat Anima, quæ tenuiſſima eſt res, quoniam tam arctè conjuncta eſt, & à prima Origine Corpori unita? Denique quid præter Animam, quæ regit & gubernat Artus poteſt agili ſaltu Corpus tollere?

VARIÆ LECTIONES.

556. *uniter apta.* uniter aucta c. V. O. P. X. Y. Z.

560. *pernici.* pernice X. Z. *tollere.* attollere Q1.

561. *Quid.* Ita F. V. *Creech.* Qui X. *Reliqui* Quis. *nobis, niſi vis, quæ.* Ita V. eſt nobis niſi vis animæ, quæ Y. nobis vis niſi quæ X. *Reliqui:* potis eſt niſi vis animæ q. m. g.

NOTÆ.

colligata, & connexa. Lamb.

557. *Nonne vides etiam*] Aliud argumentum, ab animæ vi, quæ totum corpus ſuſtinet & gubernat: nempe quia cum toto corpore conjuncta eſt, & ipſius hominis pars eſt, ut manus, & pes, quemadmodum docuit lib. 3: 94.

Primum animum dico, mentem quem ſæpe vocamus?
In quo, &c.
Eſſe hominis partem, &c.

Ad hæc pertinent & illa quæ ſunt lib. 4: 884.

Ergo animus cum ſeſe ita commovet, ut velit ire,
Inque gredi: ferit extemplo, &c. Lamb.

560. *Denique jam ſaltu*] Aëre terram ſuſtineri, nil mirum eſt, inquit; cum enim terræ congenitus ſit, eam itidem ſuſtinere poteſt, ac anima, quæ tenuiſſima eſt hominis pars, & totum corporis humani pondus non modo ſuſtinet, ſed & nonnunquam ſaltu in altum tollit.

Denique jam ſaltu pernici tollere Corpus
Quis *potis eſt, niſi vis Animæ?* ———

Scripſerat Lucretius,

Quid *potis eſt, niſi vis Animæ?* ———

Sed dubitavêre ſcioli an dici Latine poſſet, *Nullum animal potis eſt efficere*, &c. alioqui dicendum eſſe putabant, *pote eſt*, δυνατόν ἐστι, &c. idque eo accidit, quod veteres, Ennium, Plautum, Lucilium, Terentium, alios, non legerant; Quin nec Lucretii Latinitatem unquam obſervarant. Ita enim alicubi locutus eſt, ut in I. 452.

Conjunctum eſt id, quod nunquam ſine perniciali
Diſcidio potis eſt ſejungi, ſeque gregari.

In IV. 1235.

Tenue locis quia non potis eſt adfigere adhæſum.

Et in V. 718.

——— ——— ——— ——— *Corpus*
Non potis eſt cerni. Faber.

Egregie Faber: *Quid potis eſt.* Neque enim duritie caret: *Quis, niſi vis animæ?* pro *Quæ, &c.* Pro *animæ* quoque, non male *nobis* ſubſtituunt alii. Preig. Quæ lectio clare in altero Lugd. Bat. obſervatur, niſi quod *animæ* inſuper ex gloſſa irrepſerit. Hav.

565. *Nec nimio ſolis*] Hæc etiam erat cum primis ſtolida atque inſulſa Epicuri opinio, Solem, Lunam, ſtellas ea magnitudine eſſe, qua nobis videntur. Qua de re ſic M. Tullius Acad. lib. 2. *Quid poteſt eſſe ſole majus? quem Mathematici amplius duo deviginti partibus confirmant majorem eſſe, quam terram. quantulus nobis videtur? mihi quidem quaſi pedalis. Epicurus autem poſſe putat etiam minorem eſſe eum, quam videatur, ſed non multo. ne majorem quidem multo putat eſſe, vel tantum, quantus videatur: ut oculi aut nihil, aut non multum mentiantur.* Idem de finib. lib. 1. *Sol Democrito magnus videtur, quippe homini erudito, in geometriaque*

Jamne vides quantum tenuis natura valere
Poſſit, ubi eſt conjuncta gravi cum corpore, ut Aër
Conjunctus terris, & nobis eſt Animi vis?
Nec nimio Solis major rota, nec minor ardor
Eſſe poteſt, noſtris quam ſenſibus eſſe videtur.
Nam quibus è ſpatiis cunque Ignes lumina poſſunt

Adji-

INTERPRETATIO.

Nonne igitur jam vides quantum valere poteſt tenuis res quando gravi cum corpore conjuncta eſt, ut Aër Terræ conjungitur, & noſtro Corpori Anima? Orbis autem Solis nec multo major, nec multo minor eſſe poteſt, quam noſtris oculis apparet: Nam è quocunque Intervallo Ignes poſſunt

VARIÆ LECTIONES.

563. *cum.* tam Q. X.

NOTÆ.

triaque perfecto, huic bipedalis fortaſſe. tantum enim eſſe cenſet, quantus videtur, vel paullo aut majorem aut minorem. ſic Laërt. Τὸ δὲ μέγεθος ἡλίου τε, καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων, κατὰ μὲν τὸ πρὸς ἡμᾶς, τηλικοῦτόν ἐστιν, ἡλίκον φαίνεται. εἰ γὰρ τὸ μέγεθος διὰ διάστημα ἀπεβεβλήκει, πολλῷ ἂν μᾶλλον τὴν χρόαν, &c. κατὰ δὲ τὸ κατ' αὐτὸν, ἤτοι μεῖζον τοῦ ὁρωμένου, ἢ ἔλαττον μικρῷ, ἢ τηλικοῦτόν ἐστιν. οὕτω γὰρ καὶ τὰ παρ' ἡμῖν πυρὰ ἐξ ἀποστήματος θεωρούμενα, κατὰ τὴν αἴσθησιν θεωρεῖται), id eſt, *Solis autem, & reliquorum aſtrorum magnitudo, quod ad nos attinet, tanta eſt, quanta videtur. Si enim ſuam juſtam magnitudinem propter intervallum amitterent, multo magis colorem, &c. quod ad ipſum vero attinet, aut major eſt Sol, quam videtur, aut paullo minor, aut tantus, quantus videtur. Sic enim & quæ apud nos ſunt ignea, ſi ex intervallo cernantur, prout eſt ſenſus, cernuntur.* Sed valde pingue eſt (inquit Ariſtot. primo Meter.) unumquidque eorum quæ moventur in cælo, exiſtimare parvum eſſe, quia nobis hinc cernentibus parvum videatur. Idem lib. de inſomniis, ait in hoc falli ſenſus. Huc pertinet illud Arnob. ex lib. 2. adverſ. gent. *Quid eſt* (inquit) *vobis veſtigare, &c. orbe ſit Sol amplior, an pedis unius latitudine metiatur: alieno ex lumine, an propriis luceat fulgoribus Luna?* Heraclitus denique ut refert Plutarch. περὶ τῶν ἀρεσκόντων. dicebat, ſolem eſſe latitudine pedis humani, εὖρος ποδὸς ἀνθρωπείου. Hanc autem Epicuri opinionem acriter inſectatur, & multis verbis, firmiſque argumentis refellit Cleomed. lib. 2. κυκλ. θεωρίας. ſic ille ſtatim initio libri, Ἐπίκουρος δὲ, καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως, τηλικοῦτον εἶναι τὸν ἥλιον ἀπεφήναντο, ἡλίκος φαίνεται, αὐτῇ τῇ διὰ τῆς ὄψεως φαντασίᾳ κατακολουθήσαντες, καὶ ταύτην τοῦ μεγέθους αὐτοῦ κριτήριον ποιησάμενοι, &c. id eſt, *Epicurus & reliqui qui hanc ſectam ſequuntur, tantum ſolem eſſe pronuntiarunt, quantus videtur, ipſam, quæ fit per videndi ſenſum, viſionem ſecuti, & huic judicium magnitudinis ejus tribuentes, &c.* ſatis eſt enim mihi locum quaſi digito demonſtraſſe. LAMB. Idem aſſerit Poëta ℣. 10. argumentum à ſenſu deſumens: Donec Lumen Calorque Ignis à nobis ſentiantur, dum ab Igne recedimus, Ignis nihilo contractior apparet, quam dum prope ſumus. At Lumen Caloremque Solis ſentimus, ideo eadem eſt illius quæ apparet magnitudo. Deinde ℣. 10. de Luna addit, nos extremam illius oram, ac ſummam faciem diſtinctè cernere: at confuſe cerneretur, ſi tam longè diſtaret ut aliquid illius magnitudinis longinquitate detereretur. Demum ℣. 7. de Syderibus ſubjungit, ea non multò minora neque multò majora eſſe, vel tanta eſſe quanta videantur, quia iſta varietate exhibentur & Ignes qui apud nos ex intervallo interdiu noctuque ſpectantur. Hæc ipſe *Epicurus* ad Pythoclem. CREECH.

567. *Nam quibus è ſpatiis*] Id eſt, nam quibuſcumque è ſpatiis ignes ad aliquem locum lumen jacere, & calorem afflare poſſunt, ea ipſa ſpatia ſeu intervalla nihil de ipſo ignium corpore ſeu magnitudine detrahunt, neque deminuunt;

ne-

Adjicere, & calidum membris adflare vaporem,
Illa ipſa intervalla nihil de corpore libant
Flammarum, nihilo ad ſpeciem eſt contractior Ignis.
Proinde calor quoniam Solis, lumenque profuſum

Per-

INTERPRETATIO.

radios lucis jaculari, noſtraque corpora ſuo calore attingere; Id intervallum nihil detrahit de corpore Ignium, neque facit ut minores noſtris oculis videantur, quam revera ſunt: Proinde, quoniam Calor, & emiſſi radii

VARIÆ LECTIONES.

568. *Adjicere.* Adlicere P. C. E. V. X. Y. Z. allucere Q.

569. *Illa ipſa intervalla nihil de.* Nihil viſus intervalla de a. B. I. Nil ipſis ex intervallis de C. E. N. Nilque niſi ex intervallis P. Q2. Nihil niſi intervallis de O. Q2. X. Y. Z. Nihil viſus intervallis V. Nihil iis intervallis V. *libant.* Ita C. D. E. *Gaſſ.* I. N. V. librant c. O. P. Q. X. Y. Z. vibrant P. *corrigit in not.*

570. *nihilo ad.* nihil ad A. C. D. E. Y. Z. *ſequentes verſus ita permutantur in* Y. Z. 572. 573. 574. 571. *& tunc iterum repetitur* 572.

NOTÆ.

neque ignes illi ad ſpeciem ſunt ulla re minores. hæc totius hujus loci ſententia eſt, uſque ad verſum

Proinde calor quoniam Solis, lumenque profuſum.

Adjicere autem reſtituimus, cùm vulgò legatur *adlicere*, planè mendoſè. *adjicere* enim *lumen & calorem* tranſlatè dictum, ut *jacere & mittere telum.* unde Lucretius *radios & lumina ſolis. tela diei* non ſemel appellat. ſic ſuprà lib. 1: 664.

Æſtifer Ignis uti lumen jacit, atque vaporem.

Adjicere telum autem, eſt ita telum jacere, ut ad locum quem petis, perveniat. Cæſar libr. 3. *Neque propter altitudinem facile telum adjiciebatur.* ex quo *adjectus.* Lucret. lib. 1: 690.

——— ——— *quæ mittere corpora poſſit*
Senſibus, & noſtros adjectu tangere tactus.

ad quem locum lege quæ ſunt à nobis annotata. ordo autem verborum hic eſt: quibuſcumque è ſpatiis ignes poſſunt adjicere membris lumina, & afflare *vaporem*, id eſt calorem, illa ipſa intervalla nihil de ignium corpore detrahunt. Lamb.

569. *Nihil viſus intervalla de corpore libant*] Sic reſtitui, a veteribus libris adjutus. In quibuſdam veteribus: *viſi niſi intervallis.* Vulgati: *Nilque niſi ex intervallis*; peſſime omnia. Lambinus: *Illa ipſa intervalla nihil.* Gifan. *Illa ipſa intervalla nihil de corpore librant.* Hunc locum partim conjectura, partim ex auctoritate veterum codicum reſtitui. ſententia eſt plana. *librant* autem *de corpore*, id eſt delibrant de corpore, quod valet, detrahunt, ac deterunt, ſeu deminuunt. quod ſi quis legi malet *limant*, non pugnabo. *libant* nullo modo probo. omnino libri duo veteres, & aliquot vulgati, habent *librant. delibrare* autem ductum à *libro*, qui corticem ſignificat, eſt corticem detrahere, & ita deterere & minuere, χαλέπτειν, λέπειν. Nonius: *Delibratum, id eſt decorticatum.* Quod ad principium autem verſus attinet,

Illa ipſa intervalla, &c.

hanc item emendationem initio probavit Zoilus totam: deinde, ſententia mutata, ſic legendum exiſtimavit,

Nil viſus intervalla de corpore libant,

planè ineptè, & inſcitè, atque adeò inſcienter. Lamb. *Libant*, Quidam Vulgati: *librant.* Lambinus: *limant*; male. Gifan.

570. *Contractior*] Minor. Lamb.

572. *Et loca tingunt*] Refer hoc ad lumen, quo loca tinguntur, quamvis dixerit numero multitudinis *& loca tingunt.* calor enim pervenit ad noſtros ſenſus, id eſt ad tactum: lumen ſuo fulgore loca tingit. ſic lib. 6: 172.

Hoc etiam pacto volucri loca lumine tingunt.

infra 720.

Dimidia ex parti candenti lumine tinctus.

Hanc

Perveniunt noſtros ad ſenſus, & loca tingunt:
Forma quoque hinc Solis debet filumque videri,
Nil adeo ut poſſis plus, aut minùs addere verè.
Lunaque ſive notho fertur loca lumine luſtrans,

Sive

INTERPRETATIO.

Solis noſtros oculos attingunt, & Terra hæc ejus ſplendore illuſtratur, Hinc colligere debemus formam figuramque Solis, in Cœlo nobis apparere eandem quæ eſt, ita ut errares ſi majorem vel minorem exiſtimares. Luna etiam ſive alieno lumine fulget,

VARIÆ LECTIONES.

572. *loca tingunt.* loca fulgent a. B. C. D. E. I. N. P. Q. V. X. Y. vacant Q1.

573 *filumque videri.* ſublime videri A. D. *nec adverſatur Creech.* illimque videri a. B. illincque videri Q1. illumque Q. X. Y. lumenque C. E. N. V. flumenque V. lunæque c. O. P.

NOTÆ.

Hanc emendationem initio Zoilus probavit, poſt rejecit, & vulgatam, quæ ferri nullo modo poteſt, *& loca fulgent*, reſtituit. LAMB. *Et loca fulgent*, Ita veteres libri omnes, & Vulgati. Male ergo Lambinus: *tingunt.* Vide Indicem. GIFAN. *Et loca tingunt*, Alii: *& loca fulgent.* Et verſu ſequenti *Filumque* Lambinus: vid. ỳ. 581. dum Vulg. *Sublime*: & Gifanius *Illimque*, id eſt *Illincque.* Fruſtra. *Sublime* autem ferri poteſt, cum ỳ. 584. legimus

——— *Tanta hinc videatur in alto.* CREECH.

573. *Debet, filumque videri*] Cùm magna eſſet hoc loco ſcripturæ varietas, aliique codices haberent, *debet, illinque videre*; alii, *lumenque videri*; alii, *lunæque videri*; alii, *illumque*; alii, *ilumque videri*: ego olim *ſublime* repoſueram. hanc enim ſententiam Lucretii eſſe exiſtimabam atque ita hanc lectionem tuebar: quoniam calor ſolis ad ſenſum noſtrum pervenit, lumenque ſuo candore loca complet atque illuſtrat: ſequitur, ex his formam etiam Solis non imminutam in cælo ex terra à nobis videri. *ſublime* autem, id eſt in alto, ſeu in ſublimi: neque eſt quod quiſquam de ultima ſyllaba dubitet. corripitur enim cùm apud hunc, tum apud Virgilium. Lucretius lib. 2: 206.

Nocturnaſque faceis cæli ſublime volanteis.

Virg. Georg. 3: 108.

Jamque humiles, jamque elati ſublime videntur
Aëra per vacuum ferri.

Poſt in ſecunda editione, Turnebi conjecturam ſecutus ſum, ſi nón in contextu ipſo verborum, at in variis lectionibus ſeorſum poſitis. Nunc igitur hanc lectionem planè rectam eſſe arbitror, omnibus aliis rejectis. *filum* autem, id eſt lineamentum, & quaſi ductus extremus totius corporis ſolis. utitur eodem nomine tum alibi, ut oſtendimus, tum infrà eodem libro non longè, 581.

Quam minimum filum.

& Arnobius lib. 3. *filo etiam Deos atterminatis humano.* Quod autem Zoilus vult legi, ſententia mutata,

——— ——— ——— ——— *illincque videri*,

ferri non poteſt. non enim dubitatur, aut quæritur, quantus Sol illinc videatur, ſed quantus hinc, id eſt ex loco ubi ſumus. Sed piget me hanc ineptiſſimam lectionem refellere, ſua ſponte confoſſam, & jacentem. LAMB. Sic Lamb. è veſtigiis MS. *ilum.* optime. namque ita alibi Lucret. al. *ſublime.* FABER. *Illimque videri*, Sic reſtitui ex veteribus libris; in quibus erat: *illumque*, *illincque.* Vulgati: *lumenque.* Lambinus: *ſublime.* Omnia male. GIFAN.

574. *Addere vere*] Duo libri manuſcripti habent

——— ——— ——— *addere veris.* LAMB.

In quibuſdam Veteribus: *veris.* GIFAN.

575. *Lunaque ſive notho fertur loca*] *Notho lumine*, id eſt luce non ſua, ſed aliena: quæ eſt opinio probabilior, & ab omnibus ferè recepta. Et Feſtus in voce *mulus*, duas cauſas afferens, quamobrem mulus vehiculo lunæ adhibeatur, hanc ponit ſecundam, quod muli non ex ſuo genere,

Sive ſuam proprio jactat de corpore lucem,
Quidquid id eſt, nihilo fertur majore figura,
Quam, noſtris oculis quâ cernimus, eſſe videtur.
Nam priùs omnia, quae longè remota tuemur
Aëra per multum ſpecie confuſa videntur,
Quam minimum filum: quapropter Luna neceſſe eſt,
Quan-

INTERPRETATIO.

ſive ſuo de corpore propriam lucem jactet, utcunque id ſit, illam habet figuram, illamque dimenſionem quam noſtris oculis cernimus habere: Nam omnia quæ è longinquo per multum Aëra videmus priùs videntur ſpecie confuſa, quam extremos eorum ductus & lineamenta oculis uſurpare poſſumus; Quapropter quoniam Luna,

VARIÆ LECTIONES.

577. *ſuam.* ſuo Q. ſua X. Y. Z.
577. *nihilo fertur.* nihil offertur P. Q.
578. *quâ cernimus.* Ita C. V. P. Q2. X. Y. Z. *recte, id eſt, a qua parte, vel quatenus. Vide Notas Collegæ Cl. Burmanni ad Valerium Flaccum pag.* 445. *Reliqui* quam.
579. *remota.* ſemota C. E. N. P. V. X. Y. Z.
581. *Quam minimum filum.* Qua minii filum V. *Quam.* Qua P. Quam *not.* P. Quæ minii Y. Z.

NOTÆ.

ſed ex equis oriantur. Catull. carm. Sæcul.

Tu potens Trivia, &c. notho es
Dicta lumine —— Luna

Virgil. lib. 1. Georg. 397.

Nec fratris radiis obnoxia ſurgere Luna.

M. Tull. lib. 2. de naturâ. Deor. Luna autem, quæ eſt, ut oſtendunt Mathematici, major, quam dimidia pars terræ, iiſdem ſpatiis vagatur, quibus Sol. ſed tum congrediens cum Sole, tum digrediens, & eam lucem, quam à Sole accipit, mittit in terras, & varias ipſa mutationes lucis habet. Sic Parmenides,

Νυκτὶ φάος περὶ γαῖαν ἀλώμενον, ἀλλότριον φῶς, id eſt,

Nocte vagans lumen circum terram, idque alienum.

Quem verſum profert Plutarchus lib. περὶ Κολώτην. Apulejus lib. de Deo Socratis: *Nec modo iſta præcipua, Solem diei opificem, Lunamque Solis æmulam, noctis decus, ſeu corniculata, ſeu dividua, ſeu prætumida, ſeu plena ſit, varia ignium face, quanto longius faceſſat à Sole, tanto longius colluſtrata, pari incremento itineris ac luminis menſem ſuis actibus, ac diſparibus diſpendiis terminans: ſeu illa proprio ac perpeti candore, ut Chaldæi arbitrantur; parte luminis compos, parte altera caſſa fulgoris pro circumverſione oris, oris diſcoloris, multivaga, palans, ſpeciem ſui variat, ſeu tota proprii candoris expers, alienæ lucis-indiga, denſo corpore ſeu lævi, ceu quodam ſpeculo radiis ſolis obſiſtit adverſi & (ut verbis Lucretii utar) notham jactat de corpore lucem &c.* infr. eod. libr. 703. Lucret.

Luna poteſt Solis radiis percuſſa nitere, &c. LAMB.

578. *Quam cernimus*] Scripturam vulgatam ſervavi, quæ etiam in nonnullis veteribus libris reperitur: cujus hæc ratio ac ſententia eſt; Luna (inquit) nihilo majore figura fertur, aut movetur, quam eſſe videtur ea figura, quam oculis noſtris cernimus. quidam docti legi volunt *cum cernimus.* in nonnullis libris legitur *qua cernimus:* quæ lectio ferri non poteſt. LAMB.

579. *Nam prius omnia, quæ longe remmota, &c.*] Hujus loci hæc ſententia eſt: Nam omnia (inquit) quæ longè remota cernimus, priùs cernimus *confuſa*, id eſt, non ſubtiliter diſtincta, neque definita, ſed indiſtincta, ſpecie ipſa, ipſoque adſpectu: priùs (inquam) ea confuſa cernimus, quam *minimum eorum filum*, id eſt minimum lineamentum; & ductum oculis uſurpare poſſi-

Quandoquidem claram ſpeciem, certamque figuram
Praebet, ut eſt oris extremis cunque notata,
Quanta quoque haec fuvat, tanta hinc videatur in alto.
Poſtremò, quoſcunque vides hinc aetheris Igneis,
(Quandoquidem, quoſcunque in terris cernimus Igneis.
Dum tremor eſt clarus, dum cernitur ardor eorum;
Perparvum quiddam interdum mutare videntur

Alte-

INTERPRETATIO.

non ſpecie confuſa videtur, ſed certam claramque figuram, ut eſt extremis oris notata, (totius ſui corporis) exhibet; quantacunque reverâ ſit, tanta in Cœlo nobis appareat neceſſe eſt: Poſtremo, quaſcunque ſtellas in Cœlo vides, (Quoniam omnes Ignes quos in Terris cernimus, dum illorum Lux clara, non obſcura & confuſa appareat, figuram ſuam & dimenſionem paululum mutare videntur

VARIÆ LECTIONES.

584. *Quanta quoque hæc fuvat, tanta hinc videatur in alto.* Quantaque ſit nobis, tanta hic videatur ab alto O. P. Quanta quoque eſt, tanta hinc nobis videatur C. E. N. Quanto quoque quanta ſunt hinc nobis videatur Q. quantaque ſunt, tanta hinc nobis vid. Q1. Quanta quoque quanta eſt hinc nobis videatur X. Y. Z. Quin quoque quanta eſt tanta hinc videatur in alto V. quæque fuat A. B. fluat, tanta *Gaſſ.* quanta hæc cunque fuat, *Alii.*

586. *igneis.* horum Q1.

587. *eſt.* abeſt Y. Z.

588. *Perparvum.* Perpetuum L. *Gaſſ. videntur.* videtur N. P. X. Y.

NOTÆ.

poſſimus. Verbi gratia, ſi Socratem è loco longinquo cernamus, primùm ex adſpectu corpus, deinde animal, deinde hominem eſſe cognoſcam tantùm, neque eum à ceteris hominibus diſtinguere potero, non enim mihi licebit per loci diſtantiam proprias quaſdam Socratis notas, quibus figura Socratis, à ceterorum hominum figuris differt, inſpicere: deinde, ubi ad eum propiùs acceſſero, tum proprias illas notas, & propria quædam oris lineamenta, tum nareis ſimas, tum oculos Socratis prominenteis cernam. LAMB. *Remota tuemur*, Ita veteres libri. Vulgati: *ſemota.* Vide Indicem: *Remota.* & ſupra, lib. IV. ỳ. 271. GIFAN.

581. *Quapropter Luna neceſſe*] Quoniam igitur (inquit) certa & clara Lunæ figura, certaque lineamenta, & oræ extremæ certæ & claræ à nobis cernuntur, neceſſe eſt etiam, ut, quantacumque eſt, tanta hinc nobis in cælo videatur. LAMB.

584. *Quanta hæc cunque fuat, &c.*] Cùm reperiſſem ſcriptum in duobus lib. Manuſcr.

Quanta quoque hæc fuat, &c.

variè autem hic verſus legeretur in vulgatis; aſſenſus ſum Mureto, ita legendum cenſenti. *fuam* autem, valet *ſim*, vel *fuerim.* Afranius:

Cave ne pendeas, ſi fuas in quæſtione.

Virgil. Æneid. 10: 103.

Tros, Rutuluſve fuat, nullo diſcrimine habebo.

Lucret. ſup. libr. 4: 641.

Ut, quod aliis cibus eſt, aliis fuat acre venenum.

Piget ex Plauto & aliis exempla colligere. LAMB. *Quanta hæc quæque fuat, tanta hinc videatur in alto.* Vulgati: *Quanta quoque eſt, tanta hinc nobis videatur.* In Veteribus quibuſdam: *Quanta quoque hæc fuat.* Nos hinc reſtituimus. Lambinus: *cumque*; forte rectiſſime. GIFAN. Vera haud dubio lectio eſt, quæ hic turbas excitat. Eam Lambinus & Gifanius proferunt, & hæc eſt: *Quanta quoque hæc fuat*, &c. Veteres enim vocalem *u*, puram nimirum, ſive ante aliam vocalem, in hujuſmodi vocibus producere amant, adjecta *v* conſonante. Scribo itaque & lego:

Quanta quoque hæc fuvat, &c.

ſic lib. 1: ỳ. 387.

Nem-

Alterutram in partem filum, quom longius abſint,)
Scire licet, perquam pauxillo poſſe minores
Eſſe, vel exigua majores parte, brevique:
Illud item non eſt mirandum, qua ratione
Tantulus ille queat tantum Sol mittere lumen,

Quod

INTERPRETATIO.

alterutram in partem, modo contrahunt, modo ampliant cùm è longinquo ſpectantur) ſcire licet eas vel paululum majores vel paululum minores eſſe quam noſtris oculis apparent. Item non eſt mirandum, qua ratione tam parvus ille Sol tantum lumen poſſit emittere,

VARIÆ LECTIONES.

589. *Alterutram.* Alteram utram X. Y. Z. *quom longius.* quo longius A. B. C. I. P. Q. Y. Z. abſit C. E. V. P. Y. Z. partem: filum quo longius abſit P.

590. 591. & 593. 595. permutantur in Y. Z. &. deinde ſubjicitur, *Quanta quoque eſt, tanta hinc nobis videtur in alto.* quanta quoque eſt nobis hic tanta videtur in alto P. *inſerit.*

NOTÆ.

Nempe aër omne neceſſe eſt
Inter corpora quod fuvat, poſſidat inane.

ſic *fluvidum* prima producta pro *fluidum*, lib. II. ℣. 465.

Nam quod fluvidum eſt, è lævibus atque rotundis
Eſt, &c.

ſimiliter, lib. VI: ℣. 432.

Omnia quo pacto fiant, quareve creentur.

MSS. Voſſ. habent *fluant*, haud dubie a vera lectione *fluvant.* Et niſi fallor, etiam Ennius *cluvebat*, prima producta, pro *cluebat* alicubi poſuit. Non abſimile eſt, quod paſſim in vocibus, *ei*, *rei*, ſimilibuſque committi videmus apud Noſtrum, quoties producendæ priores Syllabæ veniunt, & *j* conſonans interponitur, ut fiat *eji*, *reji*, &c. Preig.

587. *Tremor eſt clarus*] Hinc *tremulum* jubar ſolis inf. 696.

Sub terris ideo tremulum jubar hæſitat ignis.

& Lunæ *tremulum* lumen Virg. Æneid. 7: 9.

——— *ſplendet tremulo ſub lumine pontus.*

notante Turneb. Adv. 6: 6. & *tremere* dicuntur æthera noſtro 1: 1088. Hav.

588. *Mutare videntur*] Ordo eſt, ignes perparvum quiddam mutare videntur filum in alterutram partem, id eſt in plus vel minus. Lambin. Palmerius *Mutare videtur*, id eſt, *mutari Filum:* Hac obſervatione potuimus carere. Creech. Legi hic non poteſt *mutare videtur*, licet nonnunquam *mutare* paſſive ſumatur, ut plura talia verba, quæ enumerat Voſſius de Analogia l. 3. cap. 3. p. 10. Hav.

589. *Filum*] Id eſt lineamentum, ductum, extremitatem. Lambin.

589. *Cum longius abſint*] Secutus ſum codices vulgatos omneis, præter paucos, in quibus legitur

——— ——— ——— *quo longius abſit.*

nam in manuſcriptis ſcriptum reperi

——— ——— ——— *quoque longius abſit:*

ut credibile ſit, legendum eſſe

——— ——— ——— *quo longius abſint.*

abſint autem legendum videtur potiùs quàm *abſit*, ut referatur ad *ignes:* quod ſi quis contendet legendum *abſit*, cohærebit cum voce *filum.* Lamb. *Longius abſit*, Ita Vulgati quidam, & Veteres: *quoque longius abſit.* Alii: *cum longius abſint.* Gifan.

592. *Illud item non eſt*] Nunc docet: quamobrem Sol, cum ſit tam parva figura præditus, tantum lumen mittere ac profundere queat. Lambin. Sed tantus ille Calor & Lumen per univerſum, quaqua patet, Æthera diffuſum è tantulo

&

Quod maria, ac terras omneis coelumque rigando
Compleat, & calido perfundat cuncta vapore.
Nam licet hinc Mundi patefactum totius unum
Largifluum fontem ſcatere, atque erumpere lumen

Ex

INTERPRETATIO.

quod per Maria, omnes terras, Cœlumque ipſum diffuſum ſit, & omnia calore attingat: Nam fieri poteſt ut ex hoc Sole, tanquam ex uno fonte, totius Mundi lumen effluat,

VARIÆ LECTIONES.

595. *calido.* valido Q2. *ſubjunguntur dein ibid.* ỳ. 590. 591.
596. *hinc Mundi.* hunc Mundi I.
597. *lumen.* Ita Amar. E. *Creech.* N. X. Y. Z. *Alii* flumen.

NOTÆ.

& quaſi pedali Sole emanare vix poſſe videatur. Huic difficultati ut ſatis faciat *Lucretius*, docet ỳ. 11. Solem concipi poſſe ut fontem perennem Lucis & Caloris, quòd in ipſum ex toto Mundo Semina Lucis & Caloris confluant tanquam in Scaturiginem, ita ut non Unius Solis, ſed totius Mundi Lumen & Calorem ſentiamus. Deinde ſubjungit ỳ. 10. fortè Aërem vicinum Soli ab illo accendi, multaſque Igneas particulas nobis quidem inconſpicuas circa Solem eſſe, & inde tantus Calor, Lumenque tam longè & latè profuſum. Creech.

593. *Tantulus*] Tam parvus: non major, quam videtur, aut non multo, fortaſſe etiam minor, ut paullo antè dictum eſt, & ut volebat Epicurus. *tantulus* autem *ſol*, *tantum lumen*, ἀντίθεσις. Lamb.

596. *Nam licet hinc*] Fieri poteſt (inquit) ut Sol ſit fons quidam omnium ignium ac luminum: ad quem confluant omnes ignes, omniaque lumina: & unde tantum lumen, tantuſque calor emanent, quæ totum orbem terrarum compleant. Lamb.

597. *Largifluum fontem*] Vult Solem eſſe fontem quendam omnium luminum, quemadmodum fontes aquarum dicuntur propriè, unde & ſcatent aquæ, & oriuntur flumina. Lamb.

597. *Scatere*] A verbo *ſcato, is,* tertiæ inflexionis. ſic eod. libro 950.

Et partim plano ſcatere, atque erumpere campo.

& lib. 6: 890.

—— —— *ſpirat fons dulcis aquaï,*
Qui ſcatit, & ſalſas circum ſe dimovet undas.

Ibid. 896.

Et ſcatere illa foras in ſtuppam ſemina, &c.

Lambin.

597. *Atque erumpere flumen*] Sic ferè omnes habent noſtri vet. codices, quibuſcum conſentiunt aliquot vulgati. Alii tamen *lumen.* quod quamvis non damnem: *flumen* tamen nihilo magis rejicio. eſt enim illuſtris tralatio cum ſuperiore continuata, & conſentanea; *Largifluum fontem.* Nam ſic ſuprà libro quarto ſemen hominis largè profuſum, *flumen* dixit: quemadmodum hîc luminis copiam, *flumen.* Lamb. Alii *Lumen*, fortaſſe meliùs: Alias de Solis Lumine, de quo ỳ. 593. objectionem inſtituit, nihil dixiſſe videatur. Creech. *Flumen*, *Lumen* fortaſſe recte. Gifan. Atque ita meliores MSS. confirmare videtur verſus Lucretianus ſup. 282.

Largus enim liquidi fons luminis Ætherius Sol.

in quo *fons* & *lumen*, ut & hic conjunguntur. De veterum autem ſententia, qua lumen eſſe ſtatuebant effluvium corporis luminoſi, vide Gevart. ad Stat. Sylv. 1: 3. Cap. 27. Hav.

598. *Ex omni Mundo, quo ſic*] Ordo eſt: *quo*, id eſt ad quem ſolem, ſic elementa vaporis ex omni mundo undique conveniunt, & ſic *conjectus*, ſeu conlectus, ſeu congeſtus & acervus eorum confluit, ut tantus calor ex uno capite profluat. Eſt autem hoc loco memoria repetendum, atque attendendum, quod dicit Ariſtot. Me-

Ex omni Mundo. quo ſic Elementa vaporis
Undique conveniunt, & ſic conjectus eorum
Confluit, ex uno capite hic ut profluat ardor;
Nonne vides etiam, quam late parvus aquaï
Prata riget Fons interdum, campiſque redundet?
Eſt etiam quoque, uti non magno Solis ab igni

Aëra

INTERPRETATIO.

ut omnia Caloris Semina ita ad hunc Solem conveniant, ut ex illo, tanquam ex uno fonte omnis totius Mundi Calor emanat. Nonne etiam vides quam parvus Aquæ fons prata aliquando riget, & inundet agros? Fieri etiam poteſt, ut immenſus Calor per Aëra excitetur à Sole

VARIÆ LECTIONES.

598. *quo ſic.* qua ſic C. E. N. P. Y. Z. quia *Quidam. vaporis.* vapora E. N. vapore P. Q2. Y. Z. vapores *in not. reponit* P.
599. *conveniunt.* conveniant A. B. I. *conjectus.* conlectus A. conjectus 2.
600. *Confluit.* Confluat A. B. I.
602. *campiſque.* campoſque P. Q. X.

NOTÆ.

Meteor. lib. 1. non eſſe unum certum aquarum locum, aut alveum, aut receptaculum inexhauſtum, unde perpetuò manent aquæ, undeque ſcateant fontes, & erumpant flumina: nam ne tanta quidem concavitas, quantus eſt orbis terrarum, tanta vim aquarum ſuppeditare poſſet, quanta quotidie effluit: ſed eſſe quædam aquarum capita, ad quæ ex locis editioribus confluunt paulatim, & penè dicam guttatim aquæ. hæc capita fonteis, ſeu fontium origines, & ſcaturigines aquarum appellamus. ex his manant aquæ per rivos initiò parvos, atque anguſtos: qui longiùs fluentes ac labentes, aliis rivis additi, magnos poſtea fluvios gignunt. LAMB.

598. *Elementa vaporis*] Sic repoſui, cùm in aliquot libris Manuſcriptis *vapores* ſcriptum reperiſſem. *vaporis* autem, id eſt *caloris*. Sed negat Ariſtoteles ætheris, & cæli, & aſtrorum naturam eſſe calidam, aut igneam, ut ſupra diximus. LAMB. *Vaporis*, Ita Veteres noſtri. In aliis: *vapores*. Vulgati: *vapora*. GIFAN.

599. *Conveniant*] Ita Veteres noſtri rectiſſime, ex verſ. ſeq. *Confluat*. Vulgati: *conveniunt*, *Confluit*. GIFAN.

599. *Conjectus*] Nihil muto, quamvis nonnulli legendum putent *conlectus*. *conjectum* autem interpretor *congeſtum*, *confluxum*, *congreſſum*. neque tamen *conlectus* rejicio: quod & ſuprà indicavi. LAMB.

600. *Ex uno capite*] Nam caput amnis Latini vocant. FABER.

603. *Eſt etiam quoque uti*] Fieri etiam poteſt (inquit) ut, cùm ſolis ignis non ſit admodum magnus, neque acer, magnis tamen fervoribus aër exardeſcat, quia ſit idoneus ad incendium accipiendum. Sed negat Ariſtoteles, ut dixi, ſolem eſſe igneum, aut calidum. *Etiam quoque* autem, χῆμα eſt ἐκ παραλλήλου, ut ſupra. LAMB.

605. *Percipiat*] Occupet, comprehendat, ut ſupra libro 4: 733.

Quam quæ percipiunt oculos, viſumque laceſſunt.

607. *Quod genus*] Cujus generis, quemadmodum. LAMB.

608. *Accendere ex una, &c.*] Ita veteres libri, & Vulgati, niſi quod *Accedere* quidam, & *Accendi*. Florentini libri vulgati: *Accipere*, quod Lambinus probat, ergo veteres Codd. ſequor. Ex numeris manavit mendoſa varietas. ſic & alii. *Accipere* Marullus ſuppoſuit. GIFAN. *Accipere ex una ſcintilla*. Secutus ſum hoc loco cod. Florentinos, ut omnium hoc loco emendatiſſimos. nam ceteri vulgati habent vel *accendi*, vel *accendere*, planè mendoſe. manuſcripti autem partim *accendere*, partim *accedere*: quod poſtremum

Aëra percipiat calidis fervoribus ardor,
Opportunus ita eſt ſi fortè, & idoneus Aër,
Ut queat accendi parvis ardoribus ictus:
Quod genus interdum ſegetes ſtipulamque videmus
Accipere ex una ſcintilla incendia paſſim,
Forſitan & roſea Sol alte lampade lucens

Poſſi-

INTERPRETATIO.

quoad molem parvo, ſi forſan ea ſit Aëris temperies & conditio, ut à parvà debilique flamma accendi poſſit, ut interdum videmus ſegetes & ſtipulam per latos agros una ſcintilla accendi: Fieri denique poteſt, ut Sol ille qui in Cœlo fulgidam oſtendit lampada,

VARIÆ LECTIONES.

604. *Aëra percipiat.* Aëra praeripiat c. N. P. percipitat Y. præcipitat X. Z.
607. *Quod genus.* Quo genus E.
608. *Accipere.* Accendere ex A. B. N. Q. X. Accendi ex C. E. I. P. Q1. Accendere Y. Accidere Y. Z.

NOTÆ.

mum depravatum eſt ex vero *accipere.* nam ex *accipere*, factum eſt primum *accidere, p* inverſo; deinde *accedere*; deinde ex *accedere, accendere*, & *accendi.* Jam, præterquam quod veritas & ratio hanc ſcripturam confirmat, etiam exemplo adjuvatur. ſic enim idem loquitur libro ſexto 149.

Aridior porro ſi nubes accipit ignem.

eadem ratione ab eodem dictum eſt *concipere ignis ſemina*, & *concipere ignem*, libro eodem ℣. 270.

Quippe etenim Solis de lumine multa neceſſe eſt
Concipere.

multa ſubint. ἀπὸ κοινοῦ *ſemina.* Idem ibid. 306.

——— ——— ——— *cum multa rigoris*
Corpora dimittens ignem concepit in auris.

ex hac re autem ſimilitudinem duxit Virgilius lib. ſecundo Æneid. 411.

In ſegetem veluti cum flamma furentibus Auſtris
Incidit, &c.

Zoilus hanc ſcripturam non probavit, non aliam (opinor) ob cauſam, quam quod ſcripſeram eam in codicibus Florentinis reperiri: eamque à Marullo dixit eſſe excogitatam & ſubſtitutam. Ego ſive hoc ſit verum, ſive non ſit, aio nec poſſe, nec debere aliter legi. nam primùm *accendere incendia*, dici Latinè non poteſt: deinde verſus verbum *Accendere* hoc loco recipere non poteſt, quidquid blateret nebulo, qui *extra numerum de numeris* diſputat, quique *numeros innumeros*, & *verſus inverſos*, & *modos immoderatos* & ipſe facit, & Lucretio poëtæ optimo affingit. quos cùm audio, aut lego, ſoleo illud Ariſtophanis continuò uſurpare, ὥστε μοι λεκάνην: tantam mihi nauſeam movent, nec mihi ſolùm (ne quis me dicat eſſe faſtidioſum) ſed omnibus hominibus humanitate politis & eruditis. LAMB.

609. *Forſitan & roſea*] Tertia ratio. ſolebat enim Epicurus earum rerum quæ à Philoſophis in controverſiam vocantur, & de quibus ſenſus non facilè judicare poteſt, plureis afferre rationes. quod teſtatur Laërt. his verbis: τὸ δὲ μίαν αἰτίαν τούτων ἀποδιδόναι τῶν πλεοναχῶς φαινομένων, μανικὸν, καὶ οὐ καθηκόντως πραττόμενον ὑπὸ τῶν τὴν ματαίαν ἀστρολογίαν ἐζηλωκότων, καὶ εἰς τὸ κενὸν αἰτίας τινῶν ἀποδιδόντων, &c. id eſt, *Unam autem harum rerum afferre cauſam, qua multis modis videntur diſputari poſſe, furioſum eſt, neque recte fit ab iis qui inanem aſtrologiam ſtudioſe conſectantur, & qui temere quarundam rerum rationes reddunt.* LAMB. Aliud eſt: *accipere incendia*, aliud *concipere ignem, flammas*, &c. Hoc probatiſſimum genus loquendi, illud inuſitatum ſaltem. Omnino, ut verum fatear recto mihi talo videtur ſtare Gifanii emenda-

tio;

Poſſideat multum caecis fervoribus ignem
Circum ſe, nullo qui ſit fulgore notatus,
Aeſtiferum ut tantum radiorum exaugeat ictum.
  Nec ratio Solis ſimplex, nec certa pateſcit,
Quo pacto aeſtivis è partibus Aegocerotis
Brumaleis adeat flexus, atque inde revertens
Canceris ut vertat metas ad Solſtitialeis:

Lu-

INTERPRETATIO.

habeat circum ſe multos ignes qui non fulgent, qui tamen fervidum Radiorum fulgentium calorem augere poſſunt. Una denique & certa cauſa aſſignari non poteſt, cur Sol e partibus æſtivis Brumales flexus Capricorni adeat (ad Tropicum Capricorni tendat) & inde rediret ad Cancrum, & cur Luna ſingulis menſibus illud ſpatium percurrat,

VARIÆ LECTIONES.

612. *Æſtiferum ut tantum.* Æſtifer ut tantum Q. Æſtifer vitantur Y. Æſtifer vi tantum Z. Æſtifero ut cinctu V. Æſtiferi notantur Q. X. *exaugeat.* exaudiat ictum C. E. N. Q. X.

613. *nec certa.* nec recta Q. X. Y. Z. ac recta A. marg. C. E. P.

615. *flexus.* fluxus Q.

616. *Canceris ut vertat metas ad Solſtitialeis.* Ita A. B. C. N. P. Y. Z. Cancri iter uti vertat metas ad P. Canceris ut vertat &c. *boni codd.* P. metas ſe &c. *Reliqui.* Solſtitiales A. B. C.

NOTÆ.

tio: *Accendere ex una ſcintilla, &c. Accendere* autem *incendia*, ut *accendere bellum* lib. 1. dixit. Verum *e* in penultima elidenda erit, ut lib. 11: ℣. 680. in *contingere parato.* ſic ſupra lib. 11: ℣. 1024. *Accedere* pro *Accidere* habent uterque ex Voſſii Codd. Preig.

610. *Poſſideat*] Eſt, ut poſſideat: fieri poteſt, ut poſſideat. Lamb.

610. *Cæcis*] Obſcuris, & oculorum ſenſum fugientibus. Lamb.

611. *Nullo qui ſit fulgore notatus*] Qui non fulgeat, & idcirco non cernatur à nobis. Lamb.

612. *Æſtiferum*] *Æſtifer.* Gifan.

612. *Exaugeat*] Id eſt valde augeat. ſic autem habent libri Manuſcripti, & nonnulli typis excuſi. utitur eodem verbo Terent. Heaut. 2: 2: 2.

Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exaugeant:

id eſt, quæ me magis adducant ad credendum illam eſſe corruptam. & Plaut. Sticho 2: 1: 9.

Heræ ſubveni: benefacta majorum tuorum exauge. vulgati autem mendoſe habent *exaudiat.* Lamb. Ita & noſtri Veteres, & Lambinus. Vulgati: *exaudiat.* Gifan.

613. *Nec ratio ſimplex*] Nunc de Solis & Lunæ converſionibus quas τροπὰς Græci vocant: earumque, ut & aliarum rerum ſuperarum, & naturalium, plureis cauſas affert, ut ſolebat Epicurus. non eſt (inquit) una ratio, neque certa, quo modo ex partibus æſtivis, id eſt ex orbe ſolſtitiali, atque à cancro, tranſeat ad ægocerota, ſeu capricornum; id eſt, ad orbem brumalem. Hac de re ſic Laërtius: Τροπὰς ἡλίου καὶ σελήνης ἐνδέχεται μὲν γίνεσθαι κατὰ λόξωσιν οὐρανοῦ, οὕτω τοῖς χρόνοις κατηναγκασμένου· ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ ἀέρος ἀνθέξωσιν, ἢ καὶ ὕλης ἀεὶ ἐπιτηδείως ἐχομένης, τῆς μὲν ἐμπιπλαμένης, τῆς δὲ καταλιπούσης, ἢ καὶ τῷ ἐξ ἀρχῆς τοιαύτην δίνην τοῖς ἄστροις τούτοις κατειληφθῆναι, ὥστε οἷά τε εἶναι ἕλικα κινεῖσθαι. id eſt, *Fieri poteſt, ut Solis & Lunæ converſiones fiant ex obliquatione cæli, temporibus ita coacti: ſimiliter autem etiam ex adverſa vi aëris, qui ſolem modo à ſignis æſtivis ad brumam, modo à bruma ad æſtivam regionem detrudere queat: aut etiam materia ſemper idonea, atque opportuna, eum partim contingente, partim deſerente: aut etiam eo, quod talis vertigo his aſtris ſit* attri-

Lunaque menſibus id ſpatium videatur obire,
Annua Sol in quo conſumit tempora curſu:
Non, inquam, ſimplex his rebus reddita cauſa eſt.
Nam fieri vel cum primis id poſſe videtur,
Democriti quod ſancta viri ſententia ponit:
Quanto quaeque magis ſint terram Sidera propter,

Tanto

INTERPRETATIO.

in quo percurrendo Annum (duodecim menſes) conſumit Sol: Una inquam & certa cauſa non poteſt aſſignari. Nam primo id videtur poſſe fieri quod Democritus egregius Philoſophus affirmat, viz. quod quanto magis vicina ſunt Terræ Sidera

VARIÆ LECTIONES.

617. *id ſpatium.* ad ſpatium P. Lunaque menſis ut id ſpatium *Codd. Pii.*
619. *Non, inquam, ſimplex.* Non nunquam ſimplex c. O. P. Q. *his.* hic N. P.
620. *cum.* in Q1.
622. *ſint.* in Q. Q1. Y. *propter.* tendunt Q1.

NOTÆ.

attributa atque impreſſa, ut poſſint per aliquos flexus moveri. LAMBIN. Annuum Solis, & Menſtruum Lunæ curſum per duodecim Signa Zodiaci ut explicet, primo ℣. 23. proponit ſententiam Democriti, qui docuit inferiora Sydera à ſummo Cœlo rapi & circumferri, celeriùs aut tardiùs pro rata uniuſcujuſque Sideris à ſummo iſto Cœlo diſtantia. Sol igitur celeriùs quam Luna, ideoque illum rariùs quam illam Signa aſſequuntur & prætereunt, Neque mirum Si Luna uno Menſe Signa omnia, in quibus duodecim terit Sol, percurrere videatur. Deinde verſ. 13. Duos Aëres Lunæ Solique inſervientes introducit, quorum altero à Cancro ad Capricornum detruduntur, altero à Capricorno ad Cancrum ſtato tempore ſubvehuntur: Et ne illud incredibile videatur, jubet Nubes ſpectare quas diverſi Venti in partes diverſas protrudunt. CREECH.

614. *Ægocerotis Brumales flexus*] Mox *metas* vocabit, eleganter. Manil. lib. III. *nodos*, ut & lib. II. non minus eleganter. ſed Lucretii imitatio eſt; infra enim, 687. *anni nodus umbras exæquat.* *Ægoceros* autem Capricornus. FABER.

615. *Brumaleis adeat flexus*] Tralatio eſt à certaminibus Olympicis, & ſimilibus curulibus. ſignificat autem id quod vulgus *ſolſtitium brumale* appellat. LAMB.

615. *Revertens —— vertat ſe*] Ut lib. VI. ℣. 52. *Depreſſoſque premit.* PREIG.

616. *Canceris*] Ita olim dicebatur: nunc *cancri.* FABER. Apud S. Cyprianum p. 234. *veluti Cancere infecta* legimus. CREECH. De morbo ita dicto ſimiliter Arnobius lib. 1. Adv. Nationes p. 30. *Illi haud aliter contumaciam canceris ſævi ad ſubeundam cicatricem circumſcriptis cogitationibus compulerant.* De Solſtitio autem ſeu Solſtitiis multitudinis numero pro Æſtivo tantum plura congeſſit Joſ. Caſtalio in V. L. Cap. 17. pag. Fac. Critic. 570. Tomi quarti. HAV.

616. *Vertat metas ſe ad Solſtitialeis*] Id eſt (ut vulgus loquitur) *ad ſolſtitium æſtivum* ſe vertat. Nam apud probatos Latinitatis auctores *ſolſtitii* nomen, ſolſtitium æſtivum duntaxat ſignificat, *vel quia* (ut ſcribit Varro lib. 5. de Lingua Latina) *Sol eo die ſiſtere videtur, vel quod Sole ad nos verſo, proximum eſt Solſtitium.* LAMB. *Ut vertat metas ad*, Ita recte omnes fere libri. Lambinus: *ut metas vertat ſe ad.* GIFAN. Et ita optimi MSS. paſſive enim, ut multa talia apud noſtrum, uſurpatur. HAV.

621. *Democriti quod ſancta, &c.*] Hic verſus ſupra jam poſitus eſt lib. 3: 372. LAMB.

622. *Quanto quaeque magis*] Id eſt, quanto ſint nobis propinquiora, atque ita à cælo remotiora. *terram propter* autem, id eſt propter, ſeu prope terram. LAMBIN.

Tanto poſſe minus cum coeli turbine ferri.
Evaneſcere enim rapidas illius, & acreis
Imminui ſubter vireis, ideoque relinqui
Paullatim Solem cum poſterioribus Signis,
Inferior multo quod ſit, quam fervida Signa:
Et magis hoc Lunam: & quanto demiſſior ejus
Curſus abeſt procul à Coelo, terriſque propinquat,
Tanto poſſe minus cum Signis tendere curſum.
Flaccidiore etiam quanto jam turbine fertur

Infe-

INTERPRETATIO.

tanto minus Cœli motu poſſunt circumferri. Nam rapida vis motus ſupremi Cœli, priuſquam attingit inferiores orbes paulatim imminuitur, ideoque paulatim relinquitur Sol cum Signis ſequentibus, quoniam multo inferior eſt quam ſumma Cœli Signa: Luna autem quanto longius a Cœlo & Terris propius volvitur, tanto minus Signorum celeritatem æquare poſſe videatur, & quanto minus celeri motu quam Sol fertur, quoniam inferior eſt, & longius à Summo Cœlo diſtat,

VARIÆ LECTIONES.

626. *poſterioribus Signis.* poſterioribus ignis c. O. P. Q2. X.
627. *multo.* multum N. X.
628. *Lunam: & quanto.* Lunam, quanto A. B. C. E. N. Q. X. Y. Z.
631. *Flaccidiore.* Flaccidior Q1. X.

NOTÆ.

623. *Cœli turbine*] *Turbinem cæli* dixit pro *cælo*, quod turbinis in morem, hoc eſt *ῥόμβυ δίκλω*, circumagitur & circumvolvitur: vel pro *rotunditate cæli volubili*, ut Virgilius *ſaxi turbinem* lib. 12. Æn. 531.

Præcipitem ſcopulo, atque ingentis turbine ſaxi
Excutit.

Sic Catullus *fuſi turbinem* carm. de Pelei & Thetid. Nupt.

Libratum tereti verſabat turbine fuſum. Lamb.

624. *Illius*] Cæli turbinis. Lambin.

625. *Relinqui Paullatim Solem*] ἀπολείπεσθαι: celeritate ſuperari. Lambin.

627. *Inferior multo*] Ita libri veteres noſtri. Vulgati: *multum.* Gifan.

628. *Et magis hoc*] Et magis Lunam relinqui Sole, ſeu quam Solem. Lamb.

628. *Et quanto*] Sic legendum, ut ſit hic Lucretii ſenſus: & quanto Lunæ curſus *demiſſior*, id eſt humilior, & inferior cùm ſit, longius abeſt à cælo, &c. tanto poſſe minus, &c. Lamb.

Lunam, quanto demiſſior, In quibuſdam Vulgatis: *quanto &c.* Lambinus: *& quanto.* Gifan.

630. *Tendere curſum*] *Tendere* poſuit ἐνεργητικῶς, ut ſæpe alias, pro celerare, idem valet *contendere curſum.* ſic dixit lib. 1: 67. *tendere oculos.* Lamb.

631. *Flaccidiore*] Languidiore, & tardiore. Lamb.

632. *Tanto magis, &c.*] Quanto etiam (inquit) Luna cùm ſit Sole inferior, languidiore & tardiore impetu & circuitu fertur, quam Sol, tanto magìs cetera ſigna ſuperiora eam aſſequuntur, atque adeò prætereunt, & ſuperant. Lamb.

635. *Ad Hanc quia Signa reviſunt*] Nihil mutandum cenſeo, quamvis quidam legi velint *recurrunt*, aut *recurſant.* nam cùm ita, ut excudendum curavi, habent omnes libri Manuſcripti & vulgati, tum uſitatum eſt Latinis genus loquendi, *viſere, & reviſere ad hoc, aut illud.* Lucr. lib. 6: 1236.

Nam, quicumque ſuos fugitabant viſere ad ægros, &c.

ad

Inferior quam Sol, tanto magis omnia Signa
Hanc adipiſcuntur, circum, praeterque feruntur.
Propterea fit, ut Haec ad Signum quodque reverti
Mobilius videatur, ad Hanc quia Signa reviſunt.
Fit quoque ut è mundi tranſverſis partibus Aër
Alternis certo fluere alter tempore poſſit,
Qui queat aeſtivis Solem detrudere Signis
Brumaleis uſque ad flexus, gelidumque rigorem:
Et qui rejiciat gelidis à Frigoris umbris
Aeſti-

INTERPRETATIO.

tanto magis omnia Signa illam aſſequuntur, circum etiam, & præter illam feruntur: Et inde fit, ut Luna ſæpius & citius ad unumquodque Signum reverti videatur, cum revera ſingula Signa illam reviſant. Poteſt etiam fieri, ut ex oppoſitis Mundi partibus Aër certo tempore alternatim fluat, Qui Aër queat Solem detrudere æſtivis Signis, uſque ad Hyemalem Capricornum æterno gelu & frigore rigentem, ex altera vero parte queat rejicere ab Hibernis Signis,

VARIÆ LECTIONES.

635. *quia.* qua Q.

NOTÆ.

ad quem locum plura. LAMB.

636. *Fit quoque ut è mundi*] Alia ratio. LAMB.

638. *Æſtivis Signis*] A cancro. LAMB.

639. *Brumaleis uſque ad flexus*] Ad capricornum, & ad brumam. tralatio eſt à ludis Circenſ. in quibus cùm ad metas quadrigæ pervenerint, *flectendus* curſus eſt, & *metæ fervidis ſunt evitandæ rotis*, ut loquitur Flaccus noſter. ex quo *flexus* appellantur à Latinis, καμπτῆρες à Græcis. Itaque ſtatim eadem tranſlatione ſolſtitium, & brumam, *ſolis metas* appellabit, 689.

Diſtinet æquato Solis diſcrimine metas.

Fuerunt autem nonnulli, qui humidum quod è terra & mari ſurſum tollitur, cauſam eſſe ſolſtitii & brumæ putârunt, quaſi Sol pabulum ſequatur. quam opinionem refellit & rejicit Ariſtoteles lib, 2. Meteor. his verbis: διὸ καὶ γελοῖοι πάντες, ὅσοι τῶν πρότερον ὑπέλαβον τὸν ἥλιον τρέφεσθαι τῷ ὑγρῷ· καὶ διὰ τοῦτ' ἔνιοι καὶ φασὶ ποιεῖσθαι τὰς τροπὰς αὐτόν· οὐ γὰρ αἰεὶ τοὺς αὐτοὺς δύνασθαι τόπους παρασκευάζειν αὐτῷ τροφήν. ἀναγκαῖον δ' εἶναι τοῦτο συμβαίνειν περὶ αὐτὸν, ἢ φθείρεσθαι· καὶ γὰρ τὸ φανερὸν πῦρ, ἕως ἂν ἔχῃ τροφὴν, μέχρι τούτου ζῆν, &c. id eſt, *Quocirca ridiculi etiam ſunt omnes, quicumque è veteribus Solem ali humido exiſtimarunt: & idcirco nonnulli ajunt Solem ſuas ad ſolſtitium & brumam converſiones facere. Non enim eadem ſemper loca poſſe ei cibum præbere. Neceſſe autem eſſe hoc ei accidere, aut interire. nam & ignem ante oculos, atque in promtu poſitum, quoad pabulum habeat, eo uſque vivere.* humidum autem tantùm igni cibum eſſe, quaſi humidi pars ea quæ ſit extenuata, quæque ſubvehatur, ad ſolem perveniat, aut quaſi hic humidi aſcenſus, talis ſit, qualis qui flammæ orienti & viventi contingit. ex qua argumento probabili ſumto, ſic & de Sole exiſtimarunt. Sed hoc non eſt ſimile. Flamma enim ſit ex continuo humido & ſicco variantibus, neque alitur. Non enim manet eadem ullo tempore ferè. Soli autem fieri nullo modo poteſt ut hoc accidat. Nam ſi eodem modo, quo modo illi dicunt, alatur: perſpicuum eſt eventurum, ut Sol non ſolum, quemadmodum cenſet Heraclitus, quotidie novus ſit, ſed ſemper & continenter novus. M. Tullius opinionem illam Cleanthi adſcribit lib. 3. de naturâ. Deor. his verbis. *Quid enim? non eiſdem vobis placet omnem ignem paſtu indigere, nec permanere ullo modo poſſe, niſi alatur? Ali autem*

Aeſtiferas uſque in parteis, & fervida Signa.
Et ratione pari Lunam, Stellaſque putandum eſt,
Quae volvunt magnos in magnis orbibus annos,
Aëribus poſſe alternis à partibus ire.
Nonne vides etiam diverſis nubila ventis
Diverſas ire in parteis, inferna ſupernis?

Qui

INTERPRETATIO.

& ad æſtiva evehere: Et pari ratione credendum eſt, Lunam & Stellas quæ magnos Annos in magnis Orbibus peragunt, ab Aëribus iſtis alternatim fluentibus in partes Cœli diverſas ferri. Nonne etiam vides Nubila diverſis ventis in partes Mundi diverſas ire, & inferiora ſuperioribus contraria moveri?

VARIÆ LECTIONES.

644. *Aëribus.* Aëreis P. *reponit in not.* P. Aëribus, *à*, è X. Y. Z.

NOTÆ.

tem Solem, Lunam, reliqua aſtra, aquis alia dulcibus, alia marinis? Eamque cauſam Cleanthes affert, cur ſe Sol referat, nec longius progrediatur ſolſtitiali orbe, itemque brumali, ne longius diſcedat à cibo? Sic Minucius in Oct. ſub perſona Octavii: *Fontium dulci aqua mariſve mundum nutriri: in vim ignis abiturum, Stoicis conſtans opinio eſt, quod conſumto humore mundus hic omnis igneſcat: & Epicureis de elementorum conflagratione & mundi ruina eadem ipſa ſententia eſt.* LAMB.

643. *Magnos Annos*] Stellarum Periodos, & Saturni, Jovis, Martiſque revolutiones reſpicere videtur. CREECH. *Annos* pro quibuſvis non temporis tantum periodis, ſed & ſpatii circulis poſuit. Similiter, lib. 1. verſ. 312.

Quin etiam multis Solis redeuntibus auris.

& ℣. 1028.

Et multos etiam magnos ſervata per annos.

PREIG.

645. *Nonne vides*] Quod multi quidem negant, etſi conſtet numquam fere tempeſtatem fulminantem fieri, quin hoc eveniat. FABER. Vegetius lib. 4. cap. 38. *Hi ſæpe ſinguli, interdum duo, magnis autem tempeſtatibus etiam tres pariter flare conſueverunt.* Quem locum, ut & Homeri aliorumque adducit Brodæus ad Calabrum pag. 371. ubi Lucretium defendit. HAV.

649. *At Nox obruit*] Nunc incipit diei & noctis cauſas explicare, LAMB. Diem ſequitur Nox, quia ℣. 6. Sol longo curſu languidus, occaſurus enim languescere videtur, extinguitur, vel quia eadem vi qua ſupra Terras diurno tempore volvebatur, ſubter Terras nocturno fertur. Epicurus in Epiſtola ad Pythoclem Ortum & Occaſum Solis & Lunæ κατ' ἐμφάνειάν τε ὑπὲρ γῆς, καὶ πάλιν ἐπίκρυψιν, vel κατ' ἄναψιν, καὶ κατὰ σβέσιν poſſe fieri contendit. CREECH.

650. *De longo curſu*] Poſt. vide quæ ad I. *Extima* autem *cœli* vocat hoc loco partes occiduas ad Atlanticum. FABER.

650. *Ultima cœli*] Sic ex veteribus libris ſcripſi; in quibuſdam codd. veteribus; *uctima*, *vetima.* Hinc Marullus *extima* procudit, ut & Vulgati. GIFAN. Alii libri habent *extima cæli*, quod interpretor *extimas parteis cæli*, alii *ultima cæli*, & ita legi volebat Adrian. Turnebus: cui aſſentior. LAMB. Sive *Ultima*, ſive *Extima* legas, perinde eſt. CREECH.

651. *Suos efflavit languidus igneis*] *Efflavit ſuos igneis*, id eſt, exſtinctus eſt. fuit etiam hæc valde pinguis, ſtolida atque anilis Epicuri opinio, aſtra orientia accendi; occidentia, exſtingui: quam & Cleomedes libro ſecundo commemorat ac refellit his verbis: Καίτοι πρὸς ἅπασι τοῖς εἰρημένοις ἀτοπωτάτοις ἐστιν, ἔτι καὶ τὰ ἄστρα ἀπεφήνατο, ἀνατέλλοντα μὲν, ἐξάπτεσθαι· δυόμενα δὲ, σβέννυσθαι. ὅπερ ὁμοιότατόν ἐστιν, ὡς εἴ τις ὁρωμένους μὲν ἀνθρώπους, ζῆν λέγοι· μὴ ὁρωμένους δὲ, ἀποθνήσκειν. καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὅσα ἐστὶν ὁρατὰ, τὸν ὅμοιον λόγον ποιεῖται. οὕτω δ' ἄρα συνετὸς καὶ δαιμόνιος ἀνήρ ἐστιν, ὥς τ' οὐδ' ἐπῄει αὐτῷ ἐκεῖνο.

Quî minus illa queant per magnos aetheris orbeis
Aeſtibus inter ſe diverſis Sidera ferri?
At Nox obruit ingenti caligine terras,
Aut ubi de longo curſu Sol extima coeli
Impulit, atque ſuos efflavit languidus igneis
Concuſſos itere, & labefactos aëre multo:

Aut

INTERPRETATIO.

Quid igitur impedit quin per magnos Cœli orbes Sidera ipſa Æſtibus (flatibus Aëriis) inter ſe diverſis ferantur? At denſis tenebris Nox Terram obruit, vel quando Sol poſt longum curſum extremas Cœli oras attigit, & fatigatus efflavit ſuos Ignes itinere concuſſos, & labefactos multo iſto Aëre

VARIÆ LECTIONES.

650. *extima Cœli.* ultima Cœli a. B. L. V. ſolvet ima Q. X. Z.

NOTÆ.

ἐκεῖνο, ὅτι τῆς γῆς σφαιρικῷ σχήματι κεχρημένης, ἄλλοτε παρ' ἄλλοις ἕκαστα αὐτῶν καὶ δύεται, καὶ ἀνατέλλει. καὶ τούτου ἕνεκα δεήσει ἅμα καὶ σβέννυσθαι αὐτὰ, καὶ ἐξάπτεσθαι, καὶ κατὰ πάσας τὰς τῶν ὁριζόντων μεταπτώσεις ἐν παραπλησίοις ἀναλογίαις γίνεσθαι ἀπλέτους φθορὰς φθειρομένων τε καὶ πάλιν ἐξαπτομένων, κατὰ πᾶσαν μετάπτωσιν ὁρίζοντος, τούτου συμβαίνοντος, &c. id eſt, *Atqui ad illa omnia quæ ſunt abſurdiſſima, præterea etiam pronuntiavit* (Epicurus) *aſtra orientia quidem, accendi: occidentia vero, exſtingui. quod ſimillimum eſt, ut ſi quis homines qui cernantur, vivere dicat: qui non cernantur vero, mori. Et in aliis rebus quæ ſub ſenſum videndi cadunt, ſimilem ſermonem habet. Ita autem ſcilicet intelligens & divinus vir eſt, ut ne illud quidem ei in mentem venerit, quod, cum terra ſit globoſa figura prædita, alias apud alios ſingula aſtra & occidunt, & oriuntur: atque ob hanc cauſam neceſſe erit ea ſimul & extingui, & accendi, tum pro omnibus finientium ſeu horizontum, mutationibus paribus proportionibus interitus innumerabileis fieri & morientium, & rurſum reviviſcentium ignium, cum hoc contingat pro omni finientis mutatione, &c.* Idem aliquot verſibus poſt: Η πῶς αὐτὸς ὁ ἥλιος σβεννύμενος, πάλιν ἐπὶ τὴν ἀνατολὴν παραγίνεται; ἀλλὰ γὰρ μυθαρίῳ γραώδει πιστεύσας, ὡς, τῶν Ἰβήρων ἱστορούντων, ἐμπίπτοντα τὸν ἥλιον τῷ ὠκεανῷ, ψόφον ἐμποιεῖν σβεννύμενον, ὡς διάπυρον σίδηρον ἐν ὕδατι· ἐπὶ ταύτην ἦλθε τὴν δόξαν ὁ μόνος καὶ πρῶτος ἀνθρώπων τὴν ἀλήθειαν ἐξευρών· καὶ οὐδ' ἐκεῖνο νενόηκεν, ὅτι πᾶν μέρος τοῦ οὐρανοῦ τὸ ἴσον ἀπέχει τῆς γῆς, ἀλλ' εἰς τὴν θάλασσαν αὐτὸν καταδύεσθαι ὑπέλαβε, καὶ πάλιν ἐκ τῆς ἀνατολικῆς θαλάσσης ἀνατέλλειν· καὶ ἀπὸ μὲν τοῦ ἀνατολικοῦ ὕδατος ἐξάπτεσθαι, ἀπὸ δὲ τοῦ πρὸς δύσει σβέννυσθαι. id eſt, *Aut quomodo Sol ipſe exſtinctus, rurſus ad eam cæli partem ex qua oriri ſolet, pervenit? At enim cum fabellæ cuidam anili fidem habuiſſet, quæ ab Hiſpanis tradita eſt Solem in Oceanum incidentem, ſtrepitum in eo mittere, tamquam ſuos igneis efflantem, & marceſcentem, quemadmodum ferrum candens dum in aqua exſtinguitur: hanc opinionem mente ſua comprehendit is qui Solus & primus veritatem invenit: & ne illud quidem intellexit, partem omnem cæli æqualiter à terra diſtare, ſed eum in mare demergi exiſtimavit, & rurſus ex orientali mari exoriri: & ab aqua quidem orientali accendi, ab occidentali vero exſtingui.* Jam quod ad loquendi genus attinet, attendat lector, quod antea admonuimus, hæc verba, *exhalare*, *exſpirare*, *efflare*, quaſi activa, jungi cum accuſandi caſu, ut hîc *efflavit igneis*, & lib. 3: 719.

Unde cadavera, rancenti jam viſcere, vermeis
Exſpirant?

ad quem locum hac de re plura. LAMBIN.

652. *Concuſſos itere*] Conquaſſatos & fractos labore itineris. *itere* pro *itinere.* ſic enim inflectebant veteres, *iter iteris*, & *itiner itineris*, teſte Nonio. Nævius Lycurgo: *Ignoti iteris ſumus: tute ſcis.* Attius OEnomao: *Præſto etiam adſum: expróme. quid fers? nam te longo itere cerno vadere.* Idem Telepho: *Studiumque iteris reprime.* LAMB.

652. *Itere*] Sic veteres pro *itinere.* FABER.

Rr

653. *Aut*

Aut quia ſub terras curſum convertere cogit
Vis eadem, ſupera terras quae pertulit orbem.
Tempore item certo roſeam Matuta per oras
Aetheris Auroram defert, & Lumina pandit,
Aut quia Sol idem ſub terras ille revertens
Anticipat coelum radiis accendere tentans:

Aut

INTERPRETATIO.

quem percurrit, aut quia eadem vis quæ orbem Solis ſupra Terras volvit, cogit eum convertere curſum ſuum ſub Terras. Certo item tempore Matuta defert roſeam Auroram per oras Cœli, diemque aperit, vel quoniam ille idem Sol ſub Terras revertens radiis, antequam Ipſe appareat, præmiſſis Cœlum accendere conatur:

VARIÆ LECTIONES.

653. *convertere.* convortere Z.
655. *Matuta per.* matura per Y. Z.
656. *defert.* difert Q1. deffert Y. differt V. Z. id eſt, late ſpargit *Quidam Codd.* P.

NOTÆ.

653. *Aut qui ſub terras curſum*] Fuerunt etiam nonnulli Philoſophi, qui ſolem non ſub terris moveri, ſed circum terras dixerunt: iccirco autem ex oculis noſtris evaneſcere, & noctem fieri, quia terra urſæ ſubjecta, alta & edita eſt. ex quo fieri, ut Solis luminibus officiat. Ariſtot. lib. 2. μετεωρ. cap. 1. in extr. Lambin.

654. *Supera quæ terras pertulit orbem*] Ordo eſt: quæ vis pertulit orbem, videlicet Solis, ſupera, ſeu ſupra terras. quidam tamen legunt,

——— *ſupera terræ quæ pertulit orbem.*

ut ſubintelligatur *Solem.* Lamb.

655. *Tempore item certo*] Cur tempore certo aurora exſiſtat. Lamb. Ante Solis exortum Splendor quidam, qui Aurora dicitur, illuſtrat Cœlos, quoniam Sol ſub Terras ab Occaſu in Ortum revertens antequam Ipſe appareat effundat radios, vel quia diſperſa heſterno itinere Ignis Semina ibi confluunt, & priùs quam formarunt aut accenderunt Solis globum debili luce Æthera illuſtrant. Poſteriorem cauſam fabula, quæ apud Pomponium Melam, lib. 5. Cap. 6. & Diodorum Siculum lib. 17. legatur, confirmat; & ſi conſtantia illius confluxus cuiquam incredibilis videatur, is conſideret non minorem in multis aliis rebus conſtantiam deprehendi. Creech.

655. *Matuta*] M. Tull. lib. 3. de nat. Deor. *Quid deinde? Inodea dicetur, quæ Leucothea à Græcis, à nobis Matuta dicitur, cum ſit Cadmi filia?* Lamb.

656. *Auroram*] Auroram roſeam, ῥοδοδάκτυλον. Lamb. Hoc loco *aurora* Dea, ſeu perſona, non eſt, ſed ſplendor. *Aura* enim vel apud Virgil. Æneid. 6: 206. *auri aura refulſit.* ſplendorem notat, ab ἄυρος, quod in vetuſta illa Græcia *aurum* ſignificabat, unde θήσαυρος. De Matuta autem ſeu Leucothea, unde *matutinus*, &c. res nota eſt. Faber.

659. *Aut quia conveniunt ignes*] Minutius in Octavio: *Sic congregatis ignium ſeminibus, Soles alios atque alios ſemper ſplendere: ſic exhalatis terræ vaporibus nebulas ſemper adoleſcere, &c.* Lamb.

656. *Defert*] MSS. quidam *differt*, id eſt late ſpargit, quo ſenſu videlicet ſæpius apud noſtrum verbum *differre* occurrit, uti 2: 673.

Unde ignem jacere, & lumen ſubmittere poſſint:
Scintillaſque agere, ac late differre favillam.

6: 690.

Funditque ardorem longe longeque favillam
Differt.

& ibid. 2: 34.

Mobiliter ſolvens differt primordia vini.

Denique 1: 273.

Ingenteſque ruit naves & nubila differt.

Ve-

Aut quia conveniunt ignes, & ſemina multa
Confluere ardoris conſuerunt tempore certo,
Quae faciunt Solis nova ſemper Lumina gigni.
Quod genus Idaeis fama eſt è montibus altis
Diſperſos igneis orienti Lumine cerni:
Inde coire globum quaſi in unum, & conficere orbem.
Nec tamen illud in his rebus mirabile debet
Eſſe,

INTERPRETATIO.

Aut quia Ignes conveniunt, & Semina multa flammæ certo tempore conſuërunt confluere, quæ novi Solis corpus quotidie conficiunt, uti fertur ex altis Idæis montibus oriente Sole videri Ignes primum diſperſos, deinde in unum quaſi globum convenire, & Orbem Solis conficere. Neque tamen mirandum eſt,

VARIÆ LECTIONES.

659. *conveniunt.* cum veniunt P. *in not.*

NOTÆ.

Verum in omnibus hiſce vis aliqua infertur rei quæ *differri* ſeu diſpergi dicitur, ita ut vis ejus comminuatur & ſoliditas ſolvetur. At de ſplendore Auroræ hoc non dici poteſt, qui allatus a Matuta creſcit aſſidue uſque ad juſtum Solis lumen. Conſideratur itaque hic Matuta ut Auroræ paranympha. HAV.

661. *Quæ faciunt Solis nova ſemper lumina*] Aliter Ariſtoteles μετεωρολ. β. cap. 2. quo loco negat, Solem ali humido, quem paullo antè protulimus. Volens enim veterum quorundam opinionem refellere, qui arbitrantur Solem ali humido, docet hoc abſurdi ex eo eventurum, ut Sol non ſolum alio atque alio die novus fit, verum etiam ſemper & aſſiduè novus. ex quibus verbis intelligere licet, falſum illi viſum eſſe, nova ſemper gigni Solis lumina. LAMB.

662. *Quod genus*] Cujus generis, vel quemadmodum. LAMB.

663. *Idæis fama*] De Ida monte, omnium, qui ſunt in Helleſponto, altiſſimo, ſic Diodorus Siculus lib. 17. pag. 491. Ἴδιον δέ τι καὶ παράδοξον συμβαίνει γίνεσθαι περὶ τοῦτο τὸ ὄρος. Κατὰ γὰρ τὴν τοῦ Κυνὸς ἐπιτολὴν ἐπ' ἄκρας τῆς κορυφῆς διὰ τὴν νηνεμίαν τοῦ περιέχοντος ἀέρος ὑπερπετῆ γίνεσθαι τὴν ἄκραν τῆς τῶν ἀνέμων πνοῆς· ὁρᾶσθαι δὲ τὸν ἥλιον ἔτι τῆς νυκτὸς οὔσης ἀνατέλλοντα τὰς ἀκτῖνας οὐκ ἐν κυκλοτερεῖ σχήματι τετραμμένον, ἀλλὰ τὴν φλόγα κατὰ πολλοὺς τόπους ἔχοντα διεσπαρμένην, ὥστε δοκεῖν πυρὰ πλείω θιγγάνειν τοῦ τῆς γῆς ὁρίζοντος. id eſt, *Proprium autem & admirabile quiddam in hoc monte fieri ſolet. Nam ſub Canis ortum, qui fit in ſummo montis vertice, propter aëris circumfuſi quietem, ab omni motu ventoquè vacuam, hunc verticem à ventorum flatu immunem atque intactum eſſe: cerni autem Solem cum etiam nox eſt, radios ſuos expromentem, non in figuram rotundam converſum & conformatum, ſed flammas in diverſas parteis diſpergentem, ut complures ignes extremum terræ terminum, quem finientem appellant, attingere videantur.* Simile quiddam narrat idem Diodorus libro tertio accidere in Arabia fortunata, quod ad Solis ortum attinet, his verbis: ἐκ μέσου δὲ τοῦ πελάγους φασὶν ἀναφαινόμενον αὐτὸν [ἥλιον] ὁρᾶσθαι μὲν ἄνθρακι παραπλήσιον τῷ πυρωδεστάτῳ, σπινθῆρας δὲ ἀφ' ἑαυτοῦ μεγάλους ἀπορρίπτειν. id eſt, *Ex medio autem mari ajunt Solem exorientem cerni prunæ candentiſſimæ ſimilem, ſcintillas autem ex ſe magnas jacere, &c.* LAMB.

270. *Et certo dimittunt*] Sic habent aliquot libri manuſcripti, & non pauci vulgati, melius (opinor) quam *demittunt.* LAMB. *Demittunt*, Ita ex quibuſdam veteribus malui, cum Marullo. In aliis: *dimittunt.* GIFAN. ℣. 757.

Sol dimittit *languidus Ignes.* CREECH.

Eſſe, quod haec Ignis tam certo tempore poſſint
Semina confluere, & Solis reparare nitorem.
Multa videmus enim, certo quae tempore fiunt
Omnibus in rebus: floreſcunt tempore certo
Arbuſta, & certo dimittunt tempore florem.
Nec minus in certo denteis cadere imperat aetas.

Tem-

INTERPRETATIO.

quod hæc Ignis Semina poſſunt tam certo tempore convenire, & Solis corpus reparare, nam multa videmus quæ in omnibus rebus fiunt certo tempore, Arbuſta floreſcunt certo tempore, & certo tempore dimittunt florem, Nec minus certo tempore Dentes ætate imperante decidunt,

VARIÆ LECTIONES.

670. *dimittunt*: dein mittunt V. demittunt A. B. M. N. Abeſt Q.

NOTÆ.

671. *Nec minus in certo*] Sic legendúm, *in certo* diviſim, non *incerto* conjunctim. atque illo modo ſcriptum eſt in tribus lib. manuſcrip. & in Florentinis. LAMB.

671. *Imperat*] Tralatio. ſic ſup. lib. 1: 176.

Viteis auctummo fundi ſuadènte videmus. LAMB:

672. *Veſte*] Lanugine. & ita Nonius. unde *inveſtes*, impuberes. ſic Virgil. Æneid. 8: 659.

Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis.

Lucret. inf. eod. lib. 887.

——— ——— ——— ——— *juventas*
Occipit, & molli veſtit lanugine malas. LAMB:

Lanugine. Grammatici paſſim & Virg. interpretes. FABER. Virgilius Æneid. 8: 659.

Aurea Cæſaries illis, atque aurea Veſtis.

Hoc eſt Barba, unde è contra *Inveſtes* dicimus *imberbes*: unde eſt Æn. 8: 160.

Tunc mihi prima genas veſtibat *flore juventas.*

Servius. CREECH.

675. *Non nimis incertis*] Sic habent tres lib. manuſcripti, & Florent. & ſanè ut ita legatur, ratio poſtulat, niſi quis dicat, legendum item ut ſuprà, diviſa voce, *in certis*, & retinendam vulgatam ſcripturam *minus*. Cum hoc loco congruit is qui eſt lib. 6: 356.

Auctumnoque magis ſtellis fulgentibus alta
Concutitur cæli domus undique, totaque tellus.

LAMB: *Non nimis incertis*, Ita Veteres quidam, manu formiſque deſcripti. In aliis: *Non minus incertis.* GIFAN. Hæc ſcribit Interpres, *Sane ut ita legatur ratio poſtulat; niſi quis dicat, legendum item ut ſupra, diviſa voce*, in certis, *& retinendam vulgatam ſcripturam*, minus.] Bis errat; nam ſi ita legeretur, graviſſimum in verſu mendum eſſet; ſic quippe haberet:

Non minus in certis fiunt partibus anni.

Una ſyllaba, ut vides, brevior eſt quam oporteat. Sed hæc quidem incogitantia eſt hominis aliò properantis. Quod autem ait lectionem illam, quam ipſe in ſuo contextu, ut nos in noſtro, exhibuit, eam eſſe quam ratio poſtulet, id quoque ejuſmodi eſt, ut vix cuiquam credibile ſit, qui cum cura legerit. Scribendum enim eſſe oſtendam,

Non minus hæc *certis fiunt in partibus anni.*

Antea dixerat Lucretius, [Miraris quod tam certo tempore ignes confluere poſſint; cur id facias nulla equidem cauſa eſt, cum tot res alias certo itidem tempore fieri cernas, &c. poſtremo nimbi, fulmina, grandines, venti, &c. illa omnia non minus in certis partibus anni fiunt; quæ tu tamen tantopere mirabilia nunquam duxiſti.

Nec tamen illud in his rebus mirabile debet
Eſſe, quod hæc ignis tam certo *tempore poſſint*
Semina confluere, & Solis reparare nitorem.
Multa videmus enim, certo *quæ tempore fiunt*
Omnibus in rebus. (exempl.) *floreſcunt tempore* certo.

Arr-

Tempore, & impubem molli pubeſcere veſte,
Et pariter mollem malis demittere barbam.
Fulmina poſtremo, Nix, Imbres, Nubila, Venti,
Non nimis incertis fiunt in partibus anni.
'Namque ubi ſic fuerunt cauſarum exordia prima,
Atque uti res mundi cecidere ab origine prima,

Conſe-

INTERPRETATIO.

impuber Puer pubeſcit, & malæ illius molli lanugine veſtiuntur. Poſtremo, Fulmina, Nix, Imbres, Nubila, Venti, fiunt in partibus Anni non nimis incertis (fere certis.) Nam Secundum leges in prima rerum Origine conſtitutas jam ordine

VARIÆ LECTIONES.

673. *demittere.* dimittere P.
675. *Non nimis incertis.* minus hæc certis F. minus incertis C. Q1.
676. Hunc rejiciunt L. & F. *Namque ubi ſic fuerunt.* Namque uti ſanxerunt *Creech.* fuerint c. O. P.
677. *Atque uti:* Namque uti F. L. *Gaſſ.* Atque ita E. N. P. V. Y. Z. Atque ubi Q.

NOTÆ.

Arbuſta, & certo *demittunt tempore florem.*
Nec minus in certo *dentes cadere imperat ætas*
Tempore, &c.
Fulmina poſtremo, nix, imbres, nubila, venti,
Non minus hæc certis *fiunt in partibus anni.*

Idque ut planiſſime & ἀναμφισβητήτως probet, addit, quod ad confirmationem emendationis noſtræ facit maxime,

Conſequa natura eſt jam rerum ex ordine certo.

Vides, ut opinor, hanc lectionem illâ aliquanto eſſe meliorem, quæ ab Interprete Lucretii, quaſi longe optima eſſet, probata fuerit. Faber.

676. *Namque ubi ſic fuerunt, &c.*] Alterutrum horum verſuum, vel hunc, vel deinceps ſequentem, puto ab aliquo eſſe interpoſitum, nec eſſe Lucretianum. Malim tamen hunc delere, & alterum retinere, vel ita, ut in omnibus libris legitur, vel paullum immutatum, nempe hoc modo,

Namque uti res mundi, &c. Lamb.

Fuerunt, In Veteribus quibuſdam: *fuerant.* Verſum ſequentem eruit Lambinus. Gifan. Ecce autem de integro; occurrit aliud in hoc ipſo loco quod feſtinanti moram objiciat:

Namque ubi ſic fuerunt cauſarum exordia prima,
Atque uti res mundi cecidere ab origine prima,
Conſequa natura eſt jam rerum ex ordine certo.

Duorum poſteriorum verſuum alterutrum ὀβελίζει Lambinus, neque de illo, *Atque uti*, &c. diſſentit Gifanius. Ego priorem prorſus delendum arbitror, hac primum cauſa, quod iſtud *Sic* ſtare non poſſit cum *Atque uti*, quod iis qui Latine ſciunt, notiſſimum eſt; Dein, prioris verſus,

——— *ubi ſic fuerunt cauſarum exordia prima*

eadem plane ſententia eſt quæ ſecundi; ſed verſus

Atque uti res mundi cecidere ab origine prima,

Is vero Lucretio parente longe dignior eſt quam ille alter projectitius; nam τὸ *cecidere* ſortem, temeritatem, & caſum notat, ſumpta ab aleæ ludo metaphora, *Si illud quod opus eſt jactu non cadit* Terent. unde, quod multi non obſervarunt, natum & illud, quod vulgo Latine dicimus, *Belle cecidit*, &c. Sed cum hoc loco rationem afferre aſſertionis ſuæ debuerit Poëta, particula *ætiologica* opus eſt; itaque, expuncto illo priori, ſic legere ſoleo,

Namque *uti res mundi cecidere ab origine prima,*
Conſequa natura eſt jam rerum ex ordine certo.

Hæc ad emendationem; cetera in Notis. Faber. *In Emend.* Hunc verſum delet *Faber*, & in ſequenti legit, *Namque uti res Mundi* &c. retineri ve-

Conſequa natura eſt jam rerum ex ordine certo.
Creſcere itemque Dies licet, & tabeſcere Nocteis,
Et minui Luces, quom ſumant augmina Noctes:
Aut quia Sol idem ſub terras, atque ſuperne,
Imparibus currens anfractibus aetheris oras
Partit: & in parteis non aequas dividit orbem:
Et quod ab alterutra dextraxit parte, reponit

Ejus

INTERPRETATIO.

certo res omnes fiunt & ſequuntur. Poteſt etiam fieri ut creſcant dies & diminuantur Noctes, ut Dies etiam contractiores fiant cum Noctes extendantur, vel quoniam Sol idem ſub Terras & ſupra Terras curſum ſuum peragens imparibus anfractibus Cœli orbem partitur, & dividit in partes inæquales, & quod ab alterutra parte Cœli detraxit

VARIÆ LECTIONES.

678. *Conſequa natura eſt.* Conſequiæ quoque jam Q. Y. Z. Conſequitur quodque eſt jam c. O. P. Conſequa natura eſt *Codd. caſtigati* P. conſequere quoque jam rem X.

680. Abeſt Q. *quom ſumant.* conſumant Y.

682. *Imparibus.* in paribus P. reponit tamen *in not.* Imparibus P. *currens.* peragens anfractibus *Quidam.*

NOTÆ.

verò poteſt iſte verſus ſi legatur. *Namque uti ſanxerunt.* Sic lib. 1. ỳ. 581.

Et quid quæque ferant per fœdera Naturaī
Quid porro nequeat, ſancitum *quandoquidem extat*

Ita igitur conjicio legendum, nec pudet conjecturæ. Creech. *Ubi ſic fuerunt*, Iſtud *ſic* referri debet ad *το atque* in verſu ſequenti, id eſt *itidem ac.* Faber. *In Not.*

678. *Conſequa*] Conſequens. Lamb. E Vetuſto Cod. Gronovius

Conſequiæ quoque rerum ſunt ex ordine certo.
Creech.

679. *Creſcere itemque*] Nunc quamobrem dies & noctes augeantur & minuantur. Lamb. Dies noctesque Anni decurſu ſic increſcere & decreſcere, ut prolixitatis ac brevitatis utriuſque vices exquiſitè per Hyemem Æſtatemque alternentur, Res mira ſemper viſa eſt; Id verò fit, quoniam circuitiones Solis ſupra ac infra Terram nunc celerius, nunc tardius fiunt, quatenus ipſæ locorum ſeu viarum, quibus Sol incedit, longitudines ſunt alternæ, ỳ. 16. In quibus deſcribit Poëta inæqualia Arcuum diurnorum nocturnorumque ſegmenta in poſitu Sphæræ obliquo, Æquatorem tamen ab hac lege excipit, qui in quavis etiam obliquitate in duas æquas partes ab Horizonte dividitur; ex quo fit ut Sol bis in ipſo intra Annum conſtitutus duo ubivis gentium faciat Æquinoctia: Hinc Signum illud in quo nodum Æquinoctialem eſſe dixit intelligendum duplex eſt, *Aries* viz. & *Libra*, in cujus utriuſque initio mutua fit Signiferi, Æquatoriſque interſectio. Deinde ſubjungit verſ. 5. id fieri poſſe, quod certa ſunt per Ætherem loca, quæ poſſint à Sole ob factam majorem minoremque reſiſtentiam velociùs ſegniuſve percurri. Demum ỳ. 3. quia alternis Anni partibus tardiùs aut citiùs conveniant iſti Ignes qui faciunt, vel accendunt Solem. Creech.

679. *Tabeſcere*] Minui. tralatio eſt. ſic lib. 2: 1171.

Nec tenet, omnia paullatim tabeſcere, &c.
Lamb.

680. *Cum ſumant augmina*] Cum augeſcant. ſic locutus eſt lib. 2: 188.

Surſus enim verſus gignuntur, & augmina ſumunt.

Quod autem quidam hoc ordine hunc verſum legi volunt,

cum

Ejus in adverſa tanto plus parte relatus,
Donicum ad id ſignum coeli pervênit, ubi anni
Nodus nocturnas exaequat lucibus umbras.
Nam medio curſu flatus Aquilonis, & Auſtri,
Diſtinet aequato coelum diſcrimine metas,
Propter Signiferi poſituram totius orbis;
Annua Sol in quo contundit tempora ſerpens,

Obli-

INTERPRETATIO.

cum defertur in adverſam partem tanto plus illi addit, donec attigit Cœli illud Signum (Arietem vel Libram) ubi anni Nodus Noctes dieſque æquales facit: Nam Septentrionem & Meridiem verſus Cœlum metas (Solſtitium & Brumam, ſeu circulum Cancri & circulum Capricorni) æquali ſpatio diſtinet, propter poſituram Zodiaci,

VARIÆ LECTIONES.

686. *Donicum.* Donec Y. Z. *qui ſæpe variant.*
687. *Nodus.* Almis c. P. Malus. Q. X. Modus Q1. *exæquat.* exæquent c. P. & æquat Z.
689. *Diſtinet.* Deſtinet D. Z. diſtruit X. *metas.* mythram P. *in not.*
691. *contundit.* contudit Y. Z.

NOTÆ.

—— —— *cum noctes augmina ſumant,* incidunt in κακέμφατον & αἰσχρολογίαν *cum no.* quod vitandum cenſet Cicero in oratore perf. LAMB. *Cum Noctes augmina ſumant*, Ita Veteres quidam. Elegantior Ecphonia, quam Vulgatis:

—— *cum ſumant augmina noctis.* GIFAN.

682. *Imparibus currens anfractibus*] Dum impariter & inæqualiter circumagitur. hac de re ſic Laërt. μήκη νυκτῶν καὶ ἡμερῶν παραλλάττοντα καὶ παρὰ ταχείας ἡλίου κινήσεις γίνεσθαι, καὶ πάλιν παρὰ βραδείας ὑπὲρ γῆν, id eſt, dicebat Epicurus, *noctium & dierum longitudines ex celeribus, & contra ex tardis Solis motibus ſupra terram fieri.* LAMB.

682. *Amfractibus*] Curſibus & itineribus flexuoſis. Cæſar libro 7. de bello Gall. Oppidi murus à planitie, atque initio adſcenſus, recta regione (ſi nullus amfractus intercederet) CIↃ. CC. paſſus aberat. LAMB.

686. *Donicum ad id ſignum*] Ita Lambinus. In aliis: *Donec.* GIFAN. *Ad id ſignum*, ad ἰσημερίαν, id eſt (ut Latini appellant) *æquinoctium.* LAMB.

686. *Anni Nodus*] *Nodus anni* dixit tranſlatè pro eo Solis circulo, qui cælum medium quaſi cingulo cingit, ac circumdat. non diſſimili admodum tranſlatione dixit lib. 2. *animæ nodos*, & lib. 4. *Veneris nodos:* videlicet, conjunctiones quaſdam arctas & adſtrictas, συνδέσμους. LAMB. *Nodus*, Quidam Veteres: *Malus.* GIFAN. Æquinoctia intelligit. FABER. Propter interſectionem Zodiaci & Æquatoris. CREECH.

688. *Nam medio curſu, &c.*] Id eſt, inter Aquilonem & Auſtrum; ſeu ſolſtitium & brumam. vox *flatus* autem patrii caſus eſt. LAMB.

689. *Cœlum*] *Cælum* accipio, ut ſit recti caſus, numeri ſingularis. Hæc quantumvis licet levia, notavit Zoilus ut ſua. LAMB. Cœlum eſt recti caſus; *flatus*, patrii. GIFAN.

689. *Metas*] Solſtitium, & brumam: ſeu circulum Cancri, & circulum Capricorni. ſunt enim veluti metæ Solis; ad quas cum pervenit, iter curſumque ſuum flectit. LAMB.

690. *Propter Signiferi poſituram totius*] Propter ſitum Zodiaci obliquum. M. Tull. de divin. lib. 2. *Vim quandam eſſe ajunt ſignifero in orbe, qui Græce ζωδιακὸς dicitur.* LAMB.

691. *Contundit*] Conterit, conſumit, ut ſupra: 618.

Annua Sol in quo conſumit tempora curſu. LAMB.

693. *Eq-*

Obliquo terras, & coelum lumine luſtrans:
Ut ratio declarat Eorum, qui loca coeli
Omnia diſpoſitis ſignis ornata notârunt:
Aut quia craſſior eſt certis in partibus Aër,
Sub terris ideo tremulum jubar haeſitat ignis,
Nec penetrare poteſt facile atque emergere ad ortus.
Propterea noctes hiberno tempore longae
Ceſſant, dum veniat radiatum inſigne diei:
Aut etiam, quia ſic alternis partibus anni

Tar-

INTERPRETATIO.

in quo Sol annuum ſuum curſum perficit, obliquis radiis Cœlum & Terras luſtrans, ut illi (Aſtronomiæ periti) docent qui omnes Cœli partes diſpoſitis Signis ornatas deſcripſerunt. Aut quia in certis partibus Aër craſſior eſt, ideo tremulum jubar Ignis (Sol) hæret ſub Terris, ægre enim penetrat Denſum iſtum Aërem, & ad ortum emergit: Et hanc ob cauſam Noctes hiberno tempore tardæ manent, donec radiatum Inſigne diei (Sol) veniat. Aut denique, quia partibus alternis Anni

VARIÆ LECTIONES.

696. *ignis*. igni P.

NOTÆ.

693. *Eorum*] Aſtrologorum, & eorum qui ſcripſerunt phænomena. Lamb.

693. *Qui loca cœli*] Aſtronomi. Faber.

695. *Propterea ſit*] Hunc verſum, ſecutus aliquot cod. Manuſcriptos, hoc loco poſui: qui tamen mox iteratur. Lamb.

695. *Aut quia craſſior eſt*] Alia ratio. Lamb.

696. *Tremulum jubar hæſitat ignis*] Sol. Lamb. *Hæſitat*, Tardius ſe ſe expedit: miror itaque dicere Giſanium, *hæſitare* ſumi pro *micare*, *motitari*. Hæc tamen vulgo mirantur. Explicationem certe noſtram planiſſime veram eſſe oſtendit verſus qui hunc ſequitur,

Nec penetrare poteſt facile atque emergere ad ortus.

Itaque hæſitat, quia emergere non poteſt. at ridiculum ſit dicere, Micat quia emergere non poteſt. imo micat, quia emerſit. Faber.

698. *Propterea noctes hiberno*] Virg. lib. 2. Georg. 481.

Quid tantum Oceano properent ſe tinguere Soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Lamb.

699. *Ceſſant*] Longiores ſunt; ut tardæ noctes apud Virgil. æſtivæ ſunt; quæ ideo *tardæ* dicuntur, quod propter longitudinem dierum tardius adventant. male itaque Interpres, qui locum hunc (*noctes ceſſant*) per locum illum Virgilii 2. Georg. 481. explicandum credidit; quod ei cum multis, neque ſane indoctis, commune eſt:

Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet. Fab.

Eleganter de noctibus; deſumptum, ut videtur per metaphoram, ex illo: *Aut ubi ſi ceſſes*, quod & Perſio inter alia ejuſdem Comici obverſabatur, in hiſce:

At ſi unctus ceſſes, &c. Preig.

699. *Inſigne diei*] Ita vocat orbem Solis. Fab.

700. *Aut etiam*] Tertia ratio. Lamb.

701. *Confluere ignes*] Ex quibus nova ſemper Solis Lumina gignuntur ut ſupra dixit, ỳ. 659.

Aut quia conveniunt ignes, & ſemina multa
Confluere ardoris conſuerunt tempore certo, &c.

Lamb.

702. *Qui faciunt, &c.*] Verſum proximum: *Propterea ſit uti videantur dicere verum*; quia in quibuſdam Vulgatis non erat; & in Veteribus; partim, hic, partim paulo ante, poſt illum: *Omnia diſp.*

Tardius & citius conſuerunt confluere ignes,
Qui faciant Solem certa de ſurgere parte.
  Luna poteſt Solis radiis percuſſa nitere,
Inque dies majus lumen convertere nobis
Ad ſpeciem, quantum Solis ſecedit ab orbe,
Donicum eum contra pleno bene lumine fulſit,

Atque

INTERPRETATIO.

Ignes, qui faciant Solem de certa parte Cœli oriri, tardius & citius conſuerunt convenire. Luna poteſt ſplendeſcere radiis Solis illuſtrata, & in dies majus lumen noſtris oculis videndum obvertere, prout à Sole recedit, donec Soli tandem oppoſita totum orbem exhibeat luce illuſtratum,

VARIÆ LECTIONES.

702. *faciant.* faciunt Y. Z. *de ſurgere.* deſurgere C. E. P. X. *Huic poſtponit* Q1. *Vetus Codex, &* P. Propterea fit *ut* videantur dicere *veni.* ut ii — verum P. uti — verum Q1.
703. *percuſſa.* perculſa E. N. P. Q. Y.
704. *majus lumen.* magis & lumen C. E. Q1. magis hoc l. Q1. magis lumen Y. Z.
706. *eum.* cum P.

NOTÆ.

diſp. eſt poſitus, & quia inepte videtur inculcatus (mox enim ſequitur) & ſententiam vitiat: propterea, inquam, non admiſi. GIFAN.

702. *Certa de ſurgere parte*] Ἀνατροφή, de certa parte ſurgere. LAMB.

703. *Luna poteſt Solis*] Cur Lunæ figura varietur, & modo plena ſit, modo dimidiata, modo bicornis, modo nulla. LAMBIN. Quod ad Lunam attinet, ſi lucem à Sole accipiat, ſi globoſæ ſit figuræ, & ſub Sole curſum ſuum peragat, tum varium illius multiplicemque vultum rectè illi explicant, qui varia Solis illuſtratione prout ad Solem accedit, vel recedit à Sole, Phaſes Lunæ variari exiſtimant ℣. 11. Si vero Lucem aliunde non accipiat, tum concipi poteſt aliud corpus opacum quidem, & caſſum omni Lumine, quod una cum Luna fertur, & illius radios avertit ℣. 5. Vel intelligere poſſumus Lunæ globum ex dimidia tantum parte lucidum, qui, ſi circa ſuum centrum volvatur, varias quas videmus phaſes exhibebit ℣. 9. Quibus hæc omnia diſplicent Iſti habeant Lunas quotidiè naſcentes & intereuntes: Id enim certo tempore fieri poſſe multa alia demonſtrant. ℣. 20. CREECH.

703. *Percuſſa*] Sic legendum, & ita habent libri aliquot manuſcripti: vulgati autem *perculſa*, mendoſe. *percuſſa radiis Solis*, id eſt icta Lumine Solis. ſic locutus eſt ſupra lib. 2: 799.

Recta aut obliqua percuſſus luce refulget.

ibidem ℣. 870.

——— *quodam gignuntur Luminis ictu.*

& hoc eodem lib. ſup. 353.

Ut queat accendi parvis ardoribus ictus.

Unde *verbera radiorum* dicuntur tum Solis, tum Lunæ. ſup. eod. lib. 486.

Et radii Solis cogebant undique terram
Verberibus crebris, &c.

Sed de hac variatione Lunæ Luminis & figuræ ſic Epicurus apud Laërtium. Εἶτα δὲ ἐνδέχεται τὴν σελήνην ἐξ ἑαυτῆς ἔχειν τὸ φῶς. ἐνδέχεται δὲ ἀπὸ τοῦ ἡλίου. Καὶ γὰρ παρ' ἡμῖν θεωρεῖται πολλὰ μὲν ἐξ ἑαυτῶν ἔχοντα, πολλὰ δὲ ἀφ' ἑτέρων· καὶ οὐδὲν ἐμποδοστατεῖ τῶν ἐν τοῖς μετεώροις φαινομένων, &c. ſequitur, Ἡ δὲ ἔμφασις τοῦ προσώπου ἐν αὐτῇ δύναται μὲν γίνεσθαι καὶ κατὰ παραλλαγὴν μερῶν, καὶ κατὰ προχώρησιν, ἢ ἀναχάραξιν, ἢ καὶ ἐπιπρόσθησιν, καὶ καθ' ὅσον ἂν τρόπον θεωροῖτο τὸ σύμφωνον τοῖς φαινομένοις. id eſt, *Præterea fieri poteſt, ut Luna à ſeipſa Lumen habeat: contingere etiam poteſt, ut à Sole. Nam etiam apud nos multa cernere licet, quæ id quod habent, ex ſeipſis habeant: multa, quæ ab aliis: neque quidquam eorum quæ in aëre apparent, obſtat, quo minus ita ſit, &c. Vultus autem ejus varius & multiplex,*

Atque oriens obitus ejus ſuper edita vidit:
Inde minutatim retro quaſi condere Lumen
Debet item, quanto proprius jam Solis ad ignem
Labitur ex alia Signorum parte per orbem:
Ut faciunt, Lunam qui fingunt eſſe pilaï
Conſimilem, curſuſque viam ſub Sole tenere:
Propterea fit uti videantur dicere verum.
Eſt etiam quoque uti proprio cum lumine poſſit
Volvier, & varias ſplendoris reddere formas.
Corpus enim licet eſſe aliud, quod fertur, & una

Labitur

INTERPRETATIO.

atque oriens vidit illius occaſum: Deinde paulatim debet lumen ſuum quaſi retro condere (avertere) prout ex alia parte per Signorum orbem ad Solem propius accedit: Hoc autem dicunt, qui opinantur Lunam eſſe Pilæ ſimilem, & ſub Sole ferri, & profectò rem ipſam attingere, & verum dicere videntur. Poteſt etiam fieri ut proprio lumine ſplendeſcat, & tamen varias (Phaſes exhibeat) ſplendoris formas reddat: nam poteſt fieri ut aliud Corpus una

VARIÆ LECTIONES.

707. *ſuper edita.* ſuperedita A. B.
709. *Debet, item quanto.* Debeat it quanto *codd.* P.
710. *orbem.* Inſeras 714. 715. P.
712. *tenere.* imere Z. *ſed ibid. in Marg.* meare.
713. Deeſt P. Q1. *uti.* ut ii Q. commutatur cum 703. Z.
714 *quoque uti.* quare E. N. V. X. Y. Z.

NOTÆ.

tiplex, qui ſeſe nobis expromit atque oſtendit, poteſt naſci & ex immutatione partium, & ex acceſſione ejus ad Solem, aut receſſione, aut ex obſtructione ſeu offectione, & ex alia cauſa, in qua ſpectetur id quod conſentaneum eſt iis quæ ſunt in promptu. Lambin.

706. *Donicum eum contra, &c.*] Id eſt, donec contra eum, nempe Solem, id eſt, donec ei oppoſita, &c. Lambin. *Donicum eum*, Ita Veteres libri noſtri. Vulgati *donec.* Gifan.

707. *Atque oriens, &c*] Id eſt, & tunc orta eſt, cum Sol occidit. Lambin.

708. *Condere lumen*] Abſcondere lumen, obſcurari. ſic dictum *condere lumen* à Lucretio, ut ab Horat. *condere diem*, Od. 5. libr. 4: 29.

Condit quiſque diem collibus in ſuis:

niſi quod apud Horat. *condere diem* dicitur *in collibus ſuis*, qui in collibus ſuis uſque ad occaſum Solis manet: hîc autem apud Lucretium Luna *condere lumen* dicitur, cum obſcuratur ob Solis propinquitatem. ſic idem ſup. 4: 435. de Sole:

Sol fit uti videatur obire, & condere lumen, &c.

Idem non multo ſecus lib. 3: 1103.

Proinde licet quotvis vivendo condere ſæcla, &c.

Lambin.

709. *Debet item*] Pius ait in veteribus libris eſſe: *Debeat, it, quanto.* Gifan.

710. *Per orbem*] Junge cum τῷ *ſignorum.* intelligit Zodiacum. Faber.

714. *Eſt etiam quoque uti*] Quod dixerunt Anaximander & Antiphon. Lamb. Hæc dicitur Anaximandri opinio, quæ tamen ab illius ſententia maximè diſtat; nam ſi forſan Lunam dixerit ἴδιον ἔχειν φῶς *Plut. de Placit Phil.* lib. 2. cap. 26. & 28. [ἔφασκεν τε σελήνην ψευδοφανῆ, καὶ ἀπὸ ἡλίου φωτίζεσθαι: Laërtius] aliud tamen Corpus quod una feratur, quod omnibus modis occurrat & officiat, ne quidem in ſomnis vidit Plut. de Pl. Phil. lib. 2. cap. 26. Creech.

716. *Cor-*

Labitur omnimodis occurſans officienſque,
Nec potis eſt cerni, quia caſſum Lumine fertur.
Verſarique poteſt, globus ut, ſi forte, pilaï
Dimidia ex parti candenti Lumine tinctus:
Verſandoque globum varianteis edere formas,
Donicum eam partem, quaecunque eſt ignibus aucta,
Ad ſpeciem vertit nobis, oculoſque patenteis:
Inde minutatim retro contorquet, & aufert
Luciferam partem glomeraminis, atque pilaï:
Ut Babylonica Chaldaeam doctrina refutans
Aſtro-

INTERPRETATIO.

cum Luna volvatur, omni modo illi occurrens, ejuſque lucem impediens, & avertens, quod tamen Corpus cerni non poteſt, quia opacum eſt, & nullo lumine donatur. Poteſt etiam Globus ipſius Lunæ circa ſuum centrum volvi, ut ſi forte Pila ex dimidia parte lumine candenti tincta circa ſuum centrum verſetur, & dum volvitur varias ſplendoris formas reddere; donec totam iſtam partem quæ ignita eſt noſtris oculis obvertit, deinde paulatim retro contorquet, & avertit lucidam globi partem: ut Babylonii qui contra Græcos

VARIÆ LECTIONES.

719. *ut, ſi.* ut ſit *Douza ad Catull.*
720. *ex parti.* ex parte it *Priſci codd.* P. parte & Q1. parte Y. Z.
722. *Donicum eam.* Denique eam A. B. D. E. I. N. P. Q2. X.
726. *Chaldæam.* Ita Edit. Lond. Q. Chaldeûm A. B. D. P. Chaldæûm C. I. *Gaſſ.* O. & *Reliqui.*

NOTÆ.

716. *Corpus enim licet eſſe aliud*] Id eſt. nam fieri poteſt, ut ſit corpus aliquod aliud quam Luna quod una cum ea feratur & labatur, eique occurſando atque officiendo faciat ut Luna varias formas reddat. LAMB. *Corpus enim*, In noſtris Veteribus: *item*; male, niſi fallor. GIFAN.

719. *Verſarique poteſt*] Nempe Luna. alia eſt ratio, quare Luna varias figuras reddat. LAMB. Ita docuit Beroſus ſub Antiocho Sotere Aſtronomia clarus. CREECH.

719. *Globus ut, ſi forte, pilaï*] Emendabat olim I. Douza Filius: *globus ut ſit forte pilai*, &c. de quo ita in Annotationibus quibuſdam MSS. Vir doctus, cujus mihi manus ignota eſt: Beroſi ſententiam enarrare voluiſſe Poëtam his verſibus, elegantiſſimi acutiſſimique ingenii Adoleſcens I. Douza Filius monuit, in Notis ad Catullum cap. IV. Beroſi porro doctrinam multis verbis explicat Vitruvius, lib. IX. cap. IV. ſed ſententia ejus, ut breviſſime perſtringam, hæc eſt. *Corpus Lunæ pilam eſſe dimidia parte candidam, altera cæruleam: in coitu Solis ardore corripi, convertique partem ejus candentem ad Solis lumen, cæruleam ad nos, quæ quod candens non ſit obſcura videtur. Septimo vero die a coitu, quod dimidio cœli ſpatio Luna diſtet a Sole, item dimidiam candentiæ partem ad nos converſam eſſe. Quartadecima autem die, pleno orbe totam candentem partem nobis oſtendi, a qua reliquis diebus uſque ad novilunium, quotidiana decreſcentia aliquid minuatur.* HÆC ILLE. Vide etiam Apulejum, de Deo Socrat. *ſeu illa proprie eſt perpeti candore*, &c. PREIG.

725. *Luciferam*] I. Douza F. *Dimidiam.* GIFAN.

726. *Chaldæûm*] Hoc rectius ex veteribus quibuſdam puto, quam quod in aliis: *Chaldæam.* GIFAN. *Chaldæam*, Chaldæos Aſtrologiæ fuiſſe peritiſſimos, & Diodorus Siculus teſtatur libro 2.

 his

Aſtrologorum artem contra convincere tendit:
Proinde quaſi fieri nequeat quod pugnat uterque,
Aut minus hoc illo ſit cur amplectier auſis.
Denique cur nequeat ſemper nova Luna creari
Ordine formarum certo, certiſque figuris:

Inque

INTERPRETATIO.

Aſtrologos diſputant contendunt; Quaſi utriuſque artis ſententia non poſſit eſſe vera, aut aliqua ſuaderet ratio cur altera ſententia alteri præferatur: Denique cur non poteſt nova Luna ſemper creari certo formarum ordine, & certis figuris donata,

VARIÆ LECTIONES.

728. *quaſi fieri.* quaſi id fieri P. Q2. X. Y. Z. *pugnat uterque.* pugnat utrinque c. P. Q1.
729. *illo.* ilico Q1. illud Q2. ilio Y. *amplectier auſis.* amplectier uſus *corrig.* P. *in not.*

NOTÆ.

his verbis: Τοῦτο μέντοιγε διαβεβαιώσαιτο ἄν τις προσηκόντως, ὅτι Χαλδαῖοι μεγίστην ἕξιν ἐν ἀστρολογίᾳ τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων ἔχουσι, καὶ διότι πλείστην ἐπιμέλειαν ἐποιήσαντο ταύτης τῆς θεωρίας. id eſt, *Hoc quidem certe liquido quiſpiam confirmare poſſit, omnium hominum maximum uſum in Aſtrologia Chaldæos habere, plurimumque ſtudii atque operæ in hanc cognitionem contuliſſe.* & M. Tull. lib. 1. de divin. *Chaldæi in Syria cognitione aſtrorum, ſollertiaque ingeniorum antecelluerunt.* Babylonios quoque multorum annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas habuiſſe refert Plinius lib. 7. capit. 56. Zoilus, homo acumine ingenii præſtans ſcilicet, legendum cenſet *Chaldæûm*, pro *Chaldæorum*, non, ut omnes habent libri, *Chaldæam.* quaſi vero *Chaldæam* non ſit uſitate poſitum pro *Chaldaicam:* quemadmodum Horat. dixit, *Mauris jaculis*, *Sulpitiis horreis*, & ſimil. LAMB. Giſanius *Chaldæûm*; idque ſibi rectius videri ait quam *Chaldæam*, ut in editione Lambini legitur. Sed, ſeu *Chaldæam doctrinam aſtrologorum*, dicas, ſeu *doctrinam aſtrologorum Chaldæorum*, idem plane erit. Itaque jure à Lambino in tertia Lucretii editione reprehenſus eſt Giſanius. Verum uterque erravit. Hoc enim loco Poëta noſter per *Babylonicam Chaldæorum artem* intelligit Chaldæos qui Beroſi hypotheſim ſequebantur contra *vulgarem aſtrologiam.* Quid ſit docet Plutarchus II. *de Placitis Philoſophorum*, Lunæ defectum fieri κατὰ τὴν πρὸς ἡμᾶς ἐπιστροφὴν τοῦ ἀπυρώτου μέρους, id eſt, *dum nobis obvertit eam ſui partem, quæ ignita non eſt.* Sed *Chaldæi* hoc loco ſectæ nomen eſt, non gentis. quod ex Herodoto probari poſſit. Hunc locum Lucretii non intellexit Caſaubonus. Vide Notas illius ad proœmium Diogenis. FABER. Per Babylonicam Chaldæûm Doctrinam intelligit Chaldæos qui Beroſi Hypotheſin contra *vulgarem Aſtrologiam* tuebantur. *Chaldæi* enim hoc loco Sectæ nomen eſt, non Gentis: παρὰ μὲν Βαβυλωνίοις, ἢ Ἀσσυρίοις Χαλδαῖοι, Γυμνοσοφισταὶ παρὰ Ἰνδοῖς: Laërtius: Idem Cicero in 2. de Divinat. CREECH. Per *Chaldæos* itaque Beroſum intellige, *qui a Chaldæorum civitate, ſive natione progreſſus in Aſiam, ibi diſciplinam Chaldaicam patefecit*, ut ait Vitruvius. VIR DOCTVS QVIDAM, (*Beverlandus*) IN MARG. COD. NOSTRI. Vitruvius lib. 9. cap. 4. *Beroſus, qui a Chaldæorum civitate ſive natione progreſſus in Aſia etiam diſciplinam patefecit, ita eſt profeſſus, pilam eſſe ex dimidia parte candentem, reliqua habere cæruleo colore. Cum autem curſum itineris ſui pergens ſubiret orbem Solis, tunc eam radiis & impetu caloris corripi convertique candentem, propter ejus proprietates luminis ad lumen. Cum autem ea evocata ad Solis orbes ſuperiora ſpectet, tunc inferiorem partem ejus, quod candens non ſit, propter aëris ſimilitudinem obſcuram videri*, &c. quæ ibidem fuſe ſequuntur. De contrariis vero illis Sectis & hoc ipſo Lucretii loco vide Iſaacum Caſaub. ad Proëmium Diogenis Laërtii. HAV.

728. *Proinde quaſi &c.*] En vide, ut Epicurus probabilia ſequatur in his quæ ſupra terram gignuntur, nihil unum egregie præter cætera affirmet. LAMB.

728. *Uter-*

Inque dies privos aboleſcere quaeque creata,
Atque alia illius reparari in parte, locoque,
Difficile eſt ratione docere, & vincere verbis:
Ordine quom videas tam certo multa creari.

It

INTERPRETATIO.

cur unaquæque Luna ita quotidie creata quotidie etiam non pereat, atque alia illius locum ſubeat, & in eadem parte Cœli appareat, difficile eſt rationem reddere, & verbis docere, cum videas tam multa certo ordine creari.

VARIÆ LECTIONES.

732. *adoleſcere quæque.* aboriri A. c. *Gaſſ.* P. Q1. aboriſci a. B. Q. V. Y. Z. *ſed in Z. ſuperſcrib.* aboliſci. aboriſti X. aboleſci C. E. M. *Quidam. codd.* P. aboleſcere D. At ipſe Lucret. forſitan *aboriſci* ſcripſit.

734. *Difficile eſt.* Id facile eſt F.

NOTÆ.

728. *Uterque*] Et Chaldæi ſeu Babylonii, & Græci. FABER.

730. *Denique cur nequeat, &c.*] Quod item de Sole nonnulli exiſtimarunt, ut ſupra dictum eſt. LAMB.

732. *Inque dies privos*] Et in dies ſingulos. ſic eodem libro ſupra: 275.

Innumerabiliter privas mutatur in horas. LAMB.

732. *Aboleſcere*] Cùm in libris manuſcriptis reperiſſem ſcriptum *aboriſcique*, ſuſpicatus ſum eos fuiſſe corruptos ab iis qui ex *aboleſcere*, *aboriri* feciſſent: quod tantundem fere valet. *aboriri* quidem impreſſum eſt in codic. Venetis antiquis & Pariſienſibus: eoque verbo uſus eſt etiam libr. 3: 156.

——— *& infringi linguam, vocemque aboriri.*

quod ſi quis malet, non improbabo. *aboleſcere* autem valet *decreſcere:* quod huic loco maxime convenit. LAMB. *Aboriſci* Veteres omnes, ita; aut *aboriſcique.* Hinc Marullus: *aboleſci.* Alii: *aboriri.* Lambinus: *aboleſcere.* GIFAN. *Aboriſci* Gifanius, Qui tamen fatetur ſe vocem iſtam nunquam legiſſe: Gaſſendus *Aboriri.* CREECH.

734. *Difficile eſt ratione docere, & vincere verbis*] At ego verbis vincam, & iis verbis quæ rationem ducem habeant; vitioſam eſſe ſcripturam, ſicque, ſenſu plane contrario, legi hunc verſum debere:

ID FACILE *eſt ratione docere & vincere verbis.*

Quod ita eſſe uti dico vel illi verſus qui infra leguntur, abunde probaturi ſint, cum in iis pro certo ponatur, rem in ſe ſe nihil habere difficultatis:

Quo minus eſt mirum *ſi* certo *tempore Luna*
Gignitur, & certo *deletur tempore rurſus,*
Cum fieri poſſint tam certo *tempore* multa.

Sed & his addendum aliud; debere videlicet *interrogative* pronuntiari verſus illos,

Denique cur nequeat ſemper nova Luna creari
Ordine formarum certo, certiſque *figuris,*
Inque dies privos aboleſcere quæque creata,
Atque alia illius reparari in parte locoque?

Tum ipſe ſibimet reſpondens,

Id facile *eſt* (inquit) *ratione docere.* FABER.

Faber, *Id facile:* Quem ſequatur ille qui conjecturam certitudini præfert. CREECH.

734. *Vincere verbis*] Pulchrè dictum. ſic libro ſecundo: 747.

Quod quoniam vinco fieri, nunc eſſe docebo.

& ſupra hoc eodem libro: 200.

Et quam difficile id mihi ſit pervincere verbis.

& libro ſexto 496.

——— ——— *primum jam ſemina aquai*
Multa ſimul vincam conſurgere nubibus ipſis.

ſic & Horatius Satyra 3. libri primi:

Nec vincet ratio, tantundem ut peccet, idemque, &c. LAMBIN.

It Ver, & Venus, & Veneris praenuntius antè
Pinnatus graditur Zephyrus: veſtigia propter
Flora quibus mater praeſpargens ante viaï
Cuncta coloribus egregiis, & odoribus opplet.
Inde loci ſequitur Calor aridus, & comes una
Pulverulenta Ceres, & Eteſia flabra Aquilonum.

Inde

INTERPRETATIO.

It Ver, & Venus, & Veneris prænuntius Zephyrus pennatus graditur juxta ejus veſtigia, quibus Flora mater ſua dona præſpergens omnem viam coloribus & odoribus egregiis (floribus egregii coloris, & odoris) replet. Deinde Calor aridus (Æſtas) ſequitur, & una venit pulverulenta Ceres, ventique Eteſii ab Aquilone ſpirantes.

VARIÆ LECTIONES.

736. *It.* ſic P. It P. *in not.*
737. *Pinnatus.* Pennatus P. X. Y. Z. *Zephyrus.* Zephyri Q1. X. Y. Z.
738. *Præſpargens.* Ita C. P. Q. X. Y. Z. *Alii* præſpergens.

NOTÆ.

736. *Prænuntius*] πρόδρομος, præcurſor. *Prænuntium* autem *Veneris* dixit Zephyrum, quia Venus tempore verno gaudet. Sic Hor. Oda 4. lib. 1.

Jam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna. Lambin.

737. *Veſtigia propter: Flora &c.*] Male, ut opinor, ita diſtinguitur; quaſi Veneris veſtigia aut legere, aut juxta ea incedere dicatur Zephyrus, quem *Veneris prænuntium* dicit Poëta, eamque præcedere facit. Haud dubie *Floræ veſtigia* dicit, quibus cuncta præſpergere fingitur dum in Veris ac Veneris adventum Viam omnem coloribus, & odoribus opplet. Solo itaque Commate hæc ſeparanda, ut, relativum *quibus* reſpiciat ipſius Floræ Veſtigia; hoc modo:

It Ver, & Venus: & Veneris prænuntius ante
Pinnatus graditur Zephyrus: Veſtigia propter
Flora quibus mater præſpergens ante viaï
Cuncta, &c.

Ordo eſt quaſi Pompæ cujuſdam

VER ET VENUS.
ZEPHYRUS ET FLORA.
CALOR ET CERES.
AUTUMNUS ET EUIUS EUAN.
VOLTURNUS ET AUSTER.
RIGOR ET BRUMA.
ALGOR ET HYEMS.

Ut *Ver Veneris*, ſic *Zephyrus Floræ* latus claudit Et *Calor Cereris*, & *Autumnus Bacchi.* Porro *Rigor Brumæ*, *Algus Hiemis.* Et: *propter Floræ Veſtigia* incedere, aut ingredi tantum mihi valet ac comes ei incedere, pari ambulare paſſu, una cum Flora; Ver & Venerem præcedere. Preig.

738. *Flora*] Arnobius lib. 3. adverſ. gent. *Flora illa genitrix, & ſancta, obſcenitate ludorum bene curat, ut arva floreſcant, &c.* Minucius in Oct. *Sane & Acca Laurentia, & Flora, meretrices propudioſæ inter morbos Romanorum & Deos computandæ.* Lactant. Firmianus lib. 1. de falſa religione: *Flora cum magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, populum Romanum ſcripſit hæredem, certam pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellarent Floralia, &c.* lege & Ovid. libr. Faſt. Lamb.

741. *Eteſia flabra Aquilonum*] *Eteſiæ*, qui item ſunt Aquilones: id eſt, venti à ſeptentrionibus flantes. hoc tantum intereſt, quod Eteſiæ certo anni tempore, nempe poſt ſolſtitium ſpirant: Aquilones quovis anni tempore. Lamb. Et tamen oſtendere poſſim, ſi per otium liceat, Eteſias non ſemper eſſe Aquilones; & ad eam rem Ariſtotel. ac Diodorum advocarem. Sed nil ad Lucret. Faber.

742. *Euius*

Inde Autumnus adit: graditur ſimul Euius Euan:
Inde aliae tempeſtates, ventique ſequuntur,
Altitonans Volturnus, & Auſter fulmine pollens:
Tandem Bruma niveis adfert, pigrumque rigorem
Reddit, Hyems ſequitur, crepitans ac dentibus Algus.
Quo minus eſt mirum, ſi certo tempore Luna
Gignitur, & certo deletur tempore rurſus:

Quom

INTERPRETATIO.

Deinde Autumnus ſequitur, & illius comes Bacchus, Inde aliæ tempeſtates & venti ſequuntur, Altitonans Vulturnus, & Auſter pollens fulmine: Tandem Bruma nives affert, pigrumque frigus, ſequitur demum Hyems, & Algus crepitans dentibus. Hinc ideo minus eſt mirandum ſi certo tempore gignatur Luna, certo etiam tempore deleatur,

VARIÆ LECTIONES.

742. *Euius Euan.* Euhyus C. P. Euchyus E. Q. X. Euthius N.
744. *Auſter.* anſer Q. X. *fulmine.* flamine *Conject.* P. *in not.*
746. *ac dentibus Algus.* ac dentibus algi Y. Z. accentibus algi C. D. E. N. Q. Q1. X. ac dentibus algit c. O. P. algor A. B. algu V.

NOTÆ.

742. *Euius Euan*] Bacchus à voce Bacchantium *ἰνοῖ Euius* appellatus. *Euan* autem Ithoniæ mons ab eadem voce dictus: Pauſanias Meſſen. LAMB.

744. *Volturnus*] Euronotos. LAMB.

746. *Crepitans ac dentibus Algor*] Hæc eſt veriſſima ſcriptura, ex veteribus libris eruta. Vulgati: *accentibus algi.* GIFAN. *Crepitans ac dentibus Algus*, Cum tres libri manuſcripti, & vulgati Florentini, Veneti recentiores, utrique Lugdunenſes, haberent,

——— ——— *crepitans accentibus algi*;

nonnulli,

——— ——— *crepitans ac dentibus algit*,

planè ineptè, idque olim lectori indicaſſem; &

——— ——— *crepitans accentibus algi*,

ut plerique libri habent, edidiſſem: venit mihi poſtea in mentem, verba illa Plauti in Rudente 2: 6: 51. legenti.

CH. *Quid ſi aliquo ad ludos me pro manduco locem?*
LA. *Quapropter?* CH. *quia pol clare crepito dentibus:*

facillimè, & commodiſſimè, & aptiſſimè ex hac ſcriptura,

——— ——— *crepitans ac dentibus algit*,

fieri poſſe

——— ——— *crepitans ac dentibus Algus.*

Perſpicua enim hîc eſt σωματοποιΐα: & *Hiemi*, *Algo*, *Volturno*, *Auſtro*, corpora affinguntur, poëtico more. Idcirco *Algus* ſcribendum curavi, littera prima majore. Venuſtè autem, & convenienter, & probabiliter Algum *dentibus crepitantem* facit, quia eos qui algent, dentium crepitus comitari ſolet, ut & totius corporis tremor, & horror, & rigor, & ſimil. quod indicat Plauti locus, quem modo protulimus. Jam *algus*, ſeu *algum*, frigus ſignificat: atque eadem voce uſus eſt etiam lib. 3: 732. Cum hoc mihi ſtatim poſt ſecundam editionem veniſſet in mentem, cujus rei mihi teſtes ſunt viri optimi & ornatiſſimi, reperi non multo poſt, idem ab aliquo neſcio quo excogitatum eſſe, idque Zoilum pro ſuo produxiſſe: niſi quod *algor* ab eo ſcriptum eſt, quod minus probo, quia longius æquo à ſcriptura recepta remotum eſt. LAMB. Vulgatæ lectionis, *Accentibus Algi*, non meminiſſem, niſi eam *Fayus*, acutus & bellus Homo, huic, qua nulla eſt verior aut venuſtior, prætuliſſet. CREECH.

749. *Cum*

Quom fieri poſſint tam certo tempore multa.
Solis item quoque defectus, Lunaeque latebras,
Pluribus è cauſis fieri tibi poſſe putandum eſt.
Nam cur Luna queat Terram ſecludere Solis
Lumine, & à Terris altum caput obſtruere eji,
Objiciens caecum radiis ardentibus orbem:
Tempore eodem aliud facere id non poſſe putetur
Cor-

INTERPRETATIO.

cum tam multa certo tempore poſſint fieri. Putandum quoque eſt Solis Lunæque defectus (eclipſin) è cauſis pluribus fieri poſſe: Nam cur poſſit Luna Terram luce Solis privare, & Soli objicere Corpus ſuum ſupra Terras elatum, opponens radiis illius ſplendentibus opacum globum, eodem autem tempore aliud

VARIÆ LECTIONES.

749. *Cum fieri poſſint.* Cum florere queant, *Quidam Codd.* P. Q2. cum fleri X. Y. flœre Q1.
751. *tibi* tum P.
752. *ſecludere Solis.* ſecludere poſces C. E. N. P. poſſis Q. Y. Z. poſcis Q1.
753. *eji.* ejus Q.
755. *eodem.* eadem Y. Z. *putetur.* putemus c. O. P. putes Q.

NOTÆ.

749. *Cum fieri poſſint*] In duobus libris manuſcriptis ſcriptum eſt,

Cum florere queant. LAMB.

750. *Solis item quoque*] Nunc de defectibus ſolis & Lunæ: & priore loco de defectu ſolis. de quibus ſic Diog. Laërtius: Εκλειψις δὲ ἡλίου καὶ σελήνης δύναται μὲν γίνεσθαι καὶ κατὰ σβέσιν, καθάπερ καὶ παρ' ἡμῖν τοῦτο θεωρεῖται γινόμενον, καὶ δὴ κατ' ἐπιπρόσθεσιν ἄλλων τινῶν, ἢ γῆς, ἢ οὐρανοῦ, ἢ τινος ἑτέρου τοιούτου, &c. id eſt, *Solis autem & Lunæ defectus poteſt quidem fieri etiam per exſtinctionem, quemadmodum & apud nos hoc fieri videmus, & vero per offectionem aliarum quarundam rerum, aut terræ, aut cæli, aut cujuſpiam alius talis rei, &c.* Idem paucis verbis poſt: ἐν δὲ τῇ δυοκαιδεκάτῃ περὶ φύσεως ταῦτα λέγει. καὶ τὸν ἥλιον ἐκλείπειν σελήνης ἐπισκοτούσης· σελήνην δὲ ἐκ τοῦ τῆς γῆς σκιάσματος. ἔτι δὲ καὶ κατ' ἀναχώρησιν. id eſt, *Et Solem deficere, Luna inumbrante: Lunam vero ex umbra Terræ: præterea vero & ex receſſu à Sole.* LAMB. Demum fit Solis defectus, cum Luna aut aliud opacum corpus ſubjectum Soli radios illius excipit, & ab ulteriori ad Terram progreſſu prohibet. Luna item deficit, cùm incidit in umbram Terræ, aut alterius alicujus opaci corporis quod è regione Solis interpoſitum interjectumque ſit: Aut denique Sol & Luna, cum loca quædam Cœli ſuis Ignibus infeſta & inimica percurrant, languent: & quaſi Deliquium patiuntur ỳ. 20. CREECH.

752. *Secludere Solis Lumine*] Terram ſeparare à Solis Lumine, & ita privare, ac ſpoliare. LAMB.

753. *Eji*] Soli. LAMB.

754. *Objiciens cæcum radiis ardentibus*] Objiciens ſuum orbem obſcurum radiis Solis. Lunæ enim corpus ſuapte natura opacum & obſcurum eſt. LAMB.

755. *Tempore eodem &c.*] Cur (inquit) Luna poſſit Terram Lumine Solis privare, ſui orbis objectu: eodem tempore aliud corpus, quam Luna, quod ſemper nobis ſit obſcurum, non debeat putari idem efficere poſſe? proinde quaſi dicat: non poteſt afferri ratio, quamobrem aliud corpus, quam Luna, idem efficere non queat, quod Lunam efficere plerique dicunt. Primus autem Thales dixit, Solem deficere eo, quod Luna, quæ eſt terrena & opaca natura, cum ſubeat ad perpendiculum, id eſt interponatur

Corpus, quod caſſum labatur Lumine ſemper?
Solque ſuos etiam dimittere languidus igneis
Tempore cur certo nequeat, recreareque lumen,
Quom loca praeteriit flammis infeſta per auras:
Quae faciunt igneis interſtingui atque perire?
Et cur Terra queat Lunam ſpoliare viciſſim
Lumine, & oppreſſum Solem ſuper ipſa tenere,

Men-

INTERPRETATIO.

Corpus, quod nullo unquam Lumine illuſtratum volvitur, putetur facere id non poſſe? Cur etiam non poteſt Sol languidus ſuos Ignes certo tempore dimittere, lucemque reproducere, cum præteriit regiones quaſdam Aëris flammis inimicas, quæ labefactant Ignes & extinguunt: Et cur viciſſim poſſit Terra Lunam Lumine privare, & ipſa inter Solem Lunamque (ſupra vero Solem) interjecta Solis radios intercludere,

VARIÆ LECTIONES.

760. *perire.* periri X. Y. Z.
762. *oppreſſum Solem ſuper.* oppreſſum ſubter Solem ipſa L.

NOTÆ.

tur inter Solem & Terram. LAMB.

757. *Solque ſuos*] Hæc fuit Xenophanis opinio. Putavit idem ille novos quotidie Soles & occidere, & oriri. LAMB.

757. *Dimittere*] Ita Vet. Cod. GIFAN.

759. *Flammis infeſta*] Non ita dico *flammis infeſta*, id eſt flammis inimica, ut frigida: ſed flammis immoderatis oppleta, atque occupata, & quoddammodo infeſtata, ac vexata. ſic libro 1: 520.

Hinc flammis, illinc rigidis infeſta pruinis:

ut quidem legendum putant nonnulli: quibus aſſentior. nam alii quidam legi volunt

——— ——— *rigidis in feſſa pruinis.* LAMB. ẏ. 769.

——— *Luminibus propriis inimica.*

Lambinus autem, Flammis immoderatis oppleta vel occupata, & quodammodò infeſtata & vexata. Huic verò Interpreti ne credas. CREECH.

760. *Interſtingui*] Interea exſtingui, intereaque perire. LAMBIN.

761. *Et cur Terra queat*] Nunc de lunæ defectu. LAMBIN.

762. *Et oppreſſum Solem ſuper ipſa tenere*] Sic quidem habent omnes libri, & Manuſcr. & vulgati: quæ lectio, ſi cui probetur, ſic explicari poteſt: & ipſa, ſcilicet Luna, ſuper, id eſt cum ſit ſuper, Solem oppreſſum tenere. Sed ego, invitis libris omnibus, olim ſic legendum eſſe putabam,

——— *& oppreſſum ſubter Solem ipſa tenere.*

hoc enim ſentire mihi Lucretius videbatur: Cur Terra inter Solem & Lunam intercedens (nam ex hujuſmodi interpoſitione defectum Lunæ naſci volunt ferè omnes) lunam Lumine ſpoliare, ſolemque quodammodo ipſa ſubter ſe oppreſſum tenere poſſit, dum Luna in umbram Terræ incidit: eodem tempore aliud corpus, quam Terra, Lunæ ſuccedere & ſubjici, vel ſupra Solis orbem ferri non queat? mendum autem exiſtimabam eſſe natum ex voce *ſupter*, ſcripta per *p*, unde poſtea factum eſſe *ſuper*: poſtremo cùm ſyllabæ prioris brevitas verſum corrumperet, mutatum ordinem verborum, & ita ſcriptum, ut videmus. Verumtamen neque quicquam antea mutavi, neque nunc mutandum cenſeo. Ad hunc locum pertinet illa M. Tull. libro 2. de nat. Deor. *Atque etiam tum ſubjecta atque oppoſita Soli, radios ejus & Lumen obſcurat, tum ipſa incidens in umbram Terræ, cum eſt è regione Solis, interpoſitu interjectuque Terræ, repente deficit.* LAMB. *Solem ſuper ipſa tenere*, Hæc veriſſima ſcriptura in veteribus libris. Forte etiam *ſupera:* quod reſpondeat oppreſſo & inferiori Soli. Vide *Super*,

in

Menſtrua dum rigidas Coni perlabitur umbras:
Tempore eodem aliud nequeat ſuccurrere Lunae
Corpus, vel ſupera Solis perlabier orbem,
Quod radios interrumpat, lumenque profuſum?
Et tamen ipſa ſuo ſi fulgit Luna nitore,
Cur nequeat certa mundi langueſcere parte,
Dum loca luminibus propriis inimica per exit?
Quod ſupereſt, quoniam magni per caerula Mundi
Qua fieri quidquid poſſet ratione, reſolvi:

Solis.

INTERPRETATIO.

dum Luna menſtruum ſuum curſum peragens rigidam Terræ umbram quæ eſt conicæ figuræ perlabitur, tempore autem eodem non poſſit aliud Corpus ſupra Solis globum volvi, & Lunæ ſupponi, quod effuſos Solis radios intercipiat? Et tamen ſi Luna propria luce ſplendeat, cur non poſſit certa Mundi parte deficere, dum pertranſit loca propriæ ſuæ luci infeſta? Quod ſupereſt, quoniam docui qua ratione quidque per immenſum cæruleum Cœlum fieri poſſit,

VARIÆ LECTIONES.

767. *fulgit.* fulget X. Z.

768. *certa mundi.* tetra mundi C. E. N. Q. terra X.

769. *per exit.* Ita legendum eſſe patet ex Codd. varietate. *Nam habent* peragrat A. B. D. I. perexit C. Q. Y. Z. per exit E. N. P. V. pervexit Q. X. pererrat *Lamb. Faber.* & *Creech. Poſt hunc verſus ſequens inſeritur per* C. E. L. N. P. Q. Menſtrua *cum rigidis* coni perlabitur umbras. *Ubi,* dum rigidas E. L. P. *Sed delendum cenſet* L.

770 *ſoleant.* poſſent Q1. *effecto lumine.* effœto lumine C. E. P. *Quidam tamen Codd.* P. offecto. efecto Q.

NOTÆ.

in Indice. GIFAN. *Super,* Ridicule facit qui in notis ſuis iſtud *ſuper* de Luna intelligit; imo ad Terram referri debet; quod ratio & verſus ſequentes probant. FABER. *Fayus* autem, *Retinere Solem abſconditum ſupra ſeipſam:* Oedipum quæras, Ego Davus ſum. CREECH.

763. *Menſtrua dum rigidas, &c.*] Id eſt, dum Luna ſpatio menſtruo curſum ſuum conficiens, perlabitur ultimam umbrarum Terræ partem. quidam per *conum* terram ſignificari volunt, quaſi ſit κωνοειδὴς, cum Ariſtoteles libr. 2. μετεώρ. dicat eſſe tympani figura, & lineas ab ejus centro ductas duos conos efficere. LAMB.

763. *Coni*] Vel terram κωνοειδῆ facit: vel mucronem ſeu acumen umbræ telluris ſignificat. FABER.

764. *Succurrere*] Succedere, vel ſubter, aut surſum ire. LAMBIN. Succedere in locum Lunæ: *Fayus:* Digna *Fayo* ſententia. *Succurrere* autem *Subter ire.* CREECH.

766. *Radios*] Solis. LAMB.

768. *Cur nequeat certa*] Sic habet cod. Vatic. & vulgati Florent. LAMB.

769. *Pererrat*] Sic emendavi. nam vulgata lectio *perexit*, mendoſa & corrupta eſt. alii legunt *peragrat.* LAMB. *Peragrat?* Ita in veteribus libris noſtris. In aliis, & Vulgatis: *per exit?* Verſum ſeq. quia a Veteribus aberat & inepte hic inculcatus erat, ſuſtuli. GIFAN.

769. *Menſtrua dum rig.*] Fruſtra hic verſus alieno loco iteratur. LAMB.

770. *Quod ſupereſt, quoniam*] Brevis ἀνακεφαλαίωσις eorum quæ hactenus explicavit: poſtquam redit ad initium mundi, & docet, quid primum in mundo recenti natum ſit. LAMB. Explicatis ſuo more Solis, Lunæ, & Aſtrorum

moti-

Solis uti varios curſus, Lunaeque meatus
Noſcere poſſemus, quae vis, & cauſa cieret:
Quove modo ſoleant offecto lumine obire,
Et nec opinanteis tenebris obducere terras:
Quom quaſi connivent, & aperto lumine rurſum
Omnia conviſunt clara loca candida luce.
  Nunc redeo ad Mundi novitatem, & mollia terrae
Arva, novo foetu quid primum in luminis oras
Tollere, & incertis tentârit credere ventis.

Prin-

INTERPRETATIO.

ita ut ſcire poſſemus quæ vis & cauſa varios Solis Lunæque curſus cieret & dirigeret, quo etiam modo Eclipſin pati ſolent, & improviſo Terras tenebris obducere, cum quaſi connivent, quo denique modo rurſum aperto lumine omnia loca clara luce ſplendentia illuſtrant: Nunc redeo ad Mundi novitatem, & mollia Terræ Arva, explicaturus quid primùm produxit, & incertis ventis committere audebat.

VARIÆ LECTIONES.

775. *nec.* neque N. Q. X. Y. Z.
777. *candida luce.* condita luce c. O. P.
780. *Tollere, & incertis tentârit credere ventis.* Tolleret, incertis credunt committere ventis V. Tollere & incertis credunt committere P. Q1. X. Y. Z. ceperunt credere V. tendat committere E. N. *Antiqui Codd. Pii.*

NOTÆ.

motibus, à Cœlis ad Terras ℣. 11. deſcendit, Rerum ortum & originem è tellure Rerum omnium parente enarraturus. CREECH.

772, *Solis uti varios &c.*] Elegans ἀνακεφαλαίωσις. GIFAN.

774. *Offecto Lumine*] Sic reſtitui, tres codices Manuſcriptos ſecutus, in quibus planè & ſine litura ita ſcriptum eſt: in duobus aliis autem *offeto*, & *offæto*, cum vulgati habeant *effeto*, vel *effæto*. *offecto* autem interpretor *obducto & obſtructo, & per alicujus corporis interpoſitionem ad tempus excluſo.* idem lib. 2: 155.

—— —— —— —— *& extra*
Officiuntur, uti cogantur tardius ire. LAMB.

Hæc perſpicue vera ſcriptura, ex veteribus libris. GIFAN.

776. *Connivent*] Συμμύουσι lumen ſuum claudunt. tralatio eſſet, niſi addidiſſet *quaſi*. nunc autem eſt εἰκών. LAMB. Solem & Lunam tanquam duos hujus Mundi oculos concipe. CREECH.

780. *Et incertis tentârit credere ventis*] Sic reſtitui partim conjectura ductus, partim à veteribus libris adjutus, partim à ſententia ipſa admonitus. Nam cùm reperiſſem in aliis libris Manuſcript. *tendant committere*; in aliis, *credunt committere*: in vulgatis item modo hoc, modo illud, modo *tendat*, numero ſingulari: viderem autem ſententiam poſtulare verbum numeri ſingul. præteriti temporis optativi modi, ego ex *tendant* feci *tentârit*, ex *credunt*, *credere*, ſuſpicatus, vulgatum *committere*, fuiſſe explicationem verbi *credere*, ad oram libri adſcriptam, quæ poſtea in contextum verborum tranſlata ſit, ejecto vero & germano verbo *credere*. LAMB. Mira Lambini Euſtochaſia. In veteribus libris: *tendant committere*; & : *credunt committere*. Vulgati: *tendant committere.* GIFAN.

781. *Principio, genus herbarum &c.*] Ita ℣. 18. ortum Rerum è recenti Tellure enarrat Lucretius, ut ipſam originem ſpectaſſe videatur: Nam primùm Herbæ, deinde Arbores, poſtea Ani-

 ma-

Principio, genus Herbarum, viridemque nitorem
Terra dedit circum colleis; campoſque per omneis
Florida fulſerunt viridanti prata colore:
Arboribuſque datum eſt variis exinde per auras
Creſcendi magnum immiſſis certamen habenis.
Ut Pluma atque Pili primum Setaeque creantur
Quadrupedum in membris, & corpore pennipotentum:
Sic nova tum Tellus herbas virgultaque primum
Suſtulit: inde loci Mortalia Saecla creavit
Multa modis multis varia ratione coörta.

Nam

INTERPRETATIO.

Primo, virides herbas circum colles produxit Tellus, & per omnes campos florida prata viridanti colore fulſerunt: Deinde variæ arbores ſurgebant, & illis in altum creſcere, & ramos per auras longè lateque extendere indulſit Natura; Ut in membris quadrupedum pili & Setæ, & in corporibus Avium plumæ primum naſcuntur: Sic tum nova Tellus herbas arboreſque primum produxit, deinde Animalium multa genera diverſa ratione, diverſiſque modis exorta:

VARIÆ LECTIONES.

787. Deeſt *in.* C. E. P. X. Y. Z.
790. *coörta.* ratione creata c. P. cohorta *Codd. antiqui* P.

NOTÆ.

malia minùs perfecta, & demum perfectiora. Quippe cùm Mures, Ranas, & ejuſmodi Animalia ſponte naſci hodiè, cum totus Mundus conſenuit, videamus, quid à recenti Tellure, & adulto Æthere ſperare non licet? Creech.

785. *Immiſſis certamen habenis*] Id eſt laxatis. Virgil. lib. 6. Æneid. 1.

Sic fatur lacrymans, claſſique immittit habenas.

Sententia autem hujus loci hæc eſt: arboribusque datum eſt, à natura ſcilicet, ut certatim, & hilariter, & ſine ulla mora, ullove impedimento creſcerent. allegoria eſt ducta ab equis, quibus *habenæ* ab aurigis inter currendum laxantur. Virgilius propius tranſtulit ad claſſem, Lamb.

789. *Inde loci*] Id eſt ab illo tempore. ſic ſup. 438.

Diffugere inde loci partes cœpere, pareſque
Cum paribus jungi. Lamb.

791. *Nam neque de Cœlo*] Sic ſup. lib. 2: 1153.

Haud (ut opinor) enim mortalia Sæcla ſuperne
Aurea de Cœlo demiſit funis in arva. Lamb.

793. *Linquitur, ut merito*] Sic lib. 2: 598.

Quare magna Deûm mater, materque ferarum,
Et noſtri genitrix hæc dicta eſt corporis una:

& infra ſtatim ℣. 819.

Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
Terra tenet merito, &c. Lamb.

Supereſt, igitur, ut, *&c.* Faber.

795. *Multaque nunc etiam exſiſtunt*] A ſimili probat, Animalia omnia principiò Terra humida, Solis calore calefacta, exſtitiſſe. Lamb.

798. *Atque Æthere adulta*] Quidam legi volunt *adulto.* Sed ſcriptura recepta ſervari poteſt, ut ſubintelligatur ἀπὸ κοινοῦ *novo.* Lamb.

799. *Principio, genus Alituum*] Rationem primæ originis animantium explicat ex ſententia Anaximandri, & aliorum quorundam veterum Philoſophorum: quam pluribus perſequitur Diod. Siculus lib. 1. non longè à principio: quæ, quia hunc locum non mediocriter mihi videntur illuſtratura, adſcribere non pigebit. Ταύτην δὲ [γῆν] τὸ μὲν πρῶτον τοῦ περὶ τὸν ἥλιον πυρὸς καταλάμψαντος πῆξιν λαβεῖν, ἔπειτα διὰ τὴν θερμασίαν ἀναζυ- μένης.

Nam neque de Coelo cecidiſſe Animalia poſſunt,
Nec terreſtria de ſalſis exîſſe lacunis.
Linquitur ut merito maternum nomen adepta
Terra ſit, è terra quoniam ſunt cuncta creata.
Multaque nunc etiam exiſtunt animalia Terris,
Imbribus, & calido Solis concreta vapore.
Quo minus eſt mirum, ſi tum ſunt plura coörta,
Et majora nova Tellure, atque Aethere adulto.
Principio, genus Alituum, variaeque Volucres

Ova

INTERPRETATIO.

neque enim quis putet Animalia è Cœlo cecidiſſe, Aut Terreſtria in Mari produci: Reſtat igitur ut Terra jure meritoque dicatur Animalium Mater, quoniam ex illa cuncta ſunt creata: Imo hodierno die multa Animalia è Terra naſcuntur imbribus Soliſque calore animata & perfecta. Minus ideo mirandum eſt ſi tum temporis plura coörta fuerint, & majora, cum nova fuit Tellus, & magis vigebat Æther. Primo, Aves Vere excluſæ

VARIÆ LECTIONES.

794. *ſunt.* ſint P.
798. *majora.* majore P. Y. Z. *corrigit tamen in not.* P. *adulto.* adulta A. B. C. D. E. I. L. N *Gaſſ.* P.

NOTÆ.

μένης τῆς ἐπιφανείας, συνοιδῆσαί τινα τῶν ὑγρῶν κατὰ πολλοὺς τόπους, καὶ γενέσθαι περὶ αὐτὰ σηπεδόνας ὑμέσι λεπτοῖς περιεχομένας. ὅπερ ἐστὶν ἐν τοῖς ἕλεσι, καὶ τοῖς λιμνάζουσι τῶν τόπων ἔτι καὶ νῦν ὁρᾶσθαι γινόμενον, ἐπειδὰν τῆς χώρας κατεψυγμένης ἄφνω διάπυρος ὁ ἀὴρ γένηται, μὴ λαβὼν τὴν μεταβολὴν ἐκ τοῦ κατ᾽ ὀλίγον. ζωογονουμένων δὲ τῶν ὑγρῶν διὰ τῆς θερμασίας τὸν εἰρημένον τρόπον, τὰς μὲν νύκτας λαμβάνειν αὐτίκα τὴν τροφὴν ἐκ τῆς πιπτούσης ἀπὸ τοῦ περιέχοντος ὁμίχλης. τὰς δ᾽ ἡμέρας ὑπὸ τοῦ καύματος στερεοῦσθαι. τὸ δ᾽ ἔσχατον τῶν κυοφορουμένων τὴν τελείαν αὔξησιν λαβόντων, καὶ τῶν ὑμένων διακαυθέντων τε καὶ περιρραγέντων, ἀναφυῆναι, καὶ φανῆναι παντοδαποὺς τύπους ζώων. τούτων δὲ τὰ μὲν πλείστης θερμασίας κεκοινωνηκότα, πρὸς τοὺς μετεώρους ἀπελθεῖν γενόμενα πτηνά· τὰ δὲ γεώδους ἀντεχόμενα συγκρίσεως, ἐν τῇ τῶν ἑρπετῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπιγείων τάξει καταριθμηθῆναι. τὰ δὲ φύσεως ὑγρᾶς μάλιστα μετειληφότα, πρὸς τὸν ὁμογενῆ τόπον συνδραμεῖν, ὀνομασθέντα πλωτά, &c, id eſt, *Hanc autem (Terram) primum quidem cum ignis Soli circumfuſus eam colluſtraſſet, concreviſſe: deinde, cum propterea quod concaluerat, extremæ ejus oræ veluti fermentarentur, multis locis humida quædam intumuiſſe, & in eis putrores quoſdam tenuibus membranis circundatos extitiſſe. quod in paludibus & in ſtagnantibus locis etiam nunc fieri cernere licet, cum ea loci regione frigida facta, aër repente exarſerit, neque ſenſim fuerit immutatus. Humida autem illa eo, quo diximus, modo calore animata, noctu quidem ex nebula ſuperne cadente cibum cepiſſe; interdiu autem ab æſtu ſolidata eſſe. Poſtremo iis quæ in uteris Terræ inoleviſſent, juſtum incrementum conſecutis, membraniſque peruſtis ac perfractis, exſtitiſſe, atque exortas eſſe omnis generis animalium formas. Horum autem ea quidem, quæ plurimum caloris nactæ fuiſſent, ad ſuperna loca abiiſſe, volatilia facta: ea autem quæ terrenam retinuiſſent ſoliditatem, in reptilium & aliorum terreſtrium ordine eſſe numerata, quæ vero naturam humidam maxime haberent, ad locum ejuſdem generis concurriſſe, natatilia nominata.* Idem ibidem quoſdam Euripidis verſus ex Menalippa profert ab hac ſententia non diſcrepanteis:

Ὡς οὐρανός τε, γαῖά τ᾽ ἦν μορφὴ μία·
Ἐπεὶ δ᾽ ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,
Τίκτουσι πάντα, καὶ ἔδωκαν ἐς φάος,
Δένδρη, πετεινά, θῆρας, οὕς θ᾽ ἅλμη τρέφει
Γένος τε θνητῶν.

Ova relinquebant excluſae tempore verno:
Folliculos ut nunc tereteis aeſtate Cicadae
Linquunt, ſponte ſua victum, vitamque petentes.
Tum tibi Terra dedit primum Mortalia Saecla:
Multus enim Calor, atque Humor ſuperabat in arvis.
Hinc

INTERPRETATIO.

Ova ſua relinquebant, ut nunc Cicadæ rotundas gracileſque tunicas æſtate relinquunt, alimentum quo Vita ſuſtentetur ipſæ per campos quæſituræ. Tunc primum Terra produxit Animalia, plurimus enim calor, & plurimus humor in arvis abundabat.

VARIÆ LECTIONES.

801. *æſtate.* ætate V.
803. *Tum tibi.* Tunc ibi terra c. P.

NOTÆ.

id eſt,

Nam Terra, Cœlumque una forma erant, ſimul:
Sed alterum poſtquam ſeorſum ab altero
Junctum eſt, peperere cuncta, & edidere in Luminis
Oras, ut arbores, feras, atque alites,
Et quas alit Mare, & genus mortalium. Lamb.

Primùm Volucres Ovis excluduntur, verno quidem tempore, id enim tempus maximè opportunum, ſed Plumis, Pennis, iis denique viribus inſtructæ, ut ſponte ſua victum quæritarent. Deinde è quibuſdam Folliculis, quos Uteros appellemus, Terræ adhærentibus Alia Animalia, atque ipſi Homines eruperunt, quibus alendis idoneus Liquor lacti ſimillimus è matris Terræ venis commodè in ora ſingulorum fluxit, nam parienti Telluri non minus quam Fæminis Lac rectè attribui videatur: Ita Tellus Alimentum dedit, Temperies Aëris fecit ut veſtimentis non eſſet opus, & molle Cubile præbebat Terra multo gramine abundans. ℣. 17. Creech.

800. *Excluſæ*] Propriè & uſitate dixit. Gallinæ enim & ceteræ aves pullos ex ovis excludere dicuntur. Lambin.

801. *Folliculos ut nunc*] Tunicas appellavit ſup. lib. 4. non longe à principio,

——— ——— ——— ——— ——— *ut olim*
Quom veteres ponunt tunicas æſtate cicadæ.

Lamb. & Gifan.

803. *Tunc ibi*] Fingit poëtice Lucretius poſt creata cuncta Animalia hominem ex humo eſſe genitum: nútritumque pabulis etiam terrenis. ſuper qua re Papinius eleganter.

——— ——— ——— *Ornique ferebant*
Dura puerperia, & populos umbroſa creavit
Fraxinus, & fœta viridis puer excidit orno.

Similiter Maro Æneid. 8: 315.

Genſque virum truncis, & duro robore nata.

Pius. *Tum tibi Terra*, Sic habent aliquot libri vulgati: quibuſcum conſentiunt tres Manuſcripti. alii, *Tunc ibi.* Lamb. In quibuſdam: *Tunc ibi.* Gifan.

805. *Hinc, ubi quæque*] Sic reſtitui in ſecunda jam editione, cum in libris Manuſcriptis ſcriptum reperiſſem partim *Hoc ubi*, partim *Ecce ubi*, partim *Ac tibi*, partim *Heccubi*. In prima autem repoſueram *Atque ubi*, non malè. Lamb. Ita in veteribus libris noſtris. In aliis: *Hecce.* In aliis *Ecce*; ut & in Vulgatis. Gifan.

806. *Creſcebant Uteri*] Profert hunc verſum Firmianus lib. ſecundo de origine erroris, cap. 12. totamque hanc de prima animalium ſententiam refellit his verbis: *Ajunt certis converſionibus cœli, & aſtrorum motibus, maturitatem quandam exſtitiſſe animalium ſerendorum: itaque Terram novam ſemen genitale retinentem, folliculos ex ſe quoſdam in uterorum ſimilitudinem protuliſſe, de quibus Lucret. libro quinto:*

Creſcebant uteri, &c.

eoſque, cum maturaſſent, natura cogente ruptos, animalia tenera profudiſſe: deinde terram ipſam humore quodam, qui eſſet lacti ſimilis, exuberaſſe, eoque alimento animanseis eſſe nutritos, &c. nam ſatis eſt mihi locum indicaſſe. Eodem pertinet illud

Hinc ubi quaeque loci regio opportuna dabatur,
Creſcebant Uteri Terrae radicibus apti;
Quos ubi tempore maturo patefecerat aetas
Infantum fugiens humorem, auraſque petiſſens,
Convertebat ibi Natura foramina terræ,

INTERPRETATIO.

Hinc ubicunque idoneus erat locus Uteri creſcebant filamentis quibuſdam Terræ adnexi, Quos Uteros cum Infantes jam maturi perruperant, humorem in iſtis uteris contentum fugientes, & auras petentes, Natura meatus quoſdam Terræ opportune in iſtis locis patefecit,

VARIÆ LECTIONES.

805. *Hinc ubi.* Ecce ubi C. E. N. Hinc ubi c. Atque, ubi D. Hoc V. Y. Z.
806. *terræ.* terræ in Q1. terram Y. Z. *Lactantius.*
807. *ætas.* æſtas Q.
808. *humorem.* humore *Codd.* P. *petiſſens.* peteſſens E. V. Y. Z. petiſcens P. petenſes Q. X.
809. *ibi.* ibus natura L.

NOTÆ.

Iud M. Tull. lib. 1. de legibus. *Nam cum de natura omni quæritur, diſputari ſolent nimirum iſta, & nimirum ita ſunt ut diſputantur: perpetuis curſibus, & converſionibus cæleſtibus exſtitiſſe quandam maturitatem ſerendi generis humani, quod ſparſim in terras, atque ſatum, divino auctum ſit animorum munere.* Ad hunc eundem locum pertinent illa quæ dicuntur à Dione Chryſoſt. oratione Olymp. aut de prima Dei notitia: Πρώτην μὲν τροφὴν οἱ πρῶτοι καὶ αὐτόχθονες νεμόμενοι τὴν γεώδη, μαλακῆς ἔτι καὶ πίονος τῆς ἰλύος τότε οὔσης, ὥσπερ ἀπὸ μητρὸς γῆς λιχμώμενοι, καθάπερ τὰ φυτὰ νῦν ἕλκουσιν ἐξ αὐτῆς ἰκμάδα, &c. id eſt, *Ac primi quidem homines, & ex ipſa Terra nati, primum alimentum carpentes terreſtre, cum mollis etiam tunc, & pinguis limus eſſet, tanquam à matre Terra lambentes, ac ſugentes, quemadmodum ſtirpes & plantæ nunc ex ea humorem trahunt,* &c. LAMB.

806. *Terræ radicibus apti*] Id eſt, inhærentes & affixi Terræ radicibus. LAMB. Συναφθέντες. Vide omnino Diodorum lib. 1. magnum enim operæ pretium fuerit. FABER. Συναφθέντες. Olim *Cenſorinus* Cap. 2. ut Hodiè *Fayus*, vocem *Radicibus* voci *Terræ* adjunxit: ſed fallitur. CREECH.

808. *Fugiens humorem*] Sic omnes libri. Lambinus tamen: *ſugens.* Loquitur de humore, de quo quarto ab hinc verſu; ibi: *Multus, &c.* GIFAN. Exiſtimaram olim legendum *ſugens humorem*; verbis Firmiani & ſimilibus locis adductus. Nunc autem lectionem receptam tueor, *fugiens humorem.* Sunt enim hæc quaſi conſequentia

——— *fugiens humorem, auraſque petiſſens.*

LAMB. In quo viz. humore Infantes in iſtis uteris incluſi natabant. CREECH.

808. *Auraſque petiſſens*] Sic habent tres libri Manuſcripti. dictum autem *petiſſo*, ſeu *peteſſo*. ut *capeſſo*, *laceſſo*, *arceſſo*: malim autem reponi *petiſſens.* Sic enim Feſtus: *Petiſſere antiqui pro petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua ſunt laceſſere & inceſſere Sed (ut mihi videtur) eo ſignificabant ſæpius petere, ut petiſſant, ſæpius petant.* Hactenus Feſtus. utitur hoc verbo & M. Tull. lib. ſecundo de Conſulatu:

Menteque divina Cælum, Terraſque petiſſit.

LAMB. *Petiſſens*, Ita noſtri libri; rectiſſime. GIFAN.

809. *Convertebat ibi*] Sic quidem habent omnes libri, & Manuſcripti & vulgati: veruntamen *ibus* legendum putabam, ut intelligamus, naturam convertiſſe foramina Terræ ad infanteis, ſeu potiùs ad uteros illos tempore maturo patefactos. *ibus* autem antiquum pro *iis*, teſte Nonio. Plautus Milite 1: 1: 74.

——— ——— *ibus denumerem ſtipendium.*

Et ſuccum venis cogebat fundere apertis
Conſimilem Lactis: ſicut nunc Foemina quaeque
Quom peperit, dulci repletur Lacte, quod omnis
Impetus in mammas convertitur ille alimenti.
Terra cibum Pueris, veſtem Vapor, Herba cubile
Praebebat multa & molli lanugine abundans.
At novitas Mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios aeſtus, nec magnis viribus auras.
Omnia enim pariter creſcunt, & robora ſumunt.
Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
Terra tenet merito, quoniam genus ipſa creavit
Humanum, atque Animal prope certo tempore fudit
Omne,

INTERPRETATIO.

& coëgit Terram patulis ſuis venis effundere liquorem lactis ſimilem; ut nunc unaquæque Fœmina cum peperit dulci lacte repletur, quoniam omnis liquor lacteus per totum corpus diffuſus tum temporis in mammas derivatur. Terra præbebat cibum Infantibus, Calor Veſtem & molle gramen idoneum cubile: In novo autem Mundo, nec Frigus erat penetrans, nec æſtus nimii, nec venti vehementes, aut procellæ; Cuncta enim paulatim creſcunt, & vires ſumunt: Jure igitur meritoque Terra mater Animalium dicatur, quoniam ipſa edidit humanum genus, omnia etiam Animalia,

VARIÆ LECTIONES.

810. *Et ſuccum.* Ut ſuccum P. X. Y. Z. *Corrigi tamen jubet*, Et ſuccum *in not.* P.
811. *Lactis.* lacti Q1.
821. *Animal.* animas Q1. X. Y. *fudit.* fundit Z.

NOTÆ.

Pomponius: *Nunc quando voluiſti facere, fac voluptati ſies ibus.* Verumtamen nihil mutare auſim. LAMB. *Ibi*, id eſt tum. FABER.. *Ibus* pro *iis* Lambinus. *Ibi* Faber: *Tum* mihi videtur reſpicere vocem *Ubi* ℣. 805. CREECH.

813. *Impetus alimenti*] Nil meliùs poterat; ſentiri poteſt, non explicari. FABER.

816. *At novitas Mundi*] Hoc pertinet ad id quod quis objicere poterat, neque omiſit Firmianus. ſic enim ille eo, quem paullo antè indicavi, loco: Quomodo autem vim frigoris, aut caloris, ferre aut vitare potuerunt, aut omnino naſci, cum Sol exureret, frigus aſtringeret? Non erant (inquiunt) à principio mundi hiems & æſtas, ſed perpetua temperies, & ver æquabile. Cur ergo nihil horum fieri etiam nunc videmus? &c. LAMB. Quomodo autem Vim frigoris aut Caloris ferre, aut vivere potuerunt, aut omnino naſci, cùm Sol exureret, Frigus aſtringeret? Quia in Principio Mundi non erat Hyems & Æſtas, ſed perpetua temperies, & Ver æquabile ℣. 3. Ab omni igitur retro ætate Tellus Mater jure dicta eſt, cùm Volucres, Feras, ipſum denique Hominem produxit. CREECH.

818. *Omnia enim pariter*, &c.] Ita quoque Æſtas & Hyems, iſta enim hujus verſus ſententia. CREECH.

819. *Quare etiam atque etiam*] Sic ſupra paullo antè:

Linquitur, ut merito, &c. LAMB.

819. *Maternum nomen adepta Terra tenet*] *Adepta tenet* ſic dictum, ut illa quæ annotavi ad illum verſum libr. 1: 1068.

Am-

Omne, quod in magnis bacchatur montibus paſſim,
Aëriaſque ſimul Volucreis variantibus formis.
Sed quia finem aliquam pariendi debet habere,
Deſtitit, ut Mulier ſpatio defeſſa vetuſto,
Mutat enim mundi naturam totius aetas,
Ex alioque alius ſtatus excipere omnia debet,
Nec manet ulla ſui ſimilis res: omnia migrant,
Omnia commutat Natura, & vertere cogit.
Namque aliud putreſcit, & aevo debile languet:
Porro aliud concreſcit, & è contemptibus exit.
Sic igitur Mundi naturam totius aetas

Mutat,

INTERPRETATIO.

quæ per Magnos montes ſæviunt, diverſa genera Avium, quæ per Aëra vagantur. Sed quia debet habere aliquem pariendi finem, ceſſavit tandem, ut Mulier tandem longa ætate ſterilis, namque ætas mutat naturam totius Mundi, non eadem ſemper manet rerum conditio, nulla res manet ſui ſimilis, mutantur omnia, Natura commutat cuncta, & cogit vertere; Namque aliud putreſcit, & ſenio confectum languet, viget interim aliud, & ætate floret; Similiter ætas mutat Naturam totius Mundi,

VARIÆ LECTIONES.

823. *Aëriaſque.* Aëriæque Y. Z.
828. *ulla.* illa P. *migrant.* migrat Amarg.
831. *concreſcit.* creſcit X. Z. *contemptibus.* contentibus C. *Ita corrigi jubet* P. *in not.* contemptilibus Q1.

NOTÆ.

Amplexi quod habent perverſe prima viaï. LAMB.

822. *Quod in magnis bacchatur montibus paſſim*] Id eſt, quod paſſim per monteis, bacchantium in morem, vagatur. LAMB.

824. *Sed quia finem aliquam* &c.] Cur vero nihil horum fieri etiamnum videmus? Quoniam ℣. 11. Temporis conditio mutatur, Terra deſiit parere, Et quid mirum ſi Mundus jam Senex modo Calore, modo frigore nimio, & aliis longæ ætatis incommodis vexatus, ſterilis tandem fiat & effœtus? CREECH.

825. *Deſtitit, ut Mulier*] Sic ſupra libro ſecundo 1149.

Jamque adeo fracta eſt ætas, affectaque Tellus:
Vix animalia parva creat, &c. LAMB.

827. *Excipere omnia*] Subſequi omnia, ὑποδέχεσθαι, ſuccedere omnibus. LAMB.

828. *Omnia migrant*] Πάντα μεταβαίνει, omnia mutantur, & demigrant ex ſuo ſtatu, aut ex ſua forma. LAMB. Dulcius, & elegantius eſſet: *migrat.* GIFAN.

829. *Et vertere cogit*] *Vertere* abſolutè poſitum eſt, & veluti pro *verti.* LAMB.

830. *Namque aliud putreſcit, &c.*] Sic ſupra libro 2: ℣. 78.

——— ——— ſic rerum ſumma novatur
Semper, & inter ſe mortales mutua vivunt:
Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur, &c.

eodem libro, 576.

——— ——— ——— miſcetur funere vagor,
Quem pueri tollunt, viſentes Luminis oras, &c.

LAMB.

830. *Ævo debile*] Ætate atque annis debilitatum & confectum. LAMB.

 835. *Mul-*

Mutat, & ex alio Terram ſtatus excipit alter,
Quod potuit, nequeat: poſſit, quod non tulit ante.
Multaque tum Tellus etiam portenta creare.

Co-

INTERPRETATIO.

nunc alius, & deinde alius eſt Terræ ſtatus, ita ut jam nequeat facere quod olim potuit, jam etiam producat, quod olim non produxit. Tum etiam Terra conata eſt producere multa.

VARIÆ LECTIONES.

833. *Terram ſtatus accipit alter.* Terræ ſtatus extitit alter D.

NOTÆ.

835. *Multaque tum Tellus*] Ratione primi animantium ortus explicata, docet, Terram, tanquam rudem ſcilicet & imperitam, non ſtatim perfecta & omnibus ſuis partibus ac numeris abſoluta Animalia creaſſe, ſed initio multa portenta, alia ſine capite, alia ſine ore, alia ſine manibus, &c. edidiſſe: ſed fruſtra, quod ea neque adoleſcere, neque juſtum incrementum ſumere, neque cibum capere, neque inter ſe commiſceri procreandi cauſa potuerint. Eo conſilio autem hæc ab Epicuro excogitata ſunt, ut oſtenderet nullam eſſe providentiam, & homines ceteraque animalia, non divinitus, ſed fortuito eſſe nata. Quam ſententiam refellit Lactantius libr. de opificio Dei, capite ſexto, his verbis: *Non poſſum hoc loco teneri, quo minus Epicuri ſtultitiam rurſum coarguam. Illius enim ſunt omnia, quæ delirat Lucretius, qui, ut oſtenderet animalia non artificio aliquo divinæ mentis, ſed, ut ſolet, fortuito eſſe nata, dixit, in principio mundi alias quaſdam innumerabileis animanteis miranda ſpecie & magnitudine fuiſſe natas, ſed eas permanere non potuiſſe, quod illas aut ſumendi cibi facultas, aut coëundi generandique ratio defeciſſet, &c.* Lamb. Quoniam fortuito nata erant Animalia, putandum eſt in principio Mundi alia quædam innumerabilia Animalia miranda ſpecie & magnitudine fuiſſe nata, ſed ea permanere non potuiſſe, quod imperfecta erant, & quòd illa ſumendi cibi facultas, aut coëundi, generandique ratio defecit ℣. 20. Nam quæcunque videmus Animalium genera, aut ſuis virtutibus aut Hominum cura conſervantur; Leones defendunt vires, Dolus Vulpes, Cervos Fuga &c. Quæ noſtris commodis inſerviunt, Canes, Boves, Equos &c. Nos ipſi defendimus & tuemur: Sed quid imperfecta, & quæ nulli uſui forent aleremus? Creech.

837. *Androgynum*] Extat elaboratum omni cum lepore & venere, Pulicis antiqui poëtæ Epigramma: id dignum viſum eſt, quod noſtris his Vigiliis inſeratur. Pulicem igitur audi.

Cum mea me genetrix gravida geſtaret in alvo,
Quid pareret fertur conſuluiſſe deos.
Mas eſt Phœbus ait: Mars fœmina, Junoque neutrum.
Cumque forem natus Hermaphroditus eram.
Quærenti letum dea ſic ait. occidet armis.
Mars cruce: Phœbus aquis. ſors rata quæque fuit.
Arbor obumbrat aquas: aſcendo: decidit enſis,
Quem tuleram caſu: labor & ipſe ſuper.
Pes hæſit ramis: caput incidit amne: tulique
Fœmina, vir, neutrum, flumina, tela, crucem.

Non injucundum fore putavi hos poëtæ priſci verſus inſerere ut palæophilos & antiquitatis ſcrutatores demererer, quos & probo & laudo. Siquidem nil me perinde reficit & mulcet quam elogii, aut inſcriptionis antiquitatem ſobriam & doctam redolens Epigramma: quale nuper invento marmore in agro Bononienſi inhianti & pendenti mente legi monimentum erutum iis verbis miro characteris artificio cælatis. Q. MANILIO. C. F. CORDO LEG. XXI. RAPAC. PRÆF. EQUIT. EXAC. TRIBUT. CIVIT. GALL. poſt hæc verba in fine lapidis hoc quoque additum fuit. FAC. CUR. CERTUS LIB. IN AGR. P. XLIV. IN FRO. P. XLIV. hoc eſt. *Quinto Manilio Caii filio Cordo legionis vigeſimæ primæ rapacium præfecto equitum: exactori tributorum civitatum Galliarum. Faciundum curavit Certus libertus. In agro paſſus xliiij. In fronte paſ. totidem.* Et ne *Cordus* vox inſolens te reddat anxium, ſcito *Cordos* antiquos filios appellaſſe qui ſero naſcerentur. id eſt qui eſſent ſerotini: ut *corda frumenta* quæ ſero matureſcunt & *fœnum cor-*

Conata eſt, mira facie, membriſque coörta;
'(Androgynum inter utrum, nec utrumque, & utrinque remotum)
Orba pedum partim, manuum viduata viciſſim,
Muta,

INTERPRETATIO.

Monſtra, mira facie miriſque membris nata, (Androgynum, qui eſt inter utrumque ſexum, nec tamen uterque eſt, & ab utroque alienus.) Partim ſine pedibus, partim ſine manibus,

VARIÆ LECTIONES.

837. *Androgynum inter utrum, nec utrumque, & utrinque remotum.* Androgynum inter utras A. B. C. E. N. P. Q1. Androgynem inter utras X. Y. Z. Androgynum, neutrum L. Androgynen inter neutra, atque ab utroque remotum, *Heinſius.* nec utraque utrimque remotum A. B. nec utramque utrinque remotum C. E. nec utramque utrumque remotum N. Q1. X. nec utrunque & utrunque c. O. P. V. inter utrumque ab utroque remotum L. nec utramque utrumque Y. remoti Z. *Spurium cenſent hunc verſum* A. B. L. *Creech.* Et ego quoque a Sciolo intruſum puto.

NOTÆ.

cordum. auctor eſt Pompejus. hoc aperiet tibi Quintilianum lib. primo ita ſcribentem: *Et ex caſu naſcentium: hinc Agrippa & Opiter & Cordus.* Sed & evidentius rem M. Varro prodit libro de re ruſtica ſecundo: *Dicuntur agni cordi, qui poſt tempus naſcuntur & remanſerunt in volvis intimis, vocant chorion: a quo cordi appellati.* Quod vero ſubditur in agro & in fronte tot paſſus, aperit quoque verſus Horat. lib. 1. ſermonum. 8: 12.

Mille in fronte pedes, tercentos cippus in agrum
Hic dabat, hæredes monimentum ne ſequerentur.

Subdit Porphyrio. *Solet nempe privatis inſcribi monimentis quot pedes in fronte, quot in agris habeant. Item ſingularibus libris notari. h. m. h. n. ſ. videlicet ne pro ſuis habeant in ferendis reliquiis aliorum mortuorum.* Sic nempe Porphyrio corrigendus: quam notandi monumenta formulam in Gallia Ciſalpina ſolerter in veteri lapide conſideravi. Pius. Hunc verſum delendum cenſeo, ut ſpurium: hoc primùm: deinde cùm variè legatur in codicibus & Manuſcr. & vulgatis, eam potiſſimum lectionem ſecutus ſum, quæ mihi minus inepta viſa eſt. Omnino ego arbitror hunc verſum ab aliquo nugatore eſſe inculcatum. *Androgyni* autem ſunt, qui utroque ſexu prædititi ſunt, plane monſtra naturæ, ſed non qualia hîc deſcribit Lucret. qui de iis loquitur quæ adoleſcere, aut omnino ætatem agere nequiverint. At *Androgyni*, qui ſunt iidem hermaproditi, & vivunt, & adoleſcunt, & ſeneſcunt. Itaque quærit Ulpian. lib. 1. ad Sabinum, *utrius ſexus habendus ſit Hermaphroditus,* & Lucill. lib. 30. *imberbos* appellat, quaſi mulieribus quam viris ſimiliores, apud Nonium in voce *imberbi*, hoc verſu corrupto,

In verbo Androgyni, barbati mœchocinædi.

qui ſic eſt emendandus, *Imberbi*, ſeu

Inberbi, Androgyni, barbati mœchocinædi.

Lambin. Delendus hic verſus. Faber. *Androgynum inter utras, nec utraque utrimque remotum,* Ego cum Lambino hunc puto nothum. Ita tamen in Veteribus quibuſdam legitur. In aliis libris aliter. Gifan. Quid de varia Spurii verſus lectione inquiramus, cùm totus deleri debeat? Monebo tamen Heinſium ad Claudiani Phœnicem legere

Androgynen inter neutra, atque ab utroque remotum.

Quicunque hunc verſum inſeruit Androgynon Platonis (in Sympoſio) videtur reſpexiſſe. Creech.

838. *Orba pedum, &c.*] Vel ex hoc verſu apparet verſum *Androgynum*, &c. eſſe alienum. Lamb.

839. *Multa ſine ore*] Quidam libr. habent, *Muta ſine ore.* non probo. Quamquam etiam hæc ſcriptura videtur ferri poſſe, atque adeo eſſe probabilis: ut ſit antitheſis, *Muta ſine ore, ſine vultu.*

Muta, ſine ore, etiam, ſine voltu caeca reperta,
Vinctaque membrorum per totum corpus adhaeſu:
Nec facere ut poſſent quidquam; nec cedere quoquam,
Nec vitare malum, nec ſumere quod foret uſus.
Caetera de genere hoc monſtra, ac portenta creabat:
Nequidquam: quoniam Natura abſterruit auctum:
Nec potuêre cupitum aetatis tangere florem,
Nec reperire cibum, nec jungi per Veneris res.

Multa

INTERPRETATIO.

ſine ore, multa, multa etiam cæca & ſine oculis reperta, alia denique ita agglutinatis & ſibi invicem adhærentibus membris, ut nihil potuiſſent facere, in nullum locum progredi, non malum aut pericula vitare, neque ſumere quod ſibi foret utile ad vitam. Alia ejuſmodi Monſtra & portenta Terra produxit fruſtra, Natura enim non paſſa eſt illa creſcere & nutriri, adoleſcere non potuerunt, neque optatum ætatis florem aſſequi, nec cibum invenire, nec procreandi cauſa conjungi:

VARIÆ LECTIONES.

839. *Muta.* Ita E. *Creech.* N. *Alii* Multa.
842. *foret uſus.* volet uſus C. E. N. P. X. Y.
844. *abſterruit.* abſterguit A. B. I. abs ſe ruit V. Y. abſeruit Z.

NOTÆ.

judicent eruditi. Omnino aptior eſſet antitheſis, ſi eſſet,

Muta ſine ore, etiam ſine viſu cæca. LAMB.

Multa, Quidam libri: *Muta.* GIFAN. Alii, *Muta:* & venuſtius. CREECH. Rectè; *muta ſine ore*, uti mox, *cæca ſine voltu.* HAV.

840. *Adhæſu*] Uſus eſt hac voce ſuprà libro tertio: 382.

Nam neque pulveris interdum ſentimus adhæſum:

& item alibi. Ordo autem & ſententia horum verborum eſt: Et multa portenta conata eſt creare natura, vincta, & conſtricta membrorum colligatione & adhæſione, eaque per totum corpus. LAMB.

842. *Quod foret uſus*] Sic repoſui, conjectura ductus, cum reperiſſem in uno codice manuſcripto

——— ——— ——— *quod fovet uſus.* LAMB.

Egregie Lambinus. Vulgati: *volet.* In Veteribus quibuſdam: *fovet.* Forte *fuat.* GIFAN.

844. *Abſterruit*] Sic habent omnes libri & manuſcript. & vulgati: hoc primum. deinde ſententia eſt optima. poſtremo verbum *abſterrere* eſt elegantiſſimum, uſitatiſſimum, ſignificantiſſimum. Et tamen Zoilus in ejus locum ſubſtituere voluit verbum *abſtergere*, idque muſis omnibus & veneribus invitis ac plorantibus. Nam (ſi diis placet) ut huic verbo hîc locus eſſet, novus iſte Grammaticus ex genere (opinor) Ariſtarchorum, aut Priſcianorum, novum præteritum finxit, *abſterguit*, quod in tota Lingua Latina non reperitur. habet enim *abſterſit*: idque notum eſt vel pueris ſeptennibus. Et tu audes, bellua, manibus tuis inquinatiſſimis bonos ſcriptores attingere? ἐς κόρακας cum tuo fœdiſſimo præterito *abſterguit.* LAMB. *Abſterguit auctum.* Ita ex veteribus libris reſtitui. ſupra lib. IV: ℣. 1058. Vulgati: *abſterruit.* GIFAN. Nonius in voce *Deſuevi*:

Pariſitos amovi, Lenonem ædibus abſterrui.

CREECH.

845. *Nec potuêre cupitum ætatis tangere florem*] Id eſt, nec potuere ad juſtum ætatis robur & vigorem pervenire. lib. I: ℣. 556.

——— *ſummum ætatis pervadere florem.*

ibid. paullo poſt: 565.

Stare, quibus poſſint ævi contingere florem. LAMB.

846. *Jun-*

Multa videmus enim rebus concurrere debere,
Ut propagando poſſint producere ſaecla;
Pabula primum ut ſint, genitalia deinde per artus
Semina quà poſſint membris manare remiſſis:
Foeminaque ut maribus conjungi poſſit, habere
Mutua queis nectant inter ſe gaudia, utriſque.
Multaque tum interiiſſe Animantum ſaecla neceſſe eſt.
Nec potuiſſe propagando procudere prolem.

Nam

INTERPRETATIO.

Nam videmus multa requiri, multa etiam debere concurrere, ut Animalia genus ſuum propagarent; Primum requiritur ut ſint pabula idonea deinde ut ſint meatus vaſaque per quæ genitalia Semina è membris defluentia ferantur: & ut Fœmina Mari conjungi poſſit, debet uterque iis membris inſtructus eſſe quæ mutuæ voluptati inſerviant. Neceſſe eſt igitur tum temporis multa Animalium genera interiiſſe, nec propagando prolem producere potuiſſe.

VARIÆ LECTIONES.

847. *debere*. debent Q1.
848. *producere*. procudere D. E. L. P. procludere Y. Z. concludere Q.
850. *qua poſſint*. Ita D. E. *Creech. Gaſſ.* N. *Alii*, quæ poſſint.
851. *maribus*. in arvis Q. Y. marvis X. *habere*. Ita a. B. C. D. E. I. L. N. *Gaſſ.* P. Q. X. Y. Z. habendum *Lamb.* in pr. Ed. Vide Not.
852. *queis nectant*. qui metuent inter V. X. Y. Z. quis nectent P. queis mutuent Q1. *utriſque*. uterque a. B. C. D. E. I. P. X. Y. Z. utrique L. utrumque *Gaſſ.*

NOTÆ.

846. *Jungi per Veneris res*] Coire. Illud Ovidianum huc vergit.

Infelix, cui torpet hebes locus ille, puella
Quo pariter debent fœmina virque frui. PIUS.

847. *Multa videmus enim*] Verſus eſt Hypermeter. ſententia autem eſt hæc: multa concurrere debere, ut animantes genus ſuum propagare poſſint, primum ut ſint pabula: deinde ut viæ quædam ſint, per quas ſemina vim gignendi habentia manare poſſint, membris per rem Veneream laxatis & remiſſis: poſtremo, ut mas & fæmina membra habeant, quibus ambo inter ſe per rem Veneream jungi, & communem inter ſe voluptatem capere poſſint. LAMB.

850. *Semina qua poſſint*] Sic legendum potiùs, quam *quæ poſſint*. nam hic ordo eſt: deinde ut ſit via, qua genitalia ſemina per artus, membris relaxatis, manare poſſint. LAMB. In aliis: *quæ*. GIFAN.

851. *Habere, Mutua queis, &c.*] Secutus hîc eram initio cod. Florentinos, & nonnullos alios vulg. in quibus impreſſum eſt,

—— —— —— —— habendum,
Mutua queis nectant inter ſe gaudia, utriſque;

cum altera ſcriptura, quæ reperitur in aliis libris;

—— —— —— —— habere,
Mutua queis nectant inter ſe gaudia utrique, &c.

mihi, propterea quod erat repetendum, aut ſumendum foris verbum *debent*, vel *debere*, ægrè defendi poſſe videretur. Illam autem ſic explicabam: Et ut fæmina cum maribus jungi poſſit, habendum eſt utriſque: id eſt, utroſque, ſcilicet mares & fæminas, habere oportet membra, quibus mutua gaudia inter ſe nectant: Nunc magis probo receptam: & ſubintelligo *debent*, nempe utrique, mares & fæminæ. vel repete ἀπὸ κοινοῦ, *videmus debere*. LAMB. *Habere, Mutua queis nectant inter ſe gaudia, uterque*, Sic omnes Veteres; ſubaudi: *debet*, vel: *neceſſe eſt*. Con-

ciſus

Nam quaecunque vides veſci vitalibus auris,
Aut Dolus, aut Virtus, aut denique Mobilitas eſt
Ex ineunte aevo genus id tutata reſervans.
Multaque ſunt, nobis ex Utilitate ſua quae
Commendata manent tutelae tradita noſtrae.
Principiò, genus acre Leonum, ſaevaque ſaecla
Tutata eſt Virtus, Volpeis Dolus, & Fuga Cervos.
At leviſomna Canum fido cum pectore corda,
Et genus omne, quod eſt Veterino ſemine partum,
Lanigeraeque ſimul pecudes, & Bucera ſaecla,

Omnia

INTERPRETATIO.

Nam quæcunque hodie vigent genera Animalium, aut Dolus, aut Virtus, aut denique mobilitas, (pedum pernicitas) ab ipſa Mundi origine ſervavit & defendit: Multaque ſunt, quæ quia nobis commoda & utilia, nos tutamur & fovemus: Primo, Virtus tutata eſt Leones, & alia ferarum genera, Dolus Vulpes, fuga Cervos, at Vigiles Hominique fidi Canes, Omne denique iumentum, Oves lanigeræ, & cornuti boves

VARIÆ LECTIONES.

861. *&*. ut N. X. Y. Z.
862. *At.* Et P.

NOTÆ.

ciſus videtur ſermo vulg. Marullus, Lambinus: & Vulgati: *habendum, utriſque.* GIFAN.

855. *Veſci vitalibus auris*] Virgil. lib. I. Æn. 510.

Quem ſi fata virum ſervant: ſi veſcitur aura Ætheria, &c.

idem lib. 4: 445.

Quid puer Aſcanius? ſuperatne, & veſcitur aura. LAMB.

856. *Aut dolus, aut virtus, aut denique, &c.*] Quæcumque (inquit) animalia vides vivere, ea aut dolo, aut virtute, aut celeritate ſalutem ſuam tutata ſunt. ſic Tyrius Max. Διαλ. περὶ τῆς Σωκρ. ἐρωτικῆς. Ὥσπερ γὰρ ἄλλο ἄλλῳ ζώῳ ἀλέξημα ἥκει παρὰ τῆς φύσεως εἰς τὸν αὐτοῦ βίον, ὑφ' οὗ σώζεται, λέουσιν ἀλκὴ, ἐλάφοις δρόμοι, θῆραι κυσί· καὶ τῷ μὲν διερῷ γένει αἱ νήξεις, τῷ δὲ μεταρσίῳ αἱ πτήσεις, τῷ δ' ἰλυσπωμένῳ οἱ φωλεοὶ, &c. id eſt, *Quemadmodum enim aliud alii animali à natura vitæ præſidium & munimentum datur, à quo ſervatur; leonibus robur, cervis curſus, canibus venatio: & generi aquatili natationes, volatili volatus, reptili latebræ, &c.* LAMB. Vis, robur, valentia, ut olim loquebantur. FABER.

856. *Mobilitas*] ℣. 861. *Fuga:* & quis ferat Barthii *Nobilitas?* CREECH.

858. *Multaque ſunt, nobis ex Utilitate*] Ut boves, oves, capræ, equi, muli, &c. quæ animantes partim ad veſcendum, partim ad vehendum, partim ad corpora veſtienda nobis ſunt utiles. LAMB.

860. *Principio, genus acre Leonum*] Supra, lib. III. ℣. 741. GIFAN.

860. *Sævaque ſæcla*] Et genera animantium iracunda. LAMB.

862. *At leviſomna*] Sic habent codices aliquot vulgati: in his Veneti, & Florentini, & Germanici Baſileæ impreſſi. & ita legendum, non *Et leviſomna.* nam hic verſus refertur & pertinet ad ea quæ ſequuntur. *leviſomnos* autem canes appellat, quaſi *levem ſomnum* dormienteis, & qui facile è ſomno excitentur. vigiles ab Horatio dicuntur Oda 16. lib. 3: 2.

&

Omnia ſunt Hominum tutelae tradita, Memmi.
Nam cupidè fugêre Feras, pacemque ſecutae
Sunt, & larga ſuo ſine pabula parta labore:
Quae damus Utilitatis eorum praemia cauſa.
At, queis nil horum tribuit Natura, nec ipſa
Sponte ſua poſſent ut vivere, nec dare nobis
Utilitatem aliquam, quare pateremur eorum
Praeſidio noſtro paſci genus, eſſeque tutum?
Scilicet haec aliis praedae, lucroque jacebant
Indupedita ſuis fatalibus omnia vinclis,

Doni-

INTERPRETATIO.

curæ Hominum ô Memmi *comittuntur, & ab illis foventur. Nam cupidè feras fugerunt, pacemque & larga pabula ſine ſuo labore parta affectabant: Eaque pabulo Nos Homines donamus quia nobis præſtant commoda. At quæ Animalia ita formavit Natura, ut ſponte ſua non poſſent vivere, neque nobis eſſent aliquo modo commoda & utilia, quare nos aleremus aut genus eorum conſervaremus? Scilicet iſtiuſmodi Animalia, cum duro & iniquo fato nata ſe tueri non potuerunt, ab aliis rapiebantur,*

VARIÆ LECTIONES.

866. *ſecutæ.* ſecuta L.
869. *At, queis.* At quis P. Atqui *corrigit in not.* P.
875. *Donicum.* Donec X. Z.

NOTÆ.

——— ——— ——— *& vigilum canum*
Triſtes excubiæ.

Hoc etiam probavit Zoilus ut ſuum. LAMB. *At leviſomna*, In aliis: *Et*; male. GIFAN.

863. *Quod eſt veterino*] *Veterina* (inquit Nonius) *animalia dicuntur omnia quæ vehere quid poſſunt.* Lucret.

Et genus omne, quod eſt Veterino ſemine partum.

& Feſtus, *Veterinam beſtiam*, inquit, *jumentum Cato appellavit à vehendo.* Opilius *veterinam* dici putat, quaſi *venterinam*, vel *uterinam*, quod onus ad ventrem religatum gerat. LAMB.

864. *Et Bucera ſæcla*] *Bucerum pecus de bubus dicimus*, inquit Feſtus. idem Lucret. libro ſecundo 661.

Buceriæque greges, & equorum duellica proles.

LAMB.

871. *Quare*] Id eſt, propter quam rem, ſeu propter quam utilitatem. nam *quare* hîc non interrogat, ſed enuntiando referendi vim habet. LAMB. Propter quam rem, ſeu propter quam utilitatem, nam *Quare* hîc non interrogat, ſed enuntiando referendi vim habet. *Lambinus*, cui nimium nè credas. CREECH.

873. *Scilicet hæc*] Refert ad illa ſuperiora: quibus nihil horum tribuit natura, ita ut nec ipſa ſponte ſua vivere, nec utilitatem aliquam nobis dare poſſent, &c. LAMBIN.

875. *Donicum*] Donec, ut ſæpe alias. LAMB. Ita Lambinus. Vulgati: *Donec.* GIFAN.

876. *Sed neque Centauri fuerunt*] *Centauri*, animantes ex homine & equo compacti. ſic ſuprà lib. 4: 743:

Nam certe ex vivo Centauri non fit imago,
Nulla fuit quoniam talis natura Animalis.
Verum ubi equi atque hominis caſu convênit imago,
Hæreſcit facile extemplo, quod diximus ante.

Virgil. lib. 6. Æneid. 283. facit Centauros & Scyllas in veſtibulo inferorum ſtabulare cum Somniis:

——— *quam*

Donicum ad interitum genus id natura redegit.
Sed neque Centauri fuerunt, neque tempore in ullo
Eſſe queat duplici natura, & corpore bino
Ex

INTERPRETATIO.

donec totum tandem eorum genus periit. Sed neque Centauri unquam extiterunt, nec unquam poteſt eſſe Animal compoſitum è corporibus diverſi generis,

VARIÆ LECTIONES.

876. *fuerunt.* fuerant, nec C. P. fuerat: nec E.
877. *queat.* queunt C. E. N. Q. X. Y. Z. *corpore bino.* corpore uno Z.

NOTÆ.

——— ——— *quam ſedem Somnia vulgo*
Vana tenere ferunt, foliiſque ſub omnibus hærent:
Multaque præterea variarum monſtra ferarum,
Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæque biformes.

Lambin. Contra Empedoclem maxime qui hoc aſſeruerat. Faber. At Natura rudis licet & imperita, non ea protulit Animalia, de quibus Poëtæ tam ſplendidè mentiuntur. Theſſalia nullos unquam vidit Centauros, neque enim Equus & Homo conjungi poſſunt, cum non eadem ætate, eodem alimento, neque iiſdem moribus uterentur ℣. 14. Idem de Scyllis, & ejuſmodi monſtris dicendum ℣. 9. Qui autem Chimæram extitiſſe credidit non conſideravit Leonis, æquè ac cujuſlibet Animalis viſcera torreri Igni, & conſumi poſſe, ℣. 7. Qui denique mira & monſtroſa iſtiuſmodi Animalia è recenti Terra produci poſſe ſtatuat, credat inſuper Aurea, lacteaque flumina, & reliqua otioſorum Poëtarum commenta ℣. 19. Perpendat tamen multa Herbarum & Arborum ſemina hodie, (ut olim omnium Animalium Primordia) in Terra contineri; At nunquam naſcuntur complexæ Arbores, neque Herbæ Herbis conjunguntur ℣. 9. Creech.

877. *Queat duplici*] In quibuſdam libris: *queunt*; male. Gifan. *Duplici natura*, humana, & equina. Lambin.

878. *Poteſtas*] Δύναμις, potentia. Lambin.

879. *Hinc illinc par vis ut non ſic*] Si hujus verſus varias ſcripturas lectori proponere vellem, totam paginam implerem. ſatis erit mihi eas referre, quæ reperiuntur in lib. manuſcriptis, ut videat lector, me ita hunc locum olim reſtituiſſe, ut tamen ab iis non longè diſceſſerim. ſic igitur habet Vaticanus,

Hinc illinc par vis ut non ſint pars eſſe potis ſit:

Scipionis & Faërni ſic,

Hinc illinc paribus ut non ſit pars eſſe potis ſit:

Bertinianus & Memmianus ſic,

Hinc illinc par vis ut non ſit par eſſe potis ſit:

quæ ſcripturæ cum ſint vitioſæ, ego ſic repoſueram,

Hinc illinc par vis ut non pari eſſe potis ſit.

Atque hæc quidem ſcriptura fere in Venetis recentioribus & Lugdunenſibus reperitur. ſic enim in eis legitur,

Hinc illinc par vis ut non par eſſe potis ſit.

Sententia autem hujus ſcripturæ, ſi cui forte obſcurior videatur, hæc eſt: Non poteſt eſſe natura ſeu poteſtas aliqua ex alienigenis membris, ut humanis & equinis, compacta & conflata, ita alienigenis (inquam) ut ex utraque parte, equi ſcilicet & hominis, aut aliorum animalium inter ſe compactorum, vis par pari eſſe, id eſt par pari reſpondere, non poſſit. de verſus autem ratione non eſt quod quiſquam dubitet, propter vocem *pari*, in qua voce ſyllaba *ri* non eliditur, ſed corripitur. nam hoc eſſe Lucretio uſitatum alibi oſtendimus. Licet etiam ſic legere, ut Adr. Turnebo placebat,

Hinc illinc par vis ut non ſic eſſe potis ſit,

eadem fere ſententia: ut ex hac & illa parte non poſſit eſſe par vis, ſic, id eſt, compactis inter ſe diverſis animalibus. Atque hanc lectionem nunc ſequi malui. Licet etiam ſic legere,

Hinc illinc par vis pari uti non eſſe potis ſit.

Lamb. *Par vis, ut non ſic eſſe potis ſit.* Ita legendum puto. In veteribus quibuſdam: *par vis ut non ſit pars eſſe.* In Vulgatis quibuſdam: *paribus.* Gif.

Nec

Ex alienigenis membris compacta poteſtas;
Hinc illinc par vis ut non ſic eſſe potis ſit,
Id licet hinc quamvis hebeti cognoſcere corde.
Principio, circum tribus actis impiger annis

Floret

INTERPRETATIO.

& duabus naturis, quæ ſibi invicem non conveniant, id autem verum eſſe licet minus diligenter inſpicias hinc potes colligere: Principio, Equus tribus circiter exactis annis fortis

VARIÆ LECTIONES.

879. *par vis.* paribus ut c. O. P. Q1. partis Q2. parvis ut Y. Z. *ut non ſic eſſe.* non ſit pars eſſe A. X. Y. Z. non ſic eſſe a. ut non par eſſe N. O. P. partibus eſſe F. non ſic par eſſe C. E. pari eſſe D. poteſſit V. Hinc illinc (pars ut non ſit) pars eſſe potis ſit V.

NOTÆ.

Nec fuiſſe unquam Centauros, homines equo mixtos ſcilicet, neque ullum animal, quod ex duabus naturis adeo diverſis conſtaret vivere & per ſubolem propagari poſſe:

Sed neque Centauri fuerunt, neque tempore in ullo
Eſſe queat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta poteſtas,
Hinc illinc par vis ut non ſic eſſe potis ſit.

Magna vero in poſtremo illorum verſuum difficultas eſt, tanta in MSS. Codd. tamque inconſtans & multiplex variantia eſt. In quibuſdam enim legitur,

Hinc illinc par vis ut non ſint pars eſſe potis ſit.

I nunc, & mortuos excita, tempus eſt. In aliis,

Hinc illinc par vis ut non ſit pars eſſe potiſſit.

Portenta verſuum, ut vides; & tamen Giſanius hanc poſteriorem, quæ omnibus vitiis ſcatet, recipere ſe & probare profeſſus eſt; quo nihil unquam deterius poterat. Sed quo tandem pacto rem adeo intricatam, tamque à recto ſenſu & à Latinitatis uſu remotam, explicare auſus non eſt? In ea re una, Lector, viſus mihi magnopere eſt ſapere; Non poterat; quæ vehementiſſima cauſa eſt. In quibuſdam etiam legitur,

Hinc illinc par vis non ſit par eſſe potis ſit.

In aliis denique alia, quæ non ſunt tanti ut huc tranſcribantur. Lambinus quidem legi poſſe putabat,

Hinc illinc par vis ut non pari eſſe potis ſit.

Adrianus denique Turnebus,

Hinc illinc par vis ut non ſic eſſe potis ſit.

At ego ſecutus veſtigia libri MS. quo uſus olim eſt Faërnus, quique verſum hunc ita exaratum exhibet,

Hinc illinc paribus ut non ſit pars eſſe potis ſit,

tandem ad *intectas fronde quietes*, & veritatis latibulum deveni,

Hinc illinc par vis ut partibus *eſſe potis ſit,*

ſenſu tam neceſſario, ut aliter ſcribere potuiſſe Lucretium, nemo ſuſpicari poſſit. Rem tribus verbis exponam: *Nullum animal ita ex duplici & diverſa natura conſtare poteſt* (exempl. g. Equi & Hominis) *ut hinc & illinc* (à natura hominis & equi) *par vis eſſe partibus poſſit*, id eſt, Duæ illæ partes *componentes* numquam parem vim haberent; cum ſpecies animantum aliæ aliis citius creſcant, citius minuantur; Quæ ea ipſa ratio eſt quam affert Lucretius in iis verſibus, qui hunc ſequuntur. Sed illos ſine omni mea opera tutemet legere poteris. FAB. Ita Turnebus, nec incommodè: Alii aliter: *Faber* autem ſpretis aliorum conjecturis hæc habet, „Lege

„ *Hinc illinc par vis ut* partibus *eſſe potis ſit.*
„ Senſu tam neceſſario, ut aliter„ &c. Denique neſcio quis legit:

Hinc pars ut non ſit, pars illinc eſſe potis ſit. CREECH.

Placet Turnebi lectio, quam firmat ℣. 889. Diſtinctionem vero mutavi in duorum præcedd. verſuum fine. ℣. 878. enim comma, ℣. 879. punctum ponebatur. HAV.

880. *Id licet*] Id, nempe in Centauro non poſſe hinc illinc parem pari vim eſſe. LAMB.

Floret Equus, Puer haudquaquam: quin ſaepe etiamnum
Ubera mammarum in ſomnis laetantia quaeret.
Poſt ubi Equom validae vires aetate ſenecta,
Membraque deficiunt fugienti languida vita:
Tum demum Pueris aevo florente juventas
Occipit, & molli veſtit lanugine malas:
Ne fortè ex Homine, & Veterino ſemine equorum
Confieri credas Centauros poſſe, nec eſſe:

Aut

INTERPRETATIO.

& maturus viget, non ita Puer, imo iſta plerumque ætate mammas matris lactantes in Somnis quærit. Deinde cum validæ vires ſenio confectæ Equum deſtituunt, membraque langueſcunt fugiente vita; tum Juventas ævo florente occipit Pueris, eorumque genas veſtit molli lanugine. Ne igitur unquam credas Centauros componi poſſe ex Homine & Equo,

VARIÆ LECTIONES.

882. *quin.* deeſt Y. Z. ita Q1. *etiamnum.* etiam tunc A. B. P. nunc C. D. E. V. Y. Z.
883. *laetantia.* Ita V. Y. Z. lactantia *Alii.* *quæret.* ita Y. Z. quærit *Alii.*
886. *Pueris.* puerili C. E. N. V. X. Y. Z.
887. *Occipit.* Officit & Q1. V. X. Y. Z.
888. *Ne fortè ex.* Ne torto ex *Non.*
889. *credas.* credis a B.

NOTÆ.

881. *Circum*] Circiter, vel dic potius *circumactis*, ut ſit tmeſis. LAMBIN.

882. *Floret*] ἀκμάζει, viget. hoc modo oſtendit, Centauros eſſe non poſſe. non poteſt unum animal ex inæqualibus, diſparibus, diſconvenientibus poteſtatibus & membris eſſe conflatum. Nam ita pars altera erit imbecilla, altera firma: hæc diuturna, & vivax: altera vitæ brevis, & ad mortem præceps: & quo tempore altera erit ætate corroborata atque adulta, ut equus, qui tribus annis exactis viget: altera vix dum ab ubere matris erit depulſa, ut puer: & contra, quo tempore pars humana erit valida ac robuſta, tum equina erit ſenectute confecta. Poſtremo non iiſdem voluptatibus ducuntur, neque iiſdem moleſtiis afficiuntur homo & equus. Idem de Scylla canibus ſuccincta ſentiendum: de qua etiam mox dicet. LAMBIN.

882. *Quin ſæpe etiamnum*] Id eſt, quippe etiam cum treis annos natus eſt, &c. Videtur legendum,

—— —— *quin ſæpe etiam tunc*,

vel *etiamnum:* quo modo edidi, non, ut vulgo,

—— —— *quin ſæpe etiam nunc.* LAMB.

Etiam tunc, Ita quidam Vulgati; recte. Alii: *nunc.* GIFAN.

883. *Lactantia*] Lac ſuppeditantia. LAMBIN. *Voſſius* ad Catullum p. 234. *Lætantia*, quia Pueros lætos reddunt; Sic lib. 2: 344.

—— Lætantia *loca Aquarum.* CREECH.

885. *Fugienti languida vita*] Sic dixit *vitam fugientem*, ut Latini dicunt *venenum fugiens*, & *literas fugienteis.* Præterea quam hîc *fugientem vitam* appellavit, eam *labentem* nominavit infra eodem lib. ℣. 987.

Dulcia linquebant labentis Lumina vitæ.

ſic Horatius *annos fugaceis* appellat Od. 14. lib. 2: 1.

Eheu, fugaces, Poſtume, Poſtume
Labuntur anni. LAMB.

886. *Pueris*] Alias, *puerili.* ego tamen malo *pueris.* Etiam hanc lectionem probavit Zoilus. LAMB. Hoc rectius ex veteribus etiam libris noſtris, quam in aliis: *puerili.* GIFAN.

886. *Juventas*] Juventutis Dea, & ipſa juventa.

Aut rapidis canibus ſuccinctas ſemimarinis
Corporibus Scyllas, & caetera de genere horum,
Inter ſe quorum diſcordia membra videmus:
Quae neque floreſcunt pariter, neque robora ſumunt
Corporibus, neque projiciunt aetate ſenecta:
Nec ſimili Venere ardeſcunt, nec moribus unis
Conveniunt, nec ſunt eadem jucunda per artus.

Quip-

INTERPRETATIO.

aut Scyllas unquam extitiſſe rapacibus Canibus ſemimarinis corporibus ſuccinctas, aut alia ejuſmodi monſtra quorum membra videmus inter ſe diſcordia, quæ neque ſimul adoleſcunt, neque ſimul ſenio debilitantur, neque ſimili Venere ardent, nec eoſdem habent mores, nec eodem alimento nutriuntur,

VARIÆ LECTIONES.

890. *rapidis.* rabidis *Heinſius.*
892. *diſcordia membra.* diſſortia membra *Creech.*
894. *projiciunt.* proficiunt A. B. C. D. E. I. N. P. Q1. X. Y. Z.
896. *nec.* neque Y. Z. *in quibus paſſim* nec & neque *permutantur.*

NOTÆ.

ta. ἥβην appellant Græci. LAMB.

887. *Et molli veſtit lanugine*] Sic ſupra eodem lib. 672. *mollem veſtem* dixit pro *molli pilo, & lanugine:*

——— *& impubem molli pubeſcere veſte.* LAMB.

888. *Ne forte ex Homine*] Hunc verſum profert Nonius. *ne forte* autem, id eſt, hæc dixi, ut ne forte credas, &c. LAMB.

889. *Confieri*] Id eſt confici. utitur eod. verbo ſupra lib. 3: 413.

Id quoque enim ſine pernicie confiet eorum.

& ſæpe Virgil. ut lib. 4. Æneid. 115.

——— ——— *nunc qua ratione quod inſtat,*
Confieri poſſit, &c.

& Cæſar lib. 7. de bello Gall. *Poſtquam id difficilius confieri animadvertit, &c.* LAMB.

890. *Aut rapidis canibus ſuccinctas*] Scyllam ſic deſcribit Homer. Οδυσ. μ. 85.

Ἔνθα δ' ἐνὶ Σκύλλη ναίει, δεινὸν λελακυῖα.
Τῆς ἤτοι φωνὴ μὲν ὅση σκύλακος νεογιλῆς
Γίνεται. αὐτὴ δ' αὖ τε πέλωρ κακὸν, οὐδέκε τίς μιν
Γηθήσειεν ἰδὼν, οὐδ' εἰ θεὸς ἀντιάσειεν, &c.

id eſt, *Hic autem Scylla habitat, horribiliter latrans: Cui vox eſt tanta, quanta catuli recens nati: ipſa autem monſtrum eſt malum; neque quiſquam ea viſa lætatus fuerit, ne ſi Deus quidem ei occurrat.* M. Tull. Verr. de ſuppliciis: *Hoc infeſtior nautis Verres, quam Scylla, quod multo ſe pluribus & majoribus ſuccinxerat.* LAMB.

891. *Scyllas*] Duæ enim fuerunt, illa Niſi, hæc Glauci. ſed & ſi una fuiſſet, διὰ σχήματος dicere poſſet Scyllas, ut Nerones, Marios, &c. cum Neronem & monſtra illi ſimilia, &c. FABER. Ideo & *Semimarinis Canibus ſuccincta* Niſi Scylla! At *Ovidius* Metam. lib. 8. ℣. 148.

——— ——— *At aura cadentem*
Suſtinuiſſe levis, ne tangeret æquora, viſa eſt;
Pluma fuit: plumis in Avem mutata vocatur
Ciris; & à tonſo eſt hoc nomen adepta capillo.

Pro *rapidis canibus* leg. *rabidis canibus.* CREECH.

892. *Diſcordia*] Legi poteſt *Diſſortia.* Sic Ovidius lib. 8. ℣. 133. de Minotauro

Diſſortemque *utero fœtum tulit* ———

Et in prima Epiſtola Sabini

——— ——— *Nec in uno Corpore* diſſors
Parthenope. CREECH.

893. *Signi*] Signum ἔλεγχος eſt, probatio, &c. FABER.

894. *Neque projiciunt*] Sic jam edendum curavi in ſecunda editione, Adr. Turnebo aſſenſus. *projicere* autem & *ſumere* opponuntur. neque pariter,

Quippe videre licet pingueſcere ſaepe Cicuta
Barbigeras pecudes, Homini quae eſt acre Venenum.
Flamma quidem vero quom corpora fulva leonum
Tam ſoleat torrere, atque urere, quam genus omne
Viſceris, in terris quodcunque & ſanguinis exſtet:
Quî fieri potuit, triplici cum corpore ut una
Prima Leo, poſtrema Draco, media ipſa Chimaera
Ore foras acrem efflaret de corpore flammam?
Quare etiam Tellure nova, Coeloque recenti
Talia qui fingit potuiſſe animalia gigni,
Nixus in hoc uno novitatis nomine inani;
Multa licet ſimili ratione effutiat ore:
Aurea tum dicat per terras Flumina volgò

Flu-

INTERPRETATIO.

quippe ſæpe videmus capras pingueſcere cicuta, quæ eſt venenum Homini maxime noxium. Cum autem Flamma ſoleat torrere & urere fulva corpora Leonum, non minus quam quodlibet Viſcus cujuſlibet aliûs Animalis, quo modo fieri potuit ut una Chimæra è triplici corpore compoſita, nempe cujus prima pars ſit Leo, poſtrema Draco, media vero Capra, vehementem flammam ſuo ore emitteret? Quapropter qui fingit talia Animalia gigni potuiſſe cum jam Tellus nova erat, & recens Cœlum, uno hoc vano argumento ductus, quia tum Mundus novus erat & recens, multa alia abſurda pariter effingat, dicat Aurea flumina per Terras tum paſſim fluxiſſe,

VARIÆ LECTIONES.

899. *Flamma quidem vero quom.* Ignea flamma quidem cum c. O. P. Q. Q1.
900. *Tam.* Jam X. Y.
904. *foras acrem.* feras acrem c. O. P. Y. *Quidam ſcribunt* Ore ferens P. *in not. efflaret de.* flaret de C. N. O. P. Q. Y.
909. *tum.* cum P.

NOTÆ.

riter, inquit, robora ſumunt, id eſt corroborantur: neque pariter adoleſcunt, neque ſeneſcunt, aut ætate conficiuntur. LAMB.

897. *Quippe videre licet pingueſcere ſæpe Cicuta*] Sic. lib. 4: 644. de veratro:

Præterea nobis veratrum eſt acre venenum:
At capris adipes & coturnicibus auget. LAMB.

Diog. Laërt. in Vita Pyrrhi, Καὶ τὸ κώνειον ὄρτυγι μὲ τρόϕιμον, ἀνθρώπῳ δὲ θανάσιμον. *Cicutam quoque coturnici nutrimentum, homini inferre perniciem.* Adde Servium ad Virg. Æneid. 4: 486. HAV.

899. *Flamma quidem vero*] Probat nunquam fuiſſe Chimæram, etiam hoc argumento, quod, cum poëtæ fabulentur, eam flammas ore efflare ſolitam, conſtet autem Chimæra ex leone, dracone, capra, ſeu ipſa Chimæra: leones proinde ut ceteræ animantes à flammis lædantur, & torreantur. Sed non diſſimulabo, nonnullos libros habere,

Ignea flamma quidem. LAMB.

Quidam libri: *Ignea flamma quidem.* GIFAN.

903. *Prima Leo, poſtremo Draco*] Ex Hom. Ιλ. ζ. & Heſiod. Theogon.

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.

Profert & M. Tull. lib. 2. Epiſt. ad Attic. *Quod de Q. fratris epiſtola ſcribis, ad me quoque fuit πρόσθε*

Fluxiſſe, & Gemmis florere Arbuſta ſuêſſe:
Aut Hominem tanto membrorum eſſe impete natum,
Trans maria alta pedum niſus ut ponere poſſet;
Et manibus totum circum ſe vertere coelum.
Nam quod multa fuêre in terris ſemina rerum,
Tempore quo primum Tellus Animalia fudit:
Nil tamen eſt ſigni, miſtas potuiſſe creari
Inter ſe pecudes, compactaque membra animantum:
Propterea quia quae de terris nunc quoque abundant
Herbarum genera, ac Fruges, Arbuſtaque laeta,
Non tamen inter ſe poſſint complexa creari.
Res ſic quaeque ſuo ritu procedit: & omnes
Foedere naturae certo diſcrimina ſervant.

Et

INTERPRETATIO.

& arbores gemmis florere ſolitas, aut Homines tantos & tam robuſtos fuiſſe natos ut pedes trans Maria alta potuiſſent ponere, & manibus totum circa ſe movere Cœlum. Nam licet eo tempore quo primum Tellus produxit Animalia, in Terra erant multa rerum multarum ſemina, inde tamen concludere non debemus produci potuiſſe pecudes inter ſe mixtas, aut Animalia è diverſis corporibus compoſita: Quoniam Illa, quorum magnus numerus e terra nunc oritur, Herbæ viz. Fruges atque arbores, nunquam commiſcentur, atque inter ſe compoſita producuntur: Sic res quæque ſuo more creſcit, omneſque res certo Naturæ fœdere ſervant diſcrimina:

VARIÆ LECTIONES.

912. *ponere poſſet.* pandere poſſet c. V. P. Y. pondere Z.
920. *poſſint.* poſſunt A. B. C. D. E. N. P. Y. Z.
921. *Res ſic.* Sed ſic a. B. E. M. N. P. Q. Sed ſi Y. Z. *quæque* —— *& omnes.* quicque —— &.omnia a. B.

NOTÆ.

ϑε λέων, ὄπιϑεν δὲ. quid dicam, neſcio: LAMB. *Prima Leo*, *Τὰ πρῶτα*, id eſt κατὰ πρῶτα. Verſus notiſſimus, πρόσϑε λέων, ὄπιϑεν δὲ, &c. FABER.

904. *Ore foras acrem efflaret de corpore flammam*] Hanc potiſſimum ſcripturam ſecutus ſum, ut & maxime probabilem, & maximè cum libris antiquis conſentaneam. ſic fere loquitur libro 6: 1152.

Spiritus ore foras tætrum volvebat odorem. LAMB.

Efflaret, Flaret, in aliis libris. GIFAN.

908. *Effutiat*] Nonius docet *effutire*, idem valere quod *cum mendacio dicere*, & profert hunc locum. animadverti autem hoc verbum in quibuſdam libris ſcribi duplici *tt.* LAMB.

911. *Aut Hominem tanto membrorum*] Quamobrem hoc non potuerit initio efficere natura, cauſam affert lib. 1: 200.

Denique cur homines tantos natura parare
Non potuit, pedibus qui pontum per vada poſſent
Tranſire, & magnos manibus divellere monteis,
Multaque vivendo vitalia vincere ſæcla,
Si non, materies quia rebus reddita certa eſt
Gignundis? &c. LAMB.

921. *Res ſic quæque ſuo ritu procedit; & omnes*] Ita Lambinus acute, cum in omnibus libris eſſet: *Sed.* Forte etiam ſic: *Sed ſic quicque. omnia.* Hoc placuit Marullo, & Florentinis. GIFAN. *In Prima Edit.* Cum in omnibus libris & manuſcriptis,

Et genus humanum multo fuit illud in arvis
Durius, ut decuit, Tellus quod dura creâſſet:
Et majoribus & ſolidis magis oſſibus intus
Fundatum, & validis aptum per viſcera nervis;
Nec facile ex aeſtu, nec frigore quod caperetur:
Nec novitate cibi nec labi corporis ulla.
Multaque per coelum Solis volventia luſtra

Volgi-

INTERPRETATIO.

Illud autem genus Humanum multo erat durius, ut par erat, utpote à dura tellure productum, è majoribus & magis Solidis oſſibus intus fundatum, & magis validis nervis Membra illius erant connexa, & quod neque frigore nec calore nec alimenti novitate, nec ullo corporis languore facile afficeretur: Longævum inſuper erat, multoſque per annos

VARIÆ LECTIONES.

925. *Et.* (ante *majoribus*) è P.
926. *Fundatum, & validis.* Fundatum, validis E. N. X. Y. Z.
927. Additur *Nec robuſtus e. c. m. a.* Q1. Q2.

NOTÆ.

ptis, & impreſſis, præterquam in Florent. ſic reperiſſem ſcriptum.

Sed ſic quæque ſuo ritu procedit, & omnes,
Fœdere naturæ certo diſcrimina ſervant:

à me impetrare non potui, ut in quattuor vocibus, *quæque, &, omnes, ſervant,* mendum ſubeſſe exiſtimarem, ſed in aliqua alia potius. Itaque Florentinam lectionem rejeci, quæ talis eſt,

Sed ſic quodque ſuo ritu procedit, ut omnia
Fœdere naturæ certo diſcrimine ſervent.

ſuſpicatus autem primam vocem verſus eſſe depravatam, ſic repoſui,

Res ſic quæque ſuo ritu procedit, & omnes, &c.

Zoilus initio probavit hanc emendationem: deinde è veſtigio improbavit, & ita reponendum gravis auctor cenſuit,

Sed ſic quidque ſuo ritu procedit, & omnia, &c.

Lamb. *Sed ſic quidque ſuo, &c. omnia.* Ita reſtitui. In Veteribus: *quæque. omnes.* Vide lib. II. ℣. 718. & 908. & inf. hoc libro, ℣. 1022. Gifan. *In poſteriori edit.*

923. *Et genus humanum, &c.*] Nunc de primis hominibus verba facere incipit. Lamb. *Et genus,* Deſcriptio plane admirabilis uſque ad ℣. 1039. Qui *relationes* recentiorum ſcriptorum legerunt, hic Margaiates, Braſilios, Canibalas, & pleroſque Indiæ Occidentalis populos agnoſcent. Faber. Hominum è Terra natorum Vitam, Habitum, Ingenium, Mores fuſe deſcribit, & primò quidem ℣. 20. docet primos Homines validiori, quam nunc, conſtitiſſe corpore, ob innatam duritiem, quam è dura Terra geniti contraxerant, inde minus obnoxii morbis erant, & longævi. Nemo autem Agros coluit, ſed Glandibus, Pomis Sylveſtribus, & aliis ejuſmodi fructibus placabant famem: Ad ſedandam ſitim Fluvii fonteſque ſuo murmure vocabant. ℣. 8. Nulla illis veſtimenta, nullæ domus, Procellarum, frigoriſque vim defendebant Sylvæ, frutices, & Antra, ℣. 5. Nullæ Leges: nullum commune Bonum: vivebant rapto, & promiſcua Venere (nam Vi, blanditiis, aut pretio, Glandibus viz. Pyris, Pomiſve Mares ſibi Fœminas conciliârunt) utebantur ℣. 9. Creech.

924. *Durius, ut decuit, Tellus quod dura creâſſet*] Sic ferè Virgil. Georg. I: 63.

Unde homines nati, durum genus. Lamb.

928. *Nec labi*] Id eſt, nec labe; ut alibi *parti, contagi, voci,* & multa alia, pro *parte, contage, voce, &c.* Lamb. *Labi,* Labe, *parte* pro parti, *&c.* paſſim. Faber.

930. *Vitam tractabant*] Id eſt, vitam trahebant, ſeu

Volgivago vitam tractabant more ferarum.
Nec robuſtus erat curvi Moderator aratri
Quiſquam, nec ſcibat ferro molirier arva;
Nec nova defodere in terram virgulta, nec altis
Arboribus veteres decidere falcibus ramos.
Quod Sol, atque Imbres dederant, quod Terra creârat
Sponte ſua, ſatis id placabat pectora donum;
Glan-

INTERPRETATIO.

tanquam feræ, nullis artibus inſtructi Homines vagabantur. Nondum erat robuſtus Arator, nec quiſquam erat qui agros coleret, & ferro domaret arva: nemo qui virgulta tenera plantare, putreſque ramos ab altis arboribus falce amputare noverat. Quod Sol & Imbres dabant, & quod ſponte ſua Tellus edidit, illo vivebant contenti.

VARIÆ LECTIONES.

932. *molirier.* mollirier P. *in not. tamen* molirier.
936. *placabat.* placarat P. *pectora.* pectore X. Y.

NOTÆ.

ſeu traducebant. quidam tamen legendum putant *tolerabant:* quibus propemodum aſſentior. Verumtamen nihil mutare auſim. LAMB.

932. *Molirier*] Moliri dicimur quidquid cum labore facimus, aut agimus. *moliri* igitur *arva* hoc loco poſitum eſt pro eo, quod eſt *agros colere*, ſeu *ex campis & locis inaratis agros cultos magno labore efficere:* vel *agros laborioſa cultura meliores reddere.* Neque verò me fallit, legi in quibuſdam libris vulgatis, *mollirier arva*, gemino *ll.* ſed *molirier* unico *l*, magis probo. LAMB. In quibuſdam: *mollirier*; male. GIFAN.

933. *Nec nova defodere in terram virgulta*] Sic infra eod. libro ℣. 1364.

Unde etiam libitum eſt ſtirpeis committere ramis,
Et nova defodere in Terram virgulta &c. LAMB.

935. *Quod Terra crearat Sponte ſua*] Ad hunc locum illuſtrandum pertinent illa Tyrii Maximi περὶ ἔρωτος· Ἦσαν δέ που κατὰ τὸν Ἐπίκουρον [φασὶ] βίον, αἱ τροφαὶ τοῖς ἀνθρώποις φηγοὶ, καὶ ὄχναι. Καὶ διὰ τοῦτο ἐπεφημίσθη φέρειν ἡ γῆ τοὺς καρποὺς αὐτομάτους, ὅτι αὐτοῖς οὐδὲν ἔδει γεωπονίας ἐξ αὐτοφυοῦς βιοτεύουσιν. id eſt, *Vivebant autem ſcilicet (qualem victum adamabat, ut ajunt, Epicurus) primi homines glandibus, & piris agreſtibus. Atque iccirco fama eſt, tum Terram fructus tuliſſe ſponte ſua venienteis: quia nihil eis opus erat agricultura, aut labore ruſtico, cum victu uterentur ſponte ſua nato.* Eodem pertinent & illa Platonis πολιτικῷ· Τὸ δ' ἐκεῖ τῶν ἀνθρώπων λεχθὲν αὐτομάτου περὶ βίου, διὰ τὸ τοιόνδε εἴρηται. θεὸς ἔνεμεν αὐτοὺς αὐτὸς ἐπιστατῶν. καθάπερ νῦν ἄνθρωποι, ζῶον ὂν ἕτερον θειότερον, ἄλλα γένη φαυλότερα αὐτῶν νομεύουσι· νέμοντος δὲ ἐκείνου, πολιτεῖαί τε οὐκ ἦσαν, οὐδὲ κτήσεις γυναικῶν καὶ παίδων. ἐκ γῆς γὰρ ἀνεβιώσκοντο πάντες, οὐδὲν μεμνημένοι τῶν πρόσθεν. ἀλλὰ τὰ μὲν τοιαῦτα ἀπῆν πάντα. καρποὺς δὲ ἀφθόνους εἶχον ἀπό τε δρυῶν καὶ πολλῆς ὕλης ἄλλης, οὐχ ὑπὸ γεωργίας φυομένους, ἀλλ' αὐτομάτης ἀναδιδούσης τῆς γῆς. γυμνοὶ δὲ καὶ ἄστρωτοι θυραυλοῦντες τὰ πολλὰ ἐνέμοντο· τὸ γὰρ τῶν ὡρῶν αὐτοῖς ἄλυπον ἐκέκρατο· μαλακὰς δὲ εὐνὰς εἶχον ἀναφυομένης ἐκ γῆς πόας ἀφθόνου, &c. *Quod igitur de hominum victu ſponte ſua ſuppeditante, propter talem cauſam dictum eſt. Deus paſcebat eos, cum ipſe eis præeſſet: quemadmodum nunc homines, animal alterum divinius, alia genera ſe deteriora paſcunt & curant. Illo autem paſcente, non erant reip. adminiſtrandæ rationes, neque uxorum & liberorum poſſeſſiones. Ex terra enim reviviſcebant omnes, res præteritas memoria non repetentes. Atque hæc quidem talia omnia aberant. Fructus autem uberes & copioſos habebant, tum ex quercubus, tum ex alia ſilva, non ex agricultura naſcenteis, quos terra ſponte ſua gerebat. Nudi autem & ſine ſtragulis magnam partem foris & ſub dio vitam colebant. Nam anni tempora cum eſſent temperata, nullam eis moleſtiam exhibebant, cubilia autem mollia hale-*

Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque, & quae nunc hiberno tempore cernis
Arbuta Poeniceo fieri matura colore,
Plurima tum Tellus etiam majora ferebat:
Multaque praeterea novitas tum florida mundi
Pabula dia tulit, miſeris mortalibus, ampla.

Ad

INTERPRETATIO.

Plerumque inter quercus glandiferas curabant corpora, (ſeſe glandibus alebant) illaque poma Sylveſtria, quæ nunc cernis hyberno tempore rubenti colore ſplendida matureſcere, tum plura & majora è Terra naſcebantur. Præterea, Mundus tum novus, vegetus, & vigens alia edidit alimenta quæ uſibus & neceſſitati miſerorum mortalium apta erant & ſufficientia:

VARIÆ LECTIONES.

937. *corpora quercus.* pectora quercus *Quidam, ut &* Z.
939. *Pœniceo.* Puniceo C. E. P. Y. Z.
942. *dia tulit.* dira tulit D. V. Y. Z. dura E. N.

NOTÆ.

habebant, multa herba ex terra ſuccreſcente, &c. Lamb.

936. *Placabat*] In Macrobio: *placarat.* Gifan.

937. *Glandiferas inter curabant corpora quercus*] Hoc eò dicit, quod glans, & primus, & primorum hominum victus fuit ex quo idem ſic inf. 1415.

Sic edium cepit glandis, &c. Lamb.

939. *Arbuta*] Rubra poma ſilvarum: quæ Plin. *unedones* appellat. Virgil. Georg. 1: 148.

——— ——— ——— *atque arbuta ſacræ*
Deficerent ſilvæ. Lamb.

939. *Pœniceo*] Sic habent libri manuſcripti, non, ut vulgati, *Puniceo.* Veteres enim in multis nominibus *œ* pro *u* uſurpabant. ita *mœnera* & *pœnire* dicebant pro *munera* & *punire*, ut ſupra admonuimus ad illum locum libri primi ℣. 30.

——— ——— *fera mœnera militiaï:*

& ad illum 2: 829.

Purpura, Pœniceuſque color, clariſſimus multo,

&c. ubi etiam malim legi,

Pœniceuſque color,

ut eſt in lib. manuſcript. Talia ſunt illa apud M. Tullium in libris de legibus, *cœra, œſus*, &c. pro *cura, uſus*, &c. Lamb. *Pœniceo*, Ita veteres libri. Gifan.

942. *Pabula dia tulit, miſeris mortalibus ampla*] Si legimus, ut habent nonnulli libri vulgati,

Pabula dura tulit, &c.

ſic explicabo: pabula tulit dura quidem illa, & agreſtia, ſed tamen primis illis hominibus ampla, id eſt ἀρκοῦντα ϗ ἱκανά, id eſt, quibus illi erant contenti, vel quæ illis ſatis erant. Sin, ut habent tres libri manuſcripti, & docti viri magis probant,

Pabula dia tulit, &c.

dia pabula interpretabor *ſua ſponte, & ſine labore, & quaſi divinitus venientia ac naſcentia.* Lambin. Ita Veteres noſtri; rectiſſime. In aliis: *dura.* Lambinus: *diva.*; mendoſe. *Diva* ita non utimur. Gifan. *Diva* habet enim Prima Lambini Editio, ſed tu conjunge *dia* & *ampla.*, atque diſtingue poſt *mortalibus.* Hav.

943. *At ſedare ſitim*] In Macrobio: *Ad.* Gif.

943. *Fonteſque vocabant*] Sic habent omnes lib. & manuſcr. & Typis excuſi, præter Florent. in quibus legitur, *fonteſque docebant.* ego *vocabant* probo, & interpretor *invitabant.* Lamb.

944. *Decurſus aquaï*] Id eſt, aqua decurrens, quod eſt ex loco declivi fluens. ſic ſup. eod. l. 264.

——— ——— *magnus decurſus aquarum*
Undique declarat. Lamb.

945. *Claricitat late ſitientia*] Cum initio ſecutus eſſem libros vulgatos,

Clarior accitat ſitientia, &c.

& tamen lectori ſcripturæ varietatem indicaſſem:

hæc,

Ad ſedare ſitim Fluvii Conteſque vocabant:
Ut nunc montibus è magnis decurſus aquaï
Claricitat late ſitientia ſaecla Ferarum.
Denique noctivagi ſilveſtria templa tenebant
Nympharum, quibus exibant humore fluenta
Lubrica, proluvie larga lavere humida ſaxa,
Humida ſaxa ſuper viridi ſtillantia muſco:

Et

INTERPRETATIO.

At fluvii & fontes invitabant ſedare ſitim, ut nunc Aquæ è Magnis montibus cum ſonitu decurrentes feras ſitientes invitant. Denique noctu vagantes Antra, quæ nos templa ſylveſtria Nympharum dicimus, intrarunt, è quibus Antris manabant Aquæ, largoque humore ſaxa, humida inquam ſaxa per quæ muſco viridi coöperta diſtillabant Aquæ guttæ, madefacere,

VARIÆ LECTIONES.

943. *Ad ſedare.* Ita auctore Macrobio, P. *in not.* & Voſſ. de Conſtr. p. 183. At *Omnes alii. vocabant.* vacabant *ſuperſcrib. in* Z.

945. *Claricitat late.* Clare citat ad ſe ſitientia A. B. I. Clarior accitat ſitientia C. D. E. N. P. Clare cit & late V. Claricitate & *Quidam codd.* P. Claricitati a te Q. X. Claritat æſtate Q1. Clarior aciatæ Q2. Claricitatiate Q3. Y. Z.

946. *Denique noctivagi.* Denique nota vagis c. P. Q. V. X.

947. *Nympharum.* Lympharum P. *exibant.* eſcibant humore V. Y. Z.

NOTÆ.

hæc, quæ deinceps ſequuntur, annotaram, his ipſis verbis: Clarior aqua, quam aliis in locis, *accitat*, id eſt invitat, ſitienteis feras. ſed non celabo lectorem, in quibuſdam libris Manuſcr. ita ſcriptum eſſe, *Claricitate ſitientia*, &c. in al. *claricitatiate:* quæ ſcripturæ ſine dubio mendoſæ ſunt. verumtamen conſideret eas lector ingenioſus. Hactenus hoc de loco olim ſcripſeram. Poſtea ſcripturam veterem repetitam, ac retractatam, hoc modo ſupplebam,

Claricitare ſolet ſitientia ſæcla fer.

atque hanc emendationem arbitrabar eſſe rectam. Sic autem dictum *claricitare*, pro *clare* aut *clara voce citare*, ut *altitonans* pro *alte tonans*, *altivolans* pro *alte volans*, *benivolens*, *blandiloquens*, & ſimil. pro *bene volens*, & *blande loquens*. Nunc Simeoni Boſio aſſentior, qui in eo meam conjecturam tuetur, quod verbum compoſitum *claricito* retinet: in eo autem ab ea diſcedit, quod pro *ſolet* facit ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis *late*, totumque verſum ſic legendum cenſet,

Claricitat late ſitientia ſæcla fer.

Late autem, id eſt lato, magno, & denſo agmine. Quod vero Zoilus reponit,

Clare citat ad ſe ſitientia, &c.

ferri non poteſt. LAMB. *Clare citat ad ſe*, Ita ex veteribus libris, qui habebant, vel: *Claricitatiate &*; vel: *Claritati a te*; vel: *Claricitare.* Vulgati: *Clarior accitat*; abſone. Nam *cito* priorem habet brevem ſemper. *Excire*, & tamen *excito* dicitur. Cæterum *Clarictat ad ſe*, forte rectius. Sed verbum illud nuſquam legi. GIFAN. *Claricitat*, Simeonis Boſii conjectura, plauſu digniſſima. *Claricitare* autem ſignificat vocare, advocare, invitare, &c. FABER.

946. *Noctivagi*] Melius quam *Nota vagis.* CREECH.

946. *Silveſtria templa*] Id eſt antra, & Nympharum domos. LAMB.

947. *Quibus exibant*] Ex quibus ibant, ex quibus manabant. LAMB.

947. *Humore fluenta Lubrica*] Ordo eſt: fluenta, *humore lubrica*, id eſt fluenta humida & liquida. LAMB.

Et partim plano ſcatere atque erumpere campo.
Necdum res Igni ſcibant tractare, nec uti
Pellibus, & Spoliis corpus veſtire ferarum:
Sed Nemora, atque cavos Monteis, Sylvaſque colebant,
Et frutices inter condebant ſqualida membra,
Verbera ventorum vitare imbreiſque coacti.
Nec commune bonum poterant ſpectare, nec ullis
Moribus inter ſe ſcibant, nec legibus uti.
Quod quoique obtulerat praedae fortuna, ferebat,

Sponte

INTERPRETATIO.

partim vero per planos campos decurrere properabant. Nondum noverant uſum Ignis, neque uti pellibus, ſpoliiſque ferarum veſtire ſua corpora, ſed Sylvas, cavos montes, & nemora habitabant, nudaque ſua membra inter dumos & arbuſta abſcondebant, coacti vitare vim acrem ventorum, & imbrium. Nulla erat Res publica, nullum commune bonum, neque inſtitutis ullis aut legibus tenebantur, quod prædæ cuique objecit fortuna, illud quiſque rapiebat,

VARIÆ LECTIONES.

956. *poterant.* poterunt N.
957. *ſcibant.* ſciebant Y. Z.
958. *Quod quoique.* Quodcunque c. P.

NOTÆ.

948. *Lavere*] *Lubrica lavere*, id eſt lubrica ad lavandum, vel ut lavarent. licet etiam conjungere cum verbo *exibant*, ut ſit *exibant lavere*, id eſt, ut laverent, quemadmodum loquebantur veteres. Lambin.

950. *Et partim*] *Partim* hic ſolum poſitum, quemadmodum & alibi. referendum eſt autem ad verſum illum ſuperiorem,

Lubrica proluvie larga lavere, &c. Lamb.

950. *Scatere*] *Scatere* à verbo *ſcato, is, it,* tertiæ inflexionis. ſic lib. 6: 890.

Quod genus endo mari ſpirat fons dulcis aquaï,
Qui ſcatit.

ibid. 896.

Et ſcatere illa foras in ſtuppam ſemina. Lamb.

951. *Necdum res Igni ſcibant tractare*] Caſis enim, & pellibus repertis, certis matrimoniis inſtitutis & receptis, ignis uſu cognito, tum ingenium hominum mollius eſſe cœpit, ut dicet non ita multis poſt verſibus, Lamb.

952. *Pellibus*] Quæ inventori ipſi, eique qui primus geſſit, invidioſæ & peſtiferæ fuerunt, ut dicet infra eod. libr. extr. ℣. 1268.

Pellis item cecidit, &c. Lamb.

956. *Nec commune bonum poterant ſpectare*] Hac de re infr. eod. lib. ℣. 1107.

Condere cœperunt urbeis, &c.

Aliquot verſuum, qui deinceps ſequuntur, ordinem neſcio quorum hominum culpa perturbatum, reſtitui. Lamb.

960. *Et Venus in ſilvis jungebat, &c.*] Ovidius.

Antra domus fuerant, cibus herba, cubilia frondes.
Conſtiterant uno fœmina virque loco. Pius.

In quibuſdam libris manuſcr. reperi ſcriptum,

Et Venus in ſilvis lucebat.

ex qua vitioſa ſcriptura putabam legendum,

Et Venus in ſilvis laciebat.

Veruntamen receptam lectionem probo. Lamb.

Et Venus in ſilvis inciebat, ſic reſtitui. Veteres quidam: *lucebat, lugebat*, &c. Vulgati: *jungebat.* Gifan.

962. *Vel violenta Viri vis*] Horat. 1: Sat. 3: 108.

——— ——— *ſed ignotis perierint mortibus illi,*
Quos venerem incertam rapientes more ferarum,
Viribus editior cædebat, ut in grege taurus. Hav.

962. Im-

Sponte ſua ſibi quiſque valere & vivere doctus.
Et Venus in ſylvis jungebat corpora amantum.
Conciliabat enim vel mutua quamque cupido,
Vel violenta Viri vis, atque impenſa libido:
Vel pretium, Glandes, atque Arbuta, vel Pira lecta.
Et manuum mira freti virtute, pedumque,
Conſectabantur ſylveſtria ſaecla Ferarum
Miſſilibus ſaxis, & magno pondere clavae,
Multaque vincebant, vitabant pauca latebris:

Seti-

INTERPRETATIO.

ſuæ vitæ ſuæque ſaluti conſulere à Natura edoctus. In Sylvis etiam Venus jungebat Amantum corpora (rem Veneris peragebant) namque vel mutua cupido fœminas conciliabat, vel violenta vis & impetus Maris cogebat, vel pretium aliquod, Glandes viz., poma ſylveſtria, aut lecta pira, pellexit. Lacertis etiam validis pedibuſque celeribus inſtructi feras ſylveſtres venabantur Saxis miſſilibus, magniſque & ponderoſis clavis urgentes, multaſque perimebant, paucæ vero vim eorum & impetum latebris vitabant.

VARIÆ LECTIONES.

959. Inſeras verſum 966. P.
960. *jungebat.* inciebat corpora a. B. lucebat Z. *ſed ſuperſcrib.* ludebat.
965. *Conſectabantur.* Conſpectabantur *Quidam.*
966. Ponitur poſt 973. Y. Z.

NOTÆ.

962. *Impenſa libido*] Hoc eſt magna libido. ſic Cæſar *impenſo pretio* dixit pro *magno.* LAMB.

963. *Vel pretium*] Aut illi ſilveſtres viri emebant venerem oblato pretio ex pyris, glandibus, & id genus reliquis nemoralibus fructibus. Idem Propertius ex Lucretio libro tertio 2: 27. elegiacon.

Illis pompa fuit decuſſa cydonia ramo:
Et dare puniceis plena caniſtra rubis
Nunc violas tondere manu: nunc miſta referre
Lilia virgineos lucida per calathos:
Et portare ſuis veſtitas frondibus uvas.
Aut variam plumæ verſicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellæ
Oſcula ſilvicolis empta dedere viris.

Et paſtor ille apud Maronem Ecl. 3: 71. inquit.

Aurea mala decem miſi: cras altera mittam.

PIUS.

964. *Et manuum mira* &c.] Hi denique robuſti immiteſque Homines per totos dies Feras Saxis, Stipitibus, & id genus Armis perſequebantur; Et multa cæde fatigati, vel cum Nox advenerit, ſe frondibus foliiſque involventes humi dormiebant Securi; Securi inquam, neque enim timuerunt (ea erat abſurda Stoïcorum opinio,

Nam rudis ante illos, nullo diſcrimine, Vita
In ſpeciem converſa operum ratione carebat,
Et ſtupefacta novo pendebat lumine Mundi,
Tum velut Amiſſis mœrens, tum læta renatis
Sideribus ——— ——— ———

Manilius lib. 1: ℣. 66.) ne adveniente Nocte Dies deinceps non rediret, ob jam perſpectam à prima origine Diei ac Noctis viciſſitudinem ℣. 16. Hæc autem vita erat nonnullis incommodis obnoxia, Dormientes feræ invadebant, & inde Mors cita, vel longa graviſque (nondum vires Herbarum noverant) putreſcentia vulnera ſequuta eſt. Multos Fames abſtulit, Plures noxiæ Herbæ, quas inſcii legerant: Ne vero quis putet tot malis obrutum fuiſſe totum Humanum genus, & ad interitum redactum, conſideret Feras tum Singulos laceraſſe, noxiis Herbis aut

Ali-

Setigeriſque pares Suibus ſylveſtria membra
Nuda dabant terrae nocturno tempore capti,
Circum ſe foliis ac frondibus involventes.
Nec plangore diem magno, Solemque per agros
Quaerebant pavidi, palantes noctis in umbris:
Sed taciti reſpectabant, ſomnoque ſepulti,
Dum roſea face Sol inferret Lumina coelo.
A parvis quod enim conſuerant cernere ſemper
Alterno tenebras, & lucem tempore gigni,

Non

INTERPRETATIO.

Et cum nox advenerit, tanquam Setigeri Apri ſylveſtria ſua membra nuda humi ſternebant foliis & frondibus ſe circum involventes: Nec cum Sol occiderit magno ululatu implebant Agros pavidi quærentes diem, & in tenebris miſere vagantes: Sed ſine queſtu expectabant, ſomnumque carpebant, donec Sol roſea face lumina cœlo inferret (iterum oriretur:) Quod enim à prima origine ſolebant experiri, Diem viz. noctemque ſibi invicem ſuccedere,

VARIÆ LECTIONES.

968. *Suibus.* ſubus Y. Z. *ſylveſtria membra.* ſilveſtribus membra a. B. Q.
969. *Nuda dabant.* Nudabant A. C. E. M. N. P. Q2. Y. Z.
973. *reſpectabant.* exſpectabant F. reſupinabant *Creech.* res ſpectabant V. *Ponitur hic* vſ. 966. Y. Z.
975. *quod enim.* quoniam conſuerant c. P.

NOTÆ.

Alimenti inopia paucos periiſſe; At quot Millia rapit una Acies, quot abſorbet Mare, quot denique Luxuries enecat, & venenata Pocula. ỳ. 19. Creech.

967. *Multaque vincebant*] Multa viribus corporis obtinebant: raro fugiebant, raroque metu perterriti latebras quærebant, & latebrarum præſidio periculum vitabant. Lamb. Rarò fugiebant, & latebrarum præſidio periculum vitabant. *Lambinus.* Utra interpretatio melior ſit, Lector judicet. Creech.

968. *Silveſtribus membra*] Ita ex veteribus libris, & partim conjectura reſtitui. Vulgati, *ſilveſtria*, ex Marullo. & *Nudabant.* Gifan.

969. *Nuda dabant*] Sic legendum, non, ut vulgo,

Nudabant terræ.

Licet etiam legere

Mandabant terræ:

ſi quis forte malit. Lamb.

970. *Foliis ac frondibus*] Ita veteres libri. Gif.

973. *Sed taciti reſpectabant, &c.*] Primi illi homines, quos Horatius mutum & turpe pecus, (quippe Epicuri rationem ſequebatur, cum id ſcribebat;) genus hercule mirificiſſimum erant, quippe qui in ſoporem dati, in ſomnum, inquam, νήδυμον dati, aliter longe oculis ſuis utebantur ac nos hodie utimur. Nos enim, ubi ſemel cœpimus obdormire, nil oculis præter ſomnum & inſomnia videmus; illi, ſomno gravati & oppreſſi, perpetuo *reſpectabant*, reflexo capite ſcilicet, ſolem orientem. Lucretium in eam rem tibi teſtem dabo:

Sed taciti reſpectabant, *ſomnoque ſepulti,*
Dum roſea face Sol inferret lumina cœlo.

Sum verus? ſic ſoleo; meum eſt; Sed jocularia omittamus, ut ad rem, (quamquam non temere ſcriptum eſt, quidquid hujus ſcriptum eſt, veniatur,) locum illum in VI. Æneid. 687. qui in multis Codd. ſic legitur,

Veniſti tandem, tuaque exſpectata *parenti*
Vicit iter durum pietas, &c.

Ere

Non erat, ut fieri poſſet, mirarier unquam,
Nec diffidere, ne Terras aeterna teneret
Nox, in perpetuum detracto lumine Solis?
Sed magis illud erat curae, quod ſaecla Ferarum
Infeſtam miſeris faciebant ſaepe quietem:
Ejectique domo fugiebant ſaxea tecta
Setigeri Suis adventu, validique Leonis,
Atque intempeſta cedebant nocte paventes
Hoſpitibus ſaevis inſtrata cubilia fronde.

Nec

INTERPRETATIO.

cur unquam mirarentur id fieri poſſe, cur denique timerent ne perpetuæ tenebræ Terras æternum obruerent detracto Solis lumine? Illud vero maxime angebat, quod Feræ noctu invadentes funeſtum miſeris ſomnum ſæpe reddiderunt: Antriſque ſuis expulſi Saxeas domos deſerebant, cum ſpumans Aper, aut ſævus Leo irrumperet: Atque nocte intempeſta pavidi relinquebant cubilia ſua fronde inſtrata ſævis Hoſpitibus (*Leonibus & Apris*) *occupanda.*

VARIÆ LECTIONES.

980. *quod.* quæ P.
981. *faciebant.* faciebat Y.
983. *Setigeri.* Spumigeri C. E. L. N. P. Q2. X. Y. Z.
984. *paventes.* parentes D.

NOTÆ.

Eruditi ſciunt ita ſcribi debere,

——— *tuaque* ſpectata *parenti*
Vicit iter durum pietas;

Idque ita eſſe conſtat, non quod Scaliger id primus conjecerit, ut vulgo creditur; ſed quia non aliter legiſſe Servium, excerpta ex commentariis ipſius meridie ipſo clarius oſtendunt. Verum homines imperiti ita exiſtimabant, graviter in eo verſu contra metri rationem eſſe peccatum; unde pro *ſpectata* παρὰ διώρθωσαν *exſpectata*. Qui autem erroris fons in illo Virgilii verſu fuit, idem propemodum in hoc Lucretii eſt. Homines enim ἄμουσοι cum rationem carminis non ſentirent, locum hunc depravarunt, qui ita corrigendus,

Sed taciti exſpectabant *ſomnoque ſepulti.*

Id quod ni ratio probaret ſatis, ſaltem caſtæ Latinitatis conſuetudo ſatis illos admonere debuerat; dicimus enim *exſpecto dum Sol oriatur*; at, *reſpecto dum Sol oriatur*, nemo niſi barbarus dixerit, non magis, quam, Video dum ille aut ille veniat. FABER. At non magis *expectant*, quam *reſpectant* dormientes: Mallem igitur *Reſupinabant.* CREECH.

975. *A parvis*] Quidam libri habent *A pueris.* LAMB.

977. *Non erat, ut fieri, &c.*] Ordo eſt: non erat eis curæ mirari, quomodo id fieri poſſet: nec curabant diffidere, id eſt, non veniebat eis in mentem diffidere, ne terra tenebris ſempiternis obſeſſa permaneret: ſed magis illud erat curæ, quod, &c. LAMB.

981. *Infeſtam miſeris faciebant*] Infeſtam faciebant: id eſt, ut M. Tull. loquitur, *infeſtam habebant*: atque, ut planius dicam, infeſtabant, ſic ſupra ℣. 759.

Cum loca præteriit flammis infeſta, &c. LAMB.

982. *Saxea tecta*] Antra, ſaxeas domos. ſup. 947. *ſilveſtria templa.* LAMB.

984. *Atque intempeſta*] *Intempeſtam noctem* Ælius dicebat, (ut refert Varro libr. 5. de Lingua Latina) cum tempus agendi eſt nullum: quod alii *concubium* appellarunt, quod ferè omnes tum *cubarent*: alii vero ab eo quod *ſileretur*, *ſilentium noctis*,

Nec nimio tum plus, quam nunc, mortalia ſaecla
Dulcia linquebant labentis Lumina vitae.
Unus enim tum quiſque magis deprenſus eorum
Pabula viva feris praebebat dentibus hauſtus:
Et nemora ac monteis gemitu, ſylvaſque replebat,
Viva videns vivo ſepeliri viſcera buſto.
At quos effugium ſervârat, corpore adeſo,

Poſte-

INTERPRETATIO.

Attamen tum temporis vix plures Homines quam nunc linquebant dulcia lumina labentis vitæ (perierunt) Tum enim unuſquiſque hominum qui erat à feris ita-deprehenſus, ut effugere non potuerit, illarum dentibus fractus & devoratus viva illis præbebat alimenta, nemora, montes, ſylvaſque gemitu implebat, videns Viſcera ſua viva condi. At qui fugerunt poſtquam morſu fuiſſent vulnerati,

VARIÆ LECTIONES.

987. *labentis Lumina.* lamentis lumina C. E. N. P. Q. X. Y. Z.
990. *gemitu.* gemitus Z.

NOTÆ.

noctis. quod idem tempus Plautus *conticinium* dicit. LAMB.

985. *Hoſpitibus ſævis*] Suibus ſilveſtribus, leonibus, lupis, urſis, & ſimil. feris: à quibus ſæpe vorabantur, ut mox dicturus eſt, 988.

Unus enim tum quiſque magis deprenſus eorum
Pabula viva feris, &c.

Quæ videntur ſumta è Plat. in politico: Τῆς γὰρ τοῦ κεκτημένου καὶ νέμοντος ἡμᾶς δαίμονος ἀπερημωθέντες ἐπιμελείας, τῶν πολλῶν αὖ θηρείων ὅσα χαλεπὰ τὰς φύσεις ἦν, ἀπαγριωθέντων, αὐτοί τε ἀσθενεῖς ἄνθρωποι καὶ ἀφύλακτοι γεγονότες διηρπάζοντο ὑπ' αὐτῶν, &c. id eſt. *Nam ab ejus qui nos poſſidet & gubernat, Genii procuratione deſerti, multis feris, quarum naturæ erant ſævæ atque aſperæ, efferatis, cum ipſi eſſent imbecilli, & ſine cuſtodibus, ab iis diripiebantur, &c* LAMB.

986. *Nec nimio tum plus*] Quamvis homines tum ſæpe à feris dilacerabantur, ac devorabantur: non tamen tunc multo magis, quam nunc, moriebantur. LAMB.

987. *Dulcia linquebant labentis lumina*] Hæc ex conjectura repoſui, cum in libris ſit: *lamentis.* Flagitat illud Phraſis, ut & ſententia. Nam vult tantum Poëta, tum etiam mori homines, ſolitum. De modo ἀπροσδιορίστως. Ita etiam apud Livium, lib. IV. *Comminatique inter ſe, &c.* legendum puto: *combinatique.* Ita olim ex *glubo, gluma.* Feſt. GIFAN. Libri quidem omnes & manuſcr. & typis excuſi habent *lamentis.* Sed placet mihi M. Antonii Mureti conjectura, qui legendum putat

——— ——— *labentis lumina vitæ.*

Nam quod ita quidam declarant, *vitam relinquebant lamentis*, id eſt, *cum lamentis:* ſententiam quidem afferunt probabilem, & huic loco conſentaneam; ſed inuſitato loquendi genere expreſſam. Cùm hæc olim ita ſcripſiſſem, niſi quod in contextu Lucretianorum verſuum non poſueram *labentis* in prima editione, ſed in ſecunda demum: Zoilus hanc conjecturam vel meam, vel Mureti, arripuit, ſibique ut ſuam vindicavit. Quis plagiarius furacior, quis impudentior, quis injuſtior fingi aut excogitari poteſt? Non dignus eſt quem omnes qui litteras colunt, notis inurant inſignibus ad ignominiam ſempiternam? Confirmat autem hanc lectionem illud quod eſt ſupra eodem libro 885.

Membraque deficiunt fugienti languida vita.

Nam *labentis vitæ* & *fugientis vitæ* eadem ratio & ſententia eſt. LAMB. Mureti emendatio, quam, ſolens ſuo more, arripuit Gifan. MSS. *lamentis.* male. FABER.

988. *Magis*] Quam nunc. LAMB.

991. *Viva*

Poſterius tremulas ſuper ulcera tetra tenentes
Palmas, horriferis accibant vocibus Orcum,
Donicum eos vita privârunt Vermina ſaeva,
Experteis opis, ignaros quid volnera vellent.
At non multa Virûm ſub ſignis millia ducta
Una dies dabat exitio: nec turbida ponti
Aequora laedebant naves ad ſaxa, viroſque:
Sed

INTERPRETATIO.

putrida ſua vulnera manu tremula tegentes horrendis clamoribus mortem vocabant: donec tandem ſævi vermes vita privabant illos omnis Medicinæ auxilii inopes, & ignaros quæ Remedia Vulnera poſcebant. At tum Una dies non dabat exitio multa Hominum millia ſub ſignis ducta (nondum erat bellum) nec tumidum turbidumque mare naves viroſque ad ſcopulos allidebat:

VARIÆ LECTIONES.

993. *ulcera.* viſcera Q. X. Y. Z.

995. *Donicum.* Denique O. P. Q2. X. Y. Z. *privârunt.* privarant N. P. Z. *Alii codd.* privabant O. P. *in not.*

NOTÆ.

991. *Vira videns vivo*] Non temere harum ſyllabarum complosionem quæſivit, *Vira vid. vivo.* Quod autem ad hujus loci ſententiam attinet, cum eo congruit illud Ennianum:

Vulturis in ſilvis miſerum mandebat homonem.
Heu, quam crudeli condebat membra ſepulchro

Ad hunc eundem locum pertinet & ille ex lib. 3: 1059.

Mortua quoi prope jam vita eſt vivo atque videnti.

Lamb. *Viro buſto*, Videor legiſſe apud Dionyſium Longinum, incomparabilem illum rhetorem, tale quid in ſcriptore Græco (Gorgia Leontino, ut puto) fuiſſe reprehenſum, (γύπες ἔμψυχοι τάφοι) *vultures, vira* hominum *buſta.* Sed Gorgias rhetor erat, artis & ζωθίσεως totus, homo ἀδημίας δεινότητος, & cui hæc non licebant; At Lucretius poëta eſt; & hæc deſcriptio multa ex *grandi genere* habet. Itaque nihil eſt quod Longini judicium, quantumvis acre & exquiſitum, reformidet. Faber.

994. *Horriferis accibant vocibus Orcum*] Horribilibus vocibus mortem vocabant, dolore cruciati. Lamb.

995. *Donicum eos*] Id eſt, donec eos, &c. ſic autem habent duo lib. Manuſcr. reliqui, *Denique*, & item quidam vulgati: quod depravatum eſt ex recto *Donicum*; Lamb. Ita Veteres noſtri quidam. Vulgati: *denique.* Marullus: *donec*; male. Gifan.

995. *Vermina*] Dolores ex vermibus membra corrodentibus ac depaſcentibus. conſule Feſtum. Lambin. Vide Feſtum, qui hac voce dolores ex verminibus membra interius rodentibus natos ſignificabit. Faber. *Vermina*, ſunt tormina, unde *verminari*, pati tormina. Voss. *De Anal.* 1. *pag.* 150.

996. *Quid volnera vellent*] Id eſt, quid vulnera poſtularent; ſeu quæ remedia vulneribus ſanandis eſſent adhibenda. Lamb.

997. *At non multa virûm*] At non multa virorum millia uno die in prælio cadebant. *Dicæarchus libro de interitu hominum* (ut refert M. Tull. lib. 2. de Offic.) *collectis ceteris cauſis eluvionis, peſtilentiæ, vaſtitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum genera eſſe conſumta: deinde comparat, quanto plures deleti ſint homines hominum impetu, id eſt, bellis & ſeditionibus, quam omni reliqua calamitate.* Lamb.

998 *Nec turbida ponti*] Nec mare ventis turbatum & concitatum naveis ad ſcopulos allidebat, & ita frangebat. Lamb.

999. *Lædebant naves ad*, &c.] Allidebant. Faber.

1000. *Sed*

Sed temerè, incaſſum, fruſtra Mare ſaepe coörtum
Saevibat, leviterque minas ponebat inaneis.
Nec poterat quemquam placidi pellacia Ponti

Subdo-

INTERPRETATIO.

Sed ſæpè Mare procellis agitatum fruſtra intumuit, & incaſſum minabatur: Nec quenquam potuit doloſa fallacia tranquilli maris,

VARIÆ LECTIONES.

1000. *Sed temerè, incaſſum, fruſtra Mare ſæpe coörtum.* Ita E. N. P. Q2. Y. Z. niſi quod *Nec* habent in initio. Nec temere incurſu fluctus mare ſæpe coörtum C. *Caſtigati & eruderati codd.* P. fluſtris mare ſæpe V. mare fluctibus ſæpe coörtis *Lamb.*

1001. *ponebat.* miſcebat inanes D. I. fondebat *Quidam.* poſcebat Q1.

NOTÆ.

1000. *Sed temere, in caſſum mare, fluctibus ſæpe coörtum*] Id eſt, ſed mare fluctibus coörtis, & tempeſtate commota, temere & fruſtra ſæviebat, ſeu iraſcebatur, nempe quia nemo tum navigabat. mendoſè in quibuſdam lib. vulgat. legitur,

Nec temere in curſu, &c.

Licet autem etiam ita legere,

Sed temere, in caſſum, fruſtra mare ſæpe coörtum, &c. ut habent libri Pariſienſ. & Veneti utrique, & Baſilienſes. Lamb. *Fluctibus ſæpe coörtis*, In quibuſdam Vulgatis: *fruſtra ſæpe coörtum.* Gifan. Codices,

Sed temere, incaſſum, fruſtra, Mare ſæpe coörtum:

Sic lib. 2: ℣. 1059.

Multimodis, temerè, incaſſum, fruſtraque: Voſſius ad Catullum pag. 230.

Sed temere, incaſſum, Fluſtro *Mare ſæpe coörtum*
Sævibat ——— ——— ———

Fluſtrum autem *Tertullianus in pallio* interpretatur temperatum Maris motum, & medium inter tranquillum Mare, & quod decumanis aſſurgit fluctibus: (vid. Tertullianum de Pallio Cap. 2. & Salmaſii notas) Sed Hæc Tertulliani Interpretatio Voſſii conjecturam refutat, tum enim ſævit Mare, cùm decumanis fluctibus aſſurgit. Creech. Neſcio unde lectionem ſuam hauſerit Lamb. aliam conſtanter ſervant MSS. & amat Lucretius ita geminare epitheta; quod niſi eſſet, poſſet legi *in cautes*, id eſt ſcopulos, viris navibuſque nullo ſuo periculo oppoſitos. Haverc.

1001. *Leviterque minas ponebat*] Si legemus *miſcebat*, ut habent quidam libri, ſic videtur hic locus explicandus: & *leviter*, id eſt ſine periculo mortalium, *minas inaneis miſcebat*, id eſt fruſtra minabantur fluctibus. Sin, ut in quibuſdam vulgatis, à quibus non diſcrepant nonnulli manuſcripti, legitur

——— ——— *minas ponebat inaneis*;

quam lectionem nunc magis probo: ſic interpretabor: *ponebat leviter minas, &c.* id eſt, facilè & citò deſinebat minari. Lamb. *Minas miſcebat*, Alii: *ponebat.* Gifan.

1002. *Pellacia*] Id eſt fallacia, & fallax æquoris tranquillitas, quæ poſtea in magnos & horribileis fluctus interdum verti ſolet. ſupra libro 2: 559.

Subdola cum ridet placidi pellacia Ponti.

iynx appellatur à Græcis talis maris fallacia, & quaſi illecebra: videlicet ſumma tranquillitas, quæ ad navigandum homines invitat. Atque hic locus me admonet, ut locum apud M. Tull. in epiſtolis ad Atticum, depravatum emendem; qui eſt in epiſtola 12. lib. 5. Sic autem in nonnullis libris vulgatis legitur: *Itaque erat in animo nihil feſtinare, nec me Delo movere, niſi omnia ἀκρατηρέων jura vidiſſem:* quo modo in noſtris libris veteribus ſcriptum reperi: in nonnullis aliis, *niſi omnia ἀκρατηρέων tuta vidiſſem.* Malaſpina ſic putavit legendum, *niſi omnia ἀκρωτηρίων jura vidiſſem:* quam lectionem, quod mihi ſpecioſa videbatur, in mea editione ſecutus ſum. Sed tantum abeſt, ut hæc ſit emendata, ut corruptior ſit quam recepta. Ne diutius igitur lectorem ſuſpenſum teneam, ex voce ἀκρατηρέων, duæ faciendæ ſunt, ἄκρα τηρέων, & ex *jura*, ἴϋγξα. ſententia nunc hu-

jus

Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.
Improba navigii ratio tum caeca jacebat.
Tum Paenuria deinde cibi, languentia letho
Membra dabat: contra nunc rerum Copia merſat.

Illi

INTERPRETATIO.

Cum veluti rideant Undæ, in pericula allicere, cum nondum nota erat navis, nec aliqua navigandi Ars: Tum etiam temporis cibi penuria languebant nonnulli, & fame perierunt; nunc rerum copia & luxuries obruit,

VARIÆ LECTIONES.

1005. *letho.* lecto Q. 1.
1006. *merſat.* mertat Turneb. Adv. xxx: 22.

NOTÆ.

jus loci plana eſt. hoc enim ſentit Cicero: Propter difficultatem navigandi, quam ſuperioribus diebus experti ſumus, & quia naviculæ Rhodiorum fluctum ferre non poſſunt: decretum erat mihi feſtinare, nec me Delo commovere, niſi omnia ἄκρα τηρῶν, ſive τηρέων, id eſt, *promuntoria obſervans*, ἴϋγʃα, id eſt *tranquillitatem maris ad navigandum allicientem atque invitantem, vidiſſem.* Hæc igitur eſt illa maris tranquillitas, quam Lucretius *pellaciam* appellat & hoc, & ſecundo libro: quamque M. Tull. ſe exſpectaturum dicit, diligenter obſervata ventorum, qui ex promuntoriis exſiſtunt, ratione. Fuit autem vox ἴϋγʃα depravata à ſcriptore librario, cum eam ſcripſiſſet literis Latinis, hoc modo, *jurra:* unde poſtea factum eſt *jura.* Verùm, ne quid diſſimulem, hujus conjecturæ & emendationis laus Simeoni Boſio, viro doctiſſimo atque ingenioſiſſimo, debetur. Et quoniam idem in quodam Moſchi carmine, quo talis maris illecebra deſcribitur, mendum ab aliis non modo non ſublatum, ſed ne animadverſum quidem, divina conjectura fretus ſuſtulit, Moſchi verſus, præſertim cum ad hunc locum illuſtrandum valde pertineant, non me pigebit huc adſcribere. Sic igitur Moſchus:

Τὰν ἅλα τὰν γλαυκὰν ὅταν ὤνεμος ἀτρέμα βάλλοι,
Τὰν φρένα τὰν δειλὰν ἐρεθίζομαι, οὐδ' ἔτι μοῖζα
Ἐντὶ φίλα, ποτάγει δὲ πολὺ πλέον ἄμμε γαλάνα.
Ἀλλ' ὅταν ἀχήσῃ πολιὸς βυθὸς, ἁ δὲ θάλασσα
Κυρτὸν ἐπαφρίζῃ, τὰ δὲ κύματα πυκνὰ μεμήνῃ,
Ἐς χθόνα παπταίνω, καὶ δένδρεα, τὰν δ' ἅλα φεύγω·
Γᾶ δέ μοι ἀσπαστὰ, τάχα δ' εὔσκιος εὔαδεν ὕλα, &c.

id eſt, ut nos quidem vertimus,

Cum Mare cæruleum lenis pavit aura leviſque,
Tum mihi titillant mentem læram, atque miſellam
Æquora, nec mihi Terra placet, ſed me magis multo
Pellicet æqua maris facies ridentibus undis.
Aſt ubi cana ſonant ponti freta triſtibus Euris;
Cum ſpumant undæ, & fluctus maris æquora turbant:
Terram oculis circumſpicio, ramoſque virenteis,
Et fugio mare ventoſum, fluctuſque ſonoros:
Terra mihi fida eſt cordi, ſilvæque ſalubres, &c.

Ex interpretatione mea Latina facilè jam cuivis intelligere licet, ſecundum verſum eſſe mendoſum, & pro μοῖζα, legendum duabus vocibus μοι γᾶ. Quod idem ille Boſius unus & princeps vidit, mihique nuper, cum eſſet domi meæ, indicavit: ego autem continuò ei aſſenſus ſum. Lambin.

1003. *Pellicere in fraudem*] Suis blanditiis in fraudem allicere. ſup. lib. 4: 1201.

Quæ lacere in fraudem poſſent, vinctoſque tenere.
Lambin.

1003. *Ridentibus undis*] Placidis & lenibus. nam γέλως θαλάσσης, id eſt *riſus maris*, pro tranquillitate maris ponitur à poëtis. Lamb. Nihil enim blandius tranquillo Mari. Creech.

1004. *Cæca*] Cur *cæcam* navigiorum rationem appellat? an quod tunc erat ignota? an quod ab hominibus *cæcis*, id eſt imprudentibus atque inconſideratis, poſtea excogitata & inventa eſt? Lamb.

1007. *Illi imprudentes*] Quia ignorabant vireis, ſeu

Illi imprudentes ipſi ſibi ſaepe Venenum
Vergebant: nunc dant aliis ſollertiùs ipſi.
Inde Caſas poſtquam, ac Pelleis, Ignemque parârunt,
Et Mulier conjuncta Viro conceſſit in unum:
Caſtaque privatae Veneris connubia laeta
Cognita ſunt, Prolemque ex ſe videre creatam:
Tum genus Humanum primum molleſcere coepit.
Ignis enim curavit, ut alſia corpora frigus

Non

INTERPRETATIO.

tum imprudentes (Herbarum enim ſuccos ignorabant) ſibi aliquando miſcebant venenum, nunc arte docti aliis ſolerter præbent Deinde poſtquam ſibi Caſas exſtruxerunt, pellibus veſtiti incedebant, & Ignem paraverunt, & Fœmina mari conjuncta cum eo vitam tranſigebat, cum caſta erant connubia, privata, nec amplius volgivaga Venus, & natam ex ſe prolem agnoſcebant, tum Humanum genus olim durum cœpit molleſcere, nam Ignis effecit ut Corpora alſia frigus

VARIÆ LECTIONES.

1007. *imprudentes.* prudenter Q. prudentes. X. Y. Z. *ipſi ſibi.* ipſis ſibi C. P.
1008. *aliis ſollertiùs.* letum ſolertius c. P.
1009. *Pelleis.* pelves, *Quidam codd.* P.
1011. Abeſt Q.
1012. *videre creatam.* vidêre coörtam D.
1014. *alſia corpora.* algida corpora C. E. N. P. Q1. alſia P. *not.*

NOTÆ.

ſeu poteſtates, & naturas ſtirpium, herbarum, animantium, ceterarumque rerum. Lamb.

1008. *Vergebant*] Infundebant. Plautus Curculione 1: 2: 12.

Ipſum expeto tangere: invergere in me liquores tuos
Sino ductim.

Iterum Lucret. ſup. lib. 2: 212.

In terras igitur quoque Solis vergitur ardor.

vergendi verbo utebantur in ſacrificiis. Lamb. Infundebant, Plautus in Curcul. Act. 1: Sc. 2. vſ. 12.

——— ——— *Invergere in me liquores tuos*
Sino ductim ——— ——— ———

Virgilius Æneid. 6: ℣. 244.

Frontique invergit vina Sacerdos,

Vergere autem, eſt converſa in ſiniſtram partem Manu ita fundere ut patera convertatur, quod in infernis ſacris fit. *Servius.* Ideo huic loco vox iſta mire convenit. Creech.

1008. *Sollertius*] Ingenioſius. ex quo venefici appellati ſunt. Lamb.

1009. *Inde Caſas poſtquam* &c.] Hactenus Homines efferos, per ſylvas vagantes, & rapto viventes vidimus: Alii jam in Scenam prodeunt, Manſueti, Mites, & civilis vitæ ſtudioſi: Non enim manebat iſta, quæ in novo Mundo fuit, Aëris temperies, ſed modò durum frigus, modò nimius calor, Procellæ & tempeſtates affligebant: Inde paulatim fractæ iſtorum vires; Inde domos ſtruxerunt, quibus ſeſe continentes privata Venere utebantur, & Natorum blanditiis aſſueti manſuetudinem induebant. Deinde Pellibus contra Cœli inclementiam uſi, & poſt repertum Ignem ita erant emolliti, ut fœdera & Amicitiam inire, à vi & injuriis abſtinere neceſſarium foret, ſi ipſi ſalvi eſſe vellent; Ita tandem concordia conſervatum eſt humanum genus. ℣. 18. Creech.

1009. *Ac Pelleis*] Primùm enim pellibus corpora texerunt homines: deinde elegantiorem atque

Non ita jam poſſent coeli ſub tegmine ferre:
Et Venus imminuit vireis, Puerique parentum
Blanditiis facilè ingenium fregêre ſuperbum.
Tunc & amicitiam coeperunt jungere habentes
Finitima inter ſe, nec laedere, nec violare:
Et pueros commendârunt, muliebreque ſaeclum
Vocibus, & geſtu, quom balbè ſignificarent,

Im-

INTERPRETATIO.

ſub dio minus valerent pati, Venus deinde & connubia diminuerunt vires, & Pueri blanditiis ſuis ferociam Parentum emolliebant: Tunc qui caſas vicinas poſſidebant cœperunt inter ſe jungere amicitiam, & à vi & injuriis abſtinere; Pueros etiam & mulieres miſericordiæ mutuo commendarunt, cum nutu, geſtu, voceque inarticulata ſignificarunt,

VARIÆ LECTIONES.

1015. *poſſent.* poſſet P. recte tamen jubet legi: *poſſent,* in not. *ferre.* ferri P. Q. Y. Z.
1018. *amicitiam.* amicitiem Y. *habentes.* jungere aventes M. P. V. *in not. ex codd. ſuis purgatioribus.* Q1. Z.
1019. *Finitima.* Finitimi M. V. finitum Q. finitim X. Y. Z.
1020. *ſæclum.* filum Q1. ſtilum X.

NOTÆ.

que operoſiorem veſtitum repererunt. Itaque Hercules pelle amictus fingitur ac pingitur, ut homines antiquum veſtiendi corporis morem memoria repetant. Quod confirmat Diodori Siculi auctoritas libro primo his verbis: Ὁμοίως δὲ τότε ῥόπαλον καὶ τὴν λεοντὴν τῷ παλαιῷ πρέπειν Ἡρακλεῖ, διὰ τὸ κατ᾽ ἐκείνους τοὺς χρόνους, μήπω τῶν ὅπλων εὑρημένων, τοὺς ἀνθρώπους τοῖς μὲν ξύλοις ἀμύνεσθαι τοὺς ἀντιταττομένους, ταῖς δὲ δοραῖς τῶν θηρίων σκεπαστηρίοις χρῆσθαι. id eſt, *Similiter autem clavam & pellem leoninam antiquo Herculi convenire, propterea quod temporibus illis homines, nondum armorum uſu reperto, vim adverſariorum ſuorum lignis propulſabant, pellibus autem corpora tegebant.* LAMB.

1014. *Curavit*] Effecit. tralatio eſt. ſic lib. 3: ℣. 127.

——— ——— ——— calidique vaporis
Semina curare, in membris ut vita moretur.

& libro quarto: 820.

Quod ne miremur, ſopor atque oblivia curant.

& infra eodem libro ℣. 1162.

Suſcipiendaque curarit ſollemnia ſacra. LAMB.

1014. *Alſia corpora*] Hæc veriſſima ſcriptura, ex veteribus libris. In quibuſdam Vulgatis: *algida.* GIFAN. Sic legi debet, & ita habent libri manuſcripti, vulgati vero *algida* mendoſe. ſunt autem *alſii,* & *alſioſi*, qui frigus ferre non poſſunt. Varro lib. 2. de Re ruſtica cap. 3. de Capris: *Stabulatur pecus melius, ad hibernos exortus ſi ſpectat, quod eſt Alſioſum.* Hanc quoque emendationem probavit & ſecutus eſt Zoilus, tamquam ejus auctor. LAMB.

1015. *Cœli ſub tegmine*] Sub divo. LAMB.

1018. *Habentes Finitima*] Id eſt finitimi, ſeu finitimos agros habentes, ὅμοροι. non eſt autem quod quemquam moveat duorum manuſcriptorum librorum ſcriptura *aventes.* erratum enim eſt librariorum, qui ſæpe ſcribebant *u* pro *b*, & contra *b* pro *u*: & item ſæpe aſpirationis notam omittebant. LAMB. In quibuſdam: *aventes.* Quod & Marullus volebat: & legebat: *Finitimi,* & Pius. GIFAN.

1021. *Balbe*] Balbutientes. *Balbutit*, inquit auctor vocabularii Latino-Græci, νηπίῳ προσπαίζων τραυλίζει. LAMB. Quippe qui nondum expedite loqui didiciſſent, ſermone minime adhuc conſtituto. FABER.

1022. *Miſererier omnis*] In Veteribus: *omnis*

Ma-

Imbecillorum eſſe aequum miſererier omnium.
Non tamen omnimodis poterat concordia gigni:
Sed bona, magnaque pars ſervabant foedera caſti:
Aut genus Humanum jam tum foret omne peremptum,
Nec potuiſſet adhuc perducere ſaecla propago.
At varios linguae Sonitus Natura ſubegit
Mittere, & Utilitas expreſſit nomina rerum:
Non alia longè ratione, atque ipſa videtur

Pro-

INTERPRETATIO.

aequum juſtumque eſſe infirmorum omnium miſereri: Licet vero inter omnes mutua non potuerunt eſſe Fœdera, bona tamen magnaque pars hominum amicitiam pie colebant: alias tum totum genus Humanum fuiſſet peremptum, neque in hodiernum diem duraſſet illius propago. At Natura coëgit varios linguæ ſonos mittere, (vocem articulare) & Utilitas verba docuit, & rebus nomina impoſuit: Non aliter ac jam ipſa.

VARIÆ LECTIONES.

1022. *omnium.* omnis A. (ſed *omnium* a) M. V. omni P. *in not.* X.
1024. *ſervabant.* ſervabat P. X. Y. Z.
1025. *Aut genus.* Haud genus *Quidam.* At P. *tum foret.* cum foret I.

NOTÆ.

Marullus: *omnis*; quod probo. In Vulgatis: *omnium*; etiam non male. GIFAN. *In Edit. priori.* *Miſererier omnium*, Sic habent omnes fere libri vulgati: manuſcripti autem *omni.* ex quo ſuſpicantur nonnulli legendum *omnis*, ſeu *omneis.* Omnino ſcriptura vulgata tolerabilis & probabilis eſt. Nam in voce *omnium*, fit συνίζησις, ſeu συμφώνησις, ut apud Virgilium libro primo Æn. 731.

——— *dependent lychni laquearibus aureis.*

& apud Catull. Carm. de nuptiis Pelei & Thet.

Qualis adeſt Thetidi, qualis concordia Peleo.

LAMB. Sic legendum cum Vulgatis, & Veteribus omnibus. Sed ita depravari conſuerunt Verſus dactylici. GIFAN. *In Edit. Poſteriori.*

1024. *Sed bona, magnaque pars*] Si non omnibus modis poterat concordia gigni: at bona & magna pars fœdera ſervabat. LAMB.

1026. *Adhuc*] Uſque ad hoc tempus. LAMB. Forte: *ad hæc.* GIFAN.

1026. *Sæcla*] Genera animantium. LAMB.

1027. *At varios linguæ Sonitus*] Nunc de principio & origine ſermonis humani. De quo ſic Laërtius: Ὅθεν καὶ τὰ ὀνόματα ἐξ ἀρχῆς μὴ θέσει γενέσθαι, ἀλλ' αὐτὰς τὰς φύσεις τῶν ἀνθρώπων καθ' ἕκαστα ἔθνη ἴδια πασχούσας πάθη, καὶ ἴδια λαμβανούσας φαντάσματα, ἰδίως εἰς τὸν ἀέρα φωνὴν ἐκπέμπειν, στελλομένην ὑφ' ἑκάστων τῶν παθῶν, καὶ τῶν φαντασμάτων, &c. id eſt, *Ex quo & nomina ſeu vocabula rerum ab initio non ex inſtituto & conſilio eſſe nata, ſed ipſas hominum naturas in ſingulis gentibus, propriis affectibus tactas, & propriis viſionibus pulſas, proprie vocem in aërem emiſiſſe, ab unoquoque affectu & viſo contractam, ut aliquando eſſet etiam ex gentium locis differentia. Poſterius autem in ſingulis gentibus privata nomina fuiſſe rebus impoſita, ut declarationes cogitationum eſſent inter ſe minus ambiguæ, & breviores, & dilucidiores. Cum autem ii qui apud alios ſui animi ſenſa expromere vellent, res illis ignotas, minimeque in promtu poſitas proponerent: novos quoſdam ſonitus edere coactos eſſe: illos autem ratiocinatione & conjectura maxima ex parte ductos, quid hi ſibi vellent, cognoviſſe, & eorum ſententiam interpretatos eſſe.* Hactenus Laërtius. lege etiam hac de re Diod. Sicul. initio libr. I. ſed maximè Platonem in Cratylo. LAMBIN. Sed quo modo Fœdera inter Homines, (Mutum & turpe pecus) qui ſentire forſan potuerunt, at quæ ſentiebant eſſati;

Protrahere ad geſtum Pueros infantia linguae,
Quom facit, ut digito, quae ſint praeſentia, monſtrent.
Sentit enim vim quiſque ſuam, quam poſſit abuti,
Cornua nata prius vitulo quam frontibus exſtent,
Illis iratus petit, atque infenſus inurget.
At catuli Pantherarum, ſcymnique Leonum
Unguibus, ac pedibus jam tum, morſuque repugnant,
Vix

INTERPRETATIO.

linguæ infantia (loquendi impotentia) pueros ad geſtum provocat, cum cogit ut digitio monſtret res præſentes, & ſibi objectas. Nam unuſquiſque conſcius eſt illius facultatis quæ ſibi ineſt, & qua poſſit uti. Priuſquam Cornua nata frontibus Vitulorum extent, Illis Irati feriunt, & impetum faciunt: At Pantherarum & Leonum Catuli Unguibus, pedibus & dentibus ſe defendunt,

VARIÆ LECTIONES.

1031. *ut.* & Z. *monſtrent.* monſtret Y. Z.
1032. *vim.* vis Y. Z. *quam poſſit.* quod poſſit C. E. X. Y. Z. quo Q1.
1034. *infenſus.* infeſtus V. infeſſus Y. Z.

NOTÆ.

effari nondum didicerant? Reſpondet *Lucretius*, Homines iſtos primos ſuæ facultatis fuiſſe conſcios, & ut unaquæque res ſibi objecta Dolorem, Gaudium, Metum, &c. excitabat, diverſos ſonos expreſſiſſe; id enim cogebat Natura, & idem faciunt Aves, Equi, Canes, omnia denique Animalia quæ reſpirant. Hoc verò modo *balbe* tantum ỳ. 1021. ſignificabant: Nondum inſtituta erant commercia, neque niſi Rebus nomina imponerentur inſtitui potuerunt: Igitur unuſquiſque Hominum Utile ſibi aliiſque fore ſenſit certa Rebus nomina aſſignare, Ita omnibus, qui eodem fœdere erant juncti, de iiſdem vocabulis inter ſe convenit, & Rerum nomina expreſſit Utilitas. Quod vero dicat aliquis, (non tantum Pythagoram, & Platonem, ſed & ſacram Moſis Hiſtoriam mihi videtur convellere) unum viz. Hominem rebus omnibus nomina dediſſe, illud ineptum prorſus & abſurdum. Hæc ỳ. 63. Creech.

1030. *Infantia linguæ*] ἀφασία. Lamb. Juvenalis Sat. x. 199.

Madidi Infantia *Naſi.*

Sed Infantiam linguæ recte interpretari videor. Creech.

1032. *Sentit enim vim quiſque ſuam, quam poſſit*] Cum in omnibus ferè lib. vulgatis legeretur, *quod poſſit abuti*, ego *quoad* repoſueram, ut eſſet hæc ſententia: ſentit quiſque vim ſuam, quouſque ea vi abuti poſſit. nam *quoad* unius ſyllabæ eſt per ſynizeſin, ut ſupra lib. 2: 849.

Quoad licet, ac potis es reperire inolentis olivi,

&c. Sed cum in uno atque altero lib. manuſcripto reperiſſem,

——— ——— ——— *quam poſſit abuti*,

hanc ſcripturam ſecutus ſum, ut longè omnium optimam.. *utor* enim & *abutor* etiam cum quarto caſu jungebant veteres. Quod autem ad hujus loci ſententiam attinet, cum eo congruunt illa ex Minucio in Octavio: *Quidve animantium loquar adverſus ſeſe tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus ſæptas, & fundatas ungulis, & ſpicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut elatione pinnarum?* Lamb. *Quam poſſit abuti*, Recte Lambinus, ex Veteribus quibuſdam, & ita in noſtris Veteribus. In aliis: *quod.* Gifan. Ita Plaut. & Ter. *abuti*, inſumere eſt, *&c.* Faber.

1035. *At catuli Pantherarum, ſcymnique*] Profert hunc verſum Nonius in voce *catuli.* Jam *ſcymni* Græca vox eſt, idemque valet quod Latina *catuli.* Lambin. *Scymni*, Σκυμνοὶ plerumque

 pro.

Vix etiam quom ſunt dentes ungueſque creati.
Alituum porro genus alis omne videmus
Fidere, & à pennis tremulum petere auxiliatum.
Proinde putare Aliquem tum nomina diſtribuiſſe
Rebus, & inde Homines didiciſſe vocabula prima,
Deſipere eſt: nam cur Hic poſſet cuncta notare.
Vocibus, & varios ſonitus emittere linguae,
Tempore eodem Alii facere id non quîſſe putentur?
Praeterea, ſi non Alii quoque vocibus uſi
Inter ſe fuerant: unde inſita notities eſt

Utili-

INTERPRETATIO.

cum Ungues & Dentes vix ſint ipſis Nati: Denique videmus omnes Volucres, adhuc implumes alas ſuas movere, tremulumque ab iis petere auxilium. Proinde putare unum aliquem hominem rebus impoſuiſſe nomina, & inde prima vocabula accepiſſe Homines, id quidem abſurdum eſt: Cur enim Hic homo vocem articulare, & nomina rebus imponere poſſit, alii autem eodem tempore illud non potuiſſe crederentur? Præterea, ſi Alii quoque non uſi fuerunt vocibus inter ſe, unde iſti cognoverint

VARIÆ LECTIONES.

1037. *Vix etiam quom ſunt.* Ita recte A. B. Z. in quo *tiam.* Vix jam etiam cum ſunt P. Vix jam cum ſunt E. M. Q. X. Y. Vix jam cum ipſis ſunt N. Vix dum etiam cum ſunt, *vel:* Vix dum eis, cum ſunt L. Vixdum cum ipſis *Creech.*
1038. *porro.* proporro Q2. X. Z.
1039. *pennis.* pinnis V. Z.
1042. *Deſipere eſt.* Deſuper eſt Q2. V. X.
1044. *non quiſſe.* nequiſſe Z.
1046. *fuerant.* fuerent A. marg. *inſita notities.* ſita notitie Z.

NOTÆ.

pro catulis leonum, alias generale nomen eſt. FABER.

1037. *Vixdum etiam quom ſunt*] Cùm olim ſecutus eſſem omneis ferè libros vulgatos, hæc annotaram: In quibuſdam libris manuſcriptis deſideratur vox *ipſis*, ut fortaſſe legendum ſit,

Vixdum etiam cum ſunt dentes, ungueſque creati.

Codices quidem Florentini ſic habent,

Vix etiam cum ſunt, &c.

Nunc igitur ſic legendum cenſeo,

Vix dum etiam cum ſunt, &c.

non, ut vulgo,

Vix dum cum ipſis ſunt, &c.

Licet etiam ſic legerè,

Vix dum eis, cum ſunt dentes, ungueſque creati.

LAMB. *Vix etiam cum ſunt*, Ita Vulgati, Florentini, & Marullus. In Veteribus: *Vix jam cum ſunt.* In Vulgatis: *Vix dum cum ipſis ſunt.* Et Lambinus. GIFAN.

1038. *Alituum porro genus*] Profert hunc verſum Nonius, cum eo qui proximè ſequitur, in voce *auxiliatus.* *Alituum* autem pro *alitum* poſitum. Sic Virgil. lib. 8. Æneid. 27.

Alituum pecudumque genus ſopor altus habebat.

& Lucretius paullò poſt:

Poſtremo genus alituum, &c. LAMB.

1039. *Tremulum auxiliatum*] Propter tremulum Alarum motum. CREECH.

1040. *Proinde putare aliquem*] Hæc contra Pythagoram dicuntur, cui ſummæ ſapientiæ viſum

eſt,

Utilitatis, & unde data eſt Huic prima poteſtas,
Quid vellet, facere, ut ſcirent, animoque viderent?
Cogere item plureis Unus, victoſque domare
Non poterat, rerum ut perdiſcere nomina vellent:
Nec ratione docere ulla, ſuadereque ſurdis,
Quid facto eſſet opus, faciles neque enim paterentur,
Nec ratione ulla ſibi ferrent amplius aureis
Vocis inauditos ſonitus obtundere fruſtra.
 Poſtremò, quid in hac mirabile tantopere eſt re,
Si genus Humanum, cui vox, & lingua vigeret,

Pro

INTERPRETATIO.

vocum utilitatem: aut quo modo potuit ille qui primus rebus nomina impoſuit efficere, ut alii ſcirent & intelligerent quid vellet? Ille enim Unus non potuit multos ſubigere, & ſubactos cogere ut rerum nomina vellent diſcere; neque ullo modo potuit docere, & demonſtrare hominibus non audientibus quid facto opus ſit: neque enim æquo Animo ferrent, neque ullo modo paterentur aures ſuas inſolito & non intellecto clamore & vocibus fruſtra obtundi. Poſtremo, Quid eſt quod miremur, ſi Homines, quibus Vox & Lingua competit,

VARIÆ LECTIONES.

1047. *Utilitatis.* Utilitas Q. X. Y. Z. *Huic prima.* hinc prima D.
1048. *Quid.* Quod P. *ſcirent —— viderent.* ſciret videre? E. Y. Z. ſciret —— videret? N. X.
1052. *Quid facto eſſet opus.* Quid ſit opus facto C. E. I. N. P. Q2. X. Y. Z. *faciles neque enim paterentur.* facile neque E. opus, neque enim faciles paterentur L.
1056. *vigeret.* vigetur c. O. P. Q. vigeret, *etiam in not.* P.

NOTÆ.

eſt, rebus omnibus nomina impoſuiſſe: & item contra Platonem, qui in Cratylo docet, nomina conſultò rebus eſſe impoſita, eumque, qui primus nomina fabricatus ſit, ὀνοματουργὸν, id eſt, *nominum opificem*, & ὀνοματοθέτην, id eſt *nominum impoſitorem*, ſeu *conditorem* nominat. LAMB.

1044. *Tempore eodem alii, &c*] Proinde ac ſi dicat: ſi quis unus potuit nomina rebus imponere, & res vocabulis notare: idem & alius eodem tempore facere potuit. LAMB.

1045. *Præterea ſi non alii quoque*] Hujus loci hæc ſententia eſt: Præterea ſi non etiam alii homines inter ſe oratione uſi fuerant; unde huic uni nata eſt cognitio utilitatis, quæ ex ſermone percipitur? & unde ei data eſt poteſtas faciendi, ut alii ſcirent atque intelligerent, quid ſibi vellet? Hic enim ordo verborum eſt: unde huic data eſt *poteſtas facere*, id eſt poteſtas faciendi, ut ſcirent, animoque viderent, quid vellet? LAMB.

1046. *Inter ſe fuerant*] *Fuerent.* GIFAN.

1051. *Suadereque ſurdis*] Id eſt, ſuadere non intelligentibus, ſeu iis qui intelligere non curarent. LAMB.

1052. *Quid facto eſſet opus*] Sic neceſſario legendum, *eſſet*, quamvis codices omnes reclamarent. Verum tamen adjuvant & confirmant hanc ſcripturam duo codices veteres, cum quibus conſentiunt quidam vulgati, qui habent

Quid facto ſit opus. LAMB.

1055. *Poſtremo quid in hac*] Poſtremo (inquit) quid mirum eſt, homines, quibus natura præcipuè vocem & linguam dedit, potuiſſe ſuo cujuſque arbitratu, ac pro ſuo cujuſque ſenſu, qui eſt varius & multiplex, ſingulas res notare; cum

muta

Pro vario ſenſu varias res voce notaret,
Quom Pecudes mutae, quom denique ſaecla Ferarum
Diſſimileis ſoleant voces variaſque ciere,
Quom Metus, aut Dolor eſt, & quom jam Gaudia gliſcunt?
Quippe etenim id licet è rebus cognoſcere apertis.
Inritata canum quom primum magna Moloſſûm
Mollia

INTERPRETATIO.

res diverſas & à ſe diverſo modo perceptas diverſis nominibus notarent: Cum ipſæ mutæ (orationis expertes) pecudes, cum Feræ etiam diverſas & diſſimiles voces ſoleant emittere cum metuunt, cum dolent, & cum voluptate afficiuntur: & hoc quidem frequens docet experientia. Cum primum lati molleſque rictus Canum Moloſſorum irritati fremunt,

VARIÆ LECTIONES.

1061. *etenim id licet è rebus.* etenim licet in rebus E. N. P. Q. V. X.

NOTÆ.

muta animalia ſuos affectus, qui ſunt admodum pauci, diſſimilibus tamen vocibus notare poſſint, ac ſoleant? Nam animantes rationis expertes dolorem duntaxat, & voluptatem, & ceteros affectus, qui his duobus ſubjiciuntur, voce inarticulata quidem illa, ſed tamen diſſimili, ſignificant. Lamb. Si enim nomina ipſa per ſe ſe cognitionem aliquam τ̃ φύσεων afferrent; atque ex ſola pronuntiatione trium, quatuorve ſyllabarum ſingularis aliqua cognitio pararetur, ſane mirandum foret; ſed cum ab uſu, uſus autem à temeritate, fortuna, commoditate, interdum & à popelli imperitia &c. pendeant, nil ſane mirabile eſt, quod ait Lucretius. Faber.

1058. *Pecudes mutæ*] Id eſt, animalia rationis & orationis expertia, ζῶα ἄλογα. aliter libro 2: 342. duobus epithetis conjunctis,

—— —— *mutæque natantes:*

& eodem libro, 1081.

—— —— —— *ſic denique mutas*
Squammigerûm, pecudes. Lamb.

Appoſite Lactantius lib. 3. cap. 10. *Nam cætera etiam, quæ putantur homini eſſe propria, in cæteris quoque animalibus reperiuntur. Quum enim ſuas voces propriis inter ſe notis diſcernunt, atque dignoſcunt, colloqui videntur: ridendique ratio apparet in his aliqua, cum demulſis auribus, contractoque rictu, & oculis in laſciviam reſolutis, aut homini alludunt, aut ſuis quiſque conjugibus ac fœtibus propriis; nonne aliquid amori mutuo & indulgentiæ ſimile inpartiunt?* Hav.

1060. *Gaudia gliſcunt*] Sic loquitur Pacuvius:

Sed neſcio quidnam ſit animi. horreſcit, & gliſcit gaudium.

gliſcere (inquit Nonius) eſt congelaſcere, & colligi, vel creſcere, vel igneſcere. ſuprà libro 1: 475.

Ignis Alexandri Phrygio ſub pectore gliſcens.

& libro tertio: 479.

Nant oculi? clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt?

Lamb.

1061. *Quippe etenim id licet è rebus*] In quibuſdam codd. *etenim licet id rebus.* Gifan.

1062. *Inritata canum quom primum*] Ordo & ſententia horum verborum hæc eſt: Cum primum ricta magna & mollia canum *Moloſſorum*, id eſt ex Epiro, irritata, duros nudantia denteis, *tremunt*, ſeu *fremunt*: id eſt, cùm primùm canes magni Epirotici rictu diducto & dentibus nudatis irritati tremunt præ ira, ſeu fremunt: longè alio ſonitu rictibus ita diſtrictis minantur, atque cùm jam latrant, & omnia vocibus complent, *tremunt* autem initio repoſueram, Nonium ſecutus, qui in voce *rictus*, proferens hunc locum, ita videtur legiſſe, niſi corruptus eſt. Sed docti quidam, quibus aſſentior, malunt legi *fremunt*, ut eſt impreſſum in codicibus Pariſienſibus & antiquis Aldinis: quanquam *tremunt* non rejicio.

Mollia ricta fremunt duros nudantia denteis:
Longe alio ſonitu rabie diſtricta minantur:
Et quom jam latrant, & vocibus omnia complent.
At catulos blandè quom lingua lambere tentant,
Aut ubi eos jactant pedibus, morſuque petentes,
Suſpenſis teneros imitantur dentibus hauſtus:

Longè

INTERPRETATIO.

a duris dentibus diducti, eoſque nudos relinquentes, minantur Sonitu longè diverſo ab eo quem emittunt, cum ingenti latratu complent loca omnia: Verum cum Catulos ſuos lingua blandè lambere conantur, aut ubi eos pedibus molliter movent, & petentes morſu imitantur teneros hauſtus dentibus ſuſpenſis,

VARIÆ LECTIONES.

1063. *fremunt.* premunt A. B. C. F. I. O. X. Y. Z. fremunt c. Q. tremunt *Non.*

1064. *alio.* alia X. Y. Z. *rabie diſtricta minantur.* rabies diſtricta minatur P. ſtricta Q. Y. Z. *minantur.* minatur X. Z.

1066. *At catulos.* Aut catulos E.

1067. *Aut ubi.* At ubi E. N. *jactant.* lactant pedibus A. B. C. D. I. P. X. Y. Z. *petentes.* patente *Voſſ. ad Catull p. 6.* potentes Y. Z.

1068. *teneros imitantur.* veros imitantur F.

NOTÆ.

cio. Præterea *diſtricta* excudendum curavi, adductus auctoritate librorum veterum, cum in vulgatis legatur *diſtracta*. *rictus, us*, autem, & *rictum, i*, pro eodem uſurparunt veteres, teſte Nonio. Lucr. l. 6: 1193.

——— *inhorrebat rictum, frons tenta minebat.*

Quòd autem Zoilus edidit *premunt*, ferri non poteſt. LAMB.

1063. *Mollia ricta premunt*] Ita libri veteres & vulgati. In quibuſdam Vulgatis: *fremunt.* In Nonio: *tremunt.* Ego libros ſequor. In quibuſdam Veteribus: *minatur.* GIFAN. *Minatur*, nimirum verſ. ſeq.

1063. *Ricta*] Ut *volta* pro vultus. FABER. Ut lib. 4. *Volta* pro *Vultus:* Et lib. 6. ℣. 1193. *Inhorrebat Rictum. Fremunt* autem rectè legitur, nec admittendum eſt Nonii *Tremunt*, rejiciendum verò, licet mille Codd. exhibeant, Gifanii *Premunt.* CREECH.

1063. *Duros nudantia denteis*] De uno ex equis aſinum impetentibus Apulejus Aſini Aur. lib. 7. *Dentiumque candentium renudatis haſtis, totum me commorſicat.* HAV.

1064. *Rabie*] Tralatitium non eſt, nec tritum *rabiem* a Lucretio accipi pro fremitu canis nondum latrantis, ſed irrientis, quum (ut Lucilius ait) caninam literam *Rho* pronunciat canis irritatus. TURNEB. *Adv.* XXX. cap. XXII.

1066. *At catulos*] Sic legendum: & ita ſcriptum eſt in quattuor libris manuſcr. & in antiquis Venetis. Nam alii vulg. habent, *Aut catulos*, & item nonnulli manuſcripti, mendoſe. LAMB. Ita veteres libri fere. Vulgati: *Aut*; & proximo verſu: *Aſt.* GIFAN.

1067. *Aut ubi eos*] Secutus ſum codices antiquos Aldinos: in quibus ita legitur. nam ceteri ſunt mendoſi, in quibus ſcriptum eſt, *At ubi.* LAMB. Mire lectionem Gifanianam *lactant* confirmat Voſſius Pater in Etymos. ad v. *Lacere.* Filii: *morſuque patente*, quam ad Catull. pag. 6. ſuppeditat, elegantior fortaſſe, quam verior. PREIG.

1067. *Jactant*] Sic legendum, non *lactant.* ſignificat enim tempus illud, quo tempore canes ludibundæ ſuos catulos, aut pedibus *jactant*, aut morſiunculis appetentes, non validè impreſſis dentibus, ſed ſuſtentatis & ſuſpenſis, & faucibus tenerè admotis, eos quodammodo haurire velle videntur, ita tamen ut illas ſuis catulis nocere nolle, facilè appareat. Zoilus hanc emendationem non probat, vel ſtupore mentis, vel malevolentia, vel utroque (quod credibilius eſt) im-

Longè alio pacto gannitu vocis adulant:
Et quom deſerti baubantur in aedibus, aut quom
Plorantes fugiunt ſubmiſſo corpore plagas.
  Denique non Hinnitus item differre videtur,
Inter equas ubi Equus florenti aetate juvencus
Pinnigeri ſaevit calcaribus ictus Amoris;
Et fremitum patulis ſub naribus edit ad arma:
Ac quom ſis alias concuſſis artubus hinnit?

Poſtre-

INTERPRETATIO.

diverſo plane modo voce ſua adulantur, ac cum Soli in domibus relicti baubantur, (*latrant*) *aut cum inclinato & in terram demiſſo corpore ictus imminentes plorantes vitant. Denique nonne item videtur Hinnitus differre, cum Equus juventute vigens inter Equas furit ſtimulis alati Amoris ictus, vel cum in pugnam ruiturus è patulis naribus hinnitum edit, & cum alias propter cauſas artibus concuſſis hinnit?*

VARIÆ LECTIONES.

1070. *Et quom.* Ac quom L. *deſerti.* deſertis *Quidam codd.* P. *baubantur.* buſabantur Y. Z.
1074. *Pinnigeri ſævit.* Pinnigeris acuit calcaribus *Quidam.* Pennigeri *Alii.*
1075. Hic ſequenti poſtponitur E.
1076. *ſis alias.* ſic alias C. D. E. I. N. X. Y. Z.

NOTÆ.

peditus. Lamb. *Lactant*, id eſt *trahunt.* Atque ita omnes libri. Male, opinor, Lambinus: *jactant.* Gifan.

1068. *Suſpenſis*] Non graviter impreſſis; ſed ſublevatis. ſuprà lib. 3: 197.

Namque papaverum, aura poteſt ſuſpenſa, leviſque,
Cogere, ut ab ſummo tibi diffluat altus acervus.

Idem lib. 6: 1126.

Aut etiam ſuſpenſa manet vis aëre in ipſo.

Virgil. libr. 7: 810. de Camilla:

Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celereis nec tingueret æquore plantas.

Idem lib. 1. Georg. 68.

At ſi non fuerit tellus fæcunda, ſub ipſum
Arcturum tenui ſat erit ſuſpendere ſulco.

ſuſpendere, ſubintell. *tellurem.* Lamb.

Aut ubi eos jactant pedibus, morſuque petentes
Suſpenſis teneros *imitantur dentibus hauſtus.*

Poſteriorem illum verſum jam abhinc ſex ſeptem annis emendavi ex occaſione quam mihi obtulerat locus quidam Phædri puriſſimi ſuaviſſimique ſcriptoris, cujus editionem notulis meis illuſtratam ſuſceperat Salmurienſis Bibliopola. Locum itaque integrum transferam, neque enim in eo quidquam mutari neceſſe eſt. „ *Suſpenſo pede*, „ Nil facilius: ſed quia ad hunc locum verſus „ quoſdam Lucretii attulit Schoppius, in quibus graviſſimum errorem eſſe contendo, mihi quoque illos afferre lubet, &, occaſione „ admonente, emendationem addere. Loquitur autem ibi de canibus & eorum catulis in „ hunc modum:

„ *At catulos blande cum lingua lambere tentant*, „
„ *Aut ubi eos jactant pedibus, morſuque petentes*, „
„ *Suſpenſis teneros imitantur dentibus hauſtus.*

„ Errorem in tertio verſu eſſe aio. Cum enim „ id, quod à Lucretio deſcribitur, catulis ſuis „ faciunt canes, dic, quæſo, lector, quid tandem imitantur? nonne *veros* hauſtus? id eſt, „ nonne *revera* catulos ſuos diducto rictu jam „ jam hauſturæ videntur? quod ipſum & feles „ factitare videmus, ubi cum parvulo grege ſeſe oblectare volunt. Legendum itaque eſt,

„ *Suſpenſis* veros *imitantur dentibus hauſtus.* „

Faber. Alii *Patente.* Certant etiam Grammatici utrùm *Lactant*, an *Jactant* legeretur. In ſequenti-

Poſtremò, genus Alituum, variaeque volucres,
Accipitres, atque Oſſifragae, Mergique marinis
Fluctibus in ſalſis victum vitamque petentes,
Longè alias alio jaciunt in tempore voces;
Et quom de victu certant, praedaque repugnant:
Et partim mutant cum tempeſtatibus una
Raucisonos cantus, Cornicum ut ſaecla vetuſta,
Corvorumque greges, ubi aquam dicuntur & imbreis
Poſce-

INTERPRETATIO.

Poſtremò diverſa Avium genera, Accipitres, Oſſifragæ, & Mergi qui in Mari vivunt, omni alio tempore voces emittunt longe diverſas ab illis quas edunt, cum de victu certant, & pro præda pugnant. Pro diverſa etiam Cœli temperie diverſos edunt raucos ſonos; ut longæva gens Cornicum, & Corvorum turba, quando dicuntur Aquam & Imbres

VARIÆ LECTIONES.

1079. *in ſalſis.* in ſalſo C. E. N. P. V. X. Y. Z.
1081. *certant, prædaque repugnant.* cernant, prædataque Z. certant, prædataque Y. certant, præda atque V. prædæque O. P.
1083. *ut.* deeſt P. Y. Z.

NOTÆ.

ti verſu pro *Teneros*, Faber, *Veros.* Negligo. Creech.

1069. *Longè alio pacto*] Hunc verſum profert Nonius, quanquam corruptum. Lamb.

1069. *Adulant*] Adulantur. *adulationem* propriè canum eſſe docet Nonius in voce *adulatio.* M. Tull. de nat. Deor. lib. 2. *Canum tam amans dominorum adulatio.* Lamb.

1070. *Baubantur*] Latrant. *Verbum factum à canum voce* (inquit Non.) in verbo *baubari.* Et auctor vocabularii Latino-Græci, *baubari*, inquit, *ὑλακτεῖν.* Lamb.

1074. *Pinnigeri*] Alibi *pennigeri.* cur Cupido ſingatur pennatus, conſule Propertium lib. 2. Eleg. 12. Lamb.

1074. *Sævit*] In Veteribus quibuſdam *s' acuit.* Gifan.

1075. *Ad arma*] Quænam arma? Martiane, an Venerea? Lamb. Alius forſan iſtarum vocum ſenſus, ſed turpiculus. Creech.

1076. *Et cum ſis*] Ita recte Lambinus, cum in omnibus libris eſſet: *ſic.* Ut & ſupra, lib. III. ℣. 1038. Gifan. *Ed. Pr. Et cum ſis alias, &c.* Sic reſtitui, cum in libris omnibus legeretur,

Et quom ſic alias, —— ——

Nam quid valet hoc loco *ſic*? Planè otioſum & ineptum eſt. *ſis* autem, id eſt *ſuis*, ut ſupra lib. 3: 1038.

Lumina Sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit.

Lamb. *Et cum ſic*, Lambinus: *ſis*; acute, ſed contra veteres libros. Gifan. *Ed. Poſt.*

1077. *Poſtremo, genus Alituum, &c.*] Sup. ℣. 799.

Principio genus Alituum, variæque volucres.

Lamb.

1078. *Oſſifragæ*] Oſſifraga, aquilæ genus: de quo lege Plin. lib. 10. cap. 2. Lamb.

1081. *Et quom de victu, &c.*] Proinde ac ſi ita loquatur, Et mutant cantus partim cùm de victu certant, prædaque repugnant, partim cum tempora mutantur. Lamb.

1082. *Partim*] Illud hic citra geminationem uſurpavit Poëta, ita Cicero (docente Magio Miſcell. lib. 1. cap. 7.) 2. de Divin. *A nobiliſſimis civibus, partim etiam a ſe omnibus ornatis, trucidatus jaceret.* Addit idem Valer. Maximi locum lib. 2. de Inſt. *Pars capitali judicio damnata.* cui ibi non alia vox eſt quæ reſpondeat. Hav.

1083. *Cornicum ut ſæcla vetuſta, Corvorumque*] Virgilius Georg. 1. 388.

Poſcere, & interdum ventos auraſque vocare.
Ergo, ſi varii ſenſus Animalia cogunt,
Muta tamen quom ſint, varias emittere voces:
Quantò mortaleis magis aequum eſt tum potuiſſe
Diſſimileis alia, atque alia res voce notare?
Illud in his rebus tacitus ne fortè requiras:
Fulmen detulit in terras mortalibus Ignem
Primitùs: inde omnis Flammarum diditur ardor.
Multa videmus enim coeleſtibus incita flammis

Ful-

INTERPRETATIO.

poſcere, & interdum ventos & procellas vocare. Ergo, ſi varii affectus, & diverſæ rerum perceptiones cogunt Animalia etiam muta nec voce Articulata prædita varias & diverſas voces emittere, quantò veriſimilius eſt Homines tum potuiſſe res diverſas diverſis vocibus notare? Ne vero de Igne nimis ſolicitus ſis, Fulmen primò ignem detulit in terras Hominibus, & inde accenſa eſt omnis iſta quæ per totum orbem diſtribuitur flamma: Nam multa videmus à flammis cœleſtibus.

VARIÆ LECTIONES.

1086. *varii.* variis Q1. Y Z. varios X.
1087. *Muta.* Multa Y. Z *uti ſup.* 839. *pro* muta *omnes MSS. habebant* multa.
1091. *terras.* terram X. Y.
1092. *diditur.* diditus A. B. deditur P. Q.
1093. *incita.* inſita c. O. P. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

Tum cornix plena pluviam vocat, improba voce,
Et Sola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.

Idem ibidem: 410.

Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces,
Aut quater ingeminant, & ſæpe cubilibus altis
Neſcio qua præter ſolitum dulcedine læti
Inter ſe foliis ſtrepitant. Lamb.

1083. *Sæcla vetuſta*] Cornicem novem hominum ætates vivere teſtatur Heſiodus, hoc eſt, annos ferè trecentos. ſic ille 2: 745.

Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη,

id eſt, *Novem ætates vivit garrula cornix.* Horat. Od. 17. lib. 3. *Annoſa cornix.* & Oda 13. libr. 4. *Cornicis vetulæ.* Lamb.

1090. *Illud in his rebus, &c.*] Nunc oſtendit, unde ignis in terras delatus ſit. profert hunc locum Servius lib 1. Georg. 999:

Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem. Lamb.

Suprà Ignis mentionem fecit, ỷ. 1009. Jam verò ỷ. 17. docet Ignem vel Fulmine in Terras delatum, vel ex arboribus Vento jactatis ramiſque inter ſe contritis natum primò ſe Mortalibus exhibuiſſe; Illius autem miniſterio ad præparandos cibos Homines fuiſſe uſos, quoniam obſervaverant Solis calore mitiores fieri & ſibi aptiores fructus: Inde alius Victus, alia vivendi ratio, quam invenit ingenioſa Luxuries. Creech.

1091. *Fulmen detulit in terras mortalibus Ignem*] Hoc idem ſignificant poëtæ, cum faciunt Vulcanum eò, quòd claudus eſſet, à Junone in terras dejectum; à Thetide autem & Eurynoma receptum ac ſervatum. Nàm per *Vulcanum claudum* ſignificatur ignis noſter, qui ſine materia conſtare non poteſt, per *Junonem Vulcani matrem*, aër, in quo fulmen & cetera μετέωρα gignuntur, & unde naſcuntur: per *Thetidem* verò, ſitus terræ, per *Eurynomam*, ignis diſtributio, & communicatio, & uſus. Nam hæc duo, terræ ſitus, & ab hominibus cognita ignis utilitas, inter ipſos diſtributa & communicata, ignem conſerva-

Fulgere, quom coeli donavit plaga vapores.
Et ramoſa tamen quom ventis pulſa vacillans
Aeſtuat in ramos incumbens arboris Arbor,
Exprimitur validis extritus viribus Ignis:
Emicat interdum flammaï fervidus ardor,
Mutua dum inter ſe rami ſtirpeſque teruntur:
Quorum utrumque dediſſe poteſt mortalibus Ignem.
Inde Cibum coquere, ac flammae mollire vapore
Sol docuit, quoniam miteſcere multa videbant

Verbe-

INTERPRETATIO.

accendi cum regio aliqua Cœli multos ignes emiſit: Et cum ramoſa Arbor huc & illuc validis ventis agitata in alterius Arboris ramos incumbens calorem colligit, vehementi iſta agitatione extritus Ignis exprimitur, interdum etiam fervida flamma ſplendet, dum rami ſtirpeſque Arborum inter ſe mutuo teruntur: Quorum utrumque (Fulmen viz. & iſtæ arbores attritæ) dediſſe poteſt ignem Hominibus. Deinde cibum coquere, & calore Ignis emollire alimentum Sol docuit, videbant enim multa

VARIÆ LECTIONES.

1095. *Et.* Ut O. Q1. X. Y. Z.
1096. *Æſtuat in ramos.* Æſtiva in *Quidam. Arbor.* Ardor Q. X.
1097. *viribus.* vicibus Q.
1098. *Emicat.* Ita A. B. L. Q. X. Y. Z. Et micat *Alii.*
1099. *teruntur.* terentur Q.
1101. *vapore.* vaporem P. X.

NOTÆ.

ſervarunt. Fabula autem eſt apud Homer. Ιλ. σ. 394.

Ἦ ῥά νυ μοι δεινή τε καὶ αἰδοίη θεὸς ἔνδον,
Ἥ μ' ἐσάωσ', ὅτε μ' ἄλγος ἀφίκετο τῆλε πεσόντα,
Μητρὸς ἐμῆς ἰότητι κυνώπιδος, ἥ μ' ἐθέλεσκε
Κρύψαι χωλὸν ἐόντα. τότ' ἂν πάθον ἄλγεα θυμῷ,
Εἰ μή μ' Εὐρυνόμη τε Θέτις θ' ὑπεδέξατο κόλπῳ,

&c. id eſt, *Profecto veneranda & verenda dea mihi domi eſt: quæ me ſervavit, cum me dolor tetigit, gravi caſu debilitatum, matris meæ impudentis conſilio & voluntate: quæ me volebat à conſpectu ſuo & Deorum removere, & de medio tollere, quod claudus eſſem. Tunc equidem graveis animo dolores pertuliſſem, niſi me Eurynome & Thetis ſuo ſinu excepiſſent.* Lamb.

1092. *Diditus ardor*] Ita ex veteribus libris reſtitui. In aliis: *diditur*; non tam recte. Gifan.

1093. *Multa videmus enim*] Profert hunc verſum cum eo qui deinceps ſequitur, Nonius Marc. in verbo *fulgere*, penultima correpta. Idem Lucret. lib. 6. 159.

Fulgit item, nubes ignis cum lumina multa
Excuſſere. Lamb.

1095. *Et ramoſa tamen cum ventis*] Significat etiam probabile eſſe, primum ignem ex duabus arboribus inter ſe colliſis & conflictis expreſſum fuiſſe: quod fieri ſolere dictum eſt ſupra lib. 1. 896.

At ſæpe in magnis fit montibus (inquis) ut altis
Arboribus vicina cacumina ſumma terantur, &c.
Lamb.

1098. *Emicat, &c.*] Servius hunc locum proferens eodem quem ſup. indicavimus loco, legit *Emicat*; itaque legitur in quibuſdam lib. manuſcript. quos nunc ſequor. nam vulgati habent *Et micat.* Lamb. *Emicat*, Hoc in Veteribus quibuſdam exſtat. In aliis: *Et micat.* Gifan.

1099. *Mutua dum*] *Mutua*, id eſt *mutuo*: ut ſup.

Verberibus radiorum, atque aeſtu victa per agros.
Inque dies magis in victum vitamque priorem
Commutare novis monſtrabant rebus, & igni,
Ingenio qui praeſtabant, & corde vigebant.
  Condere coeperunt urbeis, arcemque locare
Praeſidium Reges ipſi ſibi, perfugiumque:
Et pecudes, & agros diviſêre, atque dedêre

Pro

INTERPRETATIO.

per Agros (fructus viz. & fruges) Solis radiis mitia & matura fieri. Et qui ingenio præſtabant & Sagaces erant nova quotidie alimenta, novoſque præparandi modos Igne adjuti demonſtrabant. Reges ipſi cœperunt Urbes condere, & Arcem locare Sibi præſidium, & quo ſe recipiant cum Alii invadant. Pecud s etiam, Agroſque partiti ſunt,

VARIÆ LECTIONES.

1104. *hi.* & P. *in victum.* invictum Q. *ſed* in victum *clare* X. Y. Z. *atque eleganter. Reliqui* hi victum.

1105. *igni.* acri O.

1107. *cœperunt urbeis.* cœperunt tum urbes A. B. O.

1109. *diviſere, atque dedere.* diverſim, ut quiſquis haberet, *priſc. codd.* P. diviſim ut quiſquis haberet.

NOTÆ.

ſup. lib. 2: 359.

——— ——— ——— *crebra reviſit.*

Ibid. 79.

——— *& inter ſe mortales mutua vivunt.*

Lamb.

1103. *Verberibus radiorum*] Tralatio. ſic ſup. hoc lib. 485.

Et radii Solis cogebant undique terram
Verberibus crebris extrema ad limina apertam,
&c. Lamb.

1106. *Et corde vigebant*] Id eſt, & cordati erant: conſilio & mente præſtabant. *cor* pro *animo* poſuerunt veteres: ex quo *cordati* & *excordes.* Ennius,

Egregie cordatus homo, catus Ælius Sextus.

Horatius Epiſt. 2. lib. 1: 25.

——— ——— *fuiſſet turpis & excors.*

Auſonius:

Qui reminiſco putat ſe dicere poſſe Latine,
Hic, ubi co ſcriptum eſt faceret cor, ſi cor haberet.

Arnobius lib. 6. *Uſque adeone mortales ſaeculi illius & temporis, corde fuerant vacui? &c.* Lamb.

1107. *Condere cœperunt Urbes, &c.*] Ut communi ſaluti meliùs conſultum foret, ſumma poteſtas defertur Uni, quem Forma, Ingenio, aut Viribus præſtantem, & planè Regem effecerat Natura: Ille Urbes, Ille arces condidit Sibi Subditiſque ſuis ab Hoſtium injuriis præſidium: Illius arbitrio agebantur omnia, & O fælix Humanum Genus ſub tali Principe! Sed ſubitò corrupit Avaritia, evertit omnia Ambitio, & ita hodiè dominantur, ut ſi vivere velis, rerum publicarum adminiſtrationem fuge; Difficulter enim obtinetur imperium, & difficiliùs retinetur: Pro voluptatibus curas affert & moleſtias, inſtabile denique & infirmum eſt. Invidia & inſidiis undique petitum. Sed quid moneo? Semper rapuit, ſemperque rapiet Homines.

Ventoſo Gloria curru

Hæc ℣. 28. Creech. *Cœperunt tum urbis,* Hoc ex veteribus libris interjeci. Ab aliis quibuſdam abeſt. Gifan.

1111. *Facies*] Species, εἶδος. Etiam Ariſtoteles lib. 1. de Rep. ſcribit, ſi qui reperiantur ea pulchritudine corporis præditi, quæ in Deorum ſtatuis cernitur, nemini dubium futurum, quin ii

Pro Facie cujuſque, & Viribus, Ingenioque.
Nam Facies multùm valuit, vireſque vigebant:
Poſterius Res inventa eſt, Aurumque repertum,
Quod facile & Validis, & Pulchris dempſit honorem.
Divitioris enim ſectam plerumque ſequuntur
Quamlubet & fortes, & pulchro corpore creti.
Quod ſiquis vera vitam ratione gubernet,

Divi-

INTERPRETATIO.

ſingulisque portio aſſignata, prout Forma, Viribus, aut Ingenio præſtabant: Tum enim Forma & Vires in maximo honore erant. Poſtea Divitiæ, Aurumque inventum eſt, quod Formæ & Viribus facile Honorem abſtulit, nam illius qui Divitiis abundat factionem jam ſequuntur, & illi ſerviunt, qui forma & viribus ſunt conſpicui. Quod ſiquis ſecundum rectæ Rationis præcepta vitam ſuam inſtitueret,

VARIÆ LECTIONES.

1111. *vireſque vigebant.* vireſque vigentes E.
1113. *dempſit.* depreſſit Q. X.
1116. *gubernet.* gubernat C. E. N. P. X.

NOTÆ.

ii aliis imperare debeant. Xenophon præterea in ſympoſio ait pulchritudinem eſſe quiddam regium natura. Eodem pertinet hoc Euripidis, quod eſt apud Stobæum in iis quæ collegit de pulchritudine:

> Ἴδοιμι δ᾽ αὐτῶν ἔκγον᾽ ἄῤῥεν᾽ ἀῤῥένων,
> Πρῶτον μὲν εἶδος ἀξίους τυραννίδος.
> Πλείστη γὰρ ἀρετὴ τοῦθ᾽ ὑπάρχον ἐν βίῳ,
> Τὴν ἀξίωσιν τῶν καλῶν τὸ σῶμ᾽ ἔχειν.

id eſt, *Videam eorum filios mares ex maribus prognatos, primum quidem forma & ſpecie ipſa regno dignos. Maxima enim virtus eſt in hac vita, ſi cui corpus contigerit dignitate quadam honeſta præditum.* M. Tull. partitionibus. *Poſtea de corporis bonis dicendum; in quibus quidem, quæ virtutem maxime ſignificat, faciliime forma laudatur.* LAMB.

1111. *Vireſque vigebant*] Id eſt, & qui viribus præſtabant, erant in pretio, & aliis imperabant. Sic Varro Margop.

> *Qui pote plus, urget, piſceis ut ſæpe minutos*
> *Magnu' comeſt; ut aveis enecat accipiter.* LAMB.
> *Nam facies multum valuit, vireſque* vigebant.

Lego,

> *Nam facies multum valuit, vireſque* vigentes.

Et facies, (id eſt dignitas oris, & corporis proceritas,) facies, inquam, & vires vigentes multum illa tempeſtate valuerunt. notus eſt Ariſtotelis locus in eam rem. FABER.

1112. *Poſterius Res inventa eſt*] *Res*, id eſt pecunia, bona fortunæ. Horat. Sat. 5. lib. 2: 8.

> *Et genus & virtus, niſi cum re vilior alga eſt.* LAMB.

1113. *Quod facile & Validis, & Pulchris*] Horat. Satyr. 3. lib. 2: 94.

> ——— ——— ——— *omnis enim res,*
> *Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris*
> *Divitiis parent.* LAMB.

1114. *Divitioris*] Id eſt, ditioris. ſic Terent. Phorm. 1: 1: 8.

> ——— *ſemper aliquid addant divitioribus.*

& M. Tull. 3. de Orat. *Divitior dithyrambus.* & Offic. 2. *Mamerco homini divitiſſimo.* Et Æmilius Probus, ſeu Cornelius Nepos, in Alcib. *Socerum habuit Hipponicum, omnium Græcorum divitiſſimum.* ſic enim edidimus, & ita legendum, non, ut vulgò, *diſſertiſſimum.* Idem in Phocione, *Fuit enim perpetuo pauper, cum divitiſſimus eſſe poſſet, propter frequenteis delatos honores, poteſtateſque ſummas, &c.* LAMB.

1115. *Creti*] Creati. LAMB.

1116. *Quod ſiquis vera &c.*] Lege quæ ſequuntur.

Divitiae grandes homini ſunt, Vivere parce
Aequo animo; neque enim eſt unquam paenuria Parvi:
At claros ſe homines voluêre eſſe, atque potenteis,
Ut fundamento ſtabili fortuna maneret,
Et placidam poſſent Opulenti degere vitam;
Nequidquam: quoniam ad ſummum ſuccedere honorem
Certantes, iter infeſtum fecêre viaï.
Et tamen è ſummo quaſi Fulmen dejicit ictos

In-

INTERPRETATIO.

Divitiæ grandes ſunt homini frugi vivere æquo Animo, nemo enim tam miſer quin parvo ſemper gaudeat. At Homines volunt ſe eſſe claros & potentes, ut Stabili fundamento fortuna inniteretur, & opulenti poſſint vitam tranquillam agere; Fruſtra, Nam turba illorum qui ſummos honores attingere conantur reddidit Iter ad Honores periculoſum, & ſæpe Invidia tanquam Fulmen dejicit

VARIÆ LECTIONES.

1118. *neque enim eſt unquam paenuria Parvi.* neque æs tanquam penuria C. neque enim æs tanquam —— P. neque enim eſt unquam penuria parvi, *codd.* P. neque enim æs tanquam penuria parvo P. *in not.* penuria. Parvi At —— V.

1119. *At claros ſe homines voluere eſſe, atque potenteis.* At claros homines voluerunt ſe atque potentes C. E. O. Q1. V. Y. Z. Ad claros homines voluerunt atque potentes P. Q. X.

1121. *degere vitam.* ducere vitam A. marg. N. Q2. X.

1124. *dejicit.* deicit Q. dicit X.

NOTÆ.

tur, & fateberis Epicurum providum eſſe & continentem, ab omni Avaritia & Ambitione alienum, nam utraque curas affert & moleſtias, neutra promovet fælicitatem: Hinc ipſius effatum, *ἥδιστα πολυτελείας ἀπολαύουσιν οἱ ἥκιστα ταύτης δεόμενοι.* CREECH.

1117. *Divitiæ grandes homini*] Cum ſæpe habebat in ore Epicurus parſimoniam, continentiam, tenuitatem victus, animi denique æquitatem; tum id quod verbis laudabat, ajunt eum perpetua vitæ conſtantia comprobaſſe. Verba autem ejus hæc ſunt apud Laërtium: *Καὶ τὴν αὐτάρκειαν δὲ ἀγαθὸν μέγα νομίζομεν, οὐχ ἵνα πάντως τοῖς ὀλίγοις χρώμεθα, ἀλλ᾽ ὅπως, ἐὰν μὴ ἔχωμεν τὰ πολλά, τοῖς ὀλίγοις χρώμεθα, πεπεισμένοι γνησίως, ὅτι ἥδιστα πολυτελείας ἀπολαύουσιν οἱ ἥκιστα ταύτης δεόμενοι.* id eſt, *Et animi æquitatem nihil externi deſiderantem, magnum bonum eſſe arbitramur, non ut prorſus paucis utamur, ſed ut, ſi non habeamus multa, paucis utamur, vere perſuaſum habentes, eos jucundiſſime ſumptuoſo apparatu victuque perfrui, qui eum minime deſiderant.* de ejuſdem continentia ſic M. Tull. lib. 3. Tuſcul. *Negat Epicurus jucunde poſſe vivi, niſi cum virtute vivatur: negat, ullam in ſapientem vim eſſe fortunæ: tenuem victum antefert copioſo.* His adde, quæ præterea à nobis dicuntur infra, procemio lib. 6: 11.

Nam cum vidit hic, ad vitam quæ flagitat uſus,
Omnia jam ferme mortalibus eſſe parata, &c.

LAMB.

1118. *Neque enim eſt unquam pænuria Parvi*] Id eſt, neque enim umquam hominibus deſunt pauca, ſeu parva. Ita fit, ut ſapiens numquam egeat, immo verò ut ſit dives. Quod ita colligi & concludi poteſt: Homines non egent rebus parvis, neque paucis: Sapiens parvis & paucis contentus eſt: Ergo ſapiens numquam re ulla eget. At qui numquam re ulla eget, dives eſt, Ergo

Invidia interdum contemptim in Tartara tetra:
Ut ſatius multo jam ſit parere quietum,
Quam regere Imperio res velle, & Regna tenere.
Proinde, ſine, incaſſum defeſſi ſanguine ſudent
Anguſtum per iter luctantes Ambitionis:
Invidia quoniam ſeu Fulmine ſumma vaporant
Plerumque, & quae ſunt aliis magis edita cunque:

Quan-

INTERPRETATIO.

Homines à ſummo Honoris faſtigio in infimam viliſſimamque ſortem; Ita ut multò melius ſit modica fortuna contentum vivere, & quietum parere, quam imperare, & regnum obtinere velle. Proinde, fruſtra, nihil enim moror, improbè laborent, luctantes per anguſtias Ambitionis (Summa enim & quæcunque aliis altiora ſunt Invidia ſeu Fulmine plerumque flagrant)

VARIÆ LECTIONES.

1125. *Invidia.* Invia & Q1. X.
1127. *Imperio res.* inferiores V. Y. Z.
1128. *ſine, incaſſum.* ſide in caſſum X. Y. fidei incaſſum Z.
1130. *vaporant.* vaporat c. O. P. *in not. ita corrigi jubet.* Hunc & ſequentem deleri vult *Creech.*
1131. *aliis magis.* altis magis C. E. N. P. X. Y. Z.

NOTÆ.

Ergo ſapiens ſemper dives eſt. LAMBIN.

1121. *Degere vitam*] Sic habent quattuor libri Manuſcripti. vulgati, *ducere vitam.* LAMB. *Degere, Ducere.* GIFAN.

1122. *Quoniam ad ſummum* &c.] Diverſam ab Aliis, ſed veram interpretationem appoſuiſſe videor. CREECH.

1125. *Contemptim*] Duo lib. Manuſcripti habent *contemtus*, planè mendoſe. ſed tamen de hac ſcriptura lectorem celatum nolui. LAMB. In quibuſdam Veteribus: *contemptus.* In aliis: *contemptum.* Forte: *contemptos*; ut *s* elidatur. GIFAN.

1128. *Proinde, ſine, incaſſum*] Secutus ſum ſcripturam vulgatam. nam nonnulli ſcripti habent *Proinde fidei incaſſum*, planè mendoſe, niſi fallor. LAMB. *Sine in caſſum*, In quibuſdam Veteribus: *fidei.* In aliis: *ſide.* GIFAN.

1128. *Sanguine ſudent*] Sine valde laborent. ſudor ſanguinis, ingentem corporis laborem, gravemque animi moleſtiam ſignificat. *ſanguine ſudent* autem tranſlatè dictum, ut *ſudent humore*, &c. lib. 6: 943. Idem ibidem: 1145.

Sudabant etiam fauces intrinſecus atro
Sanguine.

Sic ferè Plautus in Pſeudulo 1: 1: 98. dixit *flere drachmis argenteis*, non longè admodum à principio. totum locum adſcribam:

Ut litterarum ego harum ſermonem audio,
Niſi tu illi drachmis fleveris argenteis,
Quod tu iſtis lacrymis te probare poſtulas,
Non pluris refert, quam ſi imbrem in cribrum ingeras. LAMB.

Valdè laborent, Interpretes, quibus credo, quoniam quid meliùs dici poſſit nondum inveni. CREECH. *Etter en bloed ſweeten*, noſtra lingua dicimus, idque ſcilicet præ metu, ne id quod ambiunt, illis ab aliis præripiatur. HAV.

1130. *Invidia quoniam*] Flaccus Oda 10. lib. 2: 11.

——— *feriuntque ſummos Fulgura* (al. *Fulmina*) *monteis.* LAMB.

Duos hoſce verſus, ſi Libri permitterent, delerem, certè ejectis iſtis integra foret ſententia quæ illorum interventu luxata videatur. CREECH.

1130. *Vaporant*] Calent, ardent, flagrant. LAMB.

1131. *Quæ ſunt aliis magis*] Id eſt, quæcumque aliis ſunt editiora atque altiora. Sic eſt autem

Quandoquidem ſapiunt alieno ex ore: petuntque
Res ex auditis potiùs, quam ſenſibus ipſis:
Nec magis id nunc eſt, nec erit mox, quam fuit ante.
  Ergo Regibus occiſis ſubverſa jacebat
Priſtina majeſtas ſoliorum, & ſceptra ſuperba;
Et capitis Summi praeclarum Inſigne cruentum
Sub pedibus Volgi magnum lugebat honorem.
Nam cupide conculcatur nimis ante metutum.
  Res itaque ad ſummam Faecem Turbaſque redibat,
Im-

INTERPRETATIO.

dum alieno ex ore ſapiunt, & Honorem & Imperium cupiunt quod ab aliis tanquam bona laudantur, potius quàm quòd ipſi ſentiunt: Hic nunc eſt, ſemper erit, ſemperque fuit mos Hominum. Ergò Regibus occiſis ſubverſa jacebat priſtina Majeſtas Soliorum, & ſuperba ſceptra, & Regii capitis ornamentum Diadema ipſius Regis ſanguine fœdatum ſub pedibus vilis plebis jacebat ſine honore; Quicquid enim olim maximè timebat Vulgus jam dejectum ſumma cum voluptate calcat. Imperium igitur ad infimam plebem vilemque turbam rediit

VARIÆ LECTIONES.

1137. *præclarum.* ſic clarum Q.
1138. *lugebat.* lucebat Q2. X.
1140. *Turbaſque redibat.* turbaſque recidit Y. recidat Q. X. Z.

NOTÆ.

tem legendum, non, ut vulgò,

——— *quæ ſunt aliis magis edita cunque.* LAMB.

Aliis, Ita in Veteribus noſtris, & Lambini. Vulgati: *altis*. GIFAN.

1133. *Ex auditis*] Id eſt, ex iis quæ audierunt & acceperunt ab aliis, non quæ ipſi ſuis oculis viderunt, aut uſu experti ſunt. ſic loquitur Plautus Bacchid. 3: 3: 65.

Quin ego, quom peribat, vidi, non ego ex audito arguo. LAMB.

1134. *Nec magis id nunc eſt*] Semper eadem fient, eadem facta ſunt. FABER.

1135. *Ergo, Regibus occiſis,* &c.] Deturbatis Regibus iterum Vis, Injuriæ, Tumultus, & ad priſtinam feritatem rediit Hominum vita, tandem placuit Magiſtratus creare, Leges conſtituere, & pœnis coërcere injurioſos: Prudenter hoc quidem, nam Metus vehementiſſima cauſa eſt, & Timore Homines maximè continentur. Ne verò quis putet ſe impune fœdera violare poſſe, quoniam clam peccet, nam Garrula eſt Conſcientia, & multi vel morbo delirantes vel in Somnis ſuorum ſcelerum indicium fecerunt. CREECH.

1136. *Soliorum*] Sellarum regiarum. LAMB.

1137. *Inſigne*] Diadema, Corona, Sceptrum. FABER.

1137. *Cruentum*] Regibus occiſis, ut ſupra dixit. LAMB.

1139. *Nam cupide conculcatur*] Sententia hæc eſt: quod homines antea nimis metuerunt, ab eis cupidè pedibus teritur & conculcatur. Sic ferè M. Tull. Off. 2. *Qui vero in libera civitate ita ſe inſtruunt, ut metuantur, his nihil poteſt eſſe dementius. quamvis enim ſint demerſæ leges alicujus opibus: quamvis timefacta libertas: emergit tamen hæc aliquando aut judiciis tacitis, aut occultis de honore ſuffragiis. acriores autem morſus ſunt intermiſſæ libertatis, quam retentæ.* LAMB.

1139. *Nam cupide conculcatur &c.*] Locus communis, quo faciunt, quæ Juvenalis Sat. x. de *Turba Remi*, ejuſque in Sejanum damnatum ludibriis. Tac. I. Ann. *Nihil in vulgo modicum, terrere, ut paveant; ubi pertimuerint, impune contemni.* Et VI. Ann.

Imperium ſibi quom, ac ſummatum quiſque petebat.
Inde Magiſtratum partim docuêre creare,
Juraque conſtituêre, ut vellent legibus uti:
Nam genus Humanum defeſſum vi colere aevom,
Ex inimicitiis languebat; quò magis ipſum
Sponte ſua cecidit ſub leges, arctaque jura:
Acriùs ex ira quod enim ſe quiſque parabat
Ulciſci, quam nunc conceſſum eſt Legibus aequis;
Hanc ob rem eſt Homines pertaeſum vi colere aevom:
Unde

INTERPRETATIO.

dum unuſquiſque regnum affectabat, & acquirere ſtudebat. Inde Magiſtratus inſtituere quidam ingenio & virtute præſtantes alios docuerunt, & leges condiderunt, ſecundum quas vitam ſuam agerent. Nam genus humanum omnia vi odio & inimicitiis agere tædebat, ideoque libentius ſeſe legibus ſubjecit, & jure uti conſtituit. Quòd enim unuſquiſque injuria laceſſitus & ira percitus acriorem vindictam ſumere, quam nunc leges æquæ permittunt, parabat, ideo Homines tandem tædebat omnia agere vi,

VARIÆ LECTIONES.

1141. *ſibi quom, ac.* ſi cum ac Z. Lege *ſiccum*, id eſt non cruentum, ut *ſicca morte*, apud Juven. *Voſſ.* ſibi eum hac ſumma tum quiſque Y. *ac.* hac Q. X. *diſtinctione omiſſa.*
1142. *Magiſtratum.* magiſtratus N. *docuere creare.* didicere creare *Creech* conjicit.
1144. *vi colere.* vivere Q1. vincere Y. vigere Z. vi gerere V. defoſſum vincere Q.
1146. *arctaque jura.* arctaque juſſa V.
1148. *quam nunc conceſſum.* quam non conceſſum P. *corr. in not.*

NOTÆ.

Ann. *Civium audacia turbidum, niſi vim metuat.* PREIG.

1139. *Nimis ante metutum*] Id eſt, quod homines nimis antè metuerunt. participium paſſivum veteribus uſitatum, poſterioribus obſoletum. notat Priſcianus lib. 10. LAMB.

1140. *Ad ſummam Fæcem*] Ad infimam plebem, atque ad vulgus hominum. quod genus reip. adminiſtrandæ, ὀχλοκρατία appellatur à Græcis. LAMB.

1141. *Summatum*] Principatum, ſummum gradum, ſupremos honores. LAMB.

1142. *Docuere*] Forſan *Didicere.* CREECH.

1145. *Quo magis ipſum Sponte ſua cecidit ſub leges*] Id eſt, quapropter tanto magis ſe ſubjecit legibus & juribus. ſignificat Lucretius, leges eſſe ab hominibus acceptas, ut eis ſine vi ſineque injuriæ metu vivere liceret. ſic ferè Horat. Sat. 3. lib. 1: 111.

Jura inventa metu injuſti fateare neceſſe eſt,
Tempora ſi, faſtoſque voles evolvere mundi.

ſic apud Herod. lib. 2. Dejoces quidam magna de ſe opinione juſtitiæ apud Medos excitata, cùm de eorum controverſiis, ultro ad ſe delatis, magna cum æquitate ſententiam ferret, tyrannidem libentibus illis occupavit. LAMB.

1146. *Artaque jura*] Codex Memmianus habet, *artque luſa:* ex qua ſcriptura P. Paſchalius, vir eloquentiſſimus, hiſtoricus Regius, idemque mihi amiciſſimus, ſuſpicatur legendum, *artaque juſſa.* cui propemodum aſſentior. Nam apud M. Tull. crebrò reperitur hæc vox, ut *juſſa populorum, ſcita ac juſſa noſtra.* Hoc quoque arripuit Zoilus, quamvis alicui leve videri poſſit: & homo jeiunus, idemque injuſtiſſimus, hanc non meam, ſed Paſchalii conjecturam inuncavit. LAMB. Fortè: *juſſa.* Nam in Veteribus quibuſ-

Unde Metus maculat poenarum praemia vitae.
Circumretit enim Vis atque Injuria quemque,
Atque, unde exorta eſt, ad eum plerumque revertit;
Nec facile eſt placidam ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia foedera pacis.
Etſi fallit enim Divôm genus Humanumque,
Perpetuò tamen id fore clam diffidere debet:

Quippe

INTERPRETATIO.

quippe inde natus Timor, perpetuuſque metus omnes vitæ voluptates contaminat & inficit. Vis enim & Injuria unumquemque circumretit, & in eum à quo primum exorta eſt, recidit. neque ille ſecuram tranquillamque vitam facile agat, qui communia pacis fœdera facinore ſcelereque ſuo violat: Nam licet Deos Hominesque lateat, timere tamen debet ne aliquando foret palam,

VARIÆ LECTIONES.

1150. *Unde.* Inde M. P. V. Y. Z. Hunc verſum poſt 1152. ponendum cenſet *Creech.*

NOTÆ.

dam: *luſa.* Gifan.

1150. *Unde*] Ex legibus. nonnulli libri habent *Inde.* Lamb. In quibuſdam Vulgatis: *Inde.* Ita & Marullus. Gifan. Apertior trium horum verſuum ſententia, ſi invertatur illorum ordo,

Circum retit enim vis atque injuria quemque,
Atque unde exorta eſt ad eum plerumque revertit,
Unde metus &c. Creech.

1150. *Præmia vitæ*] Dulcedinem vitæ: ſeu fructum, qui ex vita percipi debet. Lamb.

1151. *Circumretit enim*] Quia qui vim & injuriam infert alteri, legibus irretitus dat continuò, aut certè aliquando, pœnas. Lamb.

1153. *Nec facile eſt placidam, &c.*] *Quia* (ut ait M. Tull.) *ſua quemque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate ac mente deturbat.* Lamb.

1155. *Et ſi fallit*] Id eſt, & ſi latet. ſic Horat. Epiſt. ad Quinctium lib. 1: 16: 61.

Da mihi fallere: da juſtum, ſanctumque videri:
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Atqui Deos nemo fallere poteſt. Hac de re autem exſtat apud Gellium Peregrini Philoſophi gravis oratio, lib. 12. cap. 11. Jam verò totius hujus loci ſententia ab illo verſu,

Circumretit enim vis atque injuria, &c.

ad illa quæ refert Diog. Laërtius in Epicuro, pertinet: Ἡ ἀδικία, οὐ καθ᾽ ἑαυτὴν κακὸν, ἀλλ᾽ ἐν τῷ κατὰ τὴν ὑποψίαν φόβῳ, εἰ μὴ λήσει ὑπὸ τῶν τοιούτων ἐφεστηκότας κολαστάς. Οὐκ ἔστι γὰρ τὸν λάθρα τι ποιοῦντα ὧν συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους εἰς τὸ μὴ βλάπτειν ἢ βλάπτεσθαι, πιστεύειν, ὅτι λήσει, κἂν μυριάκις ἐπὶ τοῦ παρόντος λανθάνῃ· μέχρι γὰρ καταστροφῆς, ἄδηλον, εἰ λήσει. id eſt, *Injuſtitia non eſt per ſe malum; ſed eo, quod metu afficiatur ex ſuſpicione, ſi non fallet, aut latebit eos, qui præſunt talib. facinorib vindicandis. Non poteſt enim fieri, ut, qui clam violat aliquid eorum quæ inter homines convenerunt & pacta ſunt, ne cui damnum inferant, neve ab aliquo detrimentum accipiant, credat fore ut ignoretur, & fallat, etiam ſi millies in præſenti tempore ignoretur Nam perpetuo & uſque ad exitum vitæ fore clam, diffidere debet.* Lamb.

1156. *Perpetuo tamen id fore clam*] Sic M. Tull. lib. 1. de Finib. *Cujus in mente conſedit temeritas, hoc ipſo, quo adeſt, turbulenta non poteſt non fieri: & ſi vero molita quippiam eſt, quamvis occulte fecerit, numquam tamen confidet id fore ſemper occultum. Plerumque improborum facta primo ſuſpicio inſequitur, deinde ſermo atque fama, tum accuſator, tum index: multi etiam, ut te conſule, ipſi ſe indicaverunt.* Lamb.

1156. *Fore clam*] Sic Terent. Adelph. 1: 1: 46.

Si ſperat fore clam, rurſus ad ingenium redit.

Lamb.

1157. *Quippe ubi ſe multi per Somnia*] Sic ſup. lib. 4: 1012.

Multi

Quippe ubi ſe multi per Somnia ſaepe loquentes,
Aut Morbo delirantes procrâxe ferantur,
Et celata diu in medium peccata dediſſe.
Nunc quae cauſa Deûm per magnas Numina genteis
Pervolgârit, & ararum compleverit urbeis,
Suſcipiendaque curârit ſolemnia ſacra,
"Quae nunc in magnis florent ſacra rebus, lociſque:
Unde

INTERPRETATIO.

nam multi ſæpe per ſomnia loquentes aut morbo delirantes facinora diu celata indicâſſe dicuntur & in medium protuliſſe Nunc quæ cauſa Deos per totum Terrarum orbem agnoſci fecit, & urbes aris implevit, & ſolennia inſtituit ſacra quæ nunc ubique in uſu ſunt, & ſine quibus nullum facinus egregium ſuſcipitur:

VARIÆ LECTIONES.

1158. *procrâxe ferantur.* prograxe A. B. c. O. protraxe C. E. N. Y. Z. *Gaſſ. Turn. Adv.* 30: 22 prograſſe D. prograxe feruntur c. P. protraſſe Q. prodaſſe V. pro *prodiiſſe.*

1163. *ſacra rebus lociſque* florent rebuſque lociſque c. P. V. florent rebus lociſque Z. *Hunc vel rejiciendum, vel ſic legendum cenſet* F. quæ nunc in cunctis fument ariſque fociſque

NOTÆ.

Multi de magnis per ſomnum rebus loquuntur
Indicioque ſui facti perſæpe fuere. LAMB.

1158. *Procrâxe*] Id eſt, palam aperuiſſe, atque indicaſſe, & quaſi in publico garriiſſe. Verbum eſt è Græco detortum κράζω, ſeu κράγω, quod ipſum à præterito κέκραγα factum eſt. valet autem κράζω idem quod κλάζω, id eſt *clamo & vociferor.* cujus præteritum κέκραγα: hinc verbum *procrago, procraxi, procraxiſſe,* & κατὰ συγκοπὴν *procraxe,* ut ſup. lib. 3. *abſtraxe* pro *abſtraxiſſe,* & ſimilia. quamquam hoc loco quidam malunt legi *protraxe,* ut habent plerique libri vulgati: à quibus equidem invitus diſſentio, ſed cùm *procraxe* reperiatur in aliquot libris manuſcriptis, & in antiquis Venetis, & probetur Hermolao Barbaro, & (quod caput eſt) longè ſignificantius ſit, quam *protraxe,* illud potiùs, quam hoc excudendum curavi. Licet etiam legere *prograxe.* LAMB. *Prograxe,* Ita veteres libri. In aliis veteribus: *procraxe.* Vulgati: *protraxe*; male. GIFAN. Ut *traxe* Virg. 5: 786.

——— ——— *pœnam traxe per omnem.*

Eſt autem verbum originis Græcæ, à κράζω, ἔκραγον. unde Poëta effinxit τὸ *procrago.* in al. lib. *protraxe,* non bene. FABER.

1159. *Et celata diu in medium peccata dediſſe*] Id eſt, & diu occultata peccata ſua in medium protuliſſe, & vulgaſſe. LAMB.

1160. *Nunc quæ cauſa*] Nunc docet, quæ res opinionem Deorum in animis hominum inſeverit, & unde nata ſit religio. LAMB. A primo Hominum ortu Religio, & Deorum metus; Unde verò iſta Numinum notities? à Simulachris quibuſdam, è Diis ipſis (quibus quaſi Corpus & quaſi Sanguinem attribuit Epicurus) profluentibus an fortuitò natis incertum eſt. Iſta autem Simulachra perpetuo in mentes Hominum tam Vigilantium quàm dormientium incurſu efficiebant, ut conjicerent Homines extare alicubi ipſis conſimiles naturas, Intelligentiæ capaces, quippe Membra movere, & loqui Simulachra videbantur: Immortales etiam, quoniam eadem ſemper Simulachrorum forma, & immenſa illorum Virtus, ꝟ. 4. Beatas denique, quoniam neque Metu Mortis nec Periculis erant vexatæ, & nunquam laſſatæ æterno quaſi otio fruebantur, ꝟ. 4. CREECH.

1162. *Curarit*] Tralatio. ſic ſup. eod. lib. 1014. *Ignis enim curavit, ut alſia corpora, &c.* LAMB.

1163. *Quæ nunc in magnis florent ſacra rebus*]

Eam

Unde etiam nunc eſt Mortalibus inſitus Horror,
Qui delubra Deûm nova toto ſuſcitat Orbi
Terrarum, & feſtis cogit celebrare diebus:
Non ita difficile eſt rationem reddere verbis.
  Quippe etenim jam tum Divôm Mortalia ſaecla
Egregias animo facies vigilante videbant,
Et magis in ſomnis mirando corporis auctu.
His igitur ſenſum tribuebant, propterea quod
Membra movere videbantur, voceſque ſuperbas

Mit-

INTERPRETATIO.

Unde etiam metus iſte Deorum, qui nunc nova templa per totum Orbem Terrārum extruit, feſtoſque dies inſtituit, Homines invaſit; docere, & carmine explicare non adeo difficile videtur. Quippe tum Homines præclara Deorum Simulachra animo vigilante percipiebant, In ſomnis autem iſta Simulachra majora videbantur, & auguſtiora. His autem ſenſum tribuebant, quoniam membra movere videbantur, voceſque minaces

VARIÆ LECTIONES.

1170. *auctu.* auctus c. O. *Ita legi jubet* P. *in not.*

NOTÆ.

Eam ſcripturam ſecutus ſum, quæ reperitur in tribus libris Manuſcriptis, & in totidem vulgatis. neque eſt quod quemquam offendat vox *ſacra* iterata. Nam hæc ἐπαναφορὰ valet ad ornatum ac venuſtatem. Si quis tamen alteram lectionem malet, non pugnabo: quæ talis eſt,

Quæ nunc in magnis florent rebuſque lociſque.

in magnis rebus autem, verbi gratia, in iis quæ ad bellum, aut ad pacem pertinent, ubi vota pro rep. nuncupantur, & cùm res magnæ ſuſcipiuntur. Quidam tamen hunc verſum exiſtimant non eſſe Lucretianum, ſed inculcatum. LAMB. *Florent ſacra rebus lociſque*, hæc veriſſima ſcriptura. Etſi in quibuſdam libris ſit: *florent rebuſque lociſque*. Vide Indicem: *Repetitio*. GIFAN. Hic verſus vel ſpurius eſt, ut alii viderunt, præter Gifanium, vel extra omnem medendi ſpem jacet. Senſus autem illius eſſe debuerat,

Quæ nunc in cunctis fumant ariſque fociſque. FAB. At ſanus videtur Verſus & integer. CREECH.

1169. *Celebrare*] Colere, & celebria reddere. LAMB.

1166. *Animo facies vigilante videbant*] Id eſt, animo depingebant & informabant vigilantes, ὕπαρ ἐφαντάζοντο. LAMB.

1170. *Somnis*] ὄναρ. LAMB.

1170. *Mirando corporis auctu*] In quibuſdam Veteribus: *auctus*. Vide: *Augmen*. Ita Virgilius, de Creuſa lib. ſecund. & lib. I. de Romulo Livius. GIFAN. Mira corporis magnitudine: miro augmento, ſeu augmine. in quibuſdam libris ſcriptum reperi *auctus*: unde quis ſuſpicari poſſit legendum,

——— ——— *mirandos corporis auctus.*

ut ſit hæc ſententia: & videbant magis in ſomnis, quam vigilantes, *magnos corporis auctus*, id eſt ingentia corpora. hanc conjecturam meam, molli & levi brachio, & ἐν παρέργῳ à me propoſitam, Zoilus quaſi ſuam refert,

Ut puerum ſævo credas dictata magiſtro
Reddere. LAMB.

1172. *Voceſque ſuperbas*] Tales enim videbantur ob corporum proceritatem, agilitatem, &c. FABER.

1174. *Æternamque dabant vitam*] Id eſt, & tribuebant ingentibus illis corporibus Deorum immortalitatem: pulchra & valida illa Deorum corpora,

Mittere pro facie praeclara, & viribus amplis:
Aeternamque dabant vitam, quia ſemper eorum
Suppeditabatur facies, & forma manebat,
(Et manet omnino) & quod tantis viribus auctos
Non temere ulla vi convinci poſſe putabant.
Fortuniſque ideo longè praeſtare putabant,
Quod mortis timor haud quemquam vexaret eorum
Et ſimul in ſomnis quia multa, & mira videbant
Efficere, & nullum capere ipſos inde laborem.
Praeterea, Coeli rationes ordine certo,

Et

INTERPRETATIO.

mittere auguſtæ formæ ampliſque viribus convenientes: Æternam inſuper illis attribuebant vitam, quia forma eorum ſemper exhibebatur, & eadem manebat; (& profectò manet) & quia putabant Deos tantis viribus eſſe auctos, ut nullo vi nulloque impetu diffringi poſſint: Ideo autem feliciſſimos putabant, quod metus Mortis eos non vexaret, & quoniam in Somnis videbant Solem, Lunam, & Sydera,

VARIÆ LECTIONES.

1176. *Et manet omnino & quod.* Et tamen omnino, quos tantis A. B. Et tamen omnino, quòd C. E. P. Q. Y. Z. Et manet omnino, quos tantis D. quod tantis N.
1177. *ulla.* illa Q. Y. Z.

NOTÆ.

pora, immortalia faciebant. LAMB.

1174. *Quia ſemper eorum Suppeditabatur facies*] Nempe ἐκ συνεχοῦς ἐπιῤῥύσεως τῶν ὁμοίων εἰδώλων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποτετελεσμένων, id eſt, *ex aſſiduo & continente ſimilium imaginum in idem finitarum affluxione.* LAMB.

1176. *Et manet omnino*] Ex voce *tamen*, quæ erat corrupta, totidem litteris verbum *manet* feci: quod huic loco prorſus convenit. Nam hujus loci hæc ſententia eſt: Diis tribuebant immortalitatem, quia ſemper eorum facies ſuppetebat, & forma permanebat: & planè permanet: & quia tantis, &c. LAMB. Lambinus conjicit legendum: *manet.* Ego libros ſequor, qui *tamen* habent GIFAN. Propter tenuitatem, & alias id genus qualitates. FABER. Alii *Et tamen omnino, quos:* Qui quid velint ipſi videant. Alii, *& manet omnino, quos:* id eſt, Neceſſe ut maneat illorum forma quos &c. CREECH.

1178. *Fortuniſque ideo longe præſtare*] Id eſt, & eò fortunatiſſimos & beatiſſimos Deos eſſe putabant, quòd metu mortis vacarent. LAMB.

1182. *Præterea, Cœli*] Altera cauſa quamobrem homines Deos eſſe crediderint ex Epicuri ſententia. Præterea (inquit) cælum eadem ſemper ratione moveri, & varia annorum tempora immutabili & rato ordine verti cernebant. *cæli rationes*, id eſt cæli motus ratos. At Stoici hoc maximè argumento providentiam probari poſſe putabant, quòd eſſent certi cæli motus, rati aſtrorum ordines, & ab omni æternitate immutabiles curſus. Sed quid ſi dicamus legendum

Præterea cæli regiones, ordine certo, &c.

ut ita explicemus, atque interpretemur: Præterea cernebant oras cæli, &c. certo ordine moveri ac verſari. LAMB. Si aliam Religionis originem requiras, En cauſarum naturalium ignorantiam! ℣. 11. Nam cùm Syderum converſiones, viciſſitudines Tempeſtatum, Grandinem, Nivem, Ventos denique, Fulmenque viderint Homines, neque quo modo hæc fierent explicare potuerunt, fugiebant ad Deûm, nam conſtan-

tes

Et varia annorum cernebant tempora verti;
Nec poterant quibus id fieret cognoſcere cauſis:
Ergo perfugium ſibi habebant omnia Divis
Tradere, & illorum nutu facere omnia flecti.
In Coeloque Deûm ſedes, & templa locârunt,
Per Coelum volvi quia Sol, & Luna videntur:
Luna, Dies, & Nox, & noctis Signa ſevera,
Noctivagaeque faces Coeli, Flammaeque volantes,
Nubi-

INTERPRETATIO.

varia etiam annorum tempora ordine certo verti, quibus autem cauſis id fieret cognoſcere non potuerunt; Ideo ad Deos fugiebant, omniaque illorum numine flecti & gubernari crediderunt. Denique Deorum ſedes domoſque in Cœlis locaverunt, quoniam Sol & Luna videntur volvi per Cœlum, Luna inquam, Dies, & Nox, & Stellæ, Meteora etiam ignita,

VARIÆ LECTIONES.

1186. *illorum nutu.* ipſorum nutu *Gaſſ. facere.* facile Q1.
1188. *Sol, & Luna.* Nox, & Luna C. E. P. V. X. Y. Z. *videntur.* videtur C. E. L. P. Y. Z.
1189. *Signa ſevera.* ſigna ſerena c. *Gaſſ.*

NOTÆ.

tes Syderum motus cui potiùs quàm ſapienti gubernatori attribuerent? & ubi illius ſedem aptiùs quàm in Cœlo collocarent, unde Nix, Grando, Fulmen &c.? Creech.

1182. *Cœli rationes*] *Ratos Cœli motus:* ſæpe Lucretius, & melùs quàm *Cœli regiones.* Creech.

1185. *Ergo perfugium, &c.*] Ergo cùm rerum cauſas ignorarent, hoc perfugium habebant, ut omnia Deorum arbitrio & providentiæ mandarent. Lamb.

1187. *Facere*] Supponere, credere. Faber.

1187. *In Cœloque Deûm ſedes*] Quod verum eſſe negavit ſuprà libr. eod. non longè à princip. ỳ. 147.

Illud item non eſt ut poſſis credere, ſedes
Eſſe Deûm, &c. Lamb.

1189. *Et noctis Signa ſevera*] Sic habent omnes quos vidi libri. nonnulli tamen legi volunt *ſerena.* in quibus ego me principem profiteri non dubitem. Vide quæ notavimus. ad illum verſum lib. 4: 462.

Et ſonitus audire, ſevera ſilentia noctis
Undique cum conſtent. Lamb.

Ego *ſevera* explicarem veneranda, dia, ſacra, ut videtur etiam capere Caſaub. ad Athenæum p. 790. ubi hoc Lucretii profert ad illuſtrationem verſus Æſchyli ex Heliadibus ὅτ' ἔτι μελανίππου προφυγὼν ἱερᾶς νυκτὸς ἀμολγόν. *quum ad orientem abit, relicto noctis venerandæ ſilentio.* De horrore etiam noctis capit Turneb. Adv. 30: 22. Hav.

1192. *Et murmura magna minarum*] Id eſt, & tonitrua, per quæ Dii videntur hominibus minari, & terrorem inferre. Lamb.

1193. *O genus infelix humanum*] ἐκφώνημα. ſic ſup. lib. 2. princip.

O miſeras hominum menteis, ô pectora cæca.

Lamb. Opinio de Providentia, ſi Epicuro credimus, unica eſt cauſa Solicitudinis illius, quæ vitas Hominum affligit, atque hæc Sententia ỳ. 24. qui ſequuntur explicatur. Ab illa autem Opinione Vulgi vana & inepta Superſtitio, quæ nulla eſt erga Deos Pietas: Qui verè Pius, ſeipſum reſpicit, explorat Naturæ vires, ut omnia Intelligat, nihil admiretur; Inde enim fit ut Syderum motus, & alia Naturæ phænomena intrepidus ſpectaret, dum omnia fieri ſine Deorum interventu noverit: Nam Pietatis mater (Papicolam

Nubila, Ros, Imbres, Nix, Venti, Fulmina, Grando,
Et rapidi fremitus, & murmura magna minarum.
O genus infelix humanum! talia Divis
Quom tribuit facta, atque iras adjunxit acerbas:
Quantos tum gemitus Ipſi ſibi, quantaque nobis
Volnera; quas lacrymas peperêre minoribus noſtris!
Nec Pietas ulla eſt velatum ſaepe videri

Ver-

INTERPRETATIO.

Nubila, Ros, Imbres, Nix, Venti, Fulmina, Grando, rapidum denique Tonitru furens murmure horribili. O Infelix humanum genus quando talia facta Diis attribuit, eoſque Iræ capaces eſſe docuit! quantos tum ſibi gemitus, quantas nobis miſerias, quas denique Poſteris noſtris lachrymas, conciliârunt! Nec profectò Pietas eſt ulla velato capite ad Lapidem videri ſæpe

VARIÆ LECTIONES.

1191. *Ros.* Sol C. E. P. Y. Z. *Imbres.* imber c. O. P. *Fulmina.* Flumina Q. Y. Z.
1197. *ulla eſt.* ulla N. *velatum.* cælatum ſæpe c. velatum eſt X. Y. Z. *videri.* videre P.

NOTÆ.

colam crederes Lucretium) Ignorantia. *Horat.* Ep. 6. lib. 1.

Nil admirari prope res eſt una Numici,
Solaque quæ poſſit facere, & ſervare beatum:
Hunc Solem, & Stellas, & decedentia certis
Tempora momentis, ſunt qui formidine nulla
Imbuti ſpectent:

Alius

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
——— Strepitumque Acheruntis avari
Subjecit pedibus. CREECH.

1194. *Atque iras adjunxit acerbas*] Quod Epicurus dicebat alienum eſſe à præſtantia naturæ divinæ. ſup. lib. 2: 649.

Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur, neque tangitur ira.
LAMB.

1196. *Minoribus noſtris*] Poſteris noſtris. LAMB.

1197. *Nec Pietas ulla eſt, &c.*] Hunc verſum cum quatuor deinceps ſequentibus profert Firmianus libr. 2. de origine erroris. Non admodum autem diſſimile eſt his Lucretianis illud Arnobii lib. 4. *Cultus verus in pectore eſt, atque opinatione de Diis digna: nec quidquam prodeſt illatio ſanguinis & cruoris, ſi credis de his ea quæ non modo ſint longe ab eorum divina præſtantique natura, verum etiam labis & turpitudinis aliquid majeſtati eorum concilient, & decori.* Alii legunt,

Nam Pietas nulla eſt. LAMB.

1197. *Velatum*] Qui Deos venerabantur, operto erant capite. cujus ritus rationem multis verbis reddit Plutarch. ῥωμαϊκοῖς. Plaut. Amphitr. 5: 1: 41.

Invocat Deos immortaleis, ut ſibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto.

Præterea *velati* dicebantur, quorum caput licio laneo circumdatum erat: quod uſurpabant & legati, qui res repetebant, & ſupplices. T. Liv. lib. 1. *Legatus ubi ad fineis eorum venit, unde res repetuntur, capite velato, Audi Jupiter, inquit, audite fines, &c.* Virg. lib. 3: 370.

Exorat pacem Divûm, vittaſque reſolvit
Sacrati capitis.

Idem lib. 7. 237.

Præferimus manibus vittas, & verba precantum.

Idem lib. 12: 120.

Velati lino, & verbenis tempora vincti.

Plautus Amphitr. 1: 1: 101.

Velatis manibus orant, ignoſcamus peccatum ſuum.

LAMB. *Velatum ſæpe videri Vertier ad lapidem*. Præter ea quæ ad hunc locum a Viris Doctis aggeſta ſunt, videndi etiam, de *Lapide uncto*, ut &

 coro-

Vertier ad Lapidem, atque omneis accedere ad aras;
Nec procumbere humi proſtratum, & pandere palmas
Antè Deûm delubra, nec aras ſanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota:
Sed magè pacata poſſe omnia mente tueri.
Nam quom ſuſpicimus magni coeleſtia mundi
Templa ſuper, ſtelliſque micantibus aethera fixum.

Et

INTERPRETATIO.

verti, accedere ad omnes aras, humi poſtratum procumbere, manus pandere ante Deorum delubra, nec multo Animalium quadrupedum Sanguine aras ſpargere, nec vota votis nectere, ſed potiùs profectò Pietas eſt intrepida & tranquilla mente poſſe ſpectare omnia: Nam cum ſpectemus Cœlum latumque æthera ſtellis micantibus ornatum,

VARIÆ LECTIONES.

1202. *pacata.* placata C. D. E. I. P. X. Y. Z.

NOTÆ.

coronato Pithœus 2. ſubſeciv. cap. 14. tom. II. Fac. Crit. pag. 796. de *Velando* ſeu *operiendo capite*, Schegkius in Præmiſſis, ep. x. Tom. IV. Fac. Crit. pag. 907. & ſeqq. PREIG.

1198. *Vertier ad lapidem*] Id eſt, circumagi ad ſtatuam lapideam. Ad hunc locum intelligendum opus eſt Plutarcho advocato. Sic igitur ille in Marcello, verba autem Græca non referemus, ſed ea noſtro arbitratu vertemus, ab illo loco, Ἤδη δὲ πως εἰς ἐμβολὴν ἐπιστρέφοντος, &c. id eſt, *Cum autem is ad conflictum ſe converteret, accidit, ut equus, hoſtium ferocia territus, averteret ſe ab acie, & Marcellum invitum in diverſam partem ferret. Ille autem veritus, ne trepidationem ex religione Romanis incuteret, equo celeriter in lævam partem qua parte habenam tenebat, retracto, & circumacto adverſus hoſteis, ipſe ſolem demiſſo capite adoravit, quaſi non fortuito, ſed hujus rei gratia, circumactione illa uſus eſſet. Eſt enim hoc in more poſitum Romanis, Deos venerari dextrorſum circumacto & verſato corpore.* Plautus Curculione ℣. 1: 1: 69.

—— Quo me vortam, neſcio.
PA. Si Deos ſalutas, dextrovorſum cenſeo:

ad quem locum plura. LAMB. Fuſe Interpp. Tertulliani & Minutii. FABER. Romani velato capite & circumacto dextrorſum Corpore Deos (Lapides) venerabantur: vid. *Plutarch.* ῥωμαϊκά, & Vitam Marcelli: & Interpretes *Minutii Felicis* pag. 12. CREECH.

1199. *Pandere palmas*] Tendere manus. quod item faciunt qui Deos orant. Virg. Æn. 1: 87.

Ingemit, & duplices tendens ad ſidera palmas, &c. LAMB.

1201. *Votis nectere Vota*] Atque ita veſtire porticus templorum tabellis votivis, ut loquitur Juvenalis Sat. 12: 100.

Legitime fixis veſtitur tota tabellis
Porticus. HAY.

1202. *P. p. o. mente*] *pacata mente*, id eſt, ἀταράχως. Laudabat autem, & crebrò habebat in ore Epicurus ἀταραξίαν illam, i. vacuitatem ab omni motu turbido, mentiſque æquabilitatem, & tranquillitatem. Cum hoc loco congruit verſus ille lib. 6: 76.

Nec, de corpore quæ ſancto, &c.
Suſcipere hæc animi tranquilla pace valebis.
LAMB.

1203. *Nam quom ſuſpicimus &c*] Verſus plane admirabilis, & plauſu clamoribuſque Muſarum digni illi ſunt, quos jam lecturus es:

Nam cum ſuſpicimus magni cæleſtia mundi
Templa ſuper, ſtelliſque micantibus æthera fixum:

Et

Et venit in mentem Solis, Lunaeque viarum.
Tunc aliis oppreſſa malis in pectore cura
Illa quoque expergefactum caput erigere infit,
Ecquae fortè Deûm nobis immenſa poteſtas
Sit vario motu quae candida ſidera verſet?
Tentat enim dubiam mentem rationis egeſtas,
Ecquaenam fuerit Mundi genitalis origo:

Et

INTERPRETATIO.

& Solis Lunæque curſus contemplemur, Tunc illa cura, quæ aliis malis oppreſſa jacebat in pectore ſopita, caput ſuum expergefactum attollere incipit, an viz. forte ſint Dii immenſa poteſtate præditi, qui Solem, Lunam & Sydera vario motu verſent & gubernent. Cum etiam rerum cauſas non habemus clare perſpectas, dubitamus an Mundus unquam incœpit eſſe,

VARIÆ LECTIONES.

1206. *pectore.* pectora Y. Z.
1208. *Ecquæ.* Ne quæ Y. Z. Et quæ P. Ecquæ, *codd.* P. Hæc quæ Q. ut & verſu 1212. *Deum nobis.* Deum endo polis immenſa F.
1211. *Ecquænam.* Et quænam P.

NOTÆ.

Et venit in mentem ſolis lunæque viarum,
Tunc aliis oppreſſa malis in pectore cura
Illa quoque expergefactum caput erigere infit,
Ecquæ forte Deûm nobis immenſa poteſtas
Sit, vario motu quæ candida ſidera verſet.

Sed hoc quid erit; *Tunc excitatur cura & dubitatio num aliqua* nobis *ſit deorum poteſtas, quæ cœlum verſet, & importuna providentiæ, rerumque noſtrarum curioſitate vitam turbare poſſit*, Ea enim verſuum illorum ſententia eſt; Itaque valde veriſimile ſit ſcripſiſſe olim poëtam, non *nobis* (nam hic aliquod nomen eſſe debuit, aut adverbium ſaltem, quod locum, ſeu cœlum, deorum ſedem notaret) non *nobis*, inquam, ſed *endo polis*, id eſt in cœlo, (ut *endo ſtatu* & centum alia paſſim) ſed cum ſupra τὸ *endo* additum eſſet gloſſema IN, ſicque remanſiſſet verſus ἀτελὴς & plane vitioſus, [*Ecque forte deûm* in *polis*] abjecto gloſſemate, & metro, non ſententiæ, conſulentes, ſcripſere *nobis*, quod per παρέλκον Atticum tutari locum ſuum non poteſt; nam, ut jam dixi, vel nomine opus, vel adverbio eſt, quod ἀναφορὰν ſuam ad *cœlum* habeat; alioqui, *&c.* Ceterum etſi emendationem vocare non auſim, tamen ita fore arbitror, ut homines lectionis Lucretianæ ſtudioſi, non modo conjecturam non improbent, ſed & libenter ſint amplexuri. FABER.

1207. *Caput erigere*] caput attollere. ſic ſup. de religione, lib. 1: 65.

Quæ caput à cæli regionibus oſtendebat
Horribili ſuper adſpectu mortalibus inſtans. LAMB.

1207. *Infit*] incipit, ut ſup. l. 3: 514.

Commutare animum quicumque adoritur & infit. LAMB.

1208. *Ecquæ fortè, &c.*] Pendent hæc ex iis quæ antecedunt. illa cura (inquit) *caput erigere*, i. animos hominum ſollicitare incipit, num fortè aliqua ſit Deorum poteſtas immenſa, quæ mundum gubernet. LAMB. Pro *Nobis* Faber ſubſtituit *Endo polis*, In Cælis. Sed iſta audacior eſt conjectura, & *Tibi*, *Sibi*, *Vobis*, *Nobis*, &c. pro libitu inſerebant veteres Poëtæ. CREECH.

1210. *Rationis egeſtas*] Ignoratio rationis & cauſæ. LAMB.

1211. *Ecquænam*] Num aliqua: ut lib. 1: 951.

Nunc age; ſummai ecquænam ſit finis eorum, &c. LAMB.

Et ſimul, ecquae ſit finis, quoad moenia Mundi,
Et tanti motus hunc poſſint ferre laborem:
An Divinitus aeterna donata ſalute,
Perpetuo poſſint aevi labentia tractu,
Immenſi validas aevi contemnere vireis.
Præterea, quoi non animus formidine Divûm
Contrahitur? quoi non conrepunt membra pavore,
Fulminis horribili quom plaga torrida Tellus

Con-

INTERPRETATIO.

an aliquis etiam certus ſit finis, quouſque Mundi mœnia durare poſſint, & tanti motus laborem ferre: An æternitate à Diis donata perpetuo motu verſari poſſint, & immenſi ævi vires ſuſtinere illæſa & infracta. Præterea, Cujus Animus metu Deorum non percellitur, cujus artus non contrahuntur, quando horrendo ictu fulminis exuſta Terra

VARIÆ LECTIONES.

1213. *Et tanti motus hunc poſſint ferre laborem.* F. taciti A. B. C. D. E. O. Y. Z. *item Creech, vel,* tanti c. *Creech. hunc.* hinc Z.

NOTÆ.

1212. *Quod*] uſque ad quem finem.

1213. *Et tanti motus, &c.*] Sic legendum potiùs. & ita habent codices quatuor manuſcripti, quibuſcum conſentiunt Pariſienſes, Vicetini, Germanici. in aliis eſt, *Et taciti motus.* LAMB. Seu *tanti* leges, ſeu *taciti*, uti in aliis codicibus ſcriptum eſt, ei nihilo melius fuerit. nam aliunde hæret ſententia & ſuſpenſa eſt. En tibi illius feriem: [*Animus dubitat an aliqua mundi origo fuerit, & quis ſit finis quoad mundi mœnia* (id eſt, cœlum) *poſſit* ferre ET *laborem tanti motûs*] Lege modo; id enim ſi facies, nullus dubitabis quin hic locus fœde corruptus ſit; illud enim ET, quod ex ſuperiori verſu in hunc tranſlatum eſt, ſententiam plane turbat. Ego autem ſic legendum arbitror,

Hunc *tanti motûs poſſint* ſufferre *laborem.*

Ita mox in hoc ipſo libro,

Nec poterat pariter durum ſufferre *laborem.*

& ſub finem, 358.

Atque ipſi potius durum ſufferre *laborem.*

& Terrent. tale aliquid, And. 5: 3: 17.

An pro ejus ut ſtultitia ſupplicium ſufferam.

fortaſſe etiam ita in I. 142,

...... *quemvis* ſufferre *laborem.*

Ubi hodie alii *perferre* legunt, alii *efferre.* FABER.

1217. *Præterea, cui non* &c.] Alia denique Religionis cauſa eſt Timor, v, 23. Procellis, Terræ-motu, aliiſque maximis malis, quæ nulla ſua vi, nulla arte aut induſtria eluctari poſſunt Homines attoniti, Poteſtatum inviſibilium opem & auxilium implorabant; Inde Preces & Vota, &

Primus in orbe Deos fecit timor.

At quid valent Vota? ſævit Ventus, preces ſimul & vela rapit, nec magis audiunt Numina quàm Tempeſtas: Caſu feruntur, rapiuntur omnia. CREECH.

1218. *Conrepunt*] contrahuntur, & in unum coguntur. tralatio eſt mirabilis, & audax. Idcirco docti quidam legendum cenſent *horreſcunt*, ut infr. lib. 6: 260.

In terra quoque ut horreſcant, ac tecta requirant.

ego nihil mutandum cenſeo. LAMB. Recte Lamb. in horrore enim membra quaſi contracta vermium more conrepere dicit; cui nos ſimilem in timore habemus locutionem, *myn hert krimpt 'er van in.* Idem mox verſu 1221. & 1222. jungit *tremunt* & *conripiunt membra.* HAV.

1222. Con-

Contremit, & magnum percurrunt Murmura coelum?
Non Populi, Genteſque tremunt? Regeſque ſuperbi
Conripiunt Divôm perculſi membra timore,
Ne quod ob admiſſum foedè, dictumve ſuperbè
Poenarum grave ſit ſolvendi tempus adactum?
Summa etiam quòm vis violenti per mare venti
Induperatorem claſſis ſuper aequora verrit,
Cum validis pariter Legionibus, atque Elephantis:

Non

INTERPRETATIO.

tremit, & fremens Tonitru percurrit Cœlum. Nonne populi & Gentes, magnique Reges timore Deorum perculſi contremiſcunt, Soliciti ne jam adſit grave tempus ſolvendi pœnas propter facta turpiter commiſſa, vel ſuperbè dicta. Cum etiam vehemens impetus procellæ Claſſis Imperatorem cum validis ſuis Legionibus & Elephantis rapit per mare,

VARIÆ LECTIONES.

1222. *Conripiunt.* Conrepunt, *codd. Pii.* *perculſi.* percuſſi P. Q2. Y. Z.
1224. *ſit ſolvendi tempus adactum.* ſint ſolvendi tempus adacti. *Quidam.* adductum? *Quidam.* adauctum Q2. X. Y. Z.
1226. *æquora.* æthera verrit c. P. æthera vertit Q.

NOTÆ.

1222. *Conripiunt*] celeriter contrahunt, ut libr. 4: 81.

——— *conrepta luce diei.* Lamb.

1222. *Perculſi*] Quidam libri ſcripti habent *percuſſi.* utrumvis ferri poteſt. *percuſſi*, id eſt permoti: *perculſi*, de ſtatu moti, & proſtrati. Lamb. Quidam libri veteres: *percuſſi.* Supra lib. 1. verſ. 13. Gifan.

1223. *Ne quod ob admiſſum, &c.*] Ordo eſt: ne ob aliquod facinus fœdè admiſſum, aut ob dictum ſuperbum, grave tempus adactum ſit, ad eos ſubaudi: id eſt, tempus eis advenerit, *ſolvendi pœnarum* id eſt ſolvendi pœnas, aut ſolvendarum pœnarum. Sic loquitur Terentius prologo Heaut. 28.

——— *date creſcendi copiam,*
Novarum qui ſpectandi faciunt copiam
Sine vitiis.

ſic & Plautus Capt. 4: 2: 72.

Nominandi iſtorum tibi erit magis, quàm adeundi copia.

& M. Tull. de invent. rhet. lib 2. princip. *Nobis omnium, quicumque fuerunt, ab ultimo principio hujus præceptionis uſque ad hoc tempus expoſitis copiis, quodcumque placeret, eligendi poteſtas fuit* Idem Accuſ. lib. 4. *Earum autem rerum nullam ſibi iſte neque infitiandi rationem, neque defendendi facultatem reliquit.* Idem Philipp. 5. *Agitur, utrum M. Antonio facultas detur opprimendæ reip cædis faciendæ bonorum, diripiendæ urbis, agrorum ſuis latronibus condonandi, populi Rom. ſervitute opprimendi, an nihil horum ei facere liceat.* ſic & Sueton. in Octaviano Auguſto, ſub extr. *Iiſdem etiam epulùm in conſpectu ſuo præbuit. permiſſa, immo exacta jocandi licentia diripiendique pomorum, & obſoniorum, rerumque miſſilium.* Lamb.

1226. *Æquora*] In quatuor Impreſſis: *æthera*; malè. Gifan.

1226. *Verrit*] impellit, jactat, agitat. tralatio eſt, qua uſus eſt & alias, ut lib. 1: 278.

Sunt igitur venti nimirum corpora cæca,
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cæli
Verrunt. Lamb.

1228. Non

Non Divôm pacem votis adit? ac prece quaeſit
Ventorum pavidus paces, animaſque ſecundas?
Nequidquam: quoniam violento turbine ſæpe
Conreptus nihilo fertur minùs ad vada lethi:
Uſqueadeo res humanas Vis abdita quaedam
Obterit, & pulchros Faſceis: ſaevaſque Secureis
Proculcare, ac ludibrio ſibi habere videtur.
Denique ſub pedibus Tellus quom tota vacillat,
Concuſſaeque cadunt urbes, dubiaeque minantur:

Quid

INTERPRETATIO.

nonne ille votis omnibus Deos ſibi propitios reddere conatur, multaque prece tranquillum mare & ventos ſecundos pavidus expoſcit? Fruſtra, quoniam ſæpe violenta procella fertur in Brevia perniciosa, & ad ſaxa alliditur, æque ac ſi nullas preces fudiſſet: Vis aliqua occulta res humanas ita obterit, pulchros faſces ſævaſque ſecures, (omnia imperii Inſignia) calcare videtur, & ludibrio habere. Denique cum tota Terra ſub pedibus noſtris tremit, cum urbes quaſſatæ cadunt, vel inclinata mœnia ruinam minantur,

VARIÆ LECTIONES.

1228. *quæſit.* quærit Q2. rogat Q1.
1231. *ad vada lethi.* ad vada lethes, *codd. Pii.*
1233. *Obterit.* Operit Z.

NOTÆ.

1228. *Non Divûm pacem*] Sic Plautus Amphitr. 5: 1: 74.

Abi domum. jube vaſa pura actutum adornari mihi.
Ut Jovis ſupremi multis hoſtiis pacem expetam.

Idem Curcul. 5: 3: 21.

Hoc animum advorte. pacem ab Æſculapio petas.

Idem Rud. 1: 5: 1.

Qui ſunt, qui à patrona paces mea expetiſſunt?

ubi vulgo legitur *preces*, mendoſe. Lamb.

1228. *Pacem*] Solennis formula, *Pacem deüm*, &c. Faber.

1228. *Quæſit*] orat, vel quærit. Feſtus: *Quæſo ſignificat idem, quod rogo. quæſere tamen Ennius pro quærere poſuit.* Lamb. *Quæſit* pro *quærit*, ut *aſa* pro *ara*, *aſena* pro *arena*, *Auſelii* pro *Aurelii* & ſimilia. Voss. *De Anal.* lib. III. cap. XLI.

1229. *Animaſque ſecundas*] id eſt, & ventos ſecundos. ſic Horat. od. 12. lib. 4: 2.

Impellunt animæ lintea Thraciæ. Lamb. & Fab.

1233. *Pulchros Faſceis, ſævaſque Secureis*] Per inſignia magiſtratuum & honorum, honores ipſos ſignificat, ut ſupr. lib. 3: 1009.

Qui petere à populo faſceis, ſævaſque ſecureis Imbibit.

& Horat. epiſt. ad Quinctium lib. 1: 16: 34.

—— ut ſi
Detuleris faſceis indigno, &c. Lamb.

1235. *Denique ſub pedibus Tellus quom tota vacillat,*] Terræ motum ſignificat, ac deſcribit. Lamb.

1237. *Si ſe temnunt*] ſi ſibi diffidunt, & ad Deos confugiunt, ſuæ imbecillitati diffidentes. Lamb. Atque ideo omnia repente ad deos conferunt. Faber.

1237. *Mortalia ſæcla?*] Homines, genera humana. Lamb.

1240. *Quod ſupereſt, Æs, &c.*] Nunc docet, quomodo aurum, argentum, æs, & cetera metalla reperta ſint. Lamb. Prima Metallorum inven-

Quid mirum ſi ſe temnunt Mortalia ſaecla?
Atque poteſtates magnas, miraſque relinquunt
In rebus vireis Divôm, quae cuncta gubernent?
Quod ſupereſt, Aes, atque Aurum, Ferrumque repertum eſt,
Et ſimul Argenti pondus, Plumbique poteſtas:
Ignis ubi ingenteis ſylvas ardore cremârat
Montibus in magnis, ſeu coeli fulmine miſſo,
Sive quòd inter ſe bellum ſylveſtre gerentes,

Hoſti-

INTERPRETATIO.

Quid mirum ſi Homines de ſeipſis non magnifice ſentiant, ſed exiſtimant Infinitam eſſe quandam in Diis potentiam quæ omnia dirigat & gubernet. Quod ſupereſt, Æs, Aurum, Ferrum, Argentum, & Plumbum tum inventa ſunt, cum in magnis montibus Ignis ingentes ſylvas combuſſerat, ſive ille Ignis ortus ſit è miſſo cœli fulmine, ſive quod Homines in ſylvis pugnantes

VARIÆ LECTIONES.

1238. *poteſtates.* poteſtatis E. P.
1240. *Æs, atque.* æque Y. Z. æque eſt (*deleto ultimo* eſt) Q1.
1243. *ſeu.* ceu Q1.

NOTÆ.

ventio & Uſus, quo denique in honore & pretio ſingula erant verſibus 40 explicatur: Inventio ad Sylvarum exuſtionem, factamque exinde Metallorum colliquationem refertur v. 18. Combuſtis enim (quomodo exortum fuit iſtud incendium nihil attinet) Sylvis, liquefacta quæ in Terræ venis diſperſa jacebant Metalla in unam Maſſam confluebant; quam cùm lævem ſplendidamque Homines viderint, tollebant experturi cui uſui res iſta tam lævis & nitida inſerviret. Cùm verò obſervaverint Maſſæ illius figuram conformem eſſe figuræ iſtius Lacunæ ſeu foveæ in quam confluxerat, concludebant eadem Metalla Igne iterum reſoluta in quamlibet formam duci, ita denique attenuari poſſe, ut Mucronem accipiant & Acumen. Inde è quolibet Metallo Inſtrumenta faciebant, quibus Sylvas exciderent, Tigna Trabeſque perforarent, &c. Quoniam vero Aurum & Argentum facilius obtundebantur, quia molliora, Ideo primis iſtis Hominibus Æs videbatur pretioſius, quòd Utilius: Neque Naturam ſequuntur inficeti iſti Homines, qui Auro & Argento inutilibus Metallis ſtupent, Æs & Ferrum utiliora negligunt. v. 21. CREECH.

1241. *Plumbique poteſtas*] Dictum ut a Virgilio Æn. 4: 132. *canum vis.* & a Lucretio ipſo ſup. 878.

Ex alienigenis membris compacta poteſtas.
TURNEB. *Adv.* VI. *cap.* VI.

1242. *Ignis ubi ingenteis*] Vult metalla eſſe primùm reperta incendio ſilvarum. hanc ſententiam confirmat id quod ſcribit Ariſtot περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. his verbis: Ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ λέγουσι τῶν δρυμῶν ἐμπρησθέντων ὑπό τινων ποιμένων, καὶ τῆς γῆς διαθερμανθείσης ὑπὸ τῆς ὕλης, φανερῶς ἀργύρῳ ῥεῦσαι τὴν χώραν, καὶ μετὰ χρόνον σεισμῶν ἐπιγενομένων, καὶ τῶν τόπων ῥαγέντων, παμπληθὲς συναχθῆναι ἀργύριον. ὃ δὴ καὶ Μασσαλιώταις πρόσοδον ἐποίησεν οὐ τὴν τυχοῦσαν. id eſt, *Ajunt in Hiſpania ſilvis incenſis à quibuſdam paſtoribus, & terra à materia concalefacta, perſpicuè argentum in ea regione fluxiſſe, & aliquanto poſt tempore terræ motu ſubſecuto, & locis diſciſſis, ingentem vim argenti coactam eſſe. quæ res etiam Maſſilienſibus vectigalia peperit non parva.* Sed de metallorum primis inventoribus lege Georg. Agricolam lib. 1. de metallis. LAMB. Idem narrat Poſidonius apud Strabonem lib. 3. de Mineris Turditaniæ ſive Andaluſiæ. Athenæus lib. 6. Cap. 4. Ariſtoteles de Mirabilibus Auſcul. & Diodorus Siculus. CREECH. Servius ad Virgil. Æn. 12: 87. *Apud majores orichalcum pretioſius fuit omnibus metallis, namque ſicut Lucretius dicit, cum pri-*

Hoſtibus intulerant ignem formidinis ergo;
Sive quòd inducti Terrae bonitate, volebant
Pandere agros pingueis, & paſcua reddere rura:
Sive Feras interficere, & diteſcere praeda:
Nam Fovea, atque Igni priùs eſt venarier ortum,
Quàm ſepire Plagis ſaltum, Canibuſque ciere.
Quidquid id eſt, quacunque è cauſa flammeus ardor
Horribili ſonitu ſylvas exederat altis
Ab radicibus, & terram percoxerat igni,
Manabat venis ferventibus in loca terrae
Concava conveniens Argenti rivus & Auri,

Ae-

INTERPRETATIO.

accendebant iſtum ignem quo terrerent Hoſtes: ſive quod bonitate Terræ inducti pandere Agros fertiles & rura paſcua efficere, ſive feras interficere, & præda frui volebant: Nam fovea atque Igne venabantur, antequam ſylvam retibus circumdare, & ciere canibus noverunt. Quicquid vero id ſit cum quacunque è cauſa ortus iſte Ignis ſylvas ab imis radicibus Horrendo ſonitu conſumſerat, & Tellurem percoxerat, rivus Argenti, Auri, Æris, & Plumbi è venis Terræ ferventibus ebulliit, & in cava Telluris loca confluxit:

VARIÆ LECTIONES.

1250. *ciere.* viere *Titius ad Bargæi Syriad. malè. Voſſ. Inſt. Orat. p.* 182.
1252. *altis,* altas A. B. D. L. *Gaſſ.* P. altis A. marg.
1253. *Ab.* A. rad. Y. Z.

NOTÆ.

primum homines ſylvas incendiſſent, nullarum adhuc rerum periti, terra caſu fertilis omnium, ex incendii calore, deſudavit metalla: inter quæ orichalcum pretioſius viſum eſt, quod & ſplendorem auri & æris duritiem poſſideret. Hav.

1245. *Formidinis ergo*] id eſt terroris inferendi cauſa. *ergo* productum valet idem quod χάριν, ut docet Feſtus. Lamb.

1246. *Sive quòd inducti*] Virg. lib. 1: Georgic. 84.

Sæpe etiam ſterileis incendere profuit agros,
Atque levem ſtipulam crepitantibus urere flammis.

Lamb. Ita olim pinguia reddebant arva. Virg. Georg. lib. 1. Horat II. Epiſt. 2. Gifan.

1252. *Sylvas exederat altis*] Sic habent tres lib. manuſcr. Vatic Tettian. Memm & vulgati Veneti, Pariſienſ. alii *altis*, ut cohæreat cum voce *radicibus.* Lamb. *Altis.* Gifan. Meliùs quàm *Altas*: Nam *Altæ* radices in Venas Metallorum deſcendunt. Creech.

1261. *Tum penetrabat eos*] Tum veniebat eis in mentem: vel tum ſibi perſuadebant, vel (ut Arnobius loquitur lib. 1.] *tum cogitatio eos ſubibat.* Lamb. Cogitabant, *&c.* Faber. Εἰσῄει, εἰσήρχετο. Turneb. *Adv.* l. xxx. c. xxii.

1263. *Et prorſum quamvis in acuta*] Ordo eſt: & penetrabat eos, hæc prorſum poſſe duci procudendo in faſtigia mucronum, *quamvis* (id eſt *quantumvis*) acuta & tenuia. Lamb.

1265. *Ut ſibi tela parent*] *Tela*, id eſt, inſtrumenta apta ad dolandum, lævandum, radendum, perforandum, &c. ſic infra eodem lib. 1350.

Textile poſt ferrum'ſt, quia ferro tela parantur.

Sic enim docti viri hunc verſum legunt, non, ut vulgo, *tela paratur.* Lamb.

1265. *Sylvaſque excidere poſſint*] Legendum fortaſſe eſt,

Syl-

Aeris item & Plumbi; quae quom concreta videbant
Poſterius claro in terris ſplendere colore,
Tollebant nitido capti, laevique lepore:
Et ſimili formata videbant eſſe figura,
Atque lacunarum fuerant veſtigia quoique,
Tum penetrabat eos, poſſe hæc liquefacta calore,
Quamlibet in formam, & faciem decurrere rerum,
Et prorſum quamvis in acuta ac tenuia poſſe
Mucronum duci faſtigia procudendo;
Ut ſibi tela parent, ſylvaſque excidere poſſint,
Materiem laevare, dolare, ac radere tigna,

Et

INTERPRETATIO.

Quæ metalla ita in unam maſſam collecta cum poſtea viderunt Homines claro colore in terris fulgere, tollebant lævore maſſæ, & nitido ſplendore capti; obſervantes inſuper illa eſſe formata ea figura qua cava erant loca in quibus jacebant, Inde conjiciebant poſſe hæc eadem metalla Igne reſoluta in quamlibet formam ſpeciemque rerum decurrere, & formando in acuta & tenuia prorſus mucronum faſtigia duci (acui) poſſe, ita ut ex iis ſibi facerent inſtrumenta, quibus ſylvas excidere, trabes lævare, dolare, & radere,

VARIÆ LECTIONES.

1257. *terris.* terras C. E. V. P. Y. Z.
1258. *capti.* capiti Y. Z.
1261. *calore.* liquefacta favore c. N. P. vapore P. *in not.*
1265. *ſylvaſque excidere.* parent quibus ſylvas cædere *Quidam.* ſylvaſque & cædere Q. Y. Z.
1266. *Materiem lævare, dolare, ac radere.* Materiemque dolare: & levia radere E. N. P. Materiemque dolare, lævare, & radere A. B. X. Y. Z. Materiem lævare, dolare, ac radere *vel,* Materiamque dolare, & lævia reddere *Creech.* Priorem lectionem habent *priſci codd. Pii.*

NOTÆ.

Sylvas quibus cædere poſſint. LAMB. Quidam non abſurdè *Quibu' ſylvas cædere*: In ſequenti verſu ſive legas

Materiem lævare, dolare, &c.

ſive

Materiamque dolare, & lævia reddere &c.

perinde eſt. CREECH.

1266. *Materiem lævare, dolare, &c.*] Cum ego ita ſcriptum reperiſſem in quatuor cod. manuſc.

Materiemque dolare, lævare, & radere tigna,

converſo ordine verborum ſic reſtitui,

Materiem lævare, dolare, & radere tigna.

Quanquam P. Paſchalius cenſet legendum,

Materiem lævare, & lævia radere tigna.

Jam vulgata ſcriptura, quæ reperitur in utriſque cod. Venetis, Florent. Pariſienſib. Lugdunenſ.

Materiamque dolare, & lævia radere tigna,

mihi non probatur. niſi quis eam ita leviter immutet,

Et lævia reddere tigna:

quæ immutatio cum longius abſit & ab antiqua, & à vulgata ſcriptura, proponenda illa quidem, ſed non recipienda mihi viſa eſt. Cum hæc edidiſſem, Zoilus, non probata hac lectione, hanc oppoſuit,

Et terebrare etiam, ac pertundere, perque forare.
Nec minùs Argento facere haec Auroque parabant,
Quam validi primum violentis viribus Aeris:
Nequidquam: quoniam cedebat victa poteſtas,
Nec poterat pariter durum ſufferre laborem.
Nam fuit in pretio magis Aes, Aurumque jacebat
Propter inutilitatem hebeti mucrone retuſum,
Nunc jacet Aes, Aurum in ſummum ſucceſſit honorem:
Sic volvenda aetas commutat tempora rerum,
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore:

Porro

INTERPRETATIO.

terebrare etiam, pertundere, & perforare poſſint: Atque ad hæc omnia præſtanda Aurum & Argentum non minus quam durum Æs formabant: Fruſtra autem, nam obtundebatur Molle Aurum & Argentum, iſtiuſmodi laboribus inidoneum; Tum Æs magis in pretio erat, Aurumque hebes & obtuſum tanquam inutile metallum ſpernebatur; Nunc ſpernitur Æs, & in ſummum honorem ſucceſſit Aurum: uſque adeo volubilis ætas rerum tempora commutat, quod fuit in pretio ſpernitur, & vileſcit,

VARIÆ LECTIONES.

1271. *Nec poterat.* Nec poterant C. E. P. Y. Z.
1275. *volvenda.* volvendo P. Q. *recte tamen corr. in not.* P.

NOTÆ.

Materiamque dólere, lævare, & radere tigna:

ut ſit anapæſtus ſcilicet pro ſpondeo. vult etiam hoc modo legi poſſe,

Materiamque dolare, lævare, & radere tigna.

ut ſit creticus, inquit. Valeat nebulo cum ſuis lutulentis verſibus. Lamb. *Materiamque dólere.* Ita ex veteri quodam codice ſcripſi. In aliis veteribus: *dolare*; etiam non male. Ut ſit Creticus. Hæc Marullus primus, deinde alii mutarunt, contra veteres libros. Vide Indicem: *Dolere.* Gifan.

1266. *Dolare*] Unde dolabra dicitur. Lamb.

1267. *Et terebrare*] Unde terebrum, & terebellum. Lamb.

1267. *Perque forare*] Et perforare: tmeſis, ut ſup. *diſque ſupatis, inque pediri, conque globari,* & ſimilia ſexcenta. Lamb.

1270. *Poteſtas*] auri & argenti. Lamb. *Æris poteſtas*, æs ipſum, alibi *vis*, *virtus*, &c. Faber.

1272. *Nam fuit in pretio magis Æs*] Propterea quod ſolidius & durius eſt auro. Lamb. Multis de hiſce diſputat Tertull. de Habitu Mulieb. cap. 5. *Quod ſi de qualitate uſus, gloria eſt auro & argento: atqui magis ferro & æri: quorum ita diſpoſita eſt utenſilitas, ut & proprias operas plures & neceſſariores exhibeant rebus humanis* &c. Hav.

1273. *Propter inutilitatem*] Quia aurum mollius eſt ære & ferro Lamb.

1274. *Aurum in ſummum ſucceſſit honorem*] Aurum merito ceteris omnibus metallis anteponitur, propter eximium nitorem, & naturam ab igni & flamma, præterquam quod liqueſcit, undique tutam atque invictam. hoc etiam auri maxime proprium eſt, quod, cum ſit ære, ferro, atque adeo argento mollius, malleo tamen omnium metallorum latiſſime dúcitur, ut ex aureo leviſſimi ponderis nummo complures aureæ bracteæ fieri poſſint. Lamb

1275. *Volvenda ætas*] Volubilis. ſic Virg. princip. lib. 9: 6.

Turne, quod optanti Divûm promittere nemo
Auderet, volvenda dies en attulit ultrò.

Idem

Porro aliud ſuccedit, & è contemptibus exit,
Inque dies magis appetitur, floretque repertum
Laudibus, & miro eſt mortaleis inter honore.
Nunc tibi quo pacto Ferri natura reperta
Sit, facile eſt ipſum per te cognoſcere, Memmi,
Arma antiqua, Manus, Ungues, Denteſque fuerunt,
Et Lapides, & item ſylvarum fragmina Rami,
Et Flammae, atque Ignes poſtquam ſunt cognita primum:
Poſterius Ferri vis eſt, Aeriſque reperta:
Et

INTERPRETATIO.

aliud vero modo contemptum in ſummum honorem evehitur, indies magis magiſque appetitur, illud laudibus celebrant Homines, & vehementer admirantur. Nunc, O Memmi, Tibi ipſi licet conjicere, neque explicatione opus, quo pacto Ferrum ſit inventum: Antiqua Hominum Arma erant Manus, Ungues, Dentes, Lapides, fragmina ſylvarum Rami, & Flammæ atque Ignes poſtquam cognita ſunt mortalibus, Poſthac Ferrum atque Æs reperta;

VARIÆ LECTIONES.

1277. *è.* Abeſt Y. Z.
1279. Deeſt E.
1281. *ipſum per.* ipſi per C. D. E. I. L. N. Y. Z. *Gaſſ.* ipſum per c.
1284. *Et Flammæ, atque Ignes.* Efflammant ignes Q. Et flamma atque ign. Z.

NOTÆ.

Idem lib. 1: 273.

Triginta magnos volvendis menſibus orbeis
Imperio explebit. Lamb.

1277. *Porro aliud ſuccedit, & è &c.*] Sic ſupra eod. lib. 828.

Nec manet ulla ſui ſimilis res: omnia migrant:
Omnia commutat natura, & vertere cogit.
Namque aliud putreſcit, & è contemtibus exit.

& lib. 2: 74.

——— *ſic rerum ſumma novatur*
Semper, & inter ſe mortales mutua vivunt:
Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur:
Inque brevi ſpatio mutantur ſæcla animantum, &c.

ad quos verſus plura diximus de mutatione rerum, animalium, & ipſorum hominum. quibus conſentanea fere ſunt his illa Epicharmi: Οὐ γὰρ ὧδε νῦν ὁρῇ, καὶ χθὲς τὼς ἀνθρώπως. ὁ μὲν γὰρ αὔξεθ', ὁ δὲ μὰν φθίνει· ἐν μεταλλαγᾷ δὲ πάντες ἐντὶ πάντα τὸν χρόνον. ὃ δὲ μεταλλάσσει κατὰ φύσιν, καὶ οὔποκ' ἐν ταὐτῷ μένει, &c. id eſt, *Non enim ſic nunc, atque heri, videt (ſol) homines. hic enim augetur, & creſcit; ille minuitur, atque interit: in mutatione autem verſantur omnes omni tempore. Jam vero mutatur ipſe homo natura, & numquam in eodem ſtatu manet, &c.* Lamb.

1280. *Nunc tibi quo pacto*] Nunc docet, quo modo ferrum repertum ſit. Lamb. Cùm Ferri, non minùs quàm Æris, Argenti, Plumbique Venæ Sylvarum igneſcentium ardore colliqueſcere videantur, Unde ferè apud Veteres nulla Ferri, plurima autem Æris mentio? Quoniam ℣ſ. 16. Æs erat tractabilius Metallum, & major illius copia; Inde Arma primorum Hominum, & Agricolarum inſtrumenta Ærea; Demum ſucceſſit Ferrum, induratæ Telluri colendæ, & creſcenti indies Hominum feritati aptius Metallum. Creech.

1284. *Poſtquam ſunt*] Non enim ignis unà cum hominibus natis cognitus eſt, ut ſup. ℣ſ. 951.

Nec dum res igni ſcibant tractare, neque uti
Pellibus, &c. Lamb.

1286. *Et prior æris erat, &c.*] Sic Ovidius 4. Faſt.

Et prior Aeris erat quàm Ferri cognitus uſus:
Quò facilis magis eſt natura, & copia major.
Aere ſolum terrae tractabant, Aereque belli
Miſcebant fluctus, & volnera vaſta ſerebant,
Et pecus, atque agros adimebant: Nam facile ollis
Omnia cedebant armatis nuda & inerma.

Inde

INTERPRETATIO.

Ære autem prius quam Ferro utebantur, quoniam major fuit Æris copia, & Æs facilius efformatur; Ære colebant agros, Æreis armis pugnabant, & Vulnera infligebant; pecus & agros adimebant, nam nuda & inerma omnia facile illis qui armati erant cedebant (in poteſtatem venerunt.)

VARIÆ LECTIONES.

1289. *vaſta.* ſæva Q. *ſerebant.* ferebant E.

NOTÆ.

Faſt. 951.

Æs erat in pretio, chalybis jam maſſa placebat.
Eheu, perpetuo debuit illa tegi.

Apud Homerum appellatione æris, quod Græci χαλκὸν appellant, ferrum intelligitur, proptereaque veteres ære utebantur pro ferro, ut notat Euſtatius ad illum locum Ἰλιάδ. α. 237.

——— ——— Περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε
φύλλα τε καὶ φλοιόν.

quod item teſtatur Heſiodus hoc verſu,

Χαλκῷ εἰργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.

Lamb.

1288. *Ære ſolum Terræ*] Heſiodus Ἔργων καὶ Ἡμερῶν lib. 1. ℣ſ. 150.

Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι,
Χαλκῷ εἰργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.

In Ærea ætate. Et Euſtathius ad 1. Il. ℣ſ. 236. χαλκὸν δὲ τὸν σίδηρον λέγει, διὰ τὴν πάλαι χρῆσιν τοῦ χαλκοῦ· &c. His adjungam pauca ex Athenæo. lib. 6. cap. 4. ἱστορεῖ τὰ αὐτὰ καὶ Φανίας, ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ τυράννων· ὡς χαλκῶν ὄντων τῶν παλαιῶν ἀναθημάτων, καὶ τριπόδων, καὶ λεβήτων, καὶ ἐγχειριδίων· ὧν ἐφ' ἑνὸς καὶ ἐπιγεγράφθαι φησίν

Θάησαί μ', ἔτεον γὰρ ἐν Ἰλίου εὐρέϊ πύργῳ
Ἦν, ὅτε καλλικόμῳ μαρνάμεθ' ἀμφ' Ἑλένῃ
Καί μ' Ἀντηνορίδης ἐφόρει κρείων Ἑλικάων, &c.

Creech. Inde ſemper apud Homer. χαλκὸς, ες, pro armis & inſtrumentis ferreis. Vide Euſtat. Faber.

1289. *Volnera vaſta ſerebant*] Sic habent omnes libri, quos quidem viderim. quidam tamen *ferebant* legendum putant, ut *ferebant*, pro *inferebant* poſitum eſſe intelligamus. ego nihil muto. Eſt enim tralatio. Lamb. Alii *ferebant*, id eſt, *Inferebant.* At Tacitus *Prælia ſerebant*: Livius *Pugnam conſererent.* Plautus *Pugnos in faciem ſerere.* Creech. Sic *pugnos ſerere, manum conſerere* apud Plautum, & *vulnera*, Non. apud Statium modo *librare*, ſed & apud Virg. & optimos quoſque auctores *infligere, adigere*, & apud Statium rurſus *perferre*, cujus contrarium *retinere.* Vide eum IX. Theb. Preig.

1293. *Verſaque in opprobrium*] Sic Virg. lib. 1. Georg. 508.

Et curvæ rigidum falces conflantur in enſem.

Lamb. *Verſaque in obprobrium*, Apud Macrobium: *obſcurum.* In quibuſdam: *obſcænum.* Gifan.

1294. *Proſcindere*] Sic ſup. 210.

——— ——— ——— ——— *bidenti*
Ingemere, & terram preſſis proſcindere aratris.

& Lucill.

Tune jugo jungas me autem, & ſuccedere aratro
Invitum, & glebas ſubigas proſcindere ferro?

Lamb.

1295. *Exæquataque ſunt*] Significat, ut ferro arare cœperunt, ſic & peræque ferro inſtituiſſe pugnare & ferro committere aleam præliorum. Turneb. *Adv. l.* VI. *cap.* VI.

1295. *Creperi*] Profert hunc verſum Nonius,

&

Inde minutatim proceſſit Ferreus enſis,
Verſaque in opprobrium ſpecies eſt Falcis ahenae,
Et Ferro coepere ſolum proſcindere terrae;
Exaequataque ſunt creperi certamina belli.
Et prius eſt armatum in Equi conſcendere coſtas,
Et moderarier hunc fraenis, dextraque vigere;
Quam

INTERPRETATIO.

Inde paulatim Enſis è Ferro conficitur, & Falx Ærea in contemtum abiit; Ferro Agros colere cœperunt, dubiique belli certamina Ferro erant exæquata (Armis ferreis pugnabant.) Prius etiam inventum erat in Equum aſcendere, illum loris ſiniſtra dirigente regere, dextra interim pugnare,

VARIÆ LECTIONES.

1293. *opprobrium.* obſcurum *Pius ex Macrob.* oſcœnum *in aliis Macrobii lib.*
1296. *armatum.* Ita A. B C. D. E. I. P. V. X. Y. Z. nec rejicit *Creech.* reppertum *Lamb.*
1297. *dextraque vigere.* fræniss, virgaque viere F. dextraque viere, *priſci codd.* P. vegere D.

NOTÆ.

& *creperum* interpretatur *anceps, dubium.* Præterea Feſtus, *Creperum, dubium,* (inquit) *unde increpitare: quia maledicta fere incerta & dubia ſunt.* Poſtremò Varro lib. 5. de lingua Lat. *Crepuſculum ſignificat dubium. ab eo res dubiæ, dictæ creperæ, quia crepuſculum, dies etiamnum ſit, an jam nox, multis dubium eſt.* Attius:

Nunc tu in re crepera quid captas conſilii? LAMB.

1296. *Et prius eſt reppertum in Equi*] Sic habent duo lib. manuſcrip. & ita legendum videtur. alii,

Et prius eſt armatum in equi, &c.

quæ lectio ferri etiam poteſt, ut repetamus infernè verbum *inventum.* LAMB. *Et prius eſt armatum in equi*, Ita fere omnes libri manu formiſque deſcripti. In quibuſdam Veteribus: *reppertum*; quod probat Lambinus. Arceſſendum eſt autem huc verbum, *inventum*, quod mox ſequitur; ubi in quibuſdam libris etiam erat: *armatum.* GIFAN. Alii, *Armatum.* Factam in ſuperiori verſu *Belli* mentionem excipiunt ℣. 53. quibus efferæ iſtæ, quas bellicas vocamus, Artes primorum Hominum explicantur: Quod autem ſimplicius & facilius illud prius jure cenſeatur: Ideo ex Equis primùm pugnabant, Equus enim manſuetum Animal, deinde Equos curru jungebant binos, deinde quatuor, iſtoſque currus falcibus Armabant: Deinde Feræ in Prælia eductæ, Elephantes ab Afris, à Parthis Leones, Tauri, denique Apri &c. At quis credet? non ipſe *Lucretius:* quoniam verò in quibuſdam Hiſtoriis talia invenerat, ideò recenſet: falſa veris conjungens. Quanquam non videantur prorſus incredibilia, nam quid non invenit ingenioſa feritas, aut quodnam genus auxilii rejiciunt deſperantes & oppreſſi Homines? CREECH. Tertullianus, adſiduus Lucretii lector, de Spectac. cap. IX. *Res equeſtris retro ſimplex de dorſo agebatur, & utique communis uſus vocis non erat, ſed cum ad ludos coactus eſt, tranſiit a Dii munere ad Dæmoniorum officia &c.* HAV.

1296. *Coſtas*] Sic legendum non *cloſtris*, quod voluerat Galeotus Martius Narnienſis contra Joh. Tortellium Aretinum, ſolide oſtendit Magius, tom. II. Fac. Crit. XIV. pag. 1339. & ſeqq. PREIG.

1297. *Dextraque vigere*] Sic legendum: & ſic habent omnes libri & manuſc. & vulgati. Quod autem Thraſones *vegere* legi volunt, de equite intelligentes, qui equum regat: cui hoc probabitur, cùm eques equum regat læva, non dextra? Quid igitur ſibi vult *dextra vigere*? hoc opinor, dextra pugnare, dextra adverſarium validè & acriter oppugnare. LAMB. *Dextraque vegere*, Ita legendum. Vel: *regere*; ut luxatus ſit verſus, Vulgati: *vigere.* Pius ait: In veteribus libris *viere.* Marullus, *ciere*, reponebat. GIF. Suſpicatur Gifan. legendum eſſe, *dextraque regere*; ô verſum plane admirabilem, & tali poëta dignum! Dein,

Quam bijugo Curru belli tentare pericla:
Et Bijugo prius eſt, quam bis conjungere Binos,
Et quam falciferos inventum adſcendere Currus.

Inde

INTERPRETATIO.

quam belli pericula curru bijugo tentare; Binos etiam Equos prius quam quatuor jungere, aut Currum falciferum aſcendere, inventum.

VARIÆ LECTIONES.

1299. *Et Bijugo.* Et bijugos F. *Creech. Adde Muret* 14: 3. *Carr.* I. *Em.* 5. *Guilelm. Mil. cap.* 5. *Palmer.* 2. *p.* 96.

1300. *inventum.* armatum aſcendere c. O. P. Q. V. X. Y. Z. *at priſci codd.* P. inventum. *adſcendere.* eſcendere *Gron. ad Liv. p.* 27.

NOTÆ.

quod merito ridebat Lambinus, *Equites dextrâ equos non regunt*, ſed læva; qua enim tandem manu pugnaretur? Itaque non eſt ut hæc mihi probari poſſint. Idem Lucretii editor ſcripſit quoque, legi poſſe, *dextraque vegere*; quod haud magis ſtabit. Nam *vegere*, impellere eſt, *agitare*, ἐλαύνειν, &c. Quid autem fuerit, *Equites impellunt equos dextrâ?* At ipſe Lambinus legebat, *dextraque vigere*, id eſt, uti ipſe interpretatur, *dextrâ pugnare*; quod nihil ad rem. Quare his omiſſis ad veterem lectionem redeundum eſt, cujus meminerat J. Baptiſta Pius, qui olim in Plautum & Lucretium ſcripſit: ait enim in MS. cod. legi, *viere*: quæ germana Lucretii lectio eſt; unde enim id verbum advectum fuiſſet? *Vieo* autem eſt *flecto*, unde *vimen*, *vietor* & *vietus*; itaque *viere equum* eſt *flectere equum.* Virgil. *Flectere ludus equos* ——— & alibi paſſim. Sed cum τὸ *dextra* locum retinere ſuum non poſſit, uti demonſtratum eſt ſuperius, & uſus virgæ in moderando equo longe antiquior eſſe debuerit, quam uſus frenorum, legendum eſſe videtur,

Quam moderarier hunc frenis, virgave viere.

Quin & adulto jam orbe, & excultis artibus, ſatis conſtat Numidas infrenis equis uſos fuiſſe. Virgil. Æneid. 4: 41.

Et Numidæ infreni cingunt ———

Sic enim intelligi debet ille locus; de quo ſi qui dubitabunt, legant modo Arriani politiſſimum *de Venatione* libellum, quem, me curante, & Luca Holſtenio mittente non ita pridem edidit Sebaſtianus Cramoſius Typographorum noſtrorum clariſſimus. Quamquam id ex Strabone etiam conſtat, & notum illud Martialis eſt,

Et Maſſylæum virga *gubernet equum.*

cui & addas licet illud Silii,

Et doctus virgæ *ſonipes* ———

Sed me notarum acervos ſcribere nolim. Faber. Dextra pugnare, *Lambinus.* Giſanius *Vegere:* id eſt incitare, impellere; Quaſi dextra equos Equites impellant! *Faber* denique *Virgave viere: Vieo* autem eſt *Flecto*, unde *Vimen*, *Vietor*, & *Vietus*; Unde *Viere Equum* eſt *Flectere Equum:* Uſus autem Virgæ in moderando Equo longè antiquior debet eſſe quam Uſus frænorum. Quòd ſi *Armatum*, (& quidni *Armatum?*) in priori verſu legatur, tota iſta Fabri emendatio concidet; Nam Equites Armatos Equos ſuos *Virga vientes* ſecuri rideamus. Creech.

1298. *Bijugo Curru*] Curru à duobus equis tracto: bigis. cujus moris exempla exſtant apud Homerum innumerabilia. Lamb.

1299. *Et Bijugo prius eſt, &c.*] Id eſt, & priùs eſt inventum curru bijugo belli pericula tentare, quam quadrigis uti. Lamb. Error manifeſtiſſimus. in ſuperiori verſu legebatur:

Quam bijugo *curru belli tentare pericla*;

Unde incogitans exſcriptor, qui illa reſpexerat, effinxit nobis hoc portentum Latinitatis; quo enim alio nomine hoc vocarim! [*Antiquius eſt conjungere bis binos equos quam bijugo.*] Lege itaque, ſed incunctanter,

Et bijugos *prius eſt quam bis conjungere binos.*

Id eſt,

Inventæ ſunt bigæ ante quadrigas.

Sed res plana eſt, neque adverſaturum quemquam

Inde boves Lucas turrito corpore, tetros,
Anguimanos, belli docuerunt volnera Poeni
Sufferre, & magnas Martis turbare catervas.

Sic

INTERPRETATIO.

Deinde Carthaginenſes docuerunt Anguimanos Elephantos turrito Corpore horrendos prælia inire, & armatas Hoſtium turmas turbare.

VARIÆ LECTIONES.

1301. *turrito.* aurito corpore c. O. P. *priſci codd.* P. turrito.
1302. *Anguimanos.* Anguimanes C. Anguimanus P.

NOTÆ.

quam arbitror. FABER. *Bijugos* Faber: & felicior hæc quidem conjectura: Id eſt, *Inventæ ſunt Bigæ ante Quadrigas.* CREECH.

1300. *Falciferos*] *De falciferis curribus* lege ſup. ad illum locum lib. 3: 642.

Falciferos memorant currus abſcindere membra, &c. LAMB.

1301. *Inde boves Lucas*] Id eſt elefantos. Varro lib. 6. de ling. Lat. opinionem refellit & eorum qui putant *boves Lucos*, ſive *boves Lucas* à *Lucanis* dictas, ab eo quòd Romani, cùm maximam quadrupedem, quam ipſi haberent, vocarent *bovem*, in *Lucania* Pyrrhi bello primùm elefantos apud hoſteis vidiſſent: & eorum qui à *Libycis* dictas volunt. ad extremum autem ait, ſe arbitrari, *boves Lucas* ab *luce* potiùs dictas eſſe, quòd longè relucebant, propter inauratos regios clypeos, quibus eorum turres erant ornatæ Plinius tamen lib. 8. prioribus illis aſſentiens, ſic ſcribit: *Elefantos Italia primùm vidit Pyrrhi regis bello: & boves Lucas appellavit, in Lucanis viſos anno urbis CCCCLXXII.* Ennius: *Atque prius pariet locuſta Lucam bovem.* Auſonius Epiſt. ad Tetradium:

Cur me propinquum Santonorum mœnibus
Declinas, ut Lucas boves
Olim, reſumto præferoceis prœlio,
Fugit juventus Romula. LAMB.

Ut *Campas* pro *Campanus* apud Plautum Trin. 2: 4: 144. & Truc. 5: 50. ita *Lucas* pro *Lucanus*. Sic autem dicti ſunt Elephantes, quod eos Romani primum apud Lucanos viderint in bello adverſus Pyrrhum. Ita *malabathrum* ſeu *malobathrum*, quod φύλλον Ἰνδικὸν eſt, ab Horatio Syrium vocatur, non quod in Syria naſceretur, (haud ſane magis quam *amomum*, quod ab aliis quoque Syrium dicitur) ſed quia aliunde adductum in Syria plurimum inveniretur, venderetur. FABER. Plinius lib. 8. cap. 6. *Elephantos Italia primum vidit Pyrrhi Regis bello, & Boves Lucas appellavit in Lucanis viſos*, Varro tamen lib. 6. de Lingua Lat. *Luca Bos Elephas, cur ita ſit dicta duobus modis inveni ſcriptum, nam in C. Ælii commentario à Libycis Lucas, & in Virginii commentario à Lucanis Lucas, ab eo quod noſtri maximam quadrupedem quam ipſi habebant vocarent Bovem, & in Lucanis Pyrrhi bello primum vidiſſent apud Hoſtes Elephantos, id eſt, Quadrupedes cornutas (nam quos dentes multi dicunt ſunt cornua) Lucam Bovem appellâſſe: Ego arbitror potius Lucas à luce, quod longe relucebant, propter inauratos regios clypeos quibus eorum tum ornatæ erant Turres.* Frigida Interpretatio. CREECH.

1301. *Turrito corpore*] Plin. lib. 8. cap. 9. de elefantis loquens, *Turreis armatorum in hoſteis ferunt.* Plutarchus in Eumene: Καὶ ὡς τῶν θηρίων τοὺς πύργους ἄνω, καὶ τὰς πορφύρας εἶδον, ὅπερ ἦν αὐτοῖς κόσμος εἰς μάχην ἀγομένοις, &c. id eſt, *Et ubi ferarum* (id eſt elefantorum) *turreis ſurſum, & purpuras viderunt, quod erat eorum ornamentum, cum ad prœlium ducebantur, &c.* LAMB. Elephantes dorſo Turres geſtabant. CREECH.

1301. *Tætros, Anguimanos*] Elefantos, quibus proboſcis flexilis, volubilis, & plicabilis, loco manus eſt: atque adeò *manus* appellatur à Latinis. M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. *Manus etiam data elefantis, quia propter magnitudinem corporis difficileis aditus habebant ad paſtum. Anguimani* igitur dicuntur, quia *manum* habent *anguis* inſtar volubilem. *Hos* (ut ſcribit Vegetius lib. 3.) *contra Romanum exercitum primus in Lucania rex Pyrrhus* educ-

Sic alid ex alio peperit Diſcordia triſtis,
Horribile humanis quod gentibus eſſet in armis:
Inque dies belli terroribus addidit augmen.
Tentârunt etiam Tauros in moenere belli,
Expertique Sues ſaevos ſunt mittere in hoſteis;
Et validos Parthi prae ſe miſêre Leones
Cum ductoribus armatis, ſaeviſque magiſtris,

Qui

INTERPRETATIO.

Sic effera Diſcordia aliud poſt aliud, quod in prœlio foret horribile hominibus invenit, bellique Terrores indies adauxit. Tauris etiam in pugna uſi ſunt homines, ſævoſque Apros in Hoſtes mittere conati ſunt; & Parthi præ ſuis turmis validos Leones miſerunt cum armatis ductoribus & ſævis Magiſtris qui illos regerent,

VARIÆ LECTIONES.

1306. *belli.* bellis Y. Z.
1307. *mœnere.* munera A. marg. E. N. munere A. B. munire Q.
1309. *Parthi præ ſe.* partim præ C. E. N. P. Q. V. Parthi, *priſci codd.* P. *in not.*
1310. *ductoribus.* doctoribus Z.

NOTÆ.

eduxit: poſtea Annibal in Africa. Iterum Lucr. lib. 2: 537.

Sicuti quadrupedum cum primis eſſe videmus
In genere anguimanos elefantos, &c. Lamb.

Proboſcis Elephanti manus dicitur; Sed illa manus inſtar ſerpentis, *&c.* unde *anguimani.* Faber.

1304. *Alid*] *Aliud* à Maſculino *alis*, quo uſus eſt Catullus. lege quæ annotata ſunt ſuprà lib. 1: 264.

Quando alid ex alio reficit natura, nec ullam, &c. Lamb.

1306. *Inque dies belli terroribus, &c.*] Id eſt, & in dies belli terrores auxit. Lamb.

1307. *In mœnere belli*] Sic habent tres libri manuſcripti. Vaticanus, Bertinianus, Memmianus: & Typis excuſi, Veneti antiquiores. alii, *in munera belli.* quæ ſcriptura tamen non eſt rejicienda. Lamb. Si quis dicat legendum eſſe in *mœnera belli:* haud equidem repugnavero; imo lubens aſſentiar. Faber.

1309. *Parthi*] Sic habent tres libri Manuſcripti, & totidem vulgati. alii vulgati, *partim.* Lamb. In quibuſdam libris: *partim*; male. Gifan. Probant hanc lectionem Viri Docti, Lucretii interpretes, nec tamen illuſtrant. Quod quamdiu Lucretio debebunt, nihil aptius credibiliuſve cogitatu erit, quam eum ſcripſiſſe:

Et validos partim præ ſe miſere leones.

ut in Var. Lect. ex editionibus & collationibus, haud contemnendis annotatur. Cauſa immutationis fuiſſe poteſt, quod ſemel tantum poneretur hoc adverbium, ſed iis, qui non ſatis attendiſſent, ſic ſolere Lucretium; ex. gr. ſupra, verſ. 950.

Et partim plano ſcatere atque erumpere campo.

Et ℣. 1082.

Et partim mutant cum tempeſtatibus una
Rauciſonos cantus.

Eadem vox non alia de cauſa fortean, in *raptim* degeneravit, lib. VI. ℣. 851. Vide quoque Magium, in Face Crit. tom. II. pag. 1281. & ipſum Giſanium in Indice; *Partim.* Preig. De Parthis tamen utcunque probatum dabo. Scribit Spartianus in Caracalla cap. 6. *Dehinc per Caduſios fines & Babylonios ingreſſus, tumultuarie cum Parthorum ſatrapis manum contulit, feris etiam beſtiis in hoſtes immiſſis.* Video in Parthos, non a Parthis miſſos, ſed factum tamen videtur id, quod ibi vel erat uſitatum, vel factu non difficile propter ferarum multitudinem & magiſtrorum ibidem uſum; ita

ut

Qui moderarier hos poſſent, vincliſque tenere;
Nequidquam: Quoniam permiſta caede calentes
Turbabant ſaevi nullo diſcrimine turmas,
Terrificas capitum quatientes undique criſtas;
Nec poterant Equites fremitu perterrita equorum
Pectora mulcere, & fraenis convertere in hoſteis.
Inritata Leae jaciebant corpora ſaltu
Undique, & advorſum venientibus ora petebant:

Et

INTERPRETATIO.

& catenis retinerent; Fruſtra: Illi enim Sanguine guſtato inſanientes tam Suorum quam Hoſtium turmas nullo diſcrimine turbabant, Terrificas capitum criſtas undique quatientes: Neque Equites potuerunt Equos ſuos ferarum fremitu perterritos mulcere, & frænis in Hoſtem convertere; Leones jam pugna calentes in omnem partem immani ſaltu ſua corpora jaciebant, omneſque obvios tam ſuos quam Hoſtes rapiebant;

VARIÆ LECTIONES.

1311. *hos poſſent.* his poſſent C. D. E. I. P. Y.
1314. Hunc rejicit *Creech.*
1315. *perterrita.* perterriti Q. perterrit Z.
1318. *petebant.* patebant A. B. c. O. P. V.

NOTÆ.

ut omnino etiam quondam ita Parthi facere potuerint, quos non aliter nominat Lucretius, quam paullo ante Pœnos introduxit. HAV.

1310. *Cum ductoribus armatis*] Nihil muto, tametſi negare non poſſim, eam ſcripturam, quæ in duobus libris manuſcriptis reperitur,

Cum doctoribus armatis, &c.

ferri poſſe. Hæc omnia Zoilus aſſentitur, & probat, atque adeò excipit, & iterat, ut dictata. LAMB. In Veteribus quibuſdam: *doctoribus.* Utrumque rectè. GIFAN.

1311. *Qui moderarier his*] Hanc lectionem probo, quamvis nonnulli libri habeant,

Qui moderarier hos poſſent.

1312. *Permiſta cæde calentes*] Sic ſupra libro 3: 643.

Sæpe ita deſubito permiſta cæde calentes, &c. LAMB.

1314. *Terrificas capitum, &c.*] Sic ſupra libro 2: 632.

Terrificas capitum quatientes numine criſtas. LAMB.

Hunc verſum abeſſe hinc velim; neque enim facile crediderim criſtas capitibus leonum annexas. Alibi legitur, ſed ſuo loco; & una voce variat, quæ errorem nalutis hominibus oſtendat;

Terrificas capitum quatientes numine *criſtas.* FABER.

1316. *Pectora*] Leonum pectora, equorum hinnitu & fremitu perterrita. atque ita vox *equites* accipienda erit καταχρηστικῶς, pro rectoribus leonum, & pro iis qui leonibus inſidentes, eos regunt ac moderantur. & per *fremitum* equorum hinnitus erit intelligendus. vel dic hoc modo propriè: neque equites poterant equorum, quibus inſidebant, pectora mulcere, perterrita *fremitu*, id eſt, rugitu leonum. *pectora* autem *perterrita*, id eſt animos perterritos. & non poterant equos frenis convertere in hoſteis. quo fiebat, ut tota turbaretur acies, iique qui leones in aciem produxerant, ipſi ſibi plus mali darent, quam hoſtibus inferre potuiſſent: atque adeò ſuis ipſi armis & inventis perirent. LAMB.

1317. *Leæ*] Leonum fœminæ. LAMB.

1318. *Ora petebant*] Sic legendum, non *patebant.*

Et nec opinanteis à tergo deripiebant,
Deplexaeque dabant in terram volnere vinctos:
Morſibus adfixae validis, atque unguibus uncis.
Jactabantque ſuos Tauri, pedibuſque terebant;
Et latera, ac ventres hauribant ſubter equorum

Cor-

INTERPRETATIO.

Ex improviſo alios à tergo adorti ſunt, & deplexi illos gravi vulnere victos humi ſternebant, validis dentibus, atque uncis unguibus adfixi: Tauri jactabant Apros, pedibuſque conculcabant cornibuſque ſuis latera & Ventres Equorum ſubter hauriebant,

VARIÆ LECTIONES.

1319. *deripiebant.* Ita Y. & *Turn.* Reliqui *diripiebant.*
1320. *volnere vinctos.* volnere victos a. B. N. P. Q. X. Y. Z.
1322. *ſuos Tauri.* Ita E. N. Q. Z. *illepide Alii* ſues. *ſuperſcrib. quod & in* Z. *terebant.* tenebant D.

NOTÆ.

bant. Eſt enim hic ordo verborum: & leæ hominibus etiam ſuis, adverſum venientibus, ora & faciem appetebant. Lamb. *Patebant*, Ita veteres libri; recte. In aliis: *petebant*. Marullus. Gifan.

1319. *A tergo deripiebant*] Hi duo verſus ſunt obſcuri, & deſiderant explanatoris diligentiam, a me breviter attingentur.

Et nec opinantes a tergo diripiebant.

id eſt, *lacerabant*, quanquam, ne quid diſſimulem, non invitus legerim *deripiebant*, id eſt, deorſum rapiebant & detrahebant. *Deplexæ* autem ſunt de eis dependentes eiſque implicatæ. ſic enim aſſiliebant, ut infixis unguibus de eis penderent, & eos deorſum detrahere conarentur; idque eſt *deplexum eſſe*, cum *de* infra deorſumque ſignificat. Turneb. *Adv.* xxx: 22.

1320. *Deplexæque*] Sic habent omnes libri & manuſcripti, & typis excuſi. quæ ſcriptura ſi recta & vera eſt, *deplexæ*, hoc eſt deligatæ & ſolutæ. ſed quidam legi volunt *depexæ*, id eſt horridæ, ſeu laceræ, κατ' ἀντίφρασιν: ut apud Terent. Heaut. 5: 1: 77.

—— —— *adeo exornatum dabo*,
Adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit ſemper mei.

Nam *depexus* comtum & cultum ſignificat. nonnulli *devexæ*, id eſt pronæ & deorſum ruentes. Lamb. Solutæ, à πλέκω. unde *Implico* &c. qui *depexæ* legunt & locum hunc Terentii adferunt, *adeo depexum dabo*, ſomnia ſomniant. Faber. Hæc *Faber* è *Lambino*. Alii *Devexæ*, id eſt pronæ & deorſum ruentes: Ego verò *Deplexæ*, alia prorſus ſignificatione; *De* enim auget, Igitur *Deplexæ*, arctè amplexæ, ſeu implicitæ, poſtulante ſententia interpretor; in verſu ſequenti *adfixæ*, & in hoc verſu vox *Vinctos* idem confirmat. Creech.

1320. *Dabant in terram*] Id eſt, ad terram affligebant. Lamb.

1320. *Volnere vinctos*] Sic legi debere, & duo libri Manuſcripti declarant, & ratio evincit. ſic ſuprà libro 1: 35.

—— *æterno devinctus volnere amoris.* Lamb.

Volnere victos, Sic legendum ex omnibus Vulgatis & Veteribus fere. Quidam Veteres: *vinctos*. Vide Indicem. Gifan.

1322. *Suos*] Ita omnino legendum, quid enim noxæ inde hominibus ſi ſues, id eſt apros jactaſſent tauri. Adde, quod huic opponatur mox ℣. 1325. ſimilis ſtrages quam non inter tauros, ſed Dominos ſeu ſocios edebant Apri. Hav.

1324. *Ruebant*] Proruebant. Lamb.

1326. *Tela infracta ſuo*] Hunc exturbat Lambinus, proximum Marullus. Huic adſentior. Gifan.

1327. *In ſe fracta ſuo tinguentes ſanguine tela*] Ante hunc verſum ſcriptus eſt in libris manuſcriptis

ptis

Cornibus, ad terramque minanti mente ruebant.
At validis ſocios caedebant dentibus Apri,
“ Tela infracta ſuo tinguentes ſanguine ſaevi:
“ In ſe fracta ſuo tinguentes ſanguine tela:
Permiſtaſque dabant equitum peditumque ruinas.
Nam tranſverſa feros exibant dentis adactus
Jumen-

INTERPRETATIO.

feroceſque ad Terram proruebant. Apri autem validis dentibus ſuos ſocios occidebant, (ſævi tingentes tela infracta ſuo ſanguine, In ſe fracta ſuo ſanguine tingentes tela.) *Dabantque confuſam Equitum Peditumque cladem, Namque Equi tranſverſo ſaltu ſævos dentium ictus declinare conabantur,*

VARIÆ LECTIONES.

1324. *Cornibus, ad terramque minanti.* Cornibus & terram minitanti mente P. V. Y. Z.
1325. *At validis.* Et validis P. V.
1326. Hunc veruto conficit L. nec illum crudelem cenſet *Creech. ſuo.* alio tinguentes V.
1327. Hunc eradi volunt A. L. M. *Creech.* Deeſt E. N.
1329. *dentis adactus.* dentis ad ictus C. ad auctus P. Z. *in not. tamen corrigit.* ad ictus. Dentibus adauctus Y.

NOTÆ.

ptis verſus alter ejuſdem ferè ſententiæ,

Tela infracta ſuo tinguentes ſanguine ſævi:

qui reperitur etiam in libris Pariſienſibus, & nonnullis aliis impreſſis. ego (ut dicam, quod ſentio) neque hunc, neque alterum, Lucretianum eſſe puto: hunc tamen illo tolerabiliorem eſſe arbitror. Cum hæc ſcripſiſſem, Zoilus auſus eſt (quid enim non audeat ſycophanta?) mandare litteris, me hunc verſum veruto confodiſſe; Marullum, alterum. Atqui aut utrumque damnavi, aut neutrum. LAMB. Poteſt uterque verſus quondam a Lucretio profectus eſſe, ſed ita ut alter in poſteriore Auctoris editione pro altero in priore fuerit poſitus, quod & in Tertulliani Apologetico ſæpius factum obſervavimus. Quoad ſenſum de leone ita canit Lucanus 1: 210.

—— —— tum torta levis ſi lancea Mauri
Hæreat, aut latum ſubeant venabula pectus,
Per ferrum tanti ſecurus vulneris exit.

Idem de Urſa 6: 220.

Pannonis haud aliter poſt ictum ſævior urſa,
Cum jaculum parva Libys amentavit habena,
Se rotat in vulnus: telumque irata receptum
Impetit, & ſecum fugientem circuit haſtam. HAV.

1327. *In ſe fracta*] Spurius eſt. FABER. Poſteriorem multi, utrumque verſum *Lambinus* veruto conficit, nec crudelis Ille. CREECH.

1329. *Exibant dentis adactus*] Id eſt, effugiebant, declinabant, evadebant. ſic libro ſexto: 1215.

Aut procul abſiliebat, ut acrem exiret odorem.

ibid. 1203.

Profluvium porro qui tætri ſanguinis acre
Exierat, &c.

Videtur eſſe à gladiatoribus tractum & tranſlatum. Sic loquuntur & Græci: exempli cauſa, Demoſth. κατ' Ἀνδροτίωνος· Εἰσφέρων δ' οὐκ ἐκ τῶν ἰδίων, οὐδένα κίνδυνον ὑπὲρ δόξης ἐξέστη. id eſt, *Conferens autem de re ſua familiari in rempublicam, nullum periculum exiit*, ſeu (quod idem valet) *evaſit*, id eſt effûgit. Sic & κατ' Τιμοκράτους, & quidem iiſdem planè verbis. Sic Marcus Tullius Catil. 1. *Quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari poſſe non viderentur, parva quadam declinatione, ut ajunt, corporis evaſi?* ubi vulgo legitur, *parva quadam declinatione, &, ut ajunt, corpore effûgi:* malè & mendoſè, opinor. Quam ſcripturam tamen

Jumenta, aut pedibus ventos erecta petebant:
Nequidquam: Quoniam à nervis ſucciſa videres
Concidere, atque gravi terram conſternere caſu.
Sic, quos ante domi domitos ſatis eſſe putabant,
Efferveſcere cernebant in rebus agundis,
Volneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu:

Nec

INTERPRETATIO.

aut arrecti calcibus auras verberabant; Fruſtra autem; quoniam ſæpe videres illos nervis Crurum ab Apris ſucciſis concidere, gravique caſu Terram conſternere: Ita iſtas Feras, quas domi manſuetas ſatiſque domitas ante exiſtimabant, in prælium eductas, Vulneribus Clamore, Fuga, Terrore, Tumultu iterum feroces fieri & immites cernebant:

VARIÆ LECTIONES.

1331. *à.* ab Y. Z.
1333. *Sic, quos.* ſi quos ante E. N. P. Q. Y. Z.
1334. *Efferveſcere.* Ita N. Y. Z. *Quidam.* effervíſcere.

NOTÆ.

men in mea Ciceronis editione ſecutus ſum, nondum animadverſa antiqua, quam poſtea reperi ferè expreſſam in uno exemplari manuſcripto pervetuſto, niſi quòd duæ voces, *corporis*, & *evaſi*, deliteſcunt in litura: neque ſatis liquidæ, aut integræ ſunt, propterea quòd emendator aliquis, ſeu fortaſſe corruptor potius, conatus eſt in locum antiquæ ſcripturæ, *corporis* & *evaſi*, ſubſtituere *corpore* & *effugi*: Quod eò dico, quia homo malè de me meritus, approbata mea emendatione, in illo verſu; qui eſt libro 6: 1215.

Aut procul abſiliebat, ut acrem exiret odorem,

pro quo libri omnes habent,

Aut procul abſiliebat, ut acrem exciret odorem.

commemorans verba illa Ciceronis in Catilinaria prima, ait ſe ita emendaſſe, *Quot ego tuas petitiones, ita conjectas, ut vitari poſſe non viderentur, parva quadam declinatione, &, ut ajunt, corpore exceſſi?* quam ſcripturam, quamvis non damnem, præſertim cum à recepta in hoc uno diſcrepet, quod *exceſſi* reponatur pro *effugi*: recepta autem lectio in voce *corpore* non poſſit damnari, quod eam Virgilius confirmet in verſu illo, qui eſt lib. 5: 438.

Corpore tela modo, atque oculis vigilantibus exit:

movet me tamen litura, quæ eſt in codice Manuſcripto. Præterea illud *declinatione corporis*, valde mihi videtur uſitatè dictum, & ſignificanter. Præterea illud *exceſſi* pro *evaſi*, ut puto legendum ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis, aut *effugi*, ut habent libri vulgati, & nonnulli veteres, duriuſculum eſt apud Ciceronem: neque id facilè receperim, niſi vetus codex comprobet. Nam ſi ita ſcriptum eſt in vet. codice, nihil cauſæ dico, quin, omnibus aliis ſcripturis & conjecturis rejectis, ita ſit legendum. Mihi enim carior eſt veritas, & antiqua ſcriptura, præſertim probabilis, quam meæ omnes conjecturæ & cogitationes. Lamb.

1333. *Sic, quos*] Olim ſecutus libros omneis, edideram, *Si quos.* ſed hoc annotaram: fortaſſe legendum, *Sic, quos.* At Zoilus tribus annis poſt quid facit? quod homo injuſtiſſimus & impudentiſſimus faciat. adſcribit, ſe repoſuiſſe *Sic*, conjectura ductum. Ex quo iſtum hominum genere cenſeas? non ex Autolycorum, aut Eurybatarum, aut talium ſocietatis humanæ peſtium? Lamb. Ita conjectura ductus ſcripſi. In libris: *Si*, omiſſo *c* ob ſequens alterum *c*, ſeu *q*. quod ſæpe factum eſt. Eſt autem quaſi Epiphonema. Gifan.

1333. *Domi domitos*] *Domi, domi*, compoſitio & comploſio binarum ſyllabarum. Lamb

1334. *Efferveſcere*] Quidam libri habent *Effervíſcere.* quod magis probo, quam *Efferveſcere.* & ubi-

Nec poterant ullam partem reducere eorum.
Diffugiebat enim varium genus omne ferarum:
Ut nunc ſaepe boves Lucae ferro male mactae
Diffugiunt, fera facta ſuis quom multa dedêre.
Si fuit, ut facerent? Sed vix adducor, ut ante
Non quierint animo praeſentire, atque videre,

Quam

INTERPRETATIO.

neque potuerunt Homines Feras ruptis catenis effugientes iterum reducere, Omnes enim, cujuſcunque generis erant, diffugiebant, ut hodie frequenter Boves Lucæ ferro male mactæ diffugiunt, poſtquam multa damna cladémque ſuis magiſtris intulerunt. Hæ forſan erant primorum Hominum bellandi Artes, vix tamen credere poſſum quin iſti præſentiebant, animoque ſuo prævidebant,

VARIÆ LECTIONES.

1338. *Lucæ ferro male mactæ.* templis, ferro male cæſæ A. B. D. I. male mactatæ C. E. N.

1339. *fera facta.* fera fata, *Pius corrigit.*

1340. *Si fuit.* Ita V. Y. Z. *Alii* illepide *ſic fuit.*

NOTÆ.

ubique malim ita legi, *ferviſcit*, & *ferviſcere.* Lamb.

1338. *Ut nunc ſæpe boves Lucæ*] Sic habent omnes libri veteres, quibus ego uſus ſum, ſi bene memini. neque video, quamobrem quicquam mutari debeat. Confert enim tauros, apros, leones, quibus uſi ſunt in prœliis primi homines, cum elefantis, quibus ſunt uſi poſteriores. Nonnulli tamen legi volunt,

Ut nunc ſæpe boves templis ferro male cæſæ
Diffugiunt, &c.

ſeu *Effugiunt.* Ego, ſi quid ſit mutandum, malim legi,

Ut nunc ſæpe boves Lectæ ferro male mactæ.

ut intelligamus per boves lectas, majores hoſtias, ſeu victimas, quæ ſolebant ex toto armento eligi: *lectæ*, ad immolandum ſcilicet. Probabilius autem eſt ex *lectæ* factum eſſe *Lucæ*, propter verſum illum, qui eſt ſup. *Inde boves Lucas*, &c. quam ex *templis:* quam vocem nullo in codice neque manuſcripto, neque vulgato reperi. Lamb.

1338. *Ferro male mactæ*] Sic legendum, & ita habent quattuor libri Manuſcripti, & aliquot typis excuſi. *mactus* autem (ut docet Feſtus) idem valet quod *magis auctus:* ex quo *mactare.* Jam *male mactus*, id eſt non auctus, læſus: vel *mactæ ferro* ſic dictum, ut *mactare infortunio*, *cruce*, *cruciatu*, apud Plautum: vel *male mactæ*, id eſt male mactatæ. Lambin. *Ut nunc ſæpe boves templis, ferro male cæſæ Diffugiunt*, Ita ex libris veteribus noſtris reſtitui. Sententia eſt aperta. In aliis: *Lucæ. mactæ*, vel *mactatæ Eff. Mactæ* nunquam ita utimur. *Mactare* non ad Elephantos referri poſſet. Gifan. Alii habent, *ut nunc ſæpe boves templis ferro male cæſæ.* Notum illud Virg. *& incertam excuſſit cervice ſecurim*, de tauro. Faber. Lucæ boves, Elephantes, quos in Spectaculis (ſi ulli Lucretii ætate in Spectaculis Elephantes) aliquando vulnerabant. Lambinus *Boves Lectæ:* At Giſanius è Codd. *Boves* Templis *ferro male cæſæ.* Creech.

1339. *Diffugiunt*] Sic habent omnes fere libri manuſcripti, & aliquot impreſſi alii, *Effugiunt.* Lamb. In ſylvas videlicet, non redeuntes ad obſequium poſt excuſſos magiſtros. Hav.

1339. *Fera facta*] Sic habent omnes libri, quos quidem viderim. quidam tamen legi volunt *fera fata.* Lambin. Conculcatis ſuis atque protritis. Hav.

1340. *Sic fuit, ut*] Id eſt, ſic fieri potuit, ut facerent: contingere potuit, ut ita facerent. Lamb. Imo corrige ex L. B MSS. *Si fuit*, &c.

id

Quam commune malum fuerat, foedumque futurum.
Et magis id poſſis factum contendere in Omni,
In variis mundis varia ratione creatis,
Quam certo, atque uno terrarum quolibet Orbi.
Sed facere id non tam vincendi ſpe voluerunt,
Quam dare quod gemerent hoſtes, ipſique perire,
Qui

INTERPRETATIO.

quantas & quam miſerandas clades Feræ tam ſibi quam Hoſtibus ſuis inferrent: Et prudentius affirmare poſſis Hæc aliquando fuiſſe facta in Univerſo, in variis Mundis varia ratione factis, quam in aliquo uno & certo Terrarum orbe. Quicunque autem feris uſi ſunt, ideo non utebantur quia ſperabant ſe illarum ope Hoſtes ſuos ſuperare poſſe, ſed quia damna Hoſtibus inferre, ipſique de ſua ſalute deſperantes perire voluerunt,

VARIÆ LECTIONES.

1342. *fuerat.* fueret A. B. D. P. fieret E. N. Q. V. Y. Z. fuerit P. *in not.*
1347. *perire.* perirent c. O. P.

NOTÆ.

id eſt, ſi tamen tam ſtulti fuerint, quod ego (inquit) non credo. Hav.

1341. *Atque videre*] Atque prævidere. nam præpoſitio *præ* repetenda eſt. Lamb.

1342. *Quam commune malum fuerat*] Quam valde ſibi cum adverſariis hoc malum fuerat commune futurum: vel quàm æqualiter & peræque hæ animantes fuerant ſibi & adverſariis exitio futuræ. Lamb. *Fueret*, Ita in Veteribus noſtris, & etiam antiquis Impreſſis; quod poſtea in *fieret*, & *fuerat* mutatum eſt. Gifan.

1347. *Dare quod gemerent*] Dare propter quod gemerent: dare ploratus hoſtibus: δοῦσαι οἰμωγάς. ſic Terent. Phorm. 5: 8: 63.

Vin' primum hodie facere quod ego gaudeam, Nauſiſtrata,
Et quod tuo viro oculi doleant? Lamb.

Dare, facere, aliquid novi ſtruere, damnum, *&c.* Terent. Plaut. & modo Lucretius, *fera facta dederunt, dabit pugnam, ſic dabo*, &c. Faber.

1347. *Ipſique perire*] Nonnulli libri habent, *ipſique perirent.* Lamb.

1348. *Armiſque vacabant*] Inermes erant; *ſic vitâ vacat.* Furius apud Donat. pro mortuus eſt. Faber.

1349. *Nexilis veſtis*] Intellige veſtes è pellibus ferarum, quæ conſutæ non eſſent, διφθέραι Græcis hominibus. Vide Timonem Luciani. Itaque utuntur in ea re verbo ἐνάπτεσθαι, vel ἐγκεράσθαι, ἀπαρτᾶσθαι. Faber. Si molliores Artes reſpicias, prima de Veſtibus cura; Nexilis autem Veſtis, è pellibus viz. ferinis quæ non erant conſutæ, ante textilem; fruſtra enim textilem ante uſum ferri, quo parantur inſtrumenta textoria, requiras: Neque denique Ars textoria primum fœminis commiſſa, illam Viri exercebant, quippe magis ſolertes & in Artibus ingenioſi; Deinde Agricolæ Viris mollitiem exprobrando effecerunt, ut mollioribus Artibus relictis magis duras excolerent. ℣. 11. Creech.

1350. *Quia ferro tela parantur*] Textile (inquit) fuit poſt uſum ferri repertum, quia tela, ſeu inſtrumenta textoria, quibus textilis veſtis conficitur, ferro parantur & componuntur. hunc locum ſic reſtituit Adr. Turnebus. Nam in omnibus ferè libris legitur *tela paratur*: quaſi *tela* ſit numeri ſingularis, fæminini generis: quod eſt falſum. eſt enim numeri multitudinis, *tela*, *telorum.* Cum hæc ſcripſiſſem, & edidiſſem, Zoilus, tanquam ſcarabæus aliquis, exortus, reſcidit meum, age mitto meum: ſed infirmavit Turnebi judicium. Vide, obſecro te lector, os hominis: ſi quid oris habere poteſt κίναιδος ἀναισχυντότατος. Lamb. *Paratur*, Ita omnes libri. Male ergo alii:

pa-

Qui numero diffidebant, armiſque vacabant.
Nexilis ante fuit veſtis, quam Textile tegmen:
Textile poſt ferrum eſt: quia ferro tela parantur:
Nec ratione alia poſſunt tam laevia gigni
Inſilia, ac fuſi, & radii, ſcapique ſonantes.
Et facere ante Viros lanam Natura coëgit,

Quam

INTERPRETATIO.

quoniam erant numero inferiores, nec armis ſatis inſtructi. Veſtis autem Nexilis fuit ante quam Textilis, Textilis enim poſt ferrum inventum primo extitit, quia Textoria inſtrumenta ferro parantur, neque ſine ferro poſſunt fieri lævia Inſilia, Fuſi, Radii, & ſonantes Scapi. Natura etiam coëgit Viros lanam facere

VARIÆ LECTIONES.

1348. *vacabant.* vocabant P.

1350. *poſt ferrum eſt.* Textile poſt factum eſt P. *conject. in not. parantur.* paratur A. B. D. P.

1351. *tam lævia.* jam lævia D.

1352. *fuſi, & radii.* fuſi, radii E. N. P. Y. Z.

NOTÆ.

parantur. Et vide Indicem: *Tela.* GIFAN. *Tela parantur*, quædam editiones, *tela paratur*, meo judicio male; nam *tela* ſeu *arma*, ſunt inſtrumenta. Verſus autem ſequens indicat quænam illa inſtrumenta ſint, quæ abſque ferro parari nequeant, inſilia, fuſi, radii, *&c.* FAB. Codd. & Gifanius *Paratur. Tela* enim aliquando ſignificat ipſum inſtrumentum textorium, cui accommodatur Tela. CREECH.

1351. *Nec ratione alia*] Quam ferro. LAMB.

1352. *Inſilia*] Sic omnes libri. Cur ergo Lambinus reponit: *Inſubula*; maxime, cum in *Inſubula* ſyllaba ſecunda ſit longa. GIFAN. *Inſubula* olim legendum eſſe putaram ex Iſidoro, qui docet *inſubula* eſſe textoris inſtrumenta, dicta quaſi infra & ſupra ſint, vel quia inſubulantur. Nam *inſilia* quid ſint, me fugit. LAMBINUS. Aliud *incilia*, aliud *inſilia*. Illud prius quid ſit docebit Feſtus. *Inſilia* autem non facile fuerit explicare. Mitto quæ ab aliis dicta fuerunt, (quamquam nil fere afferunt; neque ego quidquam affirmavero;) hoc tantum dicam, *inſilia* eſſe videri eam inſtrumenti textorii partem, quæ pulſu pedum quatitur, ut ſtaminis pars modo deprimatur, modo attollatur, & fuſo ſeu radio currenti libere trameare liceat; Idque ab inſiliendo. ut à *cubo*, *cubile*, à *ſedeo*, *ſedile.* FABER. Hæc vox fugit Interpretes: Faber demum exiſtimat *Inſilia* eſſe eam Inſtrumenti textorii partem, quæ pulſu pedum quatitur, ut ſtaminis pars modò attollatur modò deprimatur, ut fuſo ſeu radio currenti liberè trameare liceat: Idque ab *inſiliendo.* Quam conjecturam evertere videtur vox iſta adjuncta *Lævia.* Voſſius ad Catullum p. 249. *Enſilia* CREECH.

1352. *Fuſi*] Κλωςῆρες. Catull. de Pelei & Thet. nuptiis ℣. 557.
Libratum tereti verſabat pollice fuſum. LAMB.

1352. *Et radii*] Κερκίδες. Virg. 9. Æn. 476.
Excuſſi manibus radii, revolutaque penſa. LAMB.

1352. *Scapique*] σπάθαι, inſtrumenta textoris quorum pulſu tela coarctatur, & condenſatur: LAMB. Viri docti exiſtimant *jugum* ſignificare, id eſt lignum, circa quod ſtamina obvolvuntur; ego *pectinem* Ovidii puto; propter illud *ſonantes.* *Radius* autem inſtrumentum eſt quo trama ſtamini inducitur. FABER. An ſignificent Inſtrumenta Textoris, quorum pulſu Tela coarctatur & condenſatur, vel Jugum circa quod ſtamina volvuntur, videant Grammatici. CREECH.

1353. *Lanam facere*] Lanam carpere, texere, & nere. CREECH.

1358. *At-*

Quam Muliebre genus, nam longè praeſtat in arte,
Et ſollertius eſt multò genus omne Virile:
Agricolae donec vitio vertêre ſeveri,
Ut Muliebribus id manibus concedere vellent,
Atque ipſi potius durum ſufferre laborem:
Atque opere in duro durarent membra, manuſque.
At ſpecimen Sationis, & Inſitionis origo
Ipſa fuit rerum primum Natura creatrix.
Arboribus quoniam baccae, glandeſque caducae
Tempeſtiva dabant pullorum examina ſubter.
Unde etiam libitum eſt ſtirpeis committere ramis:

Et

INTERPRETATIO.

antequam Fœminas, nam Viri Artes inveniunt & exercent ſolertius quam Fœminæ; donec tandem rigidi Agricolæ mollitiem illis & ſegnitiem exprobrarunt, & effecerunt ut fœminis talia opera relinquerent, ipſi vero durum laborem ſufferrent, & in duro opere membra ſua & manus durarent. Ipſa vero Natura rerum creatrix Sationis & Inſitionis exemplar dedit hominibus, quoniam maturæ Baccæ & glandes ex arboribus cadentes multa nova virgulta, prout Anni tempeſtas patiebatur, ſubter produxerunt: Inde primum placuit Hominibus feraces ſtirpes ramis inſerere,

VARIÆ LECTIONES.

1358. *potius durum.* pariter durum E. P. Q. V. X. Y. Z.
1359. *durarent.* durarunt E. P. Spurium hunc eſſe ait F.
1364. *Unde.* Inde A. B.

NOTÆ.

1358. *Atque ipſi potius durum ſufferre laborem*] Repete ἀπὸ κοινοῦ *vellent.* ſic autem legendum eſt, non, ut vulgò, *Atque ipſi pariter.* Hoc enim ſentit toto hoc loco Lucret. viros, antè quam mulieres, lanam carpere, & texere, & nere natura docuit: viri enim ſunt mulieribus ſollertiores: donec hoc ita turpe habitum eſt, ut lanificium mulieribus concederent: ipſi autem agrum colerent potius, atque in opere ruſtico faciendo manus durarent. Etiam hanc emendationem ſecutus eſt Zoilus, ut ſcripturam receptam & vulgatam. Lamb.

1359. *Opere in duro*] In opere ruſtico faciendo, in agro colendo. Lamb.

1359. *Durarent*] Dura & calloſa redderent. ſic habent tres libri manuſcripti, & Veneti antiquiores. Vulgati autem, *durarunt.* Lamb. Oſtendit verſus ſuperior, hunc ſpurium eſſe; quod primus, opinor, moneo. Faber.

1360. *At ſpecimen ſationis*] Nunc docet, unde didicerint homines ſerere atque inſerere. & ait, *ſpecimen*, id eſt exemplum ſeu documentum ſationis naturam dediſſe, cum ſub arboribus virgulta quædam tenera, & pulli arborum ex earum fructibus in terram delapſis naſcerentur. *Specimen* auctor vocabularii manuſcripti Latino-Græci, interpretatur δεῖγμα. Lamb. Arbores plantare, ab ipſa Natura didicerunt, obſervabant enim Baccas glandeſque deciduas nova virgulta producere; Inde idem tentabant Homines, & unuſquiſque pro ingenio ſuo aliquid Agrorum Hortorumque culturæ addidit; & exinde tandem iſta, quam videmus, Hortorum amænitas, iſta Arborum florumque ornata diſpoſitio ỳ. 18. Creech.

1362. *Caducæ*] Cadentes ex arboribus. Lamb.

1363. *Pul-*

Et nova defodere in terram virgulta per agros:
Inde aliam, atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant, fructuſque feros manſueſcere terra
Cernebant indulgendo, blandeque colendo.
Inque dies magis in montem ſuccedere ſylvas
Cogebant, infraque locum concedere cultis:
Prata, Lacus, Rivos, Segetes, Vinetaque laeta
Collibus, & campis ut haberent, atque olearum
Caerula diſtinguens inter plaga currere poſſet
Per tumulos, & convalleis, campoſque profuſa:
Ut nunc eſſe vides vario diſtincta lepore

Omnia,

INTERPRETATIO.

& paſſim per Agros nova in Terram defodere virgulta: Deinde aliam atque aliam amœni Agri culturam tentabant, & experti ſunt fructus agreſtes & auſteros cura ſua & molli cultura agri dulces miteſque fieri; Indies etiam cogebant Sylvas in Montes aſcendere, & inferiora loca, Valles & Planitiem frugibus colendis relinquere; ut haberent Prata, Lacus, Rivos Segetes, & læta vineta collibus & campis, & ut cæruleus ordo Olivarum per tumulos, colles, & campos extenſus intercurrere poſſit, grataque varietate Agros diſtinguere & ornare: Ut nunc vides varia amœnitate ornata & diſtincta

VARIÆ LECTIONES.

1367. *terra.* terræ *Gaſſ.*
1370. *locum concedere* ſitum concedere c. O. P.
1373. *currere poſſet.* cernere poſſet *Gaſſ.*
1374. *profuſa.* protuſa D.

NOTÆ.

1363. *Pullorum examina*] Fœtus arborum pullulantium. *examina* propriè de apibus dicuntur. LAMB. *Pulli* in arbore quid ſint, docebunt Varro & Columella, & utroque vetuſtior Cato ille Cenſorius. FABER.

1364. *Inde etiam*] Ita cum Marullo puto legendum; licet in libris ſit: *Unde* Hac in re ſæpe variatum eſt. GIFAN.

1364 *Stirpeis committere ramis*] Quod unum eſt ex pluribus inſitionis generibus: de quo Virg. lib 2. Georg. 78.

*Aut rurſum enodes trunci reſecantur, & alte
Finditur in ſolidum cuneis via: deinde feraces
Plantæ immittuntur, &c* LAMB.

1365. *Et nova defodere, &c.*] Sup. eodem lib. 933

Nec nova defodere in terram virgulta, &c. LAMB.

1368. *Indulgendo*] Tralatio. Sic Virg. Georg. 2: 277.

Indulge ordinibus. LAMB.

1369. *In montem ſuccedere*] Succedere, id eſt, ſurſum cedere. LAMB. Surſum cedere, nam excisis quæ campos valleſque occupabant arboribus, Sylvæ in montes ſurſum cedere videbantur. CREECH.

1370. *Infraque locum*] Et locum, qui infra eſſet, ſeu locum inferiorem talia ſunt illa *nuper-notitia* apud Terent. Heaut. Ubi tamen quidam legunt *nupera notitia.* & *ante-malorum* apud Virg. lib. I. Æneid. & *ſemper-amicitia* apud Propert. in quibuſdam libris tamen legitur hic *infraque ſitum,* id eſt ſitum interiorem. LAMB.

1373. *Inter plaga currere*] Intercurrere. tmeſis LAMB.

 1376. *Dul-*

Omnia, quae pomis interſita dulcibus ornant:
Arbuſtiſque tenent felicibus obſita circum.
At liquidas avium voces imitarier ore
Antè fuit multò, quam laevia carmina Cantu
Concelebrare homines poſſent, aureiſque juvare.
Et Zephyri cava per calamorum ſibila primum
Agreſteis docuêre cavas inflare cicutas,
Inde minutatim dulceis didicêre querelas,
Tibia quas fundit digitis pulſata canentum,

Avia

INTERPRETATIO.

eſſe illa loca, quæ dulcibus pomis interſita, & arboribus frugiferis circum ſata colunt Homines. Sonoras Volucrum voces ore ſuo prius imitabantur quam politos verſus canere, & Aures delectare potuerunt Homines: Zephyri autem (placidi leneſque Venti) per iſta ſibila quæ cavos calamos agitantes excitabant, primum docuerunt Ruſticos cavos calamos inflare: Inde paulatim didicere dulces iſtos cantus quos Tibia digitis canentum pulſata fundit,

VARIÆ LECTIONES.

1379. *lævia carmina.* lenia carmina c. Q1.

NOTÆ.

1376. *Dulcibus*] Mitibus. Virgil. Tityro 81.
—— —— *ſunt nobis mitia poma* Lamb.

1377. *Felicibus*] Quæ ſint arbores *felices*, quæ *infelices*, cum alii docuerunt, tum nos quoque admonuimus ad illum locum Horatii Oda 2. Epod. 13.

Inutileiſque falce ramos amputans
Feliciores inſerit. Lamb.

1377. *Obſita*] Circum ſata, ἐν κύκλῳ φυτεύσιν. M. Tullius Accuſ. lib. 3. *Campus Leontinus, cujus antea ſpecies hæc erat, ut cum eum obſitum vidiſſes, annonæ caritatem non vererere; ſic erat deformis atque horridus, &c.* Lamb.

1378. *At liquidas*] Nunc de Muſicæ origine. Lamb. Ut aliæ Artes, ſic etiam Muſica primo rudis & inculta, Primum enim in Avium imitatione conſtitit, Inde Fiſtula è Calamis, (nam calami levi vento agitati ſibila quædam & murmura emittunt, compacta: Qua Paſtores mulcebant curas, aut in lætitiam effuſi ſe alioſque maximè oblectabant. Jocis etiam, feſtivis ſermonibus, & ſaltationi, incompoſitæ quidem, ſed ſatis ridiculæ indulgebant, Inde riſus, Cachinni, & alia fælicis otii delectamenta. Neque iſta operoſior qua nos utimur Muſica nos majori voluptate, quam rudis iſta illos olim perfudit; Sed nova ſemper placent, & priſtina faſtidimus. ℣. 44. Creech.

1379. *Lævia carmina*] Tralatio eſt à rebus quæ tactu ſentiuntur, ad eas quæ auditu percipiuntur. Lamb. Nam quod gratum ſenſibus, illud *læve* Epicuro. Creech.

1380. *Aureiſque juvare*] Et aureis delectare. Lamb.

1381. *Et Zephyri*, &c.] Vid Ovid. Metam. l. 1. ℣. 705. Creech.

1381. *Cava ſibila*] Ordo eſt: Et primum Zephyri docuerunt agreſteis cavas cicutas inflare, per calamorum ſibila cava: id eſt, & Favonii docuerunt primum ruſticos cicutas inflare ex eo, quod calami ab iis agitati ſibilos edebant. Jam illud totum, *cava per calamorum ſibila*, duplicem interpretationem recipere videtur, quæ tamen eodem revolvitur. Nam vel *ſibila* ſic accipi poteſt, ut ſit nomen ſubſtant. *cava* autem adject. vel contra, *cava* licet eſſe ſubſtant. *ſibila* adjectivum. Et ita *cava calamorum*, interpretabimur *cavitates calamorum: ſibila* autem, *ſibilos mittentia.* Virg. lib. 3. Georg. 421.

Tol-

Avia per nemora, ac ſylvas ſaltuſque reperta,
Per loca paſtorum deſerta, atque otia dia:
Sic unum quidquid paullatim protrahit Ætas
In medium, Ratioque in luminis eruit oras.
Haec animos ollis mulcebant atque juvabant
Cum ſatiate cibi: nam tum ſunt otia cordi.
Saepe itaque inter ſe proſtrati in gramine molli
Propter aquae rivum, ſub ramis arboris altae.
Non magnis opibus jucunde corpora habebant:

Prae-

INTERPRETATIO.

Tibia inquam iſta quam per Avia nemora, ſylvas, & ſaltus repertam Paſtores otio abundantes in locis deſertis exercebant. Sic ætas unamquamque Artem paulatim protrahit in medium, & Ingenii ſolertia primum invenit, deinde perficit. Hæc illorum Animos delectabant cum Saturi erant, Saturi enim otio maxime indulgent. Sæpe itaque in tenera mollique herba inter ſe proſtrati juxta rivum Aquæ, ſub ramis altæ arboris corpora ſua, licet Magnas opes non habebant,

VARIÆ LECTIONES.

1387. *quidquid.* quidvis paulatim C. P.
1388. *ratioque.* ratio quæ P. *eruit.* erigit Q1. Z.
1390. *otia cordi.* Ita Fab. *Creechio probante.* omnia chordæ *Voſſ.* omnia cordi *Alii.*
1393. *jucunde.* vix unde Z. *habebant.* alebant Q1.

NOTÆ.

Tollentemque minas, & ſibila colla tumentem.

Idem Æneid. 5: 277.

Parte ferox, ardenſque oculis, & ſibila colla
Arduus attollens, &c. LAMB.

1382. *Inflare cicutas*] *Cicutas*, id eſt calamos, cannas. Virgil. Ecl. 2: 36.

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula.

ſup. lib. 4: 592.

Unco ſæpe labro calamos percurrit hianteis.

qui verſus ſtatim iteratur. *inflare* autem propriè dictum. Sic Virg. in Daphn. princ.

Tu calamos inflare leveis, ego dicere verſus.

M. Tull. in Bruto, *Si tibiæ inflatæ non referunt ſonum, &c.* LAMB. Virg. quoque pro fiſtula, &c. ita *calamos*, *avenam*. FABER.

1387. *Unumquidquid*] Unumquidque. LAMB.

1389. *Hæc animos ollis, &c.*] Id eſt, his rudes illi homines mulcebantur, ac delectabantur eo ipſo tempore, quo epulabantur & ſatiabantur: vel una cum cibo quo ſatiabantur, agreſti muſica animos ſuos oblectabant. *ſatiate*, id eſt. ſatietate. LAMB.

1390. *Nam tum ſunt omnia*] Id eſt, nam tum omnia grata ſunt. quidam legunt,

——— *nam tum hæc ſunt omnia cordi.* LAMB.

Ni mihi properandum ſit, videor, probare poſſe legendum, *Nam tum ſunt otia cordi*. id & verſus ſuperiores oſtendunt; & quos jam leges, ei conjecturæ non adverſantur. Vide tamen. *Tum* autem, id eſt cum homines *ſatulli* ſunt & ſe ſe epulis invitarunt pluſculum. FABER. Faber *Otia cordi:* venuſtè: Voſſius ad Catullum p. 167. *Omnia chordæ*, Poſt ſatietatem cibi nihil, inquit, hominibus æquè placet ac Muſica, utpote quæ tunc ſit τὰ πάντα: Nec eſt ut quiſquam miretur Chordas dici Tibias, cum vice verſa Citharæ accipiantur quoque pro Tibiis. CREECH. Poſſes & *Somnia* legere; at omnino placet Fabri illud *Otia.* recumbere enim in pratis, curare corpora, joca ſermones ſerere &c. otioſorum ſunt. HAV.

1392. *Propter aquæ rivum*] Id eſt prope aquæ rivum. Profert hunc verſum Donatus ad illud

 Te-

Praeſertim quom tempeſtas ridebat, & anni
Tempora pingebant viridanteis floribus herbas,
Tum Joca, tum Sermo, tum dulces eſſe Cachinni
Conſuêrant: agreſtis enim tum Muſa vigebat:
Tum caput, atque humeros plexis redimire coronis,
Floribus, & foliis laſcivia laeta monebat:

Atque

INTERPRETATIO.

bene curabant, præſertim, cum Ver erat, cum dies ſerenus, Annique tempeſtas virides herbas floribus pingebat: Tum Jocis, faceto ſermone, grato innocuoque riſu ſe delectabant, tum enim vigebat agreſtis Muſa: Tunc etiam ludibunda Laſcivia monebat Caput ſuum & Humeros floribus, Foliis, plexis denique coronis redimire;

VARIÆ LECTIONES.

1397. *Conſuerant.* Conſuerunt A. B. D. L.
1398. *coronis.* corollis A. B. D. I.
1399. *monebat.* movebat P. Q. Z. *poſſes legere*, monebat P. *in not.*

NOTÆ.

Terentii Adelphis, 4: 2: 37. *angiportum propter eſt.* Expreſſit hoc hemiſtichium Virg. Pharmaceutr. Ecl. 8: 87.

Propter aquæ rivum viridi procumbit in herba.

Lamb.

1394. *Cum tempeſtas ridebat*] Cum per anni tempus licebat: cum anni tempeſtas non erat turbida, aut frigida: ſed ſerena, & tepida. Idem Lucret. libro 2: 32.

Præſertim cum tempeſtas arridet, & anni
Tempora, &c. Lamb.

1394. *Et anni Tempora*] Ver, & æſtas. Lamb.

1398. *Coronis*] Alii legunt *corollis*. quod nullis in libris reperi. Omnino non eſt neceſſe quidquam hîc immutare. Nam utrumque nomen à veteribus pro re eadem reperio eſſe uſurpatum. Plautus Amphitr. 3: 4: 16.

Capiam coronam mi in caput. aſſimulabo me eſſe ebrium.

Sequitur paucis poſt verſibus:

Ibo intro: capiam ornatum, qui potis decet.

Sic enim reſtitui, ubi vulgo legitur

——— ——— ——— *qui potius decet.*

Atque hæc eſt una emendatio ex ſexcentis quibus Plautum meliorem factum, & propemodum redintegratum, & præterea brevibus commentariis illuſtratum, brevi divulgabo, Deo optimo max. approbante. Idem Pſeud. 5: 2: 2.

SIMO: *quid video ego?* PSEUD.
Cum corona ebrium Pſeudolum tuum.

ſequitur paucis poſt verſibus.

Quæ iſthæc audacia eſt,
Te ſic interdius cum corolla ebrium incedere?

En perſpicuè *corollam* & *coronam* pro re eadem uſurpavit. Flaccus Sat. 3. libro 2: 255.

——— ——— ——— ——— *potius ut ille*
Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas. Lamb.

Corollis, Ita ex Veteribus noſtris, malui, In aliis: *coronis*. In hac re magis utebantur *corollæ* voce. Gifan.

1400. *Atque extra numerum procedere*] Non in numerum, ut ſupra lib. 4: 789.

Quid porro, in numerum procedere cum ſimulacra
Cernimus in ſomnis, & mollia membra movere?

Lamb.

1401. *Duriter*] Antiquum, teſte Cariſio. Ennius Phœniſſis:

Quam tibi ex ore orationem duriter dictis dedit?

Terent. Adelph. 1: 1: 20.

Ruri agere vitam, ſemper parce ac duriter ſeſe habere.

Idem Andr. 1: 1: 48.

Primum hæc pudicè vitam parce ac duriter
Agebat.

Ad quem locum Donatus, *Duriter*, inquit, id eſt *ſine ſenſu doloris*. *dure* autem, *crudeliter* illud ad laborem: hoc ad ſævitiam relatum eſt. Lamb.

1401. *Et*

Atque extra numerum procedere membra moventeis
Duriter, & duro terram pede pellere matrem:
Unde oriebantur Riſus, dulceſque Cachinni,
Omnia quod nova tum magis haec, & mira vigebant.
Et vigilantibus hinc aderant ſolatia ſomni,
Ducere multimodis voces, & flectere cantus;

Et

INTERPRETATIO.

incompoſite etiam atque extra numerum ſaltare membra ſua ruſtice moventes, duroque pede matrem Terram pulſare: Inde riſus dulceſque cachinni ſequebantur, quod nova hæc erant omnia, ideoque mira. Hinc Vigilantibus aderant Somni ſolatia, Voces ducere multimodis, & cantus flectere;

VARIÆ LECTIONES.

1404. *Et vigilantibus.* Evigilantibus. V. *ſomni.* ſomno C. E. N. P. V. Y. Z.
1405. *multimodis.* multimodas *corrig.* P. *in not.* Q1.

NOTÆ.

1401. *Et duro terram pede pellere matrem*] Et ſaltare duriter, & quaſi terram λακτίζειν, id eſt calcibus petere, atque inſectari. ſic Horat. Od. 18. lib. 3: 15.

Gaudet inviſam pepuliſſe foſſor
Ter pede terram.

Idem Od. 17. libr. 1: 1.

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus.

Sic omnium princeps Homer. Iλ. σ 571.

——— ——— ——— τοὶ δ' ῥήσσοντες ὁμαρτῇ,
Μολπῇ τ' ἰΰγμῷ τε ποσὶ σκαίροντες ἕποντο.

id eſt, *illi autem terram pulſantes ſimul, cantum & clamorem pedibus ſaltando ſequebantur* LAMB.

1404. *Hinc*] Ex eo quod ſequitur,
Ducere multis modis voces LAMB.

1404. *Solatia ſomni*] Secutus ſum codicem Vaticanum. nam alii libri habent *ſomno.* ſignificat autem eos qui dormire nequirent, variis cantibus & vocibus inſomniam ſolatos eſſe. Cur igitur non dixit *ſolatia inſomniæ?* ut infra lib. 5: 21.

Dulcia permulcent animos ſolatia vitæ.

& lib. eod. ℣. 4.

Et primæ dederunt ſolatia dulcia vitæ.

& Virgilius Æneid. 11: 62.

——— ——— ——— *duri ſolatia caſus.* LAMB.

Aderant ſolatia ſomni, Senſus manifeſtus eſt, eos ſcilicet qui dormire nequirent, ſe ſe tibiæ cantu oblectare ſolitos. Cur igitur, inquit Interpres, *ſolatia ſomni* dixit? debuit enim dicere *ſolatia inſomniæ.* Et ita ſane videtur. Sed quod jam dicam, difficultatem illam, quæ non contemnenda eſt, tollet. *Solatium* ſcilicet pro eo ſumitur, quod rei alicujus amiſſæ loco datur, unde damnum reſarciri queat. Inde adeo fit interdum apud Juriſconſultos *ſolatium* pro tenui aliqua mercedula ſeu pretio ſumatur; quod probari nihil neceſſe, adeo certa res eſt. Si quis autem (hoc erit exemplum) pateram auream, aut gemmam, aut aliquid aliud manu tenens, diceret, *Hoc pretium ſomni*; nemo, opinor, eſſet, qui dictum illud non facile intelligeret; ita enim gemma *ſomni pretium,* ſeu *ſolatium,* diceretur, ut *pretium ædium,* ut *equi pretium,* id ſcilicet quod pro equo datum eſt. Objecerit tamen quiſpiam, dici ſolere, & recte quidem, *Vigiliarum mearum pretium,* &c. fateor; ſed ubi ita loquimur, figura eſt, quaſi vigiliæ ſcilicet hoc nobis attulerint, quod ab aliis in nos collatum eſt propter induſtriam & laborem ſuſceptum. FAB. VOSS. emend. *Evigilantibus* ——— *ſomno* Quem in *ſomno* MSS. adjuvant. Plin. Epiſt. 1: 5. *Evigilabam.* ſed ſimpliciſſima eſt Lambini interpretatio. HAV.

1405. *Ducere multimodis voces*] Hoc eſt (opinor) quod Græci dicunt μινυρίζειν: quod eſt vocem varie fingere, & figurare; ſeu voce varie figurata cantillare. *ducere* autem, id eſt *producere.* LAMB.

Et ſupera calamos unco percurrere labro:
Unde etiam vigiles nunc haec accepta tuentur,
Et numerum ſervare genus didicêre; neque hilo
Majorem interea capiunt dulcedinis fructum,
Quam Sylveſtre genus capiebat Terrigenarum.
Nam quod adeſt praeſto, niſi quid cognovimus ante
Suavius, in primis placet, & pollere videtur;
Poſte-

INTERPRETATIO.

uncoque labro calamos ſupra percurrere. (Qui dormire nequibant cantu ſe & Tibia oblectabant) Unde etiam Vigiles hodie idem faciunt, Variis etiam numeris utuntur, eorumque modos obſervant, Interim tamen non majorem exinde voluptatem percipiunt, quam olim Agreſtes Ruſticique Homines e Terra orti percipiebant. Nam quod præſens eſt (niſi ante novimus aliquid ſuavius) maxime placet, & optimum videtur;

VARIÆ LECTIONES.

1406. *unco.* rauco. *codd.* P.
1409. *Majorem.* Majore *Alii. dulcedinis.* dulcedine C. D. E. N. P. Z.

NOTÆ.

1406. *Et flectere cantus*] Hinc molles in cantu flexiones apud M. Tull. lib. 3. de Orat. ad Qu. fr. Lamb.

1406. *Et ſupera*] Id eſt, & ſuprà, ſeu in ſuperiore parte calamorum. ſic ſupra lib. 4: 592.

Unco ſæpe labro calamos percurrit hianteis. Lamb.

1407. *Vigiles*] Caſtrenſes intelligo. Faber. Ego vero curis ægros; ut ℣. 1404. *Vigilantibus.* Creech.

1409. *Majorem interea*] Sic reſtitueram in ſecunda jam editione. Eſſe autem ſic legendum & ratio, & trium codicum antiquorum auctoritas pervincunt. nam vulgata lectio,

Majore intereà capiunt dulcedine fructum.

ferri non poteſt. Hæc autem quam reſtitui, hanc ſententiam habet: neque ex hodierna muſica, quamvis ſit eruditior, & compoſitior, & cultior, homines hujus ætatis majorem voluptatem percipiunt, quam olim primi illi & rudes homines ex ſua incondita, ruſtica, atque agreſti capiebant. Lambin.

1410. *Terrigenarum*] Id eſt, primorum illorum hominum è terra natorum: *γηγενῶν*, *terræ filiorum.* ſequitur ℣. 1425.

Frigus enim nudos ſine Pellibus excruciabat Terrigenas. Lamb.

1413. *Poſteriorque fere, &c.*] Id eſt, & ferè evenit, ut res poſterior melior, priora reperta perdat, atque ex animo deleat: & immutet ſenſus ad priſtina, id eſt faciat, ut priſtina non æquè ſint grata, neque jucunda ſenſibus, atque antea fuerant. Lamb.

1413. *Illa reperta*] Ἐκεῖνα εὑρήματα. *perdit* autem, in contemptum vocat, facit ut in minori pretio ſint. Faber.

1415. *Sic odium cœpit Glandis*] Ex quo illud, ἅλις δρυὸς, *ſatis quercus.* & Marcus Tullius Orat. perf. *Quæ eſt in hominibus tanta perverſitas, ut inventis frugibus glande veſcantur? Glandis*, & δρυὸς, ſive *quercus* facta mentio, mihi aurem vellit, meque admonet, ut locum in epiſtol. Cicer. ad Attic. libro quarto, epiſtola, cujus initium eſt *O exſpectatas*, &c. in mea editione; in editionibus aliis verò epiſtola, quæ hinc initium capit, *Occupationum*, &c. ab omnibus eruditis, qui eum uſque ad hunc diem attigerunt, quique ei manus admoverunt, deſperatum, ac pro inſanabili derelictum, ſanem atque emendem, de ſententia amici mei Sim. Boſii, viri ingenioſiſſ. Verba Ciceronis ſunt hæc: *Itaque dixit ſtatim reus lege majeſtatis*, ΟΥ ϹΟΙ ΛΛΡΥϹ ΛΛΛΛΛΦΥΗ ſic legitur in veteribus cod. quæ litteræ perſpicuè ſunt corruptæ. ſic igitur legit ille: οὔ σοι ἁ δρῦς μᾶλα φύει. id eſt, *non tibi hæc quercus mala* (id eſt *glandes*)

Poſteriorque fere melior res illa reperta
Perdit, & immutat ſenſus ad priſtina quaeque.
Sic odium coepit Glandis: ſic illa relicta
Strata Cubilia ſunt herbis, & frondibus aucta.
Pellis item cecidit, veſtis contempta Ferina eſt,
Quam reor invidia tali tunc eſſe repertam,
Ut lethum inſidiis, qui geſſit primus, obiret:
Et tandem inter eos diſtractum, ſanguine multo
Diſper-

INTERPRETATIO.

Quæ vero res poſterius inventa eſt melior plerumque facit ut in minori pretio ſint priora, & ut priſtina non ſint æque grata ac jucunda ſenſibus, ac antea fuerunt. Hinc faſtidium Glandis, Hinc non amplius utimur Cubilibus iſtis frondibus & Herba humi ſtratis, Hinc etiam in contemptum abiit Veſtis è Pellibus Ferarum facta; Quam tamen Veſtem qui primus invenit & geſſit, Omnes illi ob præclarum inventum adeo invidiſſe puto, ut illi mortem inſidiis compararint; Illumque diſcerptum multo ſanguine iſtam veſtem ſparſiſſe,

VARIÆ LECTIONES.

1413. *illa.* ulla Qr.
1414. *immutat.* invitat Qr.
1417. *Ferina eſt.* Ferina A. B. N. P. V. Y. Z.
1418. *tunc.* nunc Y. Z.
1420. *Et tandem.* Et tamen Y. Z. *diſtractum.* diſtractam N. P. V.

NOTÆ.

des) gignit. verba ſunt liberti cujuſdam, qui videns ſe reum eſſe, & fortaſſe etiam damnatum iri, jocans in periculo ante oculos poſito, & alludens ad quercum glandiferam, quæ cibum ſuppeditavit primis illis hominibus, fuitque eis quaſi nutrix; & præterea pœnam lege conſtitutam reſpiciens, (fuſte autem verberabantur liberti condemnati, interdum etiam extremo ſupplicio afficiebantur) hæc loquitur: *Non tibi hæc quercus glandeis procreat:* id eſt, hæc accuſatio, non tibi victum, ſed magnum malum datura eſt. Eadem opera illud quoque alterum vulnus, quod eſt in eadem epiſt. ſanabo, ΠΟΡΠΑ ΠΥΜΝΑ: ubi quidam legunt, πρῶρα πρύμνα: ſed legendum cenſet ille, ΓΟΡΓΕΙΑ ΓΥΜΝΑ, id eſt *larvæ ſeu perſonæ nudæ.* Sed de Cicerone hactenus: nunc ad Lucretium redeamus. LAMB.

1417. *Pellis item*] Quæ fuit inventa à primis illis hominibus, ut ſup. 1009.

Inde caſas poſtquam, ac pelleis, ignemque pararunt, &c. cecidit autem pellis, & contemni cœpta eſt poſt uſum veſtium è lana nexilium, aut textilium, aut ſutilium repertum. Cum toto autem hoc loco mire congruunt illa Arnobii lib. 2. Adverſ. gent. *Quid enim ſi hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis atque antiquiſſimis ſæculis, quod inventis frugibus glandes ſpreverint, & repudiaverint arbuta? quod corticibus contegi, & amiciri deſierint pellibus, poſtquam veſtis excogitata eſt textilis, uſu & commoditate ſuccinctior? aut quod ſtructis domibus, & lautioribus ſucceſſibus inſtitutis, non antiquas adamaverint caſulas, nec ſub rupibus & cavernis præoptaverint, ut belluæ, permanere? Commune eſt omnibus, & ab ipſis pene incunabulis traditum, bona malis anteferre, inutilibus utilia præponere, & quod eſſe conſtituerit pretioſius, lætius id conſectari, & petere: in eoque defigere ſpem ſalutis & ſalutarium commodorum.* LAMB.

1418. *Quam reor invidia*] Id eſt, quam puto ita fuiſſe inventori ipſi invidioſam, ut is qui primus eam geſſit, per inſidias ab aliis interfectus fuerit. LAMB. Prima veſtis ita ceteris iis Terrigenis

Diſperſiſſe, neque in fructum convertere quîſſe.
  Tunc igitur Pelles, nunc Aurum, & Purpura curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant.
Quo magis in nobis (ut opinor) culpa reſidit.
Frigus enim nudos ſine Pellibus excruciabat,
Terrigenas: at nos nil laedit veſte carere
Purpurea, atque Auro, ſigniſque ingentibus apta;
Dum Plebeia tamen ſit, quae defendere poſſit:
Ergo hominum genus incaſſum, fruſtraque laborat,

Sem-

INTERPRETATIO.

neque ſuo invento frui potuiſſe credo. Tunc igitur Pelles, nunc Aurum & Purpura Hominum vitam multis curis vexant, & fatigant bello. Quam ob cauſam Nos magis culpandos eſſe exiſtimo. Namque tum quidem Homines è Terra natos neque pellibus tectos Frigus affligebat: at Nos ſine damno aut moleſtia carere poſſumus Veſte purpurea, Auro ſigniſque ingentibus ornata; modo plebeiam, craſſam, ſordidamque habeamus, quæ frigus poſſit defendere. Ergo Humanum genus incaſſum & fruſtra ſemper laborat,

VARIÆ LECTIONES.

1421. *Diſperſiſſe.* Diſperiiſſe C. E. N. P. V. X. Y. Z.
1424. *reſidit.* reſedit C. E. N. P. X. Y. Z.
1427. *ſigniſque ingentibus.* gemmiſque inſigniter apta *Gaſſ.* ſigniſque vigentibus c. O. P. Q.
1428. *Plebeia tamen ſit, quæ.* Plebe lata mens idque Q. Y. Z.

NOTÆ.

nis placuit, ut inventori ſuo mortis cauſa fuerit. Faber.

1420. *Et tandem inter eos diſtractum, ſanguine multo. Diſperſiſſe*] Secutus ſum cod. Manuſcript. nam vulgati habent *Diſperiiſſe*, mendoſe. hujus igitur ſcripturæ hæc ſententia eſt: Et reor, eum qui primus geſſit veſtem ferinam, inter eos à quibus per inſidias interfectus eſt, diſtractum, diſperſiſſe, id eſt, diverſis in partibus contaminaſſe ſanguine multo, ſubintellige *veſtem.* licet etiam legas *diſtractam*, ut habent lib. vulgati. *diſtractam* autem *veſtem* ſcilicet. Hanc quoque emendationem amplectitur Zoilus more ſuo Lambin. Alii, *Diſtractam*, Veſtem viz. & in ſequenti verſu *Diſperiiſſe*; & hæc lectio, quam Codd. Vet. exhibent, & *Heinſius* probat, admitti potuerit, ſi voces ſequentes

Neque in fructum convertere quîſſe.

commodè paterentur. Creech.

1421. *Diſperſiſſe*] Ita veteres libri: In aliis: *Diſperiiſſe*, ut modo *diſtractam* in quibuſdam. Gifan.

1422. *Tunc igitur Pelles*, &c.] Illa autem pro Pelle pugna & cædes excuſari poſſit, nam ante veſtes textiles inventas ſolis pellibus defendebant frigus, At quis Homines excuſet qui bellis & rapinis miſcent omnia, ut auro clari, & inſignes purpura fulgerent? Sed id agunt quoniam inſana habendi cupidine aguntur, & ignorant veram voluptatem, quam Epicurus docuit, & quæ non tam delicias appetit, quam neceſſariis contenta eſt. ℣. 13. Creech.

1423. *Exercent*] Vexant, tranquillè vivere non ſinunt. Lamb.

1424. *Culpa reſidit*] Sic legendum à verbo *reſido, dis:* quo utitur lib. 2: 283.

Et projecta refrenatur, retroque reſidit?

non *reſedit*, à verbo *reſideo.* Lamb.

1425. *Frigus enim*] Neceſſitas primò veſtium uſum reperit. frigoris enim depellendi & injuriæ

cæli

Semper & in curis conſumit inanibus aevom;
Nimirum, quia non cognovit, quae ſit habendi
Finis, & omnino quoad creſcat vera voluptas:
Idque minutatim vitam provexit in Altum,
Et belli magnos commovit funditus aeſtus.
At vigiles mundi magnum & verſatile templum
Sol & Luna ſuo luſtrantes lumine circum
Perdocuêre homines Annorum tempora verti:
Et certa ratione geri rem, atque ordine certo.

Jam

INTERPRETATIO.

vaniſque curis ætatem conſumit; nimirum, quia non novit qui modus Habendi ſit, quid ſatis Homini, quouſque creſcat Voluptas vera, Atque hæc Ignorantia vitam in Oceanum malorum evexit, & omnibus belli fluctibus objecit. (Hinc Tumultus & contentio, omnia denique mala quæ Libidinem, Avaritiam, & Ambitionem ſequuntur.) At Vigiles Sol & Luna magnum & verſatile Mundi templum (Cœlum) ſuo lumine circum luſtrantes docuerunt Homines tempora Annorum verti, certamque eſſe rationem, & certum ordinem tempeſtatum.

VARIÆ LECTIONES.

1430 *in.* Abeſt Y. Z.
1435. *&.* Deeſt Y. Z.

NOTÆ.

cæli arcendæ cauſa veſtes repertæ ſunt: deinde acceſſit luxus & voluptas, cum veſteis purpureas, & auro inſigneis, & acu pictas gerere voluerunt. ſic ferè M. Tull. lib. 3. de Oratore: *Nam ut veſtis frigoris depellendi cauſa reperta primo, poſt adhiberi cœpta eſt ad ornatum etiam corporis, & dignitatem: ſic verbi tranſlatio inſtituta eſt inopiæ cauſa, frequentata delectationis.* LAMB.

1426. *Terrigenas*] Homines, ex terra natos, ut ſup. ℣. 1410.

Quam Silveſtre genus capiebat Terrigenarum.

Varro Eumenidib. *Empedocles natos homines ex terra ait, ut blitum:* ex Nonio, in voce *blitum.* LAMB.

1427. *Veſtis apta ſignis*] Jam antea. FABER.

1429. *In caſſum, fruſtraque laborat*] Quia non eſt contentus parvo, aut modico: & quia cupiditates habet infinitas, minimeque neceſſarias, & (ut ſtatim ſubjungit) quia non cognovit, quæ ſit habendi finis, id eſt, quid ſit homini ſatis: vel, ſi cognovit, eo non eſt contentus. ſic Lucill. lib. 5.

Nam ſi quod ſatis eſt homini, id ſatis eſſe poteſſet:
Hoc ſat erat: nunc, cum hoc non eſt, qui credimus porro
Divitias ullas animum mi explere poteſſe?

Idem lib. 18.

Denique uti ſtulto nil ſit ſatis, omnia cum ſint.

LAMB.

1433. *In altum*] Metaph. à navigantibus, periculum ſignificat. De verſu autem illo 1455.

Namque alid ex alio, &c.

dictum eſt in *Emendationibus.* FABER. Metaphora à Navigantibus, verſu ſequenti habes *æſtus belli.* CREECH.

1435. *At vigiles Mundi*] Dicit homines ex Solis & Lunæ curſu didiciſſe annorum tempora circumagi, atque in orbem redire, & ſtatos ac ratos eſſe rerum ordines. LAMB. Quoniam diutina experientia certos feciſſet Homines Anni tempeſtates certo ordine redire, neque caſu fluere omnia, & turbari, (Nam Atomi primum fortuitò convenientes, ita motus ſui legibus, & vi naturæ conſtituuntur; ut niſi aliqua cauſa extrin-

 ſecùs

Jam validis ſepti degebant Turribus aevom,
Et diviſa colebatur, diſcretaque tellus:
Tum Mare velivolum florebat navibus pandis:
Auxilia, & ſocios jam pacto foedere habebant:
Carminibus quom res geſtas coepêre Poëtae
Tradere: nec multo prius ſunt Elementa reperta.
Propterea quid ſit prius actum reſpicere aetas

Noſtra

INTERPRETATIO.

Jam tandem Homines validis turribus muniti agebant vitam, & partita poſitiſque limitibus diviſa Tellus colebatur. Tum pandis navigiis Pelagus veliferum fervebat. Tum inita erant inter Gentes fœdera, & inde Socii, & mutua auxilia: Cum Poëtæ cœperunt res geſtas carminibus celebrare, nec multo prius ſunt ipſæ Litteræ inventæ. Et hanc ob cauſam Nos non poſſumus certo ſcire quid olim ſit actum,

VARIÆ LECTIONES.

1439. *degebant.* degebat V. Y. Z.
1440. *diſcretaque.* deſcriptaque a. B. D. I. diſcerptaque V. diſceretaque MSS. V. diſtrictaque Q. X.
1441. *velivolum.* velivolis a. B. c. D. I. O. P. Q. V. X. Y. Z. *legi jubet*, velivolum P. *in not: navibus pandis.* navibus ponti a. B. Protei ad oras V. propter honores V. florebat propter odores c. O. P. Q. X. Y. Z.
1442. *&.* ac Q1. Y. Z.
1444. *prius.* plus Q1.
1445. *prius actum.* prius auctum P. prius actum, *codd.* P

NOTÆ.

ſecùs adveniens impediat., iiſdem ſemper motibus feruntur) tandem certum ſtabileque vivendi genus amplexi ſunt; Inde conſtitutæ Reſpublicæ, inſtituta etiam inter diverſas gentes commercia, Tum Litteræ inventæ, Nati tum Poëtæ Hiſtoriarum Patres, denique inventæ ſunt iſtæ artes., nam omnium Authorum nomina deſcribuntur, quæ Vitæ noſtræ, aut Voluptati inſerviunt. ℣. 22. Creech.

1439. *Jam validis ſæpti*] Tunc cœperunt homines in turribus atque in locis munitis habitare, urbeis condere, agros limitibus diſtinguere ac terminare, navigare, &c. Lamb.

1440. *Diſcretaque Tellus*] Limitibus diſtincta, & finibus. alii legunt

——— ——— *deſcriptaque tellus.* Lamb.

Deſcriptaque tellus, Ita reſtituimus, adjuti a veteribus codicibus, in quibus fere: *diſtinctaque.* Vulgati: *diſcretaque.* Vide Indicem. Gifan.

1441. *Velivolis*] Sic omnino legendum puto ex veteribus libris, & Servio, ad lib. 1. Æn. Gifan.

1441. *Navibus pandis*] Navibus curvis. nonnulli libri habent, *florebat propter odores*, ſed (ut opinor) corruptè. Hoc totum enim *propter odores*, natum puto ex annotatione, eaque pingui & craſſa. nam ad hæc verba *florebat navibus*, adſcripſit. aliquis minimè malus, *propter odores*, ſignificans merceis odoratas, quæ navibus veherentur. quæ verba poſtea conjecta ſunt in contextum, detruſis rectis vocibus, *navibus pandis.* quod factitari eſſe ſolitum, ſæpe alias admonuimus. Lamb. *Ponti*, Quidam libri: *pandis.* Gifan. Giſanius,

Tum Mare velivolis *florebat navibus* ponti.

Voſſius ad Catullum p. 77. Hæc habet

„ *Tum Mare velivolum florebat* propter odores.
„ Hæc eſt ſcriptura omnium, niſi fallor libro-
„ rum; quam meritò docti ſe non intelligere fa-
„ ten-

Noſtra nequit, niſi qua ratio veſtigia monſtrat.
  Navigia, atque Agri culturas, Moenia, Leges,
Arma, Vias, Veſteis, & caetera de genere horum,
Praemia, delicias quoque vitae funditus omneis,
Carmina, Picturas, & daedala ſigna polire,
Uſus, & impigrae ſimul Experientia mentis
Paullatim docuit pedetentim progredienteis.

Sic

INTERPRETATIO.

conjicimus tantum non hiſtoria ſed ratione ducti. Naves, Agriculturas, Mœnia, Leges, Arma Vias, Veſtes, & reliqua ejuſmodi quæ ſunt ad Vitam commode agendam utilia Delicias quoque omnes Vitæ, Carmina viz Picturas, Artemque Statuariam, Uſus & ſolertis Ingenii experientia docuit Homines pedetentim progredientes.

VARIÆ LECTIONES.

1447. *Agri culturas.* agriculturas D. L.
1449. *vitæ funditus omneis.* vita effunditur omnes Z. vita cultus & omnes Q1.
1450. *polito.* polita V. Z. politos Q.
1452. *progredienteis.* Ita P. Z. *Alii* progredientes.

NOTÆ.

„ tentur; Sic enim, puto, ſcripſerat *Lucretius*;
„ *Tum Mare velivolum florebat* Protei ad oras.
„ Proteus & ipſe Deus marinus, utpote qui primus navigâſſe creditur; *Oræ* verò *Protei*, ſunt „ oræ in quibus regnabat Proteus, in quibus omnibus navigationem floruiſſe affirmat. „ Quibus hæc placent Illis nihil unquam diſpliceat: *Lambinus* invenit in quibuſdam Codd. *Navibus pandis*, & iſtis vocibus ego quidem contentus. CREECH. Servius ad Virg. 804. Ennius & Lucretius *florens dicunt omne quod nitidum eſt: hoc ſecutus eſt Virgilius. Aliter Acyrologia eſt. Lucretius: florebat navibus pontus.* At in poſtrema Editione ſive Maſvicii, vulgata Lambini eſt lectio, ſi è MSS. nolo pugnare, quamquam non probem nullibi in illa Editione apponi MSS. & V. L. notitiam; Et tamen altera lectio ſe tutari poteſt, ſi ita diſtinguas:

Tum Mare velivolum, florebat navibus pontus.

In bello enim velivolum etiam eſt Mare, at in pace florere maxime ſolet. Scio ſynonima eſſe *Mare* & *Pontus*; ſed quum mox pariter *auxilia* & *ſocios* dicat, qui non pluris differunt, etiam nunc Mare & Pontum conjungere potuit. HAV.

1444. *Nec multo prius*] Quam poëtæ res geſtas carminibus perſequi cœperunt. LAMB.

1445. *Quid ſit prius actum*] Prius quam elementa litterarum eſſent reperta. LAMB.

1445. *Reſpicere*] Reſpicere dicimur præterita: nam quæ præterita ſunt, retro eſſe dicuntur. Horat. Od. 29. lib. 3: 45.

——— ——— ——— *non tamen irritum*
Quodcunque retro eſt, efficiet neque
Diffringet, infectumque reddet,
Quod fugiens ſemel hora vexit. LAMB.

1447. *Navigia, atque Agri culturas*] Navigiorum conficiendorum & agrorum colendorum rationem, mœnia, leges, & cetera, quæ hîc enumerantur, uſus, & diligentia, & experientia, paullatim progredientes, docuerunt, inquit. Sic ferè Arnob. lib. 2. Adverſ. Gent. *Quid eſt enim in negotiis hominum, quod vel opera corporis, & manibus fiat, vel ſolius animi diſciplina & cognitione teneatur, quod non ex aliquo cœperit tempore, & in uſum exierit, experientiamque mortalium? Philoſophia muſica, ceteræque omnes artes, quibus vita eſt exculta & expolita communis, cum hominibus natæ ſunt, & non potius nuper: quin immo pæne paullo*

Sic unum quidquid paullatim protrahit aetas
In medium, ratioque in luminis eruit oras.
Namque alid ex alio clareſcere corde videmus
Artibus, ad ſummum donec venêre cacumen.

INTERPRETATIO.

Sic ætas unamquamque Artem paulatim protrahit in medium, & Ingenii ſolertia primum invenit, deinde perficit. Sentimus enim Artes omnes non eſſe ſimul natas, alia ex alia clareſcit, donec tandem omnes ſint ad ſummum perfectionis cacumen perductæ.

VARIÆ LECTIONES.

1454. *eruit oras.* erigit oras c. O. P. Q. V. X. Y. Z.
1455. *alid.* aliud A. B. Y. *ſed* alid *a prima manu ſcr. videmus.* videbant C. E. L. P. Y.

NOTÆ.

ante agitari, intelligi, celebrarique cœperunt. Lamb.

1452. *Pedetentim progredienteis*] Sic locutus eſt ſupra eodem libro 533.

——— ——— ——— *ſed quæ ſit earum,*
Præcipere, haudquaquam eſt pedetentim progredientis. Lamb.

1453. *Sic unum quidquid paullatim protrahit*] Quæ arte & ratione conſtant, inquit, non fuerunt uno eodemque tempore inventa & perfecta: ſed primùm inventa, eaque nondum ſatis polita; deinde temporis tractu perfecta ac perpolita. Hac de re ſic Laërt. Ἀλλὰ μὴν ὑποληπτέον καὶ τὴν φύσιν πολλὰ καὶ παντοῖα ὑπ' αὐτῶν τῶν πραγμάτων διδαχθῆναί τε καὶ ἀναγκασθῆναι, τὸν δὲ λογισμὸν τὰ ὑπὸ ταύτης παρεγγυηθέντα, ὕστερον ἐπακριβοῦν, καὶ προσευρίσκειν, ἐν μὲν τισὶ θᾶττον, ἐν δὲ τισὶ βραδύτερον, &c. id eſt. *Porro autem exiſtimare oportet, naturam quoque multa & varia à rebus ipſis edoctam & coactam eſſe; rationem vero ea quæ ab illa ſibi mandata & tradita fuerunt, poſterius accuratiora & politiora reddidiſſe, & inventis addidiſſe, in nonnullis citius, in aliis tardius, &c.* Lamb.

1455. *Namque alid ex alio clareſcere corde videbant*] Legendum plane eſt,

Namque alid ex alio clareſcere corde videmus.

Eſt enim illius verſus confirmatio;

Sic unum quidquid paulatim protrahit ætas
In medium, &c.

Adde quod ad priores illos *terrigenas* pertinere non poteſt, quod ſequitur,

——— *ad ſummum donec* venere *cacumen.*

Ad nos itaque, atque adeo ad poſteros à nobis longiſſimis intervallis diſſitos pertinet. itaque *videmus*, non *videbant*. Præterea propoſitio eſt generalis, καὶ τὸ καθ' ὅλου illud *protrahit*; dicendum alioqui fuerat, *protraxit*. Deinde, quis affirmet τὰ πάντα in artibus eſſe jam ad ſummum perfectionis cacumen perducta? nil certe tale Epicurus, nil Lucretius, qui puſillus Epicurus eſt. Reſtat tamen tantillulum quiddam ſcrupuli circa *corde*, inquies. At ego te pro auctoritate abſolvo; ut enim dicimus, (ſaltem ita plerumque loqui Lucretium noſti,) *animo videre*, ratione videre &c. ut apud Saluſtium ac Ciceronem reperiri poteſt, *ſpes animi, judicium animi, metus animi*, & alia bene multa: ita *corde*, quod pro *animo* poſitum eſt, bene & ex veteris Latii palato poſitum eſt. Sed hæc emendationum non ſunt: ad τὸ ἐξηγητικὸν, non ad τὸ κριτικὸν pertinet. Faber. Alii, *Videbant:* imperitè. Creech.

QUòd à ℣. 56. ad ℣. 417. Solem, Terram, Mare, totam denique Mundi compagem nec ab æterno fuiſſe, nec in æternum duraturam aſſerit, id quidem piis omnibus & ſanis Philoſophis commune: Quòd verò veri-ſimilibus quibuſdam, veris autem multis firmiſque rationibus, probat, Illud ſanè Lucretio proprium videtur; Nec meliora unquam (ſemper excipio ſacras ſcripturas) argumenta invenies. Ideoque magis mirandum eſt, tam præclarum ingenium inſeruiſſe futiles iſtos verſus à ℣. 157. ad ℣. 236. quibus evincere conatur Mundum hunc à Deo

non

non fuiſſe factum : fingit enim Deum parcum nimis ſeu potiùs Malevolum, qui nihil noſtri cauſa, omnia vero ſui emolumenti intuitu agat. Qualem ſiquis pingat *Epicurum*, illum dicacis impudentiæ Poëta poſtularet. Deinde ſupponit omnem Dei æque ac Hominis notitiem à Simulachris dependere, At quis iſte Deus? non Ille quem percipit Mens humana, quem omnes Gentes agnoſcunt, & venerantur: Demum quis ferat illum culpas, quas vocat, Mundi enumerantem, falſo omnes, & vaniſſimè effictas? Hæccine verò vitia in novo & recenti mundo? Id quidem negat ipſe *Lucretius*, ideoque ineptè facit dum labes ruinaſque ædificii longa ætate dehiſcentis imputat Artifici.

A ℣. 417. ad ℣. 509. Mundi ortum deſcribit, qua deſcriptione nulla eſt apud Phyſiologos aut magis veriſimilis, aut magis venuſta: Gravitate ſua feruntur Atomi, concurrunt, inde reſiliunt, & pro varia ponderis ictuſque ratione in diverſa loca diſcedunt, ibique coaleſcunt.

Quoniam verò à ℣. 510. ad 770. non unam certamque cauſam motuum cæleſtium, Eclipſeων, Diei & Noctis &c. ea, qua Alii ſolent, pertinacia aſſignat, ideo quibuſdam videtur *fluctuare*; Ego verò contendo iſtam, quam vocant, conſtantiam in Epicureo Phyſiologo ridiculam fore, quippe omnia *Caſu* fieri pronuntiat, neque quis facilè deprehendat unam certamque cauſam, cum eadem phænòmena pluribus modis explicari poſſunt. Nec Ego quidem illi ſuccenſerem qui multas profert cauſas, dum inter eas vera certaque proponatur. De Solis, Lunæ, &c. magnitudine nihil addam, ſuprà enim monui iſtam opinionem plebeiam nimis eſſe, & ruſticam.

Lege quæ ſequuntur, & admirabilis ingenii tam vehementer delirantis miſerere, Ea autem eſt omnium, qui negant Providentiam, ſors; ut in Ethicis vana doceant, in Phyſicis abſurda; At verò *Primorum* Hominum indoles ea, quæ omnium barbararum gentium, & in *Terrigenis* Lucretii, Margaïtas, Braſilios, pleroſque Indiæ occidentalis populos agnoſces.

LIBRI QUINTI FINIS.

LIBRI SEXTI
ARGUMENTUM.

P*Rimi* 41. *Verſus continent Epicuri Athenienſis laudes, Sequitur ad v.* 95., *quam ab Epicureo Philoſopho expectes, argumenti hujus libri explicatio: Et de Meteoris dicturo primum occurrunt* Tonitru, Fulgur, Fulmen, *de quibus diligenter diſputat; & demum iſtos deridet qui neglectis cauſis naturalibus ipſum Jovem fulmina jaculari exiſtimant, ad v.* 421. *His ſubjungitur (Nam Preſter Fulmini affinis) v.* 48. *Preſteris brevis explicatio. Deinde à v.* 450. *ad v* 533. *multa de Nubibus & Pluvia; Pauca de Iride, de Nive, Vento, Grandine, Pruina, & Gelu. Si Terræmotus cauſas velis cognoſcere à v.* 534. *ad* 606. *habes fuſe explicatas. A v.* 606. *ad v.* 638. *de Mari Poëta diſſerit. Ad v* 710. *de Ætna. Sequentes* 30. *v. Nilo deſtinantur. Deinde à v.* 740. *ad v.* 840. *de Avernis, aliiſque Terræ tractibus, Hominibus, Cervis, Corvis, Equis &c. noxiis diſputatur. Ad v.* 905. *de Puteis, variiſque admirandis Fontibus. Et ad v.* 1087. *Magnes diligenter explicatur. Poſtremo de Morbis & Peſte quædam, quibus ſubjungit elegantem deſcriptionem Peſtis illius, quæ tempore belli Peloponneſiaci Athenas vaſtavit, è Thucydide deſumtam.*

T. LU-



Frans van Mieris inv. et delin. VI. *I. Wandelaar fecit.*

T. LUCRETII CARI DE RERUM NATURA

LIBER SEXTUS.

PRimae frugiferos faetus mortalibus aegris
Dididerunt quondam praeclaro nomine Athenae:
Et recreaverunt vitam, Legeſque rogârunt:
Et primae dederunt ſolatia dulcia vitae,

Quom

INTERPRETATIO.

Athenæ olim fama nobiles primæ dederunt Hominibus miſeris & ſalubri victu deſtitutis fruges; & fecerunt inſtitutis legibus ut vitam vi & injuriis olim oppreſſam tuto agerent Homines: Primæ etiam dulcia vitæ ſolatia dederunt, (fecerunt ut vitam ageremus tranquillam & beatam)

VARIÆ LECTIONES.

1. *frugiferos.* frugiparos fætus V. Y. Z.
2. *Dididerunt.* Dii dederunt Q1. X. Y. dediderunt Z.

NOTÆ.

1. P*Rimæ frugiferos*] Sic M. Tull. Orat. pro Flacco: *Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omneis terras diſtributæ putantur.* Et Iſocrates Panegyr. & Ariſtides Smyrn. in Panath. quorum verba longum ſit hic referre. & Diodorus Siculus lib. 13. his verbis: Καὶ γὰρ εἴ τινων ἄλλων, Ἀθηναίων ἄξιόν ἐστιν ἐντραπῆναι μετὰ τὸ τῆς πόλεως ἀξίωμα χάριν δ' αὐτοῖς ἀπομερίσαι τῶν εἰς ἄνθρωπον εὐεργετημάτων. οὗτοι γάρ εἰσιν οἱ πρῶτοι τροφῆς ἡμέρου τοῖς Ἕλλησι μεταδόντες, ἣν ἰδίᾳ παρὰ θεῶν λαβόντες, τῇ χρείᾳ κοινὴν ἐποίησαν. οὗτοι νόμους εὗρον, δι' οὓς ὁ κοινὸς βίος ἐκ τῆς ἀγρίας καὶ ἀδίκου ζωῆς εἰς ἥμερον καὶ δικαίαν ἐλήλυθε συμβίωσιν. id eſt, *Etenim ſi quorum aliorum, Athenienſium civitatis dignitatem par eſt colere & vereri, iiſque beneficiorum quæ in homines contulerunt, gratiam referre. hi enim ſunt, qui primi victum manſuetum & civilem hominibus impertiverunt, quem proprie & privatim à Diis conſecuti, uſu cum omnibus communicarunt. hi leges invenerunt, quibus vita communis ex vitæ cultu agreſti atque injuſto ad hunc humanum ac juſtum convictum pervenit.* LAMB.

1. *Frugiferos*] Quidam libri habent *frugiparos.* LAMB. & GIFAN. *Primæ*, Athenæ Tritici, Olei &c. inventrices, nil tritum magis. FABER. & CREECH.

1. *Mortalibus ægris*] Hanc verſus clauſulam mu-

Quom genuêre Virum tali cum corde repertum,

Omnia

INTERPRETATIO.

eum produxerunt Hominem adeo inſigniter ſapientem,

NOTÆ.

mutuatus eſt pluribus locis Virgil. ut Georg. 1: 238.

——— ——— duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ Divûm.

& lib. 2. Æneid. 268.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit. Lamb.

2. *Dididerunt*] Diſtribuerunt. Lamb.

2. *Præclaro nomine Athenæ*] Μεγαλώνυμοι. Lambin.

3. *Rogarunt*] Tulerunt. Natum ex conſuetudine Rom. Nam qui legem aliquam novam ferebant, populum *rogabant*, vellentne eam legem, cujus auctores eſſent, valere. Lamb.

4. *Et primæ dederunt*] Videtur legendum, *At primæ dederunt*, &c. Hoc ſenſu, Athenas quidem multa generi humano bona feciſſe inventis frugibus, excultis artibus, humanitate, doctrina, legibus, atque aliis rebus pæne infinitis: *At* multo etiam melius de hominibus meritas eſſe, cum Epicurum protulerunt. Faber. Iſta obſervatione potuimus carere. Creech.

5. *Quom genuere Virum*] Epicurum: erat enim Athenienſis, Neoclis & Chæreſtratæ filius, ἐκ δήμου Γαργηττίου. Lamb.

5. *Tali cum corde*] Tali ſapientia præditum. *tali* emphaticῶς. Lamb.

6. *Omnia veridico qui quondam*] Sic ſupra procemio lib. 3: 1. laudat Epicurum:

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuiſti, inluſtrans commoda vitæ,
Te ſequor, ô Graiæ gentis decus, &c.

Cum haberet autem hoc Epicurus, quod ſe unum, verum vidiſſe, maximis erroribus animos hominum liberaſſe gloriaretur, ceteros cæcos fuiſſe diceret: tum Epicurei unum Epicurum laudabant, ceteros contemnebant. Sed hanc Epicuri arrogantiam, ceteramque ejus inſcitiam atque inſcientiam multis verbis, iiſque aculeatiſſimis, exagitat Cleomedes lib. 2. κυκλικ. θεωρ. quo loco de Sole & ejus magnitudine diſſerit, & Epicurum refellit, qui dicebat, ſolem pedali magnitudine conſtare, & eum occidentem, exſtingui; orientem, iterum accendi. Sic igitur Cleomedes: Ἀλλὰ γὰρ ἐν ταῖς τῶν ὅλων ἀρχαῖς, καὶ τῷ περὶ τέλους λόγῳ, καὶ ἐν τοῖς ἠθικοῖς τοιοῦτος καὶ ἐν τοῖς ἀστρολογουμένοις, καὶ ἐν τῷ κατὰ τὰς φαντασίας τόπῳ, καὶ τὸ σύνολον ἐν παντὶ σκέμματι κατὰ πολὺ τῶν ἀσπαλάκων τυφλότερος. καὶ οὐδέν γε θαυμαστόν. οὐ γάρ, μὰ Δία, φιληδόνων ἀνθρώπων ἐστὶν ἀνευρεῖν τὴν ἐν τοῖς οὖσιν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἀνδρῶν πρὸς ἀρετὴν πεφυκότων, καὶ μηδὲν ταύτης ἐπίπροσθεν ποιουμένων, ἀλλ' οὐχὶ σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα ἀγαπώντων, καὶ τὸ περὶ ταύτην πιστὸν ἔλπισμα. Οἱ μὲν οὖν παλαιότεροι ἐξεκήρυσσον ἐκ τῶν πόλεων καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς αἱρέσεως καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν συγγραμμάτων, λύμην καὶ διαφθορὰν εἶναι ὑπολαμβάνοντες τὰ ἐπὶ τοσοῦτον καὶ τυφλότητος καὶ ἀναιδείας ἥκοντα τῶν δογμάτων. Οἱ δὲ νῦν, ἅτε (οἶμαι) ὑπὸ τρυφῆς καὶ μαλακίας ἐκλελυμένοι, ἐπὶ τοσοῦτον ἐκτετιμήκασι τοὺς ἀπὸ τῆς αἱρέσεως καὶ αὐτὰ τὰ συγγράμματα, ὥς τε κινδυνεύουσι μᾶλλον Ἐπίκουρον, καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς αἱρέσεως, ἀληθῆ λέγειν βούλεσθαι, ἢ θεοὺς καὶ πρόνοιαν ἐν τοῖς ὅλοις εἶναι. καὶ ἔνιοί γε κἂν εὔξαιντο αὐτῶν μᾶλλον ἀπολέσθαι τὴν πρόνοιαν, ἢ Ἐπίκουρον λέγοντα ψευδῆ ἐλεγχθῆναι. οὕτως ἀθλίως διάκεινται, καὶ ἐπὶ τοσοῦτον ἐξήρτηνται τῆς ἡδονῆς, ὡς καὶ τὸν βίον μᾶλλον ἀσπάζεσθαι, &c. Hæc autem mox Latinè interpretabor. Sequitur aliquot verſibus poſt, nempe poſteaquam refutavit illam ejus opinionem, ſolem exſtingui, cum occidit, accendi, cum exoritur: Ταῦτα καὶ ἱερὰ Ἐπικούρου σοφία ἐξεῦρεν. ἀλλά, νὴ Δία, τῷ Ὁμηρικῷ Θερσίτῃ ἔπεισί μοι αὐτὸν ἀπεικάζειν. ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνος, κάκιστος ἐν στρατεύματι τῶν Ἀχαιῶν γενόμενος (ὡς καὶ αὐτός φησιν ὁ ποιητής, καὶ τὸν Ὀδυσσέα λέγοντα πεποίηκεν, αὐτὸς μὲν εἰπών,

Αἴσχιστος δ' ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε,

καὶ τὰ ἑξῆς· τὸν Ὀδυσσέα δὲ πεποίηκεν λέγοντα πρὸς αὐτόν,

Οὐ γὰρ ἐγὼ σέο φημὶ χερειότερον βροτὸν ἄλλον
Ἔμμεναι)

ἀλλ' ὅμως καὶ τοιοῦτος ὤν, οὐκ ἄγει τὴν ἡσυχίαν, ἀλλὰ πρῶτον μὲν τοῖς βασιλεῦσι διαπληκτίζεται ἀλαζονευόμενος, ὡς δὴ καὶ αὐτὸς σεμνός τις ὤν· ἔπειτα καὶ ἐν τοῖς ἀριστεῦσιν ἑαυτὸν καταξιόσειν τολμᾷ, λέγων,

——— ——— ——— ἅς τοι Ἀχαιοὶ
Πρωτίστῳ δίδομεν, εὖτ' ἂν πτολίεθρον ἕλωμεν.

καὶ τό,

Ὅν κεν ἐγὼ δήσας ἀγάγω, ἢ ἄλλος Ἀχαιῶν·

ὅτω

Omnia veridico qui quondam ex ore profudit:

Quojus

INTERPRETATIO.

Qui quondam rerum Naturam explicuit, veramque Vitæ rationem docuit;

NOTÆ.

οὕτω καὶ Ἐπίκουρος, ὡς δῆλος ὤν, ἀλαζονεύεται, ἑαυτὸν ἐν τοῖς φιλοσόφοις καταριθμεῖσθαι ἀξιῶν· καὶ οὐ μόνον γε, ἀλλὰ καὶ τὰ πρωτεῖα φέρεσθαι διαβεβαιούμενος, καὶ ταύτῃ γε καὶ τοῦ Θερσίτου θρασύτερον ἑαυτὸν ἀποφαίνων. ἐκεῖνος μὲν γὰρ μόνον, ὡς ἀριστεὺς καὶ ἴσος τοῖς Βασιλεῦσιν, ἀλαζονεύεται, οὐκέτι δὲ καὶ τὰ πρωτεῖα ἀπονέμει ἑαυτῷ· οὗτος δὲ ὑπὸ πολλῆς τῆς σοφίας καὶ ἐπιστήμης, μόνος εὑρηκέναι τὴν ἀλήθειαν διαβεβαιοῦται, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰ πρωτεῖα φέρεσθαι ἀξιοῖ. ὥς τε πολὺ ἄν τις δικαιότερον μοὶ δοκεῖ πρὸς αὐτὸν εἰπεῖν,

Θερσίτ᾽ ἀκριτόμυθε, λιγύς περ ἐὼν ἀγορητής,
Ἴσχεο.

οὐδὲ γὰρ λιγυρὸν ἔγωγε τοῦτον αὐτὸν Θερσίτην, καθάπερ ὁ Ὀδυσσεὺς ἐκεῖνον, εἴποιμι, &c. Sequitur, paucis interpoſitis, quæ ego prætermitto: Ἀλλ᾽ ὅμως τοιοῦτος καὶ ἐν τοῖς λόγοις, καὶ ἐν τοῖς δόγμασιν ὤν, οὐκ αἰσχύνεται ἑαυτὸν ἐντάσσειν εἰς τὴν τοῦ Πυθαγόρου, καὶ Ἡρακλείτου, καὶ Σωκράτους χώραν, καὶ τὴν πρώτην ἐν αὐτοῖς τάξιν ἔχειν ἀξιοῦν. ὃ ὁμοιότατον, ὡς εἰ ἐν τοῖς ἱεροφάνταις καὶ ἀρχιερεῦσιν οἱ ἱερόσυλοι ἑαυτοὺς κατατάξειν ἐπιχειροῖεν, τὴν πρώτην ἐν αὐτοῖς τάξιν ἔχειν ἀξιοῦντες. ἢ εἴ τις Σαρδανάπαλον ἐπινοήσειε περὶ καρτερίας τῷ Ἡρακλεῖ συγκρίνεσθαι ἐπιχειροῦντα, καὶ ἐφαπτόμενον τοῦ ῥοπάλου καὶ τῆς λεοντῆς, καὶ λέγοντα πρὸς αὐτόν, Ὡς ἐγὼ τούτων ἀξιώτερος. οὐκ ἀποφθερῇ, κακὸν κάθαρμα, ἐπὶ τοὺς κροκωτοὺς καὶ τὰς παλλακίδας, μεθ᾽ ὧν ἐπὶ ταῖς κλίναις διημερεύεις, ποτὲ μὲν πορφύραν ξαίνων, ἄλλοτε δὲ στεφάνοις ἀναδούμενος, ἔστιν ὅτε καὶ τὰ ὄμματα ἐντριβόμενος, ἢ καὶ ἐν πολλῇ καὶ ἀσχήμονι μέθῃ καταυλούμενος, καὶ λοιπὸν τὰ τούτοις ἑπόμενα πράσσων, καθάπερ τις σκώληξ ἐν πάνυ πονηρῷ τε καὶ κοπρώδει βορβόρῳ κυλινδούμενος; οὐ καὶ σὺ οὖν, ὦ θρασυτάτη καὶ ἀναισχυντοτάτη κεφαλή, ἐκ φιλοσοφίας ἀποφθαρεὶς οἰχήσῃ ἐπὶ Λεόντιον καὶ Φιλαινίδα, καὶ τὰς ἄλλας ἑταίρας, καὶ τὰ ἱερὰ ἀνακραυγάσματα, μετὰ Μινδυρίδου καὶ Σαρδαναπάλου, καὶ μετὰ πάντων τῶν σαυτοῦ θιασωτῶν; οὐκ οἶσθα, ὅτι ἡ φιλοσοφία Ἡρακλέας καὶ ἄνδρας Ἡρακλείους καλεῖ, οὐχί, μὰ Δία, κιναίδους καὶ ἡδονήν, &c. Quæ ſic interpretor, ducto à primis initio. *At enim in principiis ſummæ ſummarum, & diſputatione de finibus bonorum & malorum, & in moralibus talis eſt, & in iis quæ ad aſtrologiam pertinent, & in eo loco ubi de viſionibus diſſerit, & omnino in omni quæſtione, & ratione, multo talpis cæcior eſt. neque vero mirum. Non eſt enim profecto hominum voluptariorum veritatem in iis quæ ſunt, reperire, ſed virorum ad veritatem natura factorum, nihilque hac antiquius habentium, & non eorum qui ſummum bonum firma corporis conſtitutione, ejuſque ſpe explorata definiri & contineri dicunt. Antiqui igitur edicto publico ex urbibus exterminabant eos, & qui hanc ſectam ſequerentur, & qui talia ſcripta probarent, ad peſtem & interitum valere exiſtimantes tanta cæcitatis & impudentiæ plena decreta. Qui autem hodie vivunt homines, utpote (opinor) luxu & mollitia encrvati, hujus ſectæ ſtudioſos tanti faciunt, eorumque ſcripta, ut videantur malle, Epicurum, & qui eum ſequuntur, vera dicere, quam Deos & providentiam in natura rerum eſſe. Et nonnullis ſane optabilius eſt providentiam ſuam interire, quam Epicurum mendacii convinci: ita ſunt infeliciter animati, & uſque adeo à voluptate ſuſpenſas habent omneis vitæ ſuæ rationes, ut ejus patronum omnibus rebus humanis habeant cariorem, &c.* Ταῦτα καὶ ἱερὰ, &c. id eſt. *Hæc & ſacra Epicuri ſapientia reperit. At videlicet mihi venit in mentem, eum cum Therſite Homerico comparare. Quemadmodum enim ille, cum in exercitu Græcorum deterrimus fuiſſet, (ut & ipſe poëta dicit, & Ulyſſem dicentem fecit: ipſe quidem his verbis,*

Grajorum venit Trojam turpiſſimus ille,

& quæ deinceps ſequuntur: Ulyſſem vero hæc ei dicentem fecit,

Namque alium quemquam mortalem deteriorem
Te eſſe nego)

veruntamen, quamvis talis ſit, non quieſcit: ſed primum quidem cum regibus rixatur & contendit, multa ſibi arrogans, quaſi ipſe magnificus quidam vir ſit: deinde inter optimateis ſe ipſe collocare audet,

——— ——— ——— quas tibi Graji
Primo donamus, cum aliquam expugnavimus urbem:

& illud,

Quem aut ego captivum vinctis abduxero palmis,
Aut alius Grajorum aliquis:

Sic & Epicurus, tanquam aliquis ſit, de ſe inſolenter prædicat, ſeipſum in Philoſophis numerari poſtulans: neque hoc ſolum, ſed etiam primas parteis ſe ferre

Quojus & exſtincti propter divina reperta
Divolgata vetus, jam ad coelum Gloria fertur.

Nam

INTERPRETATIO.

Cujus jam Mortui fama, quam propter egregia inventa merebatur, olim per gentes omnes diffuſa adhuc vivit, & ad Cœlum tollitur.

VARIÆ LECTIONES.

7. *extincti.* exſtincta V. X.

NOTÆ.

ferre confirmans: atque hac ratione ſeipſe Therſita audaciorem declarans. Ille enim tantum ut optimis, & regibus æqualis, nimium ſibi arrogat, primas partes vero nequaquam jam etiam ſibi ipſe tribuit: At iſte multa ſapientia & ſcientia fretus, ſe ſolum veritatem reperiſſe aſſeverat, atque iccirco ſe principem locum obtinere, & primas parteis ferre poſtulat. Quare multo juſtius mihi videtur aliquis ei eſſe dicturus,

O, cujus, Therſita, modo, ordine, judicioque
Verba carent, quamvis Grajorum voce ſuavi,
Et clara orator clueas, finem face.

Neque enim iſtum voce clara & ſuavi præditum dixerim, ut illum Therſiten; &c. Ἀλλ᾽ ὅμως τοιοῦτος καὶ ἐν τοῖς λόγοις, &c. id eſt, *Verumtamen cum & in ſermonibus, & in decretis talis ſit, non pudet eum ſe in Pythagoræ, & Heracliti, & Socratis ordine collocare, atque adeo primam ſedem inter eos obtinere poſtulare; quod ſimillimum eſt, atque ſi ſacrilegi inter ſacerdotes & ſacrificorum principes locum obtinere conentur, primam in eis ſedem ſibi vindicantes: aut ſi quis Sardanapalum animo complectatur de tolerantia laborum cum Hercule contendere & comparari conantem, & clavam, leoniſque exuvium tractantem, eique dicentem, Ego his dignior ſum, quam tu. Non ibis in malam rem, ô ſcelerate? ad crocotas, & ad concubinas, quibuſcum in lectis totum diem conteres, modo lanam purpura tinctam trahens, modo corollis redimitus, nonnumquam etiam oculos habens fuligine & nigro colore obductos, aut etiam in multa & indecora ebrietate tibiarum cantu delinitus: ceterum quæ his ſunt conſentanea & conſequentia agens, ut vermis quidam in valde ſpurco & ſtercoris pleno cœno volutatus? non etiam tu, audaciſſimum & impudentiſſimum caput, à Philoſophia profugiens, ad Leontium, & Philænidem, & alias puellas impudicas ibis, & ad ſacros iſtos clamores, cum Mindurida, & Sardanapalo, & cum tuis omnibus ejuſdem ordinis & chori ſaltatoribus? neſcis, Philoſophiam Herculem & viros Herculeos ad ſe vocare, non mehercule cinædos & voluptati deditos homines?* Hactenus Cleomedes. Profert autem hunc Lucretii verſum Probus Grammaticus in Inſtitutis. Lamb.

6. *Veridico ex ore*] Ita omnino de Epicuro ſuo ſentiebant cultores *Horti*. Ita mox, *veridicis dictis* ℣. 23. Faber.

10. *Et, per quæ vitam poſſent conſiſtere tutam*] Interpres hunc verſ. delet. Exempla Gifanii ab hac ſignificatione ℥ *conſiſtere* prorſus aliena ſunt. Faber.

10. *Et per quæ poſſent*] Hic verſus hoc loco poni debet, nempe deinceps poſt verſum,

Nam cum vidit hic, &c.

ſi modò Lucretianus eſt. *conſiſtere*, autem, id eſt, *ſtatuere, & ſtabilire.* ſed quidam putant non eſſe Lucretianum, atque iccirco delendum cenſent: quibus planè aſſentior. Nam primum ſupervacaneus eſt, præſertim quo ordine vulgò legitur: deinde illud *vitam conſiſtere tutam*, concoquere non poſſum. Quin hoc contendo, Latinè dici non poſſe, *vitam tutam ſtabilire.* Nam *ſtabilire vitam*, valet per ſe *vitam tutam reddere.* Quod ſi *vitam tutam ſtabilire* ſolœcum eſt, ergo multo magis *vitam conſiſtere tutam:* in qua oratione volunt iſti, *conſiſtere* valere *ſtabilire & conſtituere.* quod ego tamen ante quemquam eorum ſic interpretatus ſum. poſtremò in lib. Florent. legitur *conciſcere.* adde quòd in Memmiano ſcriptum eſt,

Et per quam vitam poſſent conſiſtere tutam. Lamb.

Quidam hunc delent, male. Vide Indicem: *Conſiſtere.* Gifan. Delet *Lambinus*, quoniam *Vitam tutam conſiſtere* nullo modo dici poteſt: Et Exempla *Gifanii* ab hac ſignificatione ℥ *conſiſtere* pror-

Nam quom vidit Hic, ad victum quae flagitat uſus,
"Et, per quae poſſent vitam conſiſtere tutam,
Omnia jam ferme Mortalibus eſſe parata:

Divitiis

INTERPRETATIO.

Cum enim inſignis Hic Vir animadverterit omnia quæ ſunt ad Victum neceſſaria, omnia quibus Vita ſuſtentatur jamjam eſſe in Hominum poteſtate;

VARIÆ LECTIONES.

10. Hunc verſum delendum cenſet L. deeſt P. ſequenti poſtponit C. E. Q. Y. Z. *Et, per quæ.* Et proquam poſſent V. pro quæ Q. pro qua Q1. X. per quam Y. Z.

11. *ferme Mortalibus.* ferme a mortalibus V.

NOTÆ.

prorſus aliena eſſe rectè affirmat *Faber.* Vix tamen à me impetrare poſſum quin credam Lucretium ſcripſiſſe *conſiſtere*: Iſta enim vox *Epicuro* propria, qui ἡδονὴν καταστηματικὴν τοῦ σώματος, & non ſolùm ἡδονὴν ἐν τῇ κινήσει agnovit. Vide Epicuri Epiſt. ad Pythoclem. CREECH. *Conſiſtere*, Cum Gifanio facit Palm. in Spicileg. Tom. IV. pag. 797. in Face Crit. Imo & Voſſ. libro III. de Analog. pag. 15. & Turnebus ipſe, cujus hæc eſt Nota Adv. 2: 12. *Conſiſtere* a veteri ſcriptore nove uſurpatum eſt, pro *conſtituere* & reddere. ut & Terent. Phorm. Act. 1. Sc. 4:

Quam inſiſtam viam?

pro, quam *inſtituam* viam? ſcribit & Livius lib. I. ab Urbe Cond. *ſubſiſtere feras* pro excipere & ſuſtinere. *Conſiſtere* igitur dixit, ut ſi Græce καταστῆναι dixiſſet. Hæc Turnebus, cui adſentior. HAV.

11. *Omnia jam ferme mort.*] Detracto ſuperiore illo verſu, *Et per quæ poſſent*, &c. ſententia hujus loci, ab verſu 9.

Nam cum vidit hic, ad victum quæ fl. &c.

uſque ad verſum, *Veridicis igitur*, &c. hæc eſt: Nam cum vidit Epicurus, ea quæ ad victum cultumque neceſſaria ſunt hominibus, eſſe in promtu poſita & facilia: homines interdum divitiis, & honore, & gloria, & filiis probis ac piis excellere, neque minus tamen domi anxios eſſe, & ipſos ſibi diſplicere, & cum fortuna expoſtulare: intellexit, hoc vitium, atque hanc culpam ab animo proficiſci ægroto, & malè ſano. Quemadmodum enim vas, ſi non eſt ſincerum, quidquid in id infunditur, corrumpit: ſi pertuſum eſt, non poteſt continere: ita ſi animus non eſt purgatus & ſanus, nulla ſunt bona externa, quæ eum explere, quæve eum æquum reddere & oblectare poſſint. Juvabit repetere quæ poſita ſunt libro 2: 16.

——— ——— ——— ——— *nonne videre,*
Nil aliud ſibi naturam latrare, niſi ut, cum
Corpore ſejunctus dolor abſit, mente fruatur
Jucundo ſenſu, cura ſemota, metuque?
Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Eſſe opus omnino, quæ demant quemque dolorem.
Delicias quoque uti nullas, &c.

quibuſcum conſentanea ſunt illa ejuſdem Lucretii ex libro quinto 1116.

Quod ſi quis vera vitam ratione gubernet:
Divitiæ grandes homini ſunt, vivere parce
Æquo animo. neque enim eſt umquam penuria parvi.

Poſtremo traditum eſt, Epicurum parvo fuiſſe contentum, plurimaque de tenui victu ſcripſiſſe, ſæpeque habuiſſe in ore, exiguam fortunam intervenire ſapienti: omneis denique cupiditates ſupervacaneas, & neque naturaleis, neque neceſſarias, funditus ex animo ſapientis evelliſſe. LAMB.

11. *Parata*] Quaſi in medio poſita, & parabilia. natura enim res paratu difficileis & ſumtuoſas non deſiderat, ſed parabilibus contenta eſt. Sic Laërtius: καὶ τὸ τῆς φύσεως ἐπιλελογισμένος τέλος, καὶ τὸ μὲν τῶν ἀγαθῶν πέρας, ὡς ἔστιν εὐσυμπλήρωτόν τε καὶ εὐπόριστον, διαλαμβάνοντος· τὸ δὲ τῶν κακῶν, ὡς ἢ χρόνους, ἢ πόνους ἔχει. id eſt, *Et qui naturæ finem animo atque ratione comprehenderit, quique, dilectu habito, ſeu diſtinctione adhibita intelligat bonorum quidem extremum facile compleri, & parvo ſumtu parari poſſe:*

Divitiis homines, & Honore, & Laude potenteis
Adfluere; atque bona Natorum excellere fama:
Nec minus eſſe domi quoiquam tamen Anxia corda,
Atque animum infeſtis cogi ſervire querelis:
Intellexit, ibi vitium Vas efficere ipſum,

Omnia

INTERPRETATIO.

Homines divitiis, Honore, Fama abundare: Liberos etiam optimæ indolis & populi judicio probatos habere, at nihilominus anxietate turbari, ſemper queri ſuamque ſortem miſere lugere; ſubito intellexit Vas ipſum vitioſum eſſe,

VARIÆ LECTIONES.

13. *excellere.* excolere Q. Y. Z. extollere Q1. X.

14. *quoiquam.* quidquam tamen C. quicquam *Gaſſ. corda.* cordi X. Y. Z.

15. *Atque animum infeſtis cogi ſervire querelis* Paula atque infeſtis coget ſervire querellis K. P. a. i. coget (Q1. & inſerit) vexare querelis Q. Atque animi ingratis vitam vexare querelis C. E. N. P. Q. X. Y. Z. vexari curis V. *Poſt hunc inſeritur*: Cauſam, quæ infeſtis cogit ſervire querelis C. E. P. V. Pauſa, atque infeſtis coget &c. Y. Z. Plurima, quæ infeſtis cogant &c. H2.

16. *Intellexit.* Intellegit K. Y. Z. *Vas efficere.* fas efficere K.

NOTÆ.

malorum vero, longo tempore, & multo labore. Lamb.

14. *Nec minus eſſe domi quidquam tamen*] Nec tamen quidquam, id eſt, ulla ex parte, minus eſſe domi anxia eorum corda, &c. Sic autem legendum, non, ut vulgo, *quoiquam*, aut *cuiquam*. Si quis tamen malet legi *quoquam* in ſept. caſu, non pugnabo, ut *nec quoquam minus* dictum intelligamus pro *& nihilo minus.* quam ſententiam ea quoque ſcriptura, quam ſecuti ſumus, exprimit. nam *nec quidquam minus* idem eſt, atque id quod Græci dicunt, οὐδὲ ἓν ἔλαττον, hoc eſt, *& nihilo minus*, vel *nec ulla re minus.* Lamb.

15. *Atque animum infeſtis cogi ſervire querelis*] Hunc locum (abſit verbo invidia) perquam εὐστόχως reſtitui. Cum enim hîc ita in omnibus libris ſcriptum eſſet,

Atque animi ingratis vitam vexare querelis,
Cauſam quæ infeſtis cogit ſervire querelis,

niſi quod in nonnullis ſcriptis proximus ſic legitur,

Pauſa atque infeſtis, &c.

in Florent. autem ſic,

Plurima, quæ infeſtis, &c.

ego, qui animadverterim (quod antea admonui) ubicunque duo verſus, quorum alter alteri ſit proximus, eodem nomine finirentur, alterum ferè eſſe alienum & inculcatum: veram & rectam ſcripturam repoſui. cujus ſententiam, quamvis planiſſima ſit, mox exponam. Lamb. Egregia Lambini conjectura. In libris veteribus ita legitur:

Atque animi ingratis vitam vexare querelis
Cauſſam, quæ infeſtis cogit ſervire querelis.

Veteres quidam: *Pauſa atque infeſtis.* Gifan.

16. *Intellexit ibi vitium, &c.*] Ἀνταπόδοσις. Nam hic verſus pendet ab illo, qui eſt ſuprà ỳ. 9.

Nam cum vidit hic, &c.

ut ſit hæc totius hujus loci ſententia. Nam cum vidit Epicurus, ea ferè omnia quæ uſus & neceſſitas ad victum poſtulant, hominibus eſſe parata: homines, divites, honoratos, potenteis eſſe, liberoſque habere populi judicio probatos: neque ideo minus tamen quemquam eorum anxiè vivere: animumque ipſorum cogi ſervire & opprimi querelis moleſtiſſimis atque acerbiſſimis: tum intellexit, *vas ipſum*, hoc eſt animum, vitii

Omniaque illius vitio corrumpier intus,
Quae conlata foris & commoda cunque venirent,
Partim quod fluxum, pertuſumque eſſe videbat,
Ut nulla poſſet ratione explerier unquam:

Partim

INTERPRETATIO.

& illius vitio omnia quæ foris infundebantur commoda intus corrumpi; partim quod ſentiebat Vas illud perforatum & pertuſum eſſe, ita ut nulla unquam ratione impleri poſſit,

VARIÆ LECTIONES.

18. *foris.* foras Z.
20. *Ut.* In P.

NOTÆ.

tii cauſam eſſe, & omnia bona quæcumque extrinſecus & foris comportata & congeſta eſſent, illius vitio corrumpi. LAMB. Animum ipſum avarum, aut metu ſuperſtitioſo, opinione de Providentia & pœnis poſt mortem, tanquam tetro ſapore imbutum. CREECH.

18. *Conlata*] Id eſt, comportata. ſic enim Horat. Epiſt. 2. lib. 1.

—— —— valeat poſſeſſor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti LAMB.

Socratici verſus & βωφιλῆς, ſi qui alii unquam ſcripti fuere: utinam modo in animis omnium hominum ſcripti illi forent. Sed in illo, *Quæ conlata* —— vitium eſt à nemine unquam animadverſum, nedum emendatum ut fuerit. Corruptum eſſe facile ad probandum eſt. Quæ enim iſthæc oratio? [*Quæcumque conlata foris & commoda venirent?*] nemo non videat opus eſſe voce aliqua, cui cum τῷ *commoda* convenire poſſit: ſententia enim hujus loci, prout hactenus legitur, nulla eſſe omnino poteſt, niſi hæc, quam verborum ſeries poſtulat: Vas corrumpit quæcumque conlata & commoda veniunt. Sed *commodum* & *conlatum*, quid ſimile, aut affine inter ſe ſe habent? Itaque legi debet:

Quæ con grata foris & commoda cunque venirent.

Id eſt,

Quæcumque grata & commoda hinc illinc convenirent, &c.

Amat autem *tmeſes* Lucretius, uti infinita in omni genere exempla fidem abunde facere poſſunt; quamobrem ea tantum proferam, quæ circa præpoſitionem hanc memoria ſuppeditabit: alii alia congerent: In VI. 396.

An con brachia ſuefaciunt, *firmantque lacertos.*

Ibidem paulo poſt: 455.

Unde ea comprendunt inter ſe, con*que* gregantur.

In II. autem: 153.

Sed complexa meant inter ſe, con*que* globata.

In III. denique: 344.

Sed penitus pereunt inter ſe, con*que* putreſcunt.

FABER. Faber, *Quæ con grata foris:* Id eſt, *Quæcunque grata & commoda hinc illinc convenirent* &c. Amat autem *Tmeſes* Lucretius, ut infinita in omni genere exempla abunde fidem facere poſſunt. CREECH. Μέγα ἀίτημα quidem Fabri iſta emendatio eſt. Non enim tam perdite, opinor, tmeſes amavit Lucretius, ut & binas uno verſu uſurpare, & præpoſitionem *con*, plus unica interjecta voce, a verbo ſuo ſeparare unquam in animum ſuum induxerit. Recte alii, quos inter Annotator noſter marginalis, ad quæſtionem illam a Fabro motam; locum ita conſtruunt: *Et quæcunque commoda foris conlata venirent*. Sed delendum comma eſt poſt *foris*. Potuiſſet in eundem ſenſum:

Et conlata foris quæ commoda cunque venirent.

Verum alterum elegantiæ non inuſitatæ cauſa maluit. PREIG.

19. *Partim quod fluxum, pertuſumque*] Quale eſſe dolium Danai filiarum ferunt. ſup. lib. 3: 949.

Et non omnia pertuſum congeſta quaſi in vas
Commoda perfluxere, &c.

Quæ exſtant apud Feſtum de *dolio pertuſo*, mutilata ſunt. hæc tantum ſunt integra, *Pertuſum* do-

Partim quod tetro quaſi conſpurcare ſapore
Omnia cernebat, quaecunque receperat intus.
Veridicis igitur purgavit pectora dictis,
Et finem ſtatuit Cuppedinis atque Timoris,
Expoſuitque Bonum Summum, quo tendimus omnes,
Quid

INTERPRETATIO.

partim quod videbat tetro ſapore quaſi inficere & ingrata reddere omnia quæ infundebantur: Veridicis igitur dictis purgavit Hominum animos, quantum cuperent quantum timerent docuit, demonſtravit quid ſit illud Summum Bonum ad quod omnes tendimus,

VARIÆ LECTIONES.

22. *cernebat.* cernebant K.
24. *Cuppedinis.* cuppidinis K. torpedinis H. Z.

NOTÆ.

dolium dicitur, cum ventrem ſignificat. LAMB. Avarum vides. CREECH.

21. *Partim quod tætro*] Ordo & ſententia eſt: partim, quod cernebat, id vas ſuo tætro & immundo ſapore, ea omnia quæ receperat, *conſpurcare*, id eſt ſpurca & immunda reddere. Sic Horat. Epiſt. 2. lib. 1.

Sincerum eſt niſi vas, quodcumque infundis, aceſcit LAMB.

22. *Quæcumque receperat*] Poſt verbum *receperat*, diſtinctionis nota videtur ponenda, ut adverbium *intus* cohæreat cum infinitivo *conſpurcare.* alioqui aut legendum eſſet *receperat intro*, aut *intus* pro *intra* accipiendum: quod huic ſcriptori non eſſe inuſitatum, jam antè admonuimus. LAMB. *Quæcumque receperat intus*, Sic interpungendum. Lambinus, contra libros: *receperat, intus.* GIFAN.

23. *Veridicis igitur*] Sic ſupra non longè:

Omnia veridico qui quondam ex ore profudit.

Hunc verſum autem, & quattuor deinceps ſequenteis, profert Lactantius Firmianus libro 7. divin. inſt. LAMB.

24. *Et finem ſtatuit Cuppedinis*] Epicurus cupiditates neceſſitate & natura terminabat. eas autem, quæ neque naturales eſſent, neque neceſſariæ, dicebat eſſe infinitas, & ſtultis convenire. LAMBIN. Epicurus enim cupiditates neceſſitate & natura terminabat, Metuque Homines exſolvit, (id verò non minus ineptè quam improbè dictum) dum Providentiam, Religionemque ſuſtulit. CREECH.

24. *Atque Timoris*] Cum ſuſtulit omneis religiones, & immortalitatem animorum. Hæc enim docuit, Deos non eſſe timendos, ut qui non iraſcantur: & mortuos omni ſenſu carere, quippe cum homine mortuo ſenſus omnes exſtinguantur: in quibus tamen valde diſſentimus ab Epicuro. LAMB.

26. *Tramite prono*] Itinere facili & proclivi. ſecutus ſum autem nonnullos libros manuſcriptos. nam vulgatorum alii habent *tramite parvo*, alii *limite parvo.* quarum duarum lectionum eam quæ poſterior eſt, non improbo, ne alteram quidem damnare auſim. LAMB. Vulgati: *parvo.* Ita & variatum infra, ℣. 1030. In quibuſdam Vulgatis: *limite parvo.* GIFAN. Rectius forſan legeris *parvo*, quam *prono*, præter MSS. enim Lugd. Bat. ſuo item tempore ita legit Lactantius, qui Lucretianos hoſce verſus ad meliorem viæ Ducem accommodans lib. 7. cap. 27. ſic habet:

——— *Atque viam monſtravit tramite parvo:*
Qua poſſemus ad id recto concedere curſu

Non animadverterunt autem Interpretes alluſiſſe Poëtam noſtrum ad literam Pythagoricam, ejuſque acuminis imitatorem exſtitiſſe poſtea Perſium, qui duobus in locis hoſce quaſi verſus explicat. Prior eſt Sat. 3: 56.

En tibi quæ Samios diduxit littera ramos,
Surgentem dextro monſtravit limite callem.

Poſterior exſtat Sat. 5: 34.

Quumque iter ambiguum eſt, & vitæ neſcius error
Deducit trepidas ramoſa in compita mentes.

Oppo-

Quid foret, atque viam monſtravit tramite prono,
Qua poſſemus ad id recto contendere curſu:
Quidve Mali foret in rebus mortalibus paſſim,
Quod flueret Fortunai varieque volaret

Seu

INTERPRETATIO.

rectam inſuper facilemque viam qua ad illud recto curſu contendere poſſemus; Quid denique mali foret in rebus mortalibus, quod vel caſu vel vi naturæ,

VARIÆ LECTIONES.

26. *tramite prono.* tramite parvo E. P. Q1. X. Y. Z. pravo K. limite prono H2.
27. *recto.* recta Z. *contendere.* concedere curſu C. E. N.
29. *Quod flueret Fortunai.* Quod fieret K. quod fuerit fortunai V. quod flueret naturali X. Y. Z. naturali viro atque veniret C. D. E. N. P. Q1. Naturæ vi *Lamb* naturai, varieque A. B. Totum verſum deleri vult *Creech.* flueret permananter, *vel* permutatim F.

NOTÆ.

Opponit enim Pythagoricam atque Epicuream doctrinam Lucretius, & hanc veriorem virtutis ſummique boni viam inveniſſe gloriatur. Spernenda inſuper mox haud eſt MSS. L. B. lectio *rectà contendere curſu*, quæ neſcio quid habet adblandiens. HAV.

27. *Recto contendere curſu*] Κατ' εὐθεῖαν, κατ' εὐθυωρίαν, non per ambages, mæandros, & flexiones. LAMB.

29. *Quod flueret naturai, varieque volaret; Seu &c.*] Ita hunc locum ex veteribus libris reſtitui. Ex *naturali*, quod in veteribus libris eſt, feci: *naturai.* Vide & ſupra, lib. IV. ℣. 77. In quibuſdam libris: *fuerit;* ut etiam legi poſſet: *fueret.* Ego nihil muto. Alii hunc locum violarunt. GIFAN. *Quod flueret naturæ vi*] Cum in cod. Vaticano, Bertiniano, & Memmiano, ſcriptum reperiſſem,

Quod flueret naturali, varieque volaret:

ego *naturæ vi* repoſui, in ceteris codices manuſcriptos ſecutus ſum. vulgati habent,

Quod flueret naturali viro, atque veniret.

Zoilus legit hoc modo,

Quod flueret naturaï, varieque volaret.

quæ lectio neque ullo modo ferri, neque à quoquam explicari poteſt, niſi ab eo qui mentis ſtupore Zoili ſit ſimillimus. LAMB. MSS. habebant *naturali*, unde nulla omnino ſententia educi poterat; itaque legendum putavit Lambinus, *naturæ vi*; id quod ſenſum certe aliquem habere poteſt; quanquam, ut mox videbimus, aliud quærendum fuerat. Giſanius autem plane admirabilis eſt, & lemniſcatis corollis digniſſimus. En tibi hominis ingenioſi & acuti verba: [*Ità hunc locum reſtitui: ex* naturali, *quod in veter. lib. eſt, feci* naturai, &c. *alii locum hunc violarunt*] Quid tandem, Lector, tibi ne apertior & dilucidior videtur? Mihi certe non item. Quin & lectionem illam qui intellexit, is plane imperitiſſimus ſit, vel amens neceſſe eſt. Et tamen quaſi res in vado conſtituta fuerit, exultat Giſanius, *alii hunc locum violarunt*, inquit. Papæ! Magnam vero pugnam pugnavit; ex *naturali*, quod antea nequibat intelligi, fecit *naturai*, quod intelligi itidem nequeat. Facinus hercle fecit omnium Giſanianorum teſtulis dignum. Sed ad Lucretii mentem aditum tentemus; ratio fortaſſe conatum noſtrum adjutabit: Sic igitur proponit & partitur Poëta: *Quidquid mali eſt in rebus mortalibus, id omne vel à caſu eſt vel à natura profluit; &, quantacumque malorum, cladium, calamitatumque agmina percenſeas, ea nuſquam referenda fuerint, quam ad illa duo capita. Nam præter caſum & naturam, quo confugies alio? quid erit tertium?* Deus, inquies; ſed nihil ad Epicurum: Epicuri deus, ut ingenioſe bis terve à Tertulliano dictum fuit, *pæne nemo eſt.* Hinc itaque jam intelligis Clariſſimi Lambini emendationem ſtare haudquaquam poſſe. Dein, quod perquam foret vitioſum, in hoc ipſo verſu diceret Lucretius, quod in ſequenti tantum dici debuit,

Seu

Seu Caſu, ſeu Vi, quod ſic Natura parâſſet:
Et quibus è portis occurri quoique deceret:
At genus Humanum fruſtra plerumque probavit
Volvere curarum triſteis in pectore fluctus.
  Nam veluti Pueri trepidant, atque omnia caecis
In tenebris metuunt: ſic Nos in luce timemus

Inter-

INTERPRETATIO.

prout Leges naturæ varie conſtituerant accideret, impetumque faceret; & è quibus portis, & quo modo cuique malo deberet occurri; & probavit Homines plerumque fruſtra volvere in pectore triſtes curarum fluctus. Nam ut Pueri trepidant, & omnia metuunt in tenebris, ſic nos in luce timemus ea,

VARIÆ LECTIONES.

30. *ſic Natura.* ſignatura Y. Z.
31. *Et quibus è portis.* E quibus & portis X.
32. *At* Et Vulgati.
33. *Volvere.* Volnere Y. Z.

NOTÆ.

Seu caſu, ſeu vi, quod ſic natura paraſſet.

Sed cur ea mala, quæ naturalia ſint, vi fieri dicit? Nimirum lex naturæ, neceſſitas naturæ, fœdera naturæ, vis eſt, quam eluctari, quamque eludere non poſſis; Itaque ſcribit, *vi, quod ſic natura paraſſet*; quia nempe ita res noſtræ à natura comparatæ fuerunt, ut multa humani generis conditioni annexa incommoda ſint, &c. Quamobrem nec *naturali*, nec *naturæ vi*, nec Giſanianum *naturai*, locum habere ullum in priori verſu poteſt. Legendum autem arbitror, conjectura neque ſocordi, neque aliena à mente & ſcribendi ratione Lucretiana,

Quod flueret permananter, *varieque volaret*,

quale illud in VI. 916. eſt huic dicendi generi plane ſimile,

Uſque adeo permananter *vis* pervolat *ejus.*

Vides, *pervolat permananter*, hic autem, *fluit permananter*, & *varie volat*. Niſi autem mihi ſatis placeret hæc emendatio, aliam quoque Lucretiano ſtylo conformatam facile proponerem; ſed haud neceſſe eſt, niſi tamen me illius non pœnitet:

Et flueret permutatim, *varieque volaret.*

Sic Horatius de Fortuna,

Permutat *incertos honores*
Nunc mihi nunc alii benigna.

Permutatim, certe non minus de natura dici poſſet quam de caſu: Nam permutatim & varie morbi, dolores, obitus, &c. modo ad hunc, modo ad illum adeunt, uti exilia, repulſas & clades ſolet caſus modo in hos, modo in alios immittere. Fab. Lamb. *naturæ vi* Codd. enim *Quod flueret naturali:* Giſanius, Quod *flueret naturaï*, Alii *Quod flueret naturali viro atque veniret* Faber denique: „Sic proponit & paritur Poëta„ &c. Hæc quidem acutè *Faber*, ſi opus foret iſto acumine. E quonam Codice *Permananter*, vel *Permutatim* effingi poteſt; Igitur deleatur iſte verſus, & ſanè abeſſe poteſt, aut admittatur Lambini *Naturæ vi*, Lucretius enim ſolet alio verſu explicare quod in priori obſcurius dixerat, ita *Varie volaret* voce *Caſu* exponit, *Naturæ vi*, iſtis vocibus *Vi, quod ſic Natura parâſſet.* Creech. Senſum planum, perſpicuum, & quod caput rei eſt, Lucretio dignum ſuppeditabit, niſi vehementer fallor, id quod in Variantibus Lectionibus, Iſ. Voſſio acceptum referri videmus: *Quod fuerit fortunai*, pro quo Notulæ noſtræ marginales: *Quod foret fortunai*, addita tamen explicatione, quæ nihil ad rem facit; nempe: *Malum, quod feret caſu Fortunæ, vel vi naturæ.* Scribo, & diſtinguo:

Quod flueret Fortunai varieque volaret
Seu Caſu, ſeu Vi, quod ſic Natura paraſſet.

Ut

Interdum, nihilo quae ſunt metuenda magis, quam
Quae Pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebraſque neceſſe eſt
Non radii Solis, nec lucida tela diei
Diſcutiant, ſed Naturae ſpecies, Ratioque:
Quo magis inceptum pergam pertexere dictis.

Et

INTERPRETATIO.

quæ interdum non ſunt magis metuenda, quam quæ Pueri in tenebris metuunt, & imaginantur futura. Hos igitur terrores tenebraſque quæ mentem obſident, non radii Solis aut Diei ſplendor diſſipabit, ſed contemplatio vel cognitio Naturæ, & vera Philoſophia. Eo igitur libentius inceptum opus carmine explicare pergam.

VARIÆ LECTIONES.

37. *finguntque.* fugiuntque Q.
38. *Hunc igitur.* Nunc igitur K.
39. *radii.* radiis Q1. X.

NOTÆ.

Ut ſit ſenſus: malum, quod ſeu caſu, ſeu vi Fortunæ flueret, varieque volaret, & inter mortales paſſim vagaretur, &c. Fortunam in rebus humanis Auctor ex hypotheſi fere facit dominari quoties bona malaque hominibus immittenda tangit, ita tamen, ut Naturæ eam tanquam ſubordinatam velit, aut Naturæ vices, ut ita dicam, ei tribuat. Hinc libri V. procemio, tantum non eodem Halitu, & *Naturæ* & *Fortunæ* in rebus moderamen agnoſcit, ubi poſtquam verſ 78. de Solis & Lunæ curſibus promiſit ſe expediturum, *qua vi* eos

——— ——— *flectat Natura gubernans.*

non dubitat verſ. 108. de Mundi ruina verba faciens, ſubjicere:

Quod procul a nobis flectat Fortuna gubernans.

Facit hic etiam, quod ſupra lib. III. ℣. 1098. & VI. 1094. *Fortunæ*, *caſus*, & *exitus* appellationes inter ſe permutat, & committit, nimirum de rebus adverſis ac triſtibus agens, *Naturæ* nullam mentionem injicit. In hoc vocabuli *Fortunæ* apud Noſtrum uſu defixus Claudianus, inſanam illam oppugnandæ Providentiæ in rebus humanis viam, ita deſcribit lib. I. in Ruffinum, ℣. 18.

——— *Vacuo, quæ currere ſemina motu*
Affirmat, magnumque novas per Inane figuras
Fortuna, non arte regi, &c. PREIG.

31. *Et quibus è portis*] E quibus viis. tralatio eſt à re militari, id eſt à portis urbium ſeu caſtrorum, ex quibus in hoſtem fit eruptio, quibuſque hoſti obviam itur. LAMBIN. FABER. & CREECH. Adnotat non diſſimile Græcorum adagium Turneb. Adv. 2: 12. Οὔτοι μὲν ὧν ὃ κατὰ θύρας πρὸς τὸ πρόβλημα ἀπαντῶσι. apud Ariſtot. lib. 4. ἀκροάσ. quod dici videtur de illis qui captantes aliquem, oblique adverſarium aggrediuntur. HAV.

32. *At genus*] Puto ita eſſe emendandum pro *Et genus*; neque aliter ſcripſiſſe Poëtam exiſtimo. Verum *Et* ex præcedentis verſus initio fecit ut *At* corrumperetur. Ita melius cohærebunt cum ſequentibus hi duo verſus. HAV.

33. *Volvere curarum triſteis*] Sic idem infra 73.

Conſtitues magnos irarum volvere fluctus.

quod mutuatus eſt Virgil. lib. 12. Æneid. 831.

Irarum tantos volvis ſub pectore fluctus. LAMB.

34. *Nam veluti*] Septem hi qui deinceps ſequuntur verſus, jam ante libr. 2. non longè à principio poſiti ſunt. LAMB.

38. *Hunc igitur terrorem*] Tres hi verſus ordine ſequentes, etiam lib. 1. uſurpati ſunt, ferè in principio. LAMB.

42. *Et quoniam docui, &c.*] Libro ſuperiore. LAMB. Hactenus *Epicuri* laudes: ſequitur ℣. 53. Argumenti hujus libri explicatio, Quippe poſt deſcriptum Mundi ortum, & Cæleſtes motus, de

Et quoniam docui, Mundi mortalia templa
Eſſe, & nativo conſiſtere corpore Coelum:
Et quaecunque in eo fiunt, fientque, neceſſe
Eſſe ea diſſolvi: Quae reſtant percipe porro.
Quandoquidem ſemel inſignem conſcendere currum
Vincendi ſpes hortata eſt, atque obvia curſu

Quae

INTERPRETATIO.

Et quoniam docui Templa Mundi, Cœlum, Mortalia eſſe, & è corpore nativo (quod olim compingebatur, & quod aliquando diſſolvetur) conſtare, & quæcunque in Cœlo fiunt, vel fient, neceſſe eſſe ea diſſolvi; quæ reſtant docenda jam accipe: (Quandoquidem ſpes vincendi me impulit inſignem currum conſcendere,

VARIÆ LECTIONES.

43. *Eſſe, & nativo conſiſtere corpore Cœlum.* E ſe nativo conſiſtere corpore, cœlum. V. Y. Z.

44. *fiunt, fientque, neceſſe.* fiunt, fierique neceſſe eſt. A. B. C. D. E. N. P. X. Y. Z. fientque neceſſe eſt I.

45. *Eſſe ea diſſolvi.* Pleraque diſſolvi A. B. C. D. E. I. N. P. Q. X. Y. Z.

47. *Vincendi ſpes hortata eſt, atque obvia curſu.* Hunc & duos ſequentes ſuppoſititios putat L. *At alii ſic legunt.* Ventorum exhortantur ſpes, atque obvia rurſum &c. *Scott. Obſ. Hum.* 2: 21. Votorum exhortantur ſpes; atque obvia rurſum C. E. H2. Ventorum exhortantur A. B. c. H. N. P. Ventorum circant placentur omnia rurſum K. Ventorum exhortat pellacia, & omnia rurſum V. vide *Non.* in *rurſus.* Exultant votorum ſpes P. *in not.* Ventorum exirtant placentur omnia (*ſed* Y. rurum) rurſum X. Y. Z. obvia rurſum D. N. P. Ventorum exutant (*exultant* Q2.) placentur (*ut* inſerit Q2.) omnia rurſum Q1.

NOTÆ.

Meteoris aget, atque aliis Naturæ admirandis, quorum cauſas dum Homines non intelligunt, illa Diis attribuunt, Inde Religio, Numinum metus, timor, ſolicitudo, Anxietas, Inde periit vera Pietas, & dominatur vana Superſtitio. Creech.

44 *In eo fientque, neceſſe Eſſe ea diſſolvi*] Alii, *Fierique neceſſe eſt, Pleraque diſſolvi:* Meræ Nugæ. Creech.

45. *Porro*] Porrotenus. Lamb.

46. *Quandoquidem ſemel*] Allegoria eſt ducta à certaminibus Circenſibus. Lamb.

47. *Vincendi exhortata eſt ſpes*] Cum in lib. Scipionis ſcriptum reperiſſem *Ventorum*, ut habent ferè omnes libri, cum litura: & ad oram libri adſcriptum *Vincendi:* in Memmiano autem *exſiſtat ſpes*; ſic repoſui, *Vincendi exhortata eſt ſpes*, ratione hanc ſcripturam flagitante. Nam primum *Ventorum* ab aliquo malevolo, aut ineptè religioſo, ſubſtitutum eſt: deinde ex *ventorum* factum eſt *votorum:* quod utrumque à ſententia alienum eſt: niſi quis dicat, per *ſpem votorum* ſignificari ſpem potiendi re optata: quod loquendi genus non videtur mihi Lucretio dignum. Jo. Auratus autem ex *venterum* faciebat *ventoſum*, ut cohæreat cum voce *currum:* quo epitheto etiam Horatius uſus eſt Epiſt. ad Auguſt. 2: 1: 177.

Quem tulit ad ſcenam ventoſo gloria curru:

totumque hunc locum ſic legendum cenſebat,

Quandoquidem ſemel haud ſegnis conſcendere currum
Ventoſum ſpes hortata eſt, atque obvia curſu
Quæ fuerant, ſunt placato converſa furore, &c.

Ego autem, ne quid diſſimulem, hos verſus puto eſſe ſuppoſitos. Confer autem cum hoc loco verſus qui ſunt infra ℣. 91. non longo poſt intervallo,

Tu mihi ſupremæ præſcripta ad candida calcis
Currenti, ſpatium præmonſtra callida Muſa, &c.
Te duce ut inſigni capiam cum laude coronam.

Lamb.

Quae fuerant, ſunt placato converſa furore.
Caetera, quae fieri in Terris, coeloque tuentur
Mortales, pavidis quom pendent mentibus, ſaepe
Efficiunt animos humileis formidine Divôm,
Depreſſoſque premunt ad terram, propterea quod
Ignorantia cauſarum conferre Deorum

Cogit

INTERPRETATIO.

& quæ olim obſtare curſui videbantur, jam poſito odio favent & incitant.) Reliqua quæ Homines vident in Terris Cœloque fieri, dum illa admirantur pavidi illorum cauſas ignorantes reddunt animos ſuos metu Deorum humiles, & abjectos; ad terram deprimunt, quoniam Ignorantia cauſarum cogit eos res omnes ad imperium Deorum

VARIÆ LECTIONES.

48. *fuerant.* fuerint X. Y. Z. *ſunt placato.* ſint placato C. E. K. N. P. Y. Z. ſint placito Q. *fuerant.* fuerunt P. fuerint Q. *furore.* converſa favore A. B. C. D. E. V. P. Q. X. Y. Z.

50. *mentibus.* motibus Q1. montibus Y. Z.

51. *Efficiunt.* Et faciunt K. O. P. Q1. V. X. Y. Z. *antiqua exempl.* P. *in not.* Efficiunt.

NOTÆ.

LAMB. *Ventorum exhortantur ſpes;* Ita omnes ferè libri veteres. Marullus, & Vulgati: *Votorum.* Lambinus: *Vincendi.* In quibuſdam libris: *Exſiſtat. Ventorum*; eorum, quæ conſequetur. GIFAN.

47. *Atque obvia curſu, &c.*] Allegoria eſt: & quandoquidem, quæ mihi obſtabant, ſunt converſa, furore ſedato ac propitiato, &c. vel, ſi legamus, ut habent libri ferè omnes,

——— *ſunt placato converſa favore,*

id eſt, ſunt converſa & mutata in favorem propitium. quidam vir doctus legendum putat,

——— *ſunt converſo placata favore.*

obvia curſu autem, id eſt *obvia curſui:* quod ſic Auratus emendavit. nam libri omnes habent *obvia rurſum.* Sic Virgil. lib. 6. Æneid. 465.

——— *teque adſpectu ne ſubtrahe noſtro.*

idem Georg. 4: 198.

Quod nec concubitu indulgent.

& Lucilius:

Quod ſumtum atque epulas victu præponis honeſto.

LAMB. *Atque obvia rurſum Quæ fuerant*, in quibuſdam: *fuerint.* Forte: *fuerent.* GIFAN. Lambinus hos tres verſus ſuppoſitos eſſe putavit. Illum vide; nam in MS. aliter leguntur; pro *vincendi*, ventorum. pro *curſu*, id eſt curſui, ibidem ſcribitur *rurſum.* FABER. Gifanius, *Ventorum* (eorum quæ conſequetur) *exhortantur ſpes.* Alii, *Votorum.* Alii, *Quandoquidem ſemel* haud ſegnis *conſcendere currum*

Ventoſum *ſpes hortata eſt, atque obvia curſu.*

Lambinus hos tres verſus ſuppoſititios putavit, Voſſius tandem ad Catullum p. 191. ſcribit

Quandoquidem ſemel inſignem conſcendere currum
Ventorum exhortat pellacia, & *omnia* rurſum
Quæ fuerant, ſunt placato converſa favore.

Currum, id eſt *Navim*, *Rurſum* ſive *Retro.* Forſan ita ſcripſit *Lucretius*, neque enim vox iſta *Currenti* ỳ. 92. obſtat, nam Horatii Mercator

Currit ad Indos,

Si tamen verior, non eſt luculentior quam illa altera Lambini lectio. CREECH. *Obvia curſu*, &c. Contrarium in Bruti ætate dolet Cicero in Bruto cap. 97. *Sed in te intuens Brute, doleo; Cujus in adoleſcentiam, per medias laudes, quaſi quadrigis vehentem, tranſverſa incurrit miſera fortuna Reipublicæ* Quem præclarum locum eo lubentius adduxi, quod ſtabilire vulgatam Lucretii lectionem videatur, ut non opus ſit in æquore periclitari. HAV.

51. *Efficiunt animos*] Hunc verſum, & partem ejus, qui deinceps ſequitur, profert Firmianus

 adver-

Cogit ad imperium res, & concedere regnum: &
Quorum operum cauſas nulla ratione videre
Poſſunt, haec fieri Divino numine rentur.
Nam bene qui didicêre Deos ſecurum agere aevôm:
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quaeque geri poſſint, praeſertim rebus in illis,
Quae ſupera caput aetheriis cernuntur in oris,
Rurſus in antiquas referuntur Relligiones,

Et

INTERPRETATIO.

conferre, & Diis rerum omnium regimen concedere; & illa quorum cauſas nulla ratione explicare poſſunt, a Deo fieri credunt. Nam qui ſatis edocti ſunt Deos tranquillam vitam agere, & æterno otio frui, ſi tamen interea mirentur qua ratione res quæque fieri poſſint, præſertim res illæ quæ in cœlis fieri cernuntur, in priſtinas Superſtitiones relabuntur,

VARIÆ LECTIONES.

54. *regnum: &.* regnum A. B. C. D. E. N. P. X. Y. Z.
56. *hæc fieri.* poſſunt, ac fieri A. B. D. E. N. Y. Z. has fieri P.
59. *poſſint.* poſſunt Q1.
60. *ſupera.* ſuper ad Y. Z. *ſed a ſec. manu.*

NOTÆ.

adverſus eos qui ſtatuas colunt & venerantur, lib. 2. cap. 3. divin. inſtit. *efficiunt humileis* autem, id eſt ταπεινοῦσι, ad terram abjiciunt. LAMB.

57. *Nam bene qui didicêre*] Hic verſus, cum octo deinceps ſequentibus, jam ante poſiti ſunt lib. 5. LAMB.

57. *Securum agere ævum*] Hunc verſum paullum immutatum mutuatus eſt Horat. lib. 1. ſerm. Sat. 5: 101.

Non ego: namque Deos didici ſecurum agere ævum.

LAMB. Tertull. de Anima cap. 46. *Vana in totum ſomnia Epicurus judicavit, liberans a negotiis Divinitatem, & diſſolvens ordinem rerum, & in paſſivitate omnia ſpargens, ut eventui expoſita, & fortuita.* HAV.

64. *Quid nequeat, &c.*] Hic verſus, & præterea is qui proximè ſequitur, libr. 1. poſitus eſt ferè in princip. & libr. 5. item in princip. Quoniam autem fugit me antea admonere lectorem, mihi aliquando viſum eſſe, & etiamnum videri, hunc verſum in omnibus locis ſic quoque legi poſſe,

Quanam ſit ratione, & quam alte terminus hærens:

vel ſic,

Quanam ſit ratione, utque alte terminus hærens:

id hoc loco præterire nolui. Nam quod quidam ſic legi volunt,

Quanam ſit ratione, utque alte terminus hæreat,

non probo. LAMB.

65. *Utque alte terminus hæreat*] Supra lib. 1. ℣. 78. GIFAN.

66. *Quo magis errantes tota regione*] Sic reſtitui: & ita ſine dubio legendum. ſic enim loquimur, *errare toto cælo, tota via.* jam *tota regione, & tota via*, idem valent. Sæpe autem animadverti, à librariis in voce *ratione* peccatum eſſe, cum *ratione* ſcriberent pro *regione.* ſi quis tamen malet legi *cæca ratione*, ut habent nonnulli codices, ut non probabo, ita non pugnabo. LAMB. *Cæca ratione feruntur*, Ita quidam libri. Alii plerique: *tota.* Lambinus. *regione.* GIFAN.

67. *Longeque remittis*] Et longè abs te rejicis ac repellis. Jo. Auratus vult legi *renutas*, ut cohæreat cum infinitivo *putare*, hoc modó:

——— ——— ——— longeque renutas
Diis indigna putare, &c. LAMB.

68. *Diis indigna putando*] Sic legendum, non, ut vulgò *putare:* ſive legamus *remittis*, ut habent

omnes

Et Dominos acreis adſciſcunt, omnia poſſe
Quos miſeri credunt, ignari quid queat eſſe,
Quid nequeat; finita poteſtas denique quoique
Quanam ſit ratione, atque alte terminus haerens.
Quo magis errantes tota regione feruntur.
  Quae niſi reſpuis ex animo, longeque remittis
Diis indigna putando, alienaque pacis eorum,
Delibata Deûm per te tibi numina ſancta

Saepe

INTERPRETATIO.

ſibique comparant acerbos dominos, quos omnia poſſe credunt miſeri, Ignari quid poſſit eſſe, quid non poſſit, qua etiam ratione cujuſque rei potentia finita eſt, & limites potentiæ cujuſque rei ſunt in ipſa rei natura fixi: quapropter magis errantes ineptiunt, aut delirant. Quæ omnia niſi ex animo reſpuis, longeque rejicis, dum de Diis indignas opiniones, & æternæ illorum tranquillitati parum convenientes foveas, Numina Deorum Sancta per Te delibata

VARIÆ LECTIONES.

62. *adſciſcunt.* addiſcunt Q.
63. *miſeri.* miſeris Q. Z.
65. *atque alte terminus hærens.* utque alte terminus hærent A. B. hæreat I.
66. *tota regione.* cæca ratione A. B. c. D. H1. I. P. Q1. X. Y. Z. tota ratione C. E. H2. Hunc verſum Parentheſi includit K.
68. *putando.* putare, alienaque C. E. N. P. X. Y. Z.
69. *Delibrata.* Delibata A. B. C. D. E. P. V. X. Deliberata Z. Deirata *Creech*, id eſt *valde irata. per te.* parte Q1. Q2.

NOTÆ.

omnes quos vidi libri: ſive *renutas*, ut vult Auratus: in quam lectionem propenſior ſum. nam *remittis* pro *rejicis* mihi videtur inſolens. LAMB. *Putando*, Vulgati: *putare.* GIFAN. Alii *Longeque renutas* vel *remittis Diis indigna putare.* Ego vero *Longeque remittis*, *Diis indigna putando* Neque ea qua Alii interpretatione uſus ſum. Heinſius autem *Putata.* CREECH.

68. *Alienaque pacis*] *Aliena* junxit cum patrio caſu. ſic lib. 3: 832.

Aut quia non veniunt omnino aliena ſalutis.

LAMB. Cicero quoque Acad. Quæſt. 1: 11. *Et uno nomine omnia, quæ eſſent aliena firmæ & conſtantis aſſenſionis, a virtute ſapientiaque removebat.* HAV.

69. *Delibrata*] Cum in aliquot libris manuſcriptis reperiſſem ſcriptum *deliberata*, ego *delibrata* repoſui: quod interpretor *deminuta, & violata, & quaſi detrita*, *delibrare* enim valet *corticem detrahere*, ut ſupra ex Feſto diximus, lib. 3: 1100.

Nec prorſum vitam ducendo demimus hilum
Tempore de mortis, nec delibrare valemus.

niſi quis malit legi & hîc *delimata*, & illic *nec delimare valemus.* ne *delibata* quidem improbo, ut ſit tralatio à vino libato & delibato: quod libando deminutum eſſe intelligitur. LAMB. *Delibata*, Ita omnes libri. Lambinus: *Delibrata*; male. Quidam libri: *Deliberata*; male. *Delibata.* deminuta, violata; ut proximo verſu. GIFAN. Malim *delibata*, deminuta. FABER. An *Delibrata* legi debeat certent Lambinus & Gifanius, dum neutra Vox ferri poteſt. Lege autem *Deirata*, valdè irata, iſtamque emendationem illi qui ſequuntur verſus confirmant. CREECH. Illa ipſa Numina, quæ tu vano metu tibi ipſi irata fingis, delibata quaſi illorum majeſtate. Recte enim præter alios explicat Turn. Adv. 2: 12. per con-

Saepe aderunt; non quod violari ſumma Deûm vis
Poſſit, ut ex ira poenas petere imbibat acreis:
Sed quia Tute tibi placida cum pace quietos
Conſtitues magnos irarum volvere fluctus:
Nec delubra Deûm placido cum pectore adibis:
Nec, de corpore quae Sancto Simulacra feruntur,

In

INTERPRETATIO.

ſæpe aderunt Tibi; *Non quod ſumma Deorum poteſtas ita violari poſſit, ut iraſcatur, pœnaſque infligere gauderet, ſed quia Tute credes illos qui Summa Animi tranquillitate ſemper fruuntur Magnos irarum fluctus volvere. Nec cum pectore perturbatione omni metuque vacuo adibis Deorum templa,*

VARIÆ LECTIONES.

70. *Sæpe aderunt.* ſæpe oderunt Q1. X. Y. Z. *quod violari.* quo violari A. B. C. E. L. N. Y. Z.
71. *ex ira.* exinde Q1.
72. *quietos.* quietus c. H1. K. O. P. Q1. X. Y. Z.
73. *fluctus.* fletus Q. Y. Z.
75. *feruntur.* ſimulacra fuerunt Y. Z.

NOTÆ.

contaminata, diminuta, violata, non ea integritate, qua ſunt & placida pace: adducitque Ciceronis in Rhetoricis ad Herennium locum: *ille nulla voce delibans inſitam virtutem.* Addi meretur Nepotis alter in Datame cap. 6. *ne cognita filii morte animi delibarentur militum.* ubi minus eleganter legunt *debilitarentur.* HAV.

70. *Violari*] Quod fieret, ſi Dii iraſcerentur. ira enim iratorum & animos & corpora immutat. LAMB.

71. *Imbibat*] In animo habeat, vehementer cupiat. ſic ſupr. lib. 3: 1009.

Qui petere à populo faſceis, ſævaſque ſecureis
Imbibit.

Sed Jo. Auratus vult legi *imbitet*, quod interpretatur *incipiat.* vult enim *imbito, as, at*, verbum eſſe compoſitum ex *in* & *ito as*, interpoſito *b*, ut *ambigo* ex *am* & *ago*, *ambeo* ex *am* & *eo.* Itaque & ſupra lib. 3. legit *imbitat:* & apud M. Tull. pro Quintio *imbitaverit*, Ego *imbitere*, & *præterbitere*, & cetera compoſita à verbo *beto is it*, quod valet *eo is it*, agnoſco: *imbito as at*, non item. LAMB. M. Ant. Muretus, Var. Lection. lib. I. cap. VI. Tom. II. Fac. Crit pag. 901. & ſeq. de Ciceronis loco, quem & Lambinus ad Noſtrum, lib. III. ℣. 110. citat: *Imbiberit*, inquit, ſcriptum omnibus litteris in longe plurimis vetuſtis codd. Sed inſolentia locutionis, fefellerat alios, quæ Manutium non fugit. Meminerat enim, ita locutum Lucretium, lib. III. & lib. VI.,, &c. ,,Ut ergo a Lucretio dictum eſt: *imbibat petere*, ſic a M. Tullio, qui eum Poëtam ſtudioſiſſime legerat: *imbiberit perducere.* Uſus eodem modo & Livius, lib. II. Ann. *Neque memor ejus, quod initio conſulatus imbiberat, reconciliandi animos plebis.*,, Hæc Muretus. Cæterum & Græci καταπίνειν pro *avidiſſime aliquid expetere* non diſſimili loquendi genere uſurpant, ut vetus apud Athenæum Comicus, lib. VI. Deipnos. pag. 240.

Τὸ τεχνίον ἀεὶ τοῦτο μοι κατεπίνετο.

Ut quidem nonnulli legunt, pro: καταπινέτω, Simplex *bibere*, eodem ſenſu apud Claudian. occurrit, in Nupt. Honor. ℣. 231.

Maternoſque bibit mores exemplaque diſcit
Priſca pudicitiæ. PREIG.

73. *Magnos irarum volvere fluctus*] Sic locutus eſt paullo ante, *Volvere curarum triſteis*, &c. & T. Livius lib. 35. de Philippo: *Noſſe ſe ſpiritus ejus, noſſe animum: ſcire, ferarum modo, quæ clau-*

In menteis hominum Divinae nuntia formae,
Suſcipere haec animi tranquilla pace valebis.
Inde videre licet, qualis jam vita ſequatur.
Quam quidem ut à nobis Ratio veriſſima longè
Rejiciat, quamquam ſunt à me multa profata,
Multa tamen reſtant, & ſunt ornanda politis
Verſibus, & ratio Coeli, ſpecieſque tenenda:

Sunt

INTERPRETATIO.

neque poteris animo imperturbato ſuſcipere iſta Simulachra quæ de Sancto Deorum Corpore feruntur in Hominum mentes, illiſque Deorum formam oſtendunt; Inde concipere licet quam Miſera, quam perturbata ſequatur vita: Quam quidem Vitam ut Ratio veriſſima à nobis longe repellat, quanquam multa jamjam docui, multa tamen reſtant, & politis carminibus ornanda ſunt; & Cœli phænomena explicanda.

VARIÆ LECTIONES.

80. *profata.* multa profecta A. B. C. D. E. N. P. X. Y. Z.
81. *ornanda.* ornata politis K. tornanda *Quidam. codd.* P.
82. *ratio Cœli, ſpecieſque* ratio ſuperûm cœlique tenenda A. B. D. H2. L. V. ratio ſuperum cœliſque tenenda Y. Z.

NOTÆ.

clauſtris aut vinculis teneantur, ingenteis jamdiu iras eum in pectore volvere. LAMB.

74. *Nec Delubra Deûm*] Iſta enim erat vaniſſima Epicuri opinio, Providentem & omnia curantem Deum terribilem fore & horrendum, Ita ut nunquam Dei imago in mentem venerit, quin metus, timor, anxietas ſequatur. CREECH.

76. *Divinæ nuntia formæ*] Id eſt, divinæ formæ memoriam refricantia, vel potius divinæ formæ imaginem perferentia. *nuntia* hoc loco nomen eſt adjectum, ſeu adjectivum, *nuntius a um.* ut ſup. lib. 4: 708.

Nuntia præclari voltus, pulchrique coloris. LAMB.

Adde Turn. Adv. lib. II. cap. XII.

77. *Suſcipere hæc*] Nec poteris (inquit) Deorum ſimulacra & imagines, quæ proficiſcuntur & fluunt ex eorum quaſi corporibus, animo quieto concipere, ſeu in animum tranquillum recipere, id eſt, cogitatione ſeu mente quieta & tranquilla complecti. non poteris de Diis animo quieto & tranquillo cogitare, ſed quoties ii tibi venient in mentem, triſtibus curis ſollicitabere, magnis timoribus terrebere. LAMB.

79. *Ratio veriſſima*] Epicuri doctrina, quæ rationi conſentanea eſt, & veras rerum cauſas explicat. CREECH.

80. *Profata*] Sic legendum cenſet Auratus. nam libri vulgati habent *profecta.* LAMB.

82. *Et ratio ſuperum cæliqne*] Cum his congruunt illa libro primo: 127.

Quapropter bene cum ſuperis de rebus habenda
Nobis eſt ratio, &c.

Sic autem reſtitui, ſecutus auctoritatem librorum manuſcript. Atque ut magis credas vulgatam ſcripturam,

——— ——— *ratio cæli ſpecieſque tenenda,*

eſſe corruptam, Memmianus ſic habet,

——— ——— *ratio, cælique tenenda.*

ex qua ſcriptura apparet omiſſam eſſe à librario vocem *ſuperûm*: deinde, cum perſpicuè verſus claudicaret, inculcatum eſſe nomen *ſpecies.* per *ſupera* autem *μετεώρα* ſignificat. Jam Epicurus harum omnium rerum cauſas, naturaleis eſſe docebat, ne, ſi Deos in eis rebus adminiſtrandis occupatos eſſe fateretur, eadem opera beatitudinem eis adimeret: ſimulque nos metu Deorum, quorum providentia mundus gubernaretur, conturbaremur: & ita vitam ſollicitam, & an-

Sunt Tempeſtates, & Fulmina clara canenda,
Quid faciant, & qua de cauſa quaeque ferantur,
Ne trepides coeli diviſis partibus amens,
Unde volans Ignis pervenerit, aut in utram ſe
Verterit hinc partem: quo pacto per loca ſepta
Inſinuârit, & hinc dominatus ut extulerit ſe:

Quo-

INTERPRETATIO.

Tempeſtates, & coruſcantia fulmina ſunt canenda, & docendum quæ ſit illorum vis, & quæ ſit motus in hanc vel illam Mundi regionem cauſa: Ne forſan trepides diviſis Cœli partibus, ſuperſtitioſe inquirens è qua Cœli regione erupit Ignis, in quam tendit, quo pacto parietes in loca undique clauſa penetrat, & facta clade exit.

VARIÆ LECTIONES.

83. *Fulmina.* Flumina Y. Z.
84. *quæque ferantur.* cunque ferantur A. B. C. E. L. N. P. Q1. X.
87. *partem.* partim Z.

NOTÆ.

anxiam, & turbulentam, minimeque tranquillam coleremus. In quo ille magnopere fallebatur. Sic autem Laërtius: Καὶ μὴν ἐν τοῖς μετεώροις φορὰν, καὶ τροπὴν, καὶ ἔκλειψιν, καὶ ἀνατολὴν, καὶ δύσιν, καὶ τὰ σύστοιχα τούτοις, μήτε λειτουργοῦντός τινος νομίζειν δεῖ γίνεσθαι, μήτε διατάττοντος, ἢ διατάξαντος, &c. id eſt, *Jam vero in rebus ſuperis, motum, & converſionem, & defectionem, & ortum, & occaſum, & his ſimilia, non oportet exiſtimare cujuſquam gubernatoris munere neceſſario fungentis opera fieri, qui hæc in ordinem vel adducat, vel adduxerit, quique eodem tempore omnem beatitudinem, continent & immortalitatem. Non enim conſonant, neque congruunt negotia, & curæ, & iræ, & gratiæ cum beatitudine, ſed cum imbecillitate, & timore, & indigentia alterius.* Vide ſup. lib. 2: 1089.

Quæ bene cognita ſi teneas, natura videtur
Libera continuo dominis privata ſuperbis,
Ipſa ſua per ſe ſponte omnia Diis agere expers.
Nam, pro Sancta Deûm tranquilla pectora pace,
Quis regere immenſi ſummam, &c. Lamb.

Cælique tenenda, Ita veteres libri. Vulgati: *ratio cæli, ſpecieſque*; ut alibi ſæpe: *ratio naturæ ſpecieſque.* Gif.

82. *Et ratio Cœli, ſpecieſque tenenda*] Hanc lectionem probo, quamvis à Lambino rejecta fuerit. Ille enim quoſdam codices ſecutus ſic edidit, *& ratio ſuperûm cœlique tenenda.* Quæ lectio ſi vera eſſet, Lambini tamen explicationem probare non poſſem, qui illam vocem *ſuperûm* de diis accipiendam exiſtimarit. Nam de diis eorumque natura non diſputabit, niſi quatenus fulmen illis eripiet, quo non ſatis prudenter uti videantur. Quare *τὸ ſupera*, id eſt τὰ μετέωρα intelligendum eſſe puto. *Species* autem θεωρία eſt ſeu contemplatio, ut 3: 93. & alibi, *Naturæ ratio ſpecieſque.* Faber.

83. *Fulmina clara*] Hoc confirmabit quod alicubi in Emendat. dictum eſt; ubi quidam *flumina* legi voluit pro *fulmina.* Faber.

85. *Cœli diviſis partibus*] Hoc ad haruſpicum Etruſcorumque diſciplinam pertinet, de qua ſic M. Tull. lib. ſecundo de divin. *Cælum in xvj. parteis diviſerunt Etruſci. facile id quidem fuit: quattuor, quas nos habemus, duplicare: poſt idem iterum facere, ut ex eo dicerent, fulmen qua ex parte veniſſet.* Lamb. Ut Etruſci & Romani factitabant, qui in IV. aut XVI. partes, ad Orientem & Occidentem, Cœlum diviſere. Faber. Virgil. 9: 19.

——— ——— Unde hæc tam clara repente
Tempeſtas? medium video diſcedere cœlum
Palanteſque polo ſtellas. Turneb. Adv. lib. II. cap. XII.

86. *Unde volans*] Hic verſus cum duobus deinceps ſequentibus poſterius iterantur. Lamb.

86. *In utram*] Dextram, an ſiniſtram. dextræ autem partes ſunt octo ab occaſu, ſiniſtræ totidem ab ortu. Lamb.

88. *Inſinuârit*] *Inſinuârit* hoc loco abſolutè poſitum

Quorum operum cauſas nulla ratione videre
Poſſunt, ac fieri Divino numine rentur.
Tu mihi ſupremae praeſcripta ad candida calcis
Currenti ſpatium praemonſtra callida Muſa,
Calliope, requies Hominum, Divômque voluptas.
Te duce ut inſignem capiam cum laude coronam.
Principio, Tonitru quatiuntur caerula coeli

Pro-

INTERPRETATIO.

Quorum phænomenωv cauſas ignorantes. Homines omnia divino Numini attribuunt. O Calliope, Muſa carminum artifex, Hominum Deorumque deliciæ, me dirige, viamque oſtende mihi ad deſignatam metam properanti, ut Te duce coronam capiam inſigni cum laude. Primum, cæruleum Cœlum concutitur Tonitru,

VARIÆ LECTIONES.

90. *ac.* hæc Q1. hac Q2.
91. *præſcripta ad candida calcis.* præſcribito ad candida callis Y. 1. præſcribita ac c. callis Z. ſuprema præſcripta & candida callis P. ac candida callis C. E. N. quæ ſcripta, &c. Q1. & candida collis X.
94. *inſignem.* inſigni A. B. C. D. E. I. N. P. Q1. X. Y. Z.

NOTÆ.

ſitum eſt pro *ſubierit, intrarit, introierit, penetrarit.* LAMB.

89. *Quorum operum cauſas*] Hi duo verſus paullo antè poſiti ſunt. Quare fortaſſe huc temere inculcati ſunt. LAMB.

91. *Præſcripta ad candida calcis*] Ex *&* feci *at* ſeu *ad.* Pro *calcis*, quidam libri: *callis*; male. *Præſcripta calcis, pro fine curriculi. Carceres pictos* dicit Ennius; *Calcem candidum*, Varro. Nonius: *Calx.* Et Cicero, lib. 1. de Divin. GIFAN. Cum olim in prima editione edidiſſem

—— —— *præſcripta & candida calcis,*

ego hæc quæ ſequuntur, annotaram: id eſt calcem præſcriptam & candidam. *calcem* autem, id eſt *metam.* talia ſunt illa, *vera viaï, ultima naturaï, cærula cæli*, & ſimilia innumerabilia. quidam tamen legi volunt

—— —— *præſcripta ad candida calcis,* &c.

ut ſit hæc ſententia: Tu mihi, Muſa, currenti ſpatium ad calcem præſcriptam & candidam, præmonſtra eam calcem, vel mihi currenti præmonſtra id ſpatium. Nunc igitur hanc poſteriorem ſcripturam affero, præſertim cum eam in ſecunda jam editione comprobarim ac ſecutus ſim, Adriano Turnebo ſuaſore, & Seneca auctore, qui docet libr. 19. Epiſtol. 100. *eam quam nunc in Circo metam dicunt Latini, calcem antiquos appellaſſe, quia ſcilicet finis curriculi ſæpe calce notaretur.* LAMB. Seneca Epiſt. 19. docet eam quam nunc in Circo *Metam* dicunt Latini, *Calcem* antiquos appellâſſe, quia viz. finis curriculi ſæpe *Calce* notaretur. Hinc verò licet colligere *Lucretium* nunquam plures quam ſex libros fuiſſe meditatum, jam enim properat *ad præſcripta candida ſupremæ calcis.* CREECH. Turnebi Obſervatio eſt Adv. 2: 12. ubi & hic Ciceronis ex 1. Tuſc. locus: *Nunc video calcem, ad quem cum perventum ſit &c.* Sed & ſimilis invenitur ex Varrone apud Nonium in *Calx*, ita emendante Jano Gulielmio lib. 1. Veris. c. 4. ſeu Tomo 3. Facis Crit. p. 260.

Nemini Fortuna currum miſſum a carcere intimo
Labi inoffenſum per æquor candidum ad calcem ſinit.

HAV.

95. *Principio, Tonitru quatiuntur*] Vult tonitru fieri ex nubium concurſu, ventis contra pugnantibus. Qua de re ſic Laërtius: Βροντὰς ἐνδέχεται γίνεσθαι κατὰ πνεύματος ἐν τοῖς κοιλώμασι τῶν νεφῶν ἀνείλησιν, καθάπερ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀγγείοις, παρὰ πυρὸς

Propterea quia concurrunt ſublime volantes
Aetheriae Nubes contra pugnantibus Ventis.
Nec fit enim ſonitus coeli de parte ſerena,
Verùm ubicunque magis denſo ſunt agmine Nubes,
Tam magis hinc magno fremitus fit murmure ſaepe.

Prae-

INTERPRETATIO.

ideo quod ætheriæ Nubes per Altum volitantes adverſis ventis impulſæ concurrunt; Nam de ſerena regione Cœli nunquam fit ſonitus, Verum in quacunque parte Cœli plures & denſiores nubes ſunt, ab ea parte major plerumque fit & terribilior Sonitus.

VARIÆ LECTIONES.

100. *hinc magno.* hic magno H2.

NOTÆ.

πυρὸς πεπνευματωμένοις, βόμβος ἐν αὐτοῖς. καὶ κατὰ ῥήξεις δὲ νεφῶν, καὶ διαστάσεις, καὶ παρατρίψεις, καὶ κατάξεις, πῆξιν εἰληφότων κρυσταλλοειδῆ, &c. id eſt. *Tonitrua fieri poſſunt ex ſpiritus in nubium cavitatibus compreſſione & conſtrictione, quemadmodum in vaſis noſtris fieri ſolet, quibus ab igni inflatis ſonitus editur: tum etiam ex nubium ruptionibus, & diſtractionibus, & affrictionibus, & perfractionibus, poſteaquam glacialem quandam concretionem adeptæ ſunt, &c.* Ariſt. lib. 2. μετεωρ. ait tonitru eſſe ſonitum aut crepitum plagæ, quam gignit calor per vim ruens & incidens in eas nubeis, quibus incluſus continetur. Apulejus lib. de Deo Socratis hos ſex verſus deinceps conſequenteis profert. Lamb.

95. *Cærula cœli*] Id eſt cælum cæruleum. Lamb. De Meteoris diſputaturus à Tonitru incipit, quod variè explicat. & primum quidem ỳ. 12. fit iſte ſonus cum Nubes adverſis ventis impulſæ colliduntur; Hæc fuit Stoïcorum, Democriti, Aliorum opinio, & ſi hodiernos Philoſophos audiamus eſt veritati proxima: Siquis verò objiciat Nubes raras eſſe, ideoque ad tantum ſonitum edendum maximè inidoneas, dicendum; quod licet Lapidum aut Ligni denſitatem non æquant, tamen non adeo raræ ſunt, quin Nives & grandinem cohiberent. Creech.

96. *Concurrunt*] In Appulejo: *concurrant.* Gifan.

96. *Sublime volantes*] Sic ſup. lib. 2: 206.
Nocturnaſque faceis cæli ſublime volanteis. Lamb.

98. *Nec fit enim ſonitus*] Id eſt, non enim tonat ab ea parte cæli quæ ſerena eſt. contrà Horat. Od. 34. lib 1: ỳ. 5.

——— namque Dieſpiter
Plerumque per purum tonanteis
Egit equos, volucremque currum.

Idem Lucretius infra negat, fulmina cælo ſereno, aut leviter denſis nubibus, mitti, ỳ. 246.

——— nam cælo nulla ſereno,
Nec leviter denſis mittuntur nubibus umquam.

Lamb.

98. *De parte ſerena*] Id enim ad declinandam miraculorum fidem negabant Epicuri. Faber. Id enim negabant Epicurei, ideoque Horatius Inſanientem iſtam Sapientiam relicturus hæc habet lib. 1. Od. 34: 5.

——— Namque Dieſpiter
Igni coruſco nubila dividens
Plerumque, per purum *tonantes*
Egit Equos, volucremque currum &c.

Creech.

99. *Denſo ſunt agmine*] Denſo actu, & quaſi ductu. Idem lib. 5: 272.

——— inde ſuper terras fluit agmine dulci.

Virgil. lib. 3. Georg. 369.

——— confertoque agmine cervi
Torpent mole nova.

Idem lib. 2. Æneid. 450.

——— has ſervant agmine denſo.

Nonnulli tamen hîc legi volunt *denſo ſunt augmine.* à quibus diſſentio. Lamb.

101. *Præterea, neque tam condenſo*] Sententia hujus loci hæc eſt: Præterea (inquit) neque nubes

Praeterea, neque tam condenſo corpore Nubes
Eſſe queunt, quam ſunt Lapides, ac Tigna: neque autem
Tam tenues, quam ſunt Nebulae, Fumique volantes.
Nam cadere aut bruto deberent pondere preſſae,
Ut Lapides: aut, ut Fumus, conſtare nequirent,

Nec

INTERPRETATIO.

Præterea, Nubes non poſſunt conſtare corpore tam denſo quam Lapides, ac Trabes, neque tam raro quam Nebulæ leveſque Vapores; nam vel gravi ſuo pondere depreſſæ deciderent, ut Lapides, vel ut Fumus, ſubito diſpergerentur,

VARIÆ LECTIONES.

101. *corpore Nubes.* corpore mire Q. corpore mixtæ Q1. corpore in aëre V. corpore nure Y. Z.

102. *ac Tigna.* ac ligna c. Q.

104. *Nam cadere aut bruto —— preſſæ.* Ita optime C. E. F. N. Q1. X. Y. Z. *Creech.* cadere abrupto — preſſi c. O. P. Nam aut cadere abrupto *Alii.*

105. *aut, ut Fumus,* haud ut fumus *in not. corrigit* P. *nequirent.* neque irent Q1.

NOTÆ.

bes tam ſolido & denſo corpore conſtant, quam lapides, ac tigna: neque tam tenues & raræ ſunt, quam fumi. nam ſi eſſent ſolidæ, ut lapides; ſua gravitate & ſuo pondere depreſſæ, cadere deberent: ſi tenues, ut nebulæ ac fumus: non poſſent conſtare, nec niveis, aut imbreis continere: ſed diſſiparentur. Lamb.

104. *Tam Tenues*] Leg. *Tam tenui:* ut ỳ. 101. *Tam condenſo.* Creech.

104. *Nam aut cadere abrupto*] Ita & in Veteribus noſtris. Vulgati: *Nam cadere aut bruto*; perperam. Gifan. Repoſui *abrupto*, ſecutus & codices manuſcr. & nonnullos vulgatos, in his Aldinos antiquiores, & Pariſienſeis, & Baſilienſeis. nam alii habent, *Nam cadere aut bruto*, mendoſe. *abrupto pondere* autem ſic dictum, ut illud Virg. Æneid. 3: 199.

——— ——— *abrupti nubibus ignes.*

ſic Plin. lib. 2. cap. 48. *Defert hic aliquid abruptum è nube gelida convolvens, verſanſque,* &c. & ipſe Lucretius lib. 2: 214.

Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus ignes.

hanc emendationem ſecutus eſt injuſtiſſimus atque impudentiſſimus Zoilus: ſuiſque codicibus acceptam retulit, quaſi ego eam duabus jam editionibus non reſtituiſſem ex noſtris. Lamb.

Nam aut cadere abrupto deberent pondere preſſæ
Ut lapides. ———

Ita in veteribus noſtris, inquit Gifanius; *vulgati* Nam cadere aut bruto deberent pondere preſſæ, *perperam*] bis redarguendus: nam primum, eam emendationem a Lambino habebat, quod, pro ſuo illo candore ſolenni ſcilicet, diſſimulavit: Tum, quod alterum eſt, peſſime judicavit; ſed hoc ei cum Lambino commune nunc quidem fuerit. Uterque igitur in eo lapſi ſunt, quod dici poſſe *pondus abruptum* exiſtimavere; & tamen non poteſt. Nam exempla quidem quæ proferri poſſint, ut: *abrupti nubibus ignes*, Virg. &c. ita aliena ſunt, nil ut ad confirmationem illius lectionis facere poſſint. Deinde nec ratio quoque unquam patiatur, ut dicamus, *nubes preſſæ abrupto pondere*; ſi enim abruptum eſſet pondus (quando nos ad eum modum loqui jubent) tum nubes non premerentur. Inſuper non convenit τὸ *abruptum* cum allato lapidis exemplo, qui hoc loco proponitur cadens ſuopte motu, ſine omni vi externa, ſine impulſu, ῥοβολῇ, καταβολῇ, &c. quamobrem legendum, ut in lib. quoque MSS. legitur,

Nam cadere aut bruto *deberent pondere preſſæ*
Ut lapides; aut, ut fumus, conſtare nequirent.

Bruto autem *gravi* eſt. Feſtus: *brutum antiqui gravem vocabant.* Unde & Horatius 1. Od. 34: 9.

 Quo

Nec cohibere niveis gelidas, & grandinis imbreis.
 Dant etiam ſonitum patuli ſuper aequora mundi,
Carbaſus ut quondam magnis intenta theatris
Dat crepitum malos inter jactata; trabeiſque:
Interdum perſciſſa furit petulantibus Euris,
Et fragileis ſonitus chartarum commeditatur,

Id

INTERPRETATIO.

nec continere valerent frigidas nives, imbreſque grandinis: Nubes etiam Sonum edunt per lata Cœli ſpatia, ut Velum ſuper magna Theatra extenſum inter malos & trabes jactatum ſonum edit, Interdum vi Venti diſruptum ſonum edit, & imitatur fractarum Chartarum crepitantes ſonitus.

VARIÆ LECTIONES.

106. *gelidas.* gelidos Q1. X.
108. *magnis intenta theatris.* magnis intenta trachelis *Quidam. codd.* P.
109. *malos.* muros inter c. *Gaſſ.* O. P. Q1. *ſed* malos *Quidam. codd.* P. matos Q. X. minos Q1.
110. *petulantibus Euris.* petulantibus auris C. E. Q1. A. marg. P. X. Y. Z. perviantibus auris K.

NOTÆ.

Qao bruta *tellus, & vaga flumina.*

Quin & in excerptis ex Donato etiamnum ad Andriam Terentii in hæc verba. AMOTO METV] legitur: *Sic dixit, quaſi metus ſit* CORPUS BRVTVM, *quod cum molimine moveatur.* FABER. & CREECH.

107. *Dant etiam ſonitum* &c.] V. 8. Alia Tonitrus explicatio, Una enim Nubes Vento agitata, aliquando vento perſciſſa ſonum edit; Nec diſplicebit hæc explicatio, ſi ſonitum quem Vela latis Theatris intenta, quem Chartæ diruptæ, aut ſuſpenſæ veſtes vento agitatæ dant, cum Tonitru compares. CREECH.

107. *Patuli ſuper æquora mundi*] Super mundi planitiem. LAMB.

108. *Carbaſus ut quondam*] Id eſt, quemadmodum interdum velum Theatris intentum ſonitum edere ſolet. quidam legunt

—— —— —— *magnis intenta trachelis,*

exiſtimantes, Lucretium hoc loco vela ſignificare antemnis alligata (trachelum enim media pars mali eſt) cum ea vela ſignificet potius, quæ ſolebant theatris prætendi, ſolis, aut imbris arcendi cauſa, ut apparet ex illis verſibus qui leguntur lib. 4: 73.

Et volgo faciunt id lutea, ruſſaque vela,
Et ferrugina, cum magnis intenta theatris,
Per malos, &c.
Namque ibi conſeſſum, &c. LAMB.

Sueton. in Vita Caligulæ cap. 26. *Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantiſſimo Sole velis, emitti quemquam vetabat.* HAV.

109. *Dat crepitum muros inter*] Sic habent aliquot libr. Manuſcr. & nonulli vulgati: in his Veneti Antiq. & Pariſ. Alii, *malos inter.* LAMBIN. *Malos inter*, Ita quidam libri; & ſupra, lib. IV. ℣. 75. In Veteribus quibuſdam aliis: *muros*; etiam bene. GIFAN. Nam ob loci nimiam amplitudinem trajectis malis vela intendebantur. FABER. *Carbaſina autem vela primus in Theatrum duxiſſe traditur Lentulus Spinter Apollinaribus ludis:* Plinius libr. XIX. Cap. I. vide libro quarto ℣. 73. CREECH.

110. *Petulantibus Euris*] Alias *petulantibus Auris.* LAMB.

111 *Fragiles*] Crepitantes, alibi *aridum ſonum* dixit,

Id quoque enim genus in Tonitru cognoſcere poſſis,
Aut ubi ſuſpenſam veſtem, chartaſve volanteis
Verberibus venti verſant, planguntque per auras.
Fit quoque enim interdum, ut non tam concurrere Nubes
Frontibus adverſis poſſint, quam de latere ire
Diverſo motu radentes corporis tractum:

Aridus

INTERPRETATIO.

Obſervare etiam potes talem eſſe Tonitrus ſonum qualem Veſtes ſuſpenſæ aut Chartæ volantes edunt, cum à Vento verſantur, & per Auras agitantur. Interdum quoque fit, ut Nubes non tam frontibus adverſis concurrant, quam de latere ferantur, diverſoque motu totum Corporis tractum mutuo radant,

VARIÆ LECTIONES.

112. Hunc verſum Parentheſi includit L.

114. *planguntque.* planguentque O. P. X. *utramque lectionem agnoſcit in not.* P.

115. *ut non.* interdum, non C. E. N. P. Q. X. Y. Z. ut non *priſci codd.* P.

117. *corporis tractum.* corpora tractim K. & Gron. Obſ. p. 214. corpore tractum P. X. corporis terram Q1. corpore tractim Y. corporis tractim Z.

NOTÆ.

dixit, quod & ſermo Gallicus uſurpat, *un ſon ſec.* Faber. Virg. Ecl. 8: 82.

Sparge molam & fragiles incende bitumine lauros.

ubi lauros *fragiles* (docente Turneb. Adv. 19:27.) ut noſter chartas, vocat propter crepitum & fragorem ab iiſdem editum. Hav.

111. *Commeditatur*] Tralatio. ſic Horat. Od. 14. lib. 4: 28.

——— ——— ——— *horrendamque cultis*
Diluviem meditatur agris. Lamb.

114. *Verberibus*] Sic ſup. l. 5: 955.

Verbera ventorum vitare, imbreiſque coacti.

Etiam *verbera* Soli tribuit eodem lib. 5: 1102.

Et (*quanto magis* ſubintell. ἀπὸ κοινοῦ) *radii Solis*
cogebant undique terram
Verberibus crebris extrema ad limina apertam, &c.
Lamb.

114. *Plangunt.* Verberant. Lamb.

115. *Fit quoque enim interdum*] Aliquando Tonitrus Murmur eſt Stridori ſimile, id verò fit cum Nubes Nubis alterius latus radit, Inde enim oritur iſte Stridor quem ℣. 118. vocat *Aridum Sonum.* ℣. 5. Creech.

117. *Radentes corporis tactum*] Sic reſtitui, conjectura ductus. Vide, quæſo, ſupra, lib. 11. ℣. 1046. Hac in re ſæpiſſime variatum eſt. *Tactus corporis*, pro corpore. Vide Indicem. Vulgati, & in libris fere: *tractum.* In quibuſdam libris: *e corpore tractum.* Omnia mendoſe. Gifan. *Radentes corporis tractum*, ſui corporis agmen, ſeu ductum, & extremitatem radentes. Zoilus mavult legi *corporis tactum*: idque interpretatur *corpus.* quod planè non placet. Sic autem dixit *corporis tractum*, ut lib. 2. *flammarum tractus:* quod Virgil. lib. 1. Georg. 367. æmulatus eſt,

Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.

Idem Lucret. lib. 1: 1003. *ævi tractum,*

Quod neque clara ſuo percurrere flumina curſu,
Perpetuo poſſint ævi labentia tractu. Lamb.

In quibuſdam, *corpore tractum*, male. Gifanius autem legit, *corporis tactum*; additque, *Tactus corporis, pro corpore, tactus animi, pro animo.* Nugæ, ut in Notis apparebit, ſi quid mutatum velim, legam,

Diverſo motu radentes corpora tractim:

Sed nihil neceſſe eſt. Faber. *Corporis tactum*, id eſt *Corpus*, Gifanius: ridiculè. *Corporis* autem *tractum* nihil elegantius, Nam nubes diverſo motu de latere euntes totum Corporis tractum, ab

Aridus unde aureis terget ſonus ille, diuque
Ducitur, exierit donec regionibus arctis.
Hoc etiam pacto Tonitru concuſſa videntur
Omnia ſaepe gravi tremere, & divolſa repente
Maxima diſſiluiſſe capacis moenia mundi,
Quom ſubito validi Venti conlecta procella
Nubibus intorſit ſeſe, concluſaque ibidem
Turbine verſanti magis ac magis undique Nubem
Cogit, uti fiat ſpiſſo cava corpore circum.

Poſt

INTERPRETATIO.

unde oritur Aridus ille ſonus, diuque continuatur donec tandem è locis anguſtis evaſit. Hanc quoque ob cauſam omnia vehementi Tonitru concuſſa tremere, & maxima capacis Mundi mœnia (Cœli) ſubito divulſa videntur diſſilire, nempe cum ſubito validus ventus ſeſe nubibus involvit, ibique concluſus circumvolvitur, eoque turbine excavat Nubem, & condenſat illius latera:

VARIÆ LECTIONES.

118. *terget.* turget Q1.
119. *exierit.* exierint K. Q. X. exierunt V. Y. Z. *Creech.*
122. *diſſiluiſſe.* Maxima diſſolviſſe. C. N. P. *ſed* diſſiluiſſe H. Y. Z.
124. *intorſit.* Nubibus intercit V. interſit Q. X. *concluſaque.* contuſaque K. contruſaque. *Alii.*
125. *verſanti.* verſante X. Y. Z.

NOTÆ.

altera uſque ad alteram extremitatem, radunt. Creech.

118. *Aridus unde aureis*] Profert hunc verſum Nonius in voce *aridus.* Lamb.

118. *Terget*] Radit, mulcet, tangit. tralatio eſt. Lamb.

119. *Exierit donec regionibus*] Donec calor ille & ignis compreſſus, eruperit è nubibus. Lamb. *Exierit*, Mallem *Exierunt:* Nubes viz. Creech.

120. *Hoc etiam pacto* &c.] V. 11. Ventus in Nube incluſus furit, Inde murmur; tandem facto impetu erumpit, Inde Horrendus ille fragor: Qua ratione Plinius declaravit *poſſe Spiritum nube cohibitum tonare, natura ſtrangulante ſonitum dum* [illegible]*ixetur edito fragore dum erumpat, ut in membra*[illegible] *Spiritu intenta.* Si ridere libet, vid. Ariſtopha[illegible] Nubes Act. 1. Sc. 4. Creech.

122. *Diſſiluiſſe*] Diſceſſiſſe, diſſoluta eſſe, di[illegible]ſe. Lamb.

12[illegible] *Procella*] Καταιγὶς, vel ἐκνεφίας ἄνεμος, [illegible]. Lamb.

124. *Nubibus intorſit ſeſe*] In nubeis ſeſe induit, atque inſinuavit: ſeſe nubibus involvit. Lamb.

126. *Cogit, uti fiat ſpiſſo cava,* &c.] Id eſt uno verbo, inflat. Lamb.

127. *Commovit*] Melius quam *Contumuit.* Creech.

128. *Perterricrepo ſonitu*] Id eſt, ſonitu horribiliter crepante: vel ſonitu terrorem inter crepandum incutiente. Lamb. Eandem vocis horridæ compoſitionem in Varrone agnoſcit Palmerius Spicilegior. p. 786. in Face Crit. ubi apud Nonium in *crepare* legit *Perterricrepas vocibus volitans aures volgi*, pro vulgato *Propter crepas*, &c. Hav.

128. *Dat miſſa*] Procella emiſſa edit fragorem. Lamb.

129. *Nec mirum, cum plena animæ Veſicula*] *Plena animæ*, id eſt plena venti. Sic Varro *Antanabatis: Anima ut concluſa in veſica quando eſt arcte* ligata,

Poſt ubi commovit vis ejus, & impetus acer,
Tum perterricrepo ſonitu dat miſſa fragorem.
Nec mirum, quom plena animae Veſicula parva
Saepe ita dat pariter ſonitum diſploſa repente.
Eſt etiam ratio, quom Venti nubila perflant,
Cur ſonitus faciant: etenim ramoſa videmus
Nubila ſaepe modis multis, atque aſpera ferri.
Scilicet ut crebram ſylvam quom flamina Cauri
Perflant, dant ſonitum frondes, ramique fragorem.

Fit

INTERPRETATIO.

deinde ubi omnes ſimul collegit vires, exitumque quærit, tum horrendo cum fragore erumpit. Neque hoc quidem admirabile, cum parva Veſica ſpiritu inflata, ſi repente dirumpatur, haud abſimilem edit ſonum. Poteſt etiam fieri ut Venti, cum perflant Nubes, faciant Sonitus; Nubes enim ramoſas aſperaſque in Cœlis ſæpiſſime videmus, nimirum, ut cum Venti denſam ſylvam perflant, frondes dant ſonitum, & fragorem rami.

VARIÆ LECTIONES.

127. *commovit.* contumuit vis V.
130. *pariter ſonitum.* parvum ſonitum K. Q. X. Y. Z. magnum V.
132. *Cur ſonitus.* Ut ſonitus C. D. E. P. Y. Z. *faciant.* faciunt Q. X.

NOTÆ.

ligata, ſi perculeris, aëra reddet. Horat. Sat. 8. lib. 1: 45.

Nam, diſploſa ſonat quantum veſica, pepêdi
Diffiſſa nate ficus.

Et Epicurus apud Laërt. Βροντὰς ἐνδέχεται γίνεσθαι κατὰ πνεύματος ἐν τοῖς κοιλώμασι τῶν νεφῶν ἀνείλησιν, καθάπερ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀγγείοις, &c. id eſt, *Tonitru autem fieri poteſt ex ſpiritu in nubeis cavas involuto atque intorto, quemadmodum in vaſis noſtris ab igni inflatis edi ſonitum videmus.* quæ verba paullo antè protulimus. Lamb.

130. *Diſploſa*] Id eſt, cum magno ſonitu dirupta & diſciſſa. uſus eſt eadem voce Horatius cùm de eadem re loqueretur, in eo verſu, quem proximè protuli: & idem Lucretius infra, 284.

——— ——— ——— diſploſa repente
Opprimere ut cæli videantur templa ſuperne.

Lamb.

131. *Eſt etiam ratio* &c.] Nubes quaſdam videmus quæ arborum ramoſarum inſtar habent partes eminentes, & huc illuc projectas; Has ſi Venti perflare concipiantur, Tonitru ſequetur; quippe cum Venti denſas ſylvas perflent, rami ab illo agitati fragorem edunt. ỳ. 5. Creech.

132. *Cur ſonitus faciant*] Sic reſtitui, cum lib. & manuſcr. & typis excuſi mendoſi eſſent, neque inter ſe congruerent. alii enim habent, *ut faciant:* alii, *cur faciant:* quos ſecutus ſum. Eſt etiam ratio (inquit) quamobrem venti, cum nubeis perflant, ſonitus edant. hoc demonſtrat à ſimili. Lamb.

132. *Ramoſa*] Id eſt, quæ non ſunt æquabilia, ſed arborum ramoſarum inſtar, partibus conſtant eminentibus, & huc illuc projectis. Tralatio eſt. ſic lib. 2: 446. primordia nonnulla dixit eſſe quaſi ramoſa.

Hæc magis hamatis inter ſeſe eſſe neceſſe eſt,
Et quaſi ramoſis, alte compacta teneri.

Propriè uſurpavit lib. 5: 1095.

Et ramoſa tamen cum ventus pulſa vacillans
Æſtuat in ramos incumbens arboris arbor,
Exprimit, &c. Lamb.

134. *Flamina Cauri*] Caurus, ſeu Corus, ventus eſt ſpirans ab occaſu æſtivo: quem Græci ἀργέστην appellant. ſic ſupra lib. 1: 291.

Sic

Fit quoque, ut interdum validi vis incita venti
Perſcindat nubem perfringens impete recto.
Nam quid poſſit ibi flatus, manifeſta docet res.
Hîc, ubi lenior eſt, in terra quom tamen alta
Arbuſta evolvens radicibus haurit ab imis.
  Sunt etiam fluctus per nubila, qui quaſi murmur
Dant infringendo graviter: quod item fit in altis
Fluminibus, magnoque mari, quom frangitur aeſtu.

Fit

INTERPRETATIO.

Aliquando etiam poteſt fieri, ut vehementis venti vis perſcindat Nubem, illam recto impetu perrumpens. Quantum enim in Cœlis vis Venti valeat manifeſtum eſt, cum in Terra, licet hîc lenior ſit, magnas evertit arbores, illaſque haurit ab imis radicibus. Denique per Nubes ſunt fluctus, qui graviter infringendo quaſi murmur edunt, cujuſmodi licet obſervare in altis fluminibus, vaſtoque Mari, cum æſtu frangitur.

VARIÆ LECTIONES.

137. *perfringens.* perfingens impete V. Y.
138. *docet res.* doce res V. Y. doceret Q.
139. *lenior.* levior Q. *in terra.* incerta Q.
140. *evolvens.* volvens Z.
141. *qui quaſi.* quæ quaſi K.
142. *infringendo.* infrangendo K. V. X. in frangendo P. Y. Z.
143. *æſtu.* æſtus Q1.

NOTÆ.

Sic igitur debent venti quoque flamina ferri.

& ſup. lib. 5: 74.

—— *Eteſia flabra Aquilonum.* Lamb.

135. *Frundes*] Ita Veteres Libri. Gifan.

136. *Fit quoque ut interdum* &c.] Nubes etiam rumpi poteſt, cum Ventus ex adverſo in illam impingitur, atque inde Tonitru: ℣: 5. Ventos autem poſſe Nubes perrumpere nemo dubitabit, qui vidit everſas arbores & radicitus evulſas. Creech.

136. *Validi vis incita venti*] Vis incita, vis incitata. ſic libr. 1: 272.

Principio venti vis verberat incita pontum.

& lib. 5: 1093.

Multa videmus enim cæleſtibus incita flammis
Fulgere.

& hoc lib. 294.

Eſt etiam cum vis extrinſecus incita venti, &c. Lamb.

137. *Impete*] Impetu, ut lib. 2: 326.

Tranſmittunt valido quatientes impete campos:

itemque ſupra & infra compluribus locis. Lamb.

139. *Hic ubi lenior eſt, &c.*] Ordo eſt: Cum tamen hîc, nempe in terra, ubi lenior eſt, quam in regione aërea, & in partibus mundi ſupernis, arbores altas radicitus evellat. *Cum* junxit cum indicativo: quod M. Tullio & bonis ſcriptoribus uſitatum eſt; tametſi ſecus exiſtimet vulgus. Lamb.

141. *Sunt etiam fluctus* &c.] Si hæc omnia diſpliceant, tandem concipias Aërem tanquam vaſtum Mare, in quo Nubila ſint fluctus; Illa demum collidas, & illum, quem in Mari æſtuoſo ſentis, in Aëre ſenties fragorem. ℣. 3. Creech.

142. *Quod idem fit*] Nam in fluminibus magnis magni ſæpe fluctus excitantur. Lamb.

144. *Fit quoque, uti è nube*] Ita veteres libri. Vulgati: *ubi.* Gifan. *Fit quoque, ubi è nube*, Sic legendum: & ita habent libri omnes & manuſcripti,

Fit quoque, ubi è nube in nubem vis incidit ardens
Fulminis: haec multo ſi forte humore recepit
Ignem, continuo ut magno clamore trucidet:
Ut calidis candens ferrum è fornacibus olim
Stridit, ubi in gelidum properè demerſimus imbrem.
Aridior porro ſi Nubes accipit ignem,
Uritur ingenti ſonitu ſuccenſa repente:
Lauricomos ut ſi per monteis flamma vagetur,

Turbi-

INTERPRETATIO.

Fit quoque ut ignitum Fulmen è nube excuſſum in Nubem incidat, Hæc autem Nubes ſi multo humore abundans iſtum ignem recepit, protinus extinguit, atque inde oritur ingens fragor, ut cum Ferrum è calidis fornacibus candens ſubito in frigidam aquam demergimus, Stridor oritur. Deinde ſi Nubes paulo aridior flammam concipit, continuo ex omni parte incenſa ingenti cum ſonitu crematur. Ut ſi vehemens flamma per colles Lauro conſitos ventorum

VARIÆ LECTIONES.

144. *ubi è nube.* uti è nube A. B.
146. *continuo ut.* ut continuo magno D. Deeſt *ut* A. B. C. E. N. P. Q. Y. Z. *trucidet.* trucidat K. V. X. Y. Z.
148. *propere.* propter demerſimus K. Q. Y. Z.
149. *ſi Nubes.* ſin Nubes K.
150. *repente.* ſuccenſa recente Y. Z.

NOTÆ.

ſcripti, & vulg. Eò dico, quod alii hunc locum depravarunt, qui ediderunt, *Fit quoque uti, &c.* nam verſu ab hoc tertio particula *ut*, quæ deſiderabatur, ſuo loco ponitur in codicibus emendatis, hoc modo,

Ignem continuo, ut magno clamore trucidet. LAMB.

Quidam Philoſophi docuerunt à Stellis in madidam nubem decidentibus, & cum humore colluctantibus Stridens Tonitru oriri: loco Stellarum Lucretius ℣. 5. aſſumit Ignem fulmineum, qui è nube arida excuſſus in nubem humidam tanquam Ferrum candens demergàtur. CREECH.

144. *E nube*] Arida ſcilicet. LAMB.

144. *In nubem*] Uvidam & madidam. LAMB.

145. *Hæc*] Nubes madida & uvida. LAMB.

146. *Magno clamore trucidet*] Tralatio eſt in voce *clamore*: niſi fortè legendum ſit *clangore*: quod quibuſdam videtur. LAMB. Magno cum ſtridore extinguat. CREECH.

147. *Ut calidis*] A ſimili. LAMB.

147. *Olim*] Aliquando. LAMB.

148. *Stridit*] *Stridit*, à *ſtrido is*, tertiæ. ſic apud Horatium Sat. ult. lib. 2: 77.

Stridere ſecreta diviſos aure ſuſurros. LAMB.

Horat. lib. 2. Sat. 8. ℣. 77.

——— *Tum in lecto quoque videres*
Stridere ſecreta diviſos Aure ſuſurros. CREECH.

149. *Aridior porro* &c.] Ne aliquam prætermittat cauſam Tonitrus, jam ℣. 6. Nubem ipſam accendit, & quoniam Laurus, aliæque res accenſæ crepitant, idem etiam Nubes poſſe contendit. CREECH.

149. *Accipit ignem*] Sic ſup. lib. 5. locutus eſt ℣. 608.

Accipere ex una ſcintilla incendia paſſim. LAMB.

151. *Lauricomos*] Lauris veſtitos & coöpertos. LAMB.

152. *Turbine ventorum*] Συστροφῇ ἀνέμων. ſic enim interpretatur auctor vocabularii Latino Græci, ſæpe à me commemorati. LAMB.

153. *Nec*

Turbine ventorum comburens impete magno.
Nec res ulla magis, quam Phoebi Delphica Laurus
Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.
Denique ſaepe Geli multus fragor, atque ruina
Grandinis, in magnis ſonitum dat Nubibus alte.
Ventus enim quom confercit, franguntur in arctum
Concreti montes nimborum, & grandine miſti.

Ful-

INTERPRETATIO.

turbine feratur, & magno impetu omnia devaſtet; Neque res ulla magis, quam Laurus Apollinis Delphica, terribili ſonitu crematur crepitante flamma Denique ſæpe multum Gelu Grandoque decidens dat ſonitum in Magnis nubibus, Nam cum Ventus conſtipavit, & in loca anguſta impulit, tum montes nimborum concreti, & miſti grandine franguntur:

VARIÆ LECTIONES.

152. *Turbine ventorum.* Turmæ ventorum K.
153. *Nec res ulla.* Nec reſina *caſtigata exempl.* P. res ulla vita Q.
154. *ſonitu flamma.* ſonitu in flamma V.
157. *confercit, franguntur in arctum.* convertit, franguntur in altum c. O. P. Q. X. *Quidam codd.* P. *ſed* confercit in arctum *Priſci codd.* P.
158. *miſti.* miſta P. Q. X.

NOTÆ.

153. *Nec res ulla magis*] *Laurus* (inquit Plin. lib. 15. cap. ult.) *manifeſto abdicat igneis crepitu, & quadam deteſtatione, interaneorum etiam vitia ligno torquente. Tiberium principem tonante cælo coronari ea ſolitum ferunt contra fulminum metus.* LAMB.

153. *Delphica Laurus*] Duo laurus genera tradidiſſe Catonem ſcribit eodem loco Plinius, *Delphicam* & *Cypriam:* Pompejum, *Lenæam* adjeciſſe, quam *muſtacem* appellavit; ſed dici poteſt, *Laurum Delphicam* à Lucretio appellari, quaſi *Apollineam*, quod Apollini Delphico ſacra ſit. LAMB. Laurus manifeſto abdicat Ignes crepitu, Duo ejus genera tradit Cato Delphicam & Cypriam: *Plinius Hiſt. Nat. lib* 15. *cap.* 30. Apollini autem grata (*vid. Plinium*) quia ſpectatiſſima erat in Parnaſſo monte, & ut ait Heſiodi interpres ἐνεργῷ πρὸς ἐνθουσιασμούς: Nota etiam eſt de Daphne fabula: Ovid. Met. lib. 1. ℣. 556.

Cui Deus, At conjux quoniam mea non potes eſſe,
Arbor eris certe, dixit, mea: ſemper habebunt
Te coma, Te citharæ, Te noſtræ, Laure, pharetræ. CREECH.

154. *Flamma crepitante*] Sic Virg. Georg. lib. 1: 85.

Atque levem ſtipulam crepitantibus urere flammis,

notat Macrob. Sat. lib. 6. cap. 4. LAMB.

155. *Denique ſæpe Geli* &c.] Deinde, cum tonat, multa Glaciei fragmina, & Grando decidunt, præcipuè in partibus Septentrionalibus; ideò congelatarum nubium diſruptioni Fragor iſte jure adſcribatur. ℣. 4. CREECH.

155. *Geli*] *Gelus, li,* & *gelu, lu,* inquit Non. Sic ſup. l. 5: 206.

Aſſiduuſque geli caſus mortalibus aufert.

& inf. 529.

Et vis magna geli, magnum duramen aquarum.

Poteſt fieri tamen, ut ſit hîc neutri generis, *gelum, li, lo:* quemadmodum & ibi:

Aſſiduuſque geli caſus, &c.
Et vis magna geli, &c.

Sed ſi in his locis dubitationi locus eſt, nullus eſt in illo, inf. 877.

——— *quaſi ſæpe gelum, quod continet in ſe,*
Mutat, & exſolvit glaciem, &c.

Per-

Fulgit item, Nubes ignis quom ſemina multa
Excuſſêre ſuo concurſu, ſeu Lapidem ſi
Percutiat Lapis, aut Ferrum, nam tum quoque lumen
Exſilit, & claras ſcintillas diſſupat ignis.
Sed Tonitrum fit uti poſt auribus accipiamus,
Fulgere quam cernant oculi, quia ſemper ad aureis
Tardius adveniunt, quam viſum quae moveant res.

Id

INTERPRETATIO.

Fulgurat vero, cum Nubes concurrentes multa Ignis ſemina ſuo conflictu excuſſerunt, ut cum Silex, vel Ferrum Silicem percutiat, tum enim lux naſcitur, Ignisque lucidas ſcintillas diſpergit. Fit vero ut Tonitrum auribus accipiamus poſtquam Fulgur oculis percepimus; quoniam res iſtæ quæ aures movent non tam celeri motu feruntur, quam quæ oculos movent:

VARIÆ LECTIONES.

159. *Fulgit.* Fulget X. Y.
164. *Fulgere.* Fulgura K. Q1.

NOTÆ.

Perſpicuè enim in eo verſu neutrum eſſe declarat relativum *quod.* LAMB.

157. *Confercit*] Complet, & condenſat nubeis. LAMB.

159. *Fulgit item*] Nunc de fulgure, quod ἀστραπὴν nominant Græci. De quo ſic Laërtius. Καὶ ἀστραπαὶ δ᾽ ὡσαύτως γίνονται κατὰ πλείους τρόπους. καὶ γὰρ κατὰ παράτριψιν καὶ σύγκρουσιν νεφῶν ὁ πυρὸς ἀποτελεστικὸς σχηματισμὸς ἐξολισθαίνων, ἀστραπὴν γεννᾷ. καὶ κατ᾽ ἐκριπισμὸν ἐκ τῶν νεφῶν, &c. id eſt, *Et fulgura ſeu fulgetra ſimiliter pluribus modis fiunt. Nam & ex affrictione ac colliſione nubium figuratio ea, quæ eſt ignis effectrix, lubrice elabens, fulgur gignit: & ex nubium ventilatione à flatibus, qui hunc fulgorem efficiunt: & per expreſſionem, compreſſione nubium facta, vel ab ipſis inter ſe, vel à ventis, &c.* *Fulgit* autem legendum, non *fulget:* & ita Nonius. ſic lib. 5: 1093.

Multa videmus enim cæleſtibus incita flammis
Fulgere.

idem infra: 213.

Fulgit item, cum rareſcunt quoque nubila cæli.

LAMB. Ita hic Nonius. Vulgati: *Fervet.* GIFAN. Hactenus de Tonitru, deinde de Fulgure inquiritur, quod ex induratis nubibus inter ſe colliſis exprimi poteſt, ut è Ferro, Silice, aut Ligno, nam in Nubibus non minus quam in iſtis rebus ſemina Ignis latere putandum eſt. CREECH.

159. *Ignis cum ſemina*] Ariſtot. libr. 2. μετεωρ. fulgur vult eſſe ventum è nubibus expreſſum, tenui & invalido incendio inflammatum. LAMB.

160. *Ceu Lapidem ſi Percutiat Lapis*] Supr. lib. 1: 883.

Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem.

LAMB.

163. *Sed Tonitrum fit uti, &c.*] Ariſtot. eod. lib. Γίνεται δὲ μετὰ τὴν πληγὴν καὶ ὕστερον τῆς βροντῆς· ἀλλὰ φαίνεται πρότερον διὰ τὸ τὴν ὄψιν προτερεῖν τῆς ἀκοῆς. id eſt, *Fit autem fulgur, ſeu fulgetrum, poſt plagam, & poſterius quam tonitru: ſed cernitur prius, propterea quod videndi ſenſus celerior & acrior eſt, quam auditus.* LAMB. Si verò Tonitru & Fulgur ex eadem Nubium colliſione, cur cernitur Fulgur antequam auditur Tonitru? Nempe ℣. 9. Quia Lux Sono eſt velocior, imò omni experientia probatur ſpeciem rei viſibilis ſono velociùs transferri. CREECH.

164. *Quia ſemper ad aures*] Vera ratio eſt, quia rerum viſibilium ſpecies ſemper præſentes ſunt ſenſui; ſed ſonorum alia ratio eſt; qui ſcilicet, niſi collidantur, & tundantur corpora, non emittuntur. FABER.

165. *Adveniant*] Res quæ auditu ſentiuntur. LAMB.

166. *Ca-*

Id licet hinc etiam cognoſcere: caedere ſi quem
Ancipiti videas ferro procul arboris auctum,
Ante fit ut cernas ictum, quam plaga per aureis
Det ſonitum: ſic Fulgorem quoque cernimus ante
Quam Tonitrum accipimus, pariter qui mittitur igni,
E ſimili cauſa, & concurſu natus eodem:
Hoc etiam pacto volucri loca lumine tingunt
Nubes, & tremulo tempeſtas impete fulgit.
Ventus ubi invaſit Nubem, & verſatus ibidem

Fecit,

INTERPRETATIO.

Hoc autem quod dico verum eſſe certus eſſe poſſis., ſi è longinquo videas aliquem arborem ferro ancipiti cædentem, nam Ictum prius cernes quam Ictus ſonum audies, ſimiliter Fulgorem videmus antequam audimus Tonitrum, qui ſimul cum Igne mittitur, ex eadem nempe cauſa, & eodem Nubium concurſu ortus. Aliam Fulguris cauſam jam ſubjungam, Hoc enim pacto Nubes Volucri lumine tingunt loca, tremuloque impetu tempeſtas fulgit, (ſit Fulgur quod celeri & tremulo motu fertur) cum Ventus ſeſe in Nubem inſinuavit,

VARIÆ LECTIONES.

167. *videas.* videat c. Hi. K. O. P. Y. Z. *alii codd.* P. *in not.* videas. *arboris auctum.* arboris ictum c. O. *ita corrigit* P. *in not.*
168. *quam.* quem P. *aureis.* auris A. B. ita, verſ. 282. auras c. O. P.
169. *fulgorem.* fulgurem Y. Z.
170. *Tonitrum.* tonitum accipimus K.
171. *E ſimili.* Et ſimili c. Hi. K. P. *&.* deeſt N. P. Q. Y. Z.

NOTÆ.

166. *Cædere ſi quem*] Utitur alio exemplo Ariſtot. illo eod. loco, nempe remigationis, his verbis: Δηλοῖ δ᾽ ἡ εἰρεσία τῶν τριήρων. ἤδη γὰρ ἀναφερόντων πάλιν τὰς κώπας ὁ πρῶτος ἀφικνεῖται ψόφος τῆς κωπηλασίας. id eſt, *Declarat autem triremium remigatio. Nam tum demum primus agitationis remorum ſonitus ad aureis pervenit, cum jam remiges iterum remos ſublatos inferunt.* Epicur. autem apud Laërt. ſic hujus rei cauſam multis verbis explicat: Προτερεῖ δὲ ἀστραπὴ τῆς βροντῆς ἐν τοιᾷδε τινὶ περιστάσει τῶν νεφῶν, διὰ τὸ ἅμα τῷ τὸ πνεῦμα ἐμπίπτειν, ἐξωθεῖσθαι τὸν ἀστραπῆς ἀποτελεστικὸν σχηματισμὸν, ὕστερον δὲ τὸ πνεῦμα ἀνειλούμενον, τὸν βόμβον ἀποτελεῖν τοῦτον· καὶ κατ᾽ ἔμπτωσιν δὲ ἀμφοτέρων, ἅμα τῷ τάχει συντονωτέρῳ κεχρῆσθαι πρὸς ἡμᾶς τὴν ἀστραπήν· ὑστερεῖν δὲ τὴν βροντὴν, καθάπερ ἐπ᾽ ἐνίων ἐξ ἀποστήματος θεωρουμένων, καὶ πληγάς τινας ποιουμένων. id eſt, *Anteit autem fulgur tonitru tali caſu nubeis circumſiſtente, quia eodem tempore, quo flatus in nubem incidit, extrudatur ea quæ fulgur creat figuratio, poſterius vero flatus expreſſus hunc ſonitum edat, & utroque ſimul incidente, fulgur celeritate ad nos contentiore utatur: tonitru autem tardius ſit, quemadmodum evenit in quibuſdam quæ ex intervallo cernuntur, & ictus quoſdam gignunt.* Plinius eandem brevius lib. 2. cap. 54. *Quoniam lux*, inquit, *ſonitu eſt velocior.* Lamb.

167. *Arboris auctum*] Arboris augmen: arborem. Sic lib. 2: 481.

Eſſe infinito debebant corporis auctu.

& 5: 1170.

——— *mirando corporis auctu.* Lamb.

168. *Per aureis*] Alibi legitur *per auras.* Lamb. *Per auris*, Quidam Vulgati: *auras*, male. Ita ſupra: *tergere auris.* Gifan.

169. *Fulgorem*] Fulgur. nam (ut alibi diximus) alterum pro altero ſumit Lucretius. Lamb.

170. *Pa-*

Fecit, ut ante, cavam, docui, ſpiſſeſcere Nubem,
Mobilitate ſua ferveſcit; ut omnia motu
Percalefacta vides ardeſcere: plumbea vero
Glans etiam longo curſu volvenda liqueſcit.
Ergo fervidus Hic Nubem quom perſcidit atram,
Diſſupat ardoris quaſi per vim expreſſa repente
Semina, quae faciunt nictantia fulgura flammae:
Inde Sonus ſequitur, qui tardius adlicit aureis,

Quam

INTERPRETATIO.

& in illa circumrotatus fecit cavam Nubem, ut modo docui, ſpiſſeſcere, illo pernici motu calorem concipit, omnia enim motu percalefacta ardeſcunt, Globuluſque plumbeus dum longo curſu fertur liqueſit. Cum vero fervidus hic Ventus Nubem denſam perruperit, diſpergit Flammæ ſemina, quæ Fulgur faciunt, tanquam vi ſubita expreſſa. Inde ſequitur Sonus, qui tardius ad aures venit

VARIÆ LECTIONES.

175. *ſpiſceſſere.* ſpiſſaſſere K.
176. *ferveſcit.* Ita Q1. Y. Z. *Alii.*ferviſcit.
178. *liqueſcit.* quieſcit Q1. Y. Z.
181. *nictantia.* nutantia K. minitantia V. rictantia Q.
182. *adlicit.* adficit aureis *Quidam.*

NOTÆ.

170. *Pariter qui mittitur*] *Pariter igni*, id eſt, in eodem tempore, atque ignis. ſic loquitur Horat. Epiſt. 10. libr. 1. ℣. 5.

Annuimus pariter vetulis, notiſque columbis.

Lamb. *Pariter igni*, ut: *naturæ convenienter*; *eadem turpi*, &c. Preig.

172. *Hoc etiam pacto*] Aliam cauſam affert fulguris. Lamb. Quòd ſi Tonitru fiat vento Nubes perrumpente, Fulgur quoque fit ab eodem Vento pernici motu, dum inter Nubes rotatur, accenſo. ℣. 14. Hos verſus *Gaſſendus*, & qui illum ſequuntur, perperam interpretati ſunt. Creech.

172. *Volucri loca lumine tingunt*] Nubes *tingunt loca lumine:* id eſt, illuſtrant, & quaſi colorant. ſic libro quinto: 572.

Perveniunt noſtros ad ſenſus, & loca tingunt.

Al. *& loca fulgent.* Lamb.

175. *Fecit, ut ante, cavam, docui*] Ordo eſt: fecit ſpiſſeſcere cavam nubem, ut ante docui. Sermo eſt implicatus, ut ſup. lib. 1: 755.

Quorum utrumque quid à vero, jam, diſtet, habebas. Hoc autem docuit eodem lib. paullo ante, verſ. 124.

Cum ſubito validi venti conlecta procella
Nubibus intorſit ſeſe, &c. Lamb.

177. *Plumbea vero glans etiam*] Sic infra: 305.

Non alia longe ratione, ac plumbea ſæpe, &c.

Lamb. Longum eſſet, ſi poëtarum & hiſtoricorum veterum teſtimoniis uti vellem ut id probarem. Sed inter fabuloſa antiquitatis referendum id putem; neque magis verum eſſe, quam quod de ſagitta Aceſtæ in V. ſcripſit Virgilius, quæ exarſit & in ventos abiit. Faber. & Creech.

178. *Volvenda*] Volubilis, vel dum volvitur, ut ſup. lib. 5: 1275.

Et volvenda ætas commutat tempora rerum.

Lamb.

181. *Nictantia*] *Nictare* (inquit Feſtus) *eſt oculorum & aliorum membrorum niſu ſæpe aliquid conari.* vide cetera apud eundem, & Paullum. Sed hìc *nictantia* tranſlate poſitum videtur pro *micantia*, ſeu *vibrantia.* Lamb.

182. *Adlicit aureis*] Laceſſit & provocat audiendi

Quam quae perveniunt oculos ad lumina noſtros.
Scilicet hoc denſis fit nubibus, & ſimul alte
Exſtructis aliis alias ſuper impete miro.
Nec tibi ſit fraudi, quod nos inferne videmus
Quam ſint lata magis, quam ſurſum exſtructa quid exſtent;
Contemplator enim quom montibus adſimilata
Nubila portabunt Venti tranſverſa per auras:

Aut

INTERPRETATIO.

quam Lumen oculos attingit. Scilicet hoc denſis fit in nubibus, quæ aliæ ſuper alias mira vi & denſo agmine coacervantur. Ne vero huic rationi diffidas, quod nos in Terris collocati videmus Nubes potius latas eſſe, quam altas, & alias ſuper alias coacervatas: Obſerva enim cum Venti per Aëra Nubes tranſverſas agunt montibus ſimiles;

VARIÆ LECTIONES.

183. *oculos ad lumina noſtros.* oculorum ad limina noſtra Q. Y. oculorum ad lumina noſtra C. E. N. P. X. Z.
184. *alte.* alti K. Q1. Y. Z.
185. *impete miro.* agmine miro *Creech.*
186. *Nec tibi.* Ne tibi K. Q. X. Y. Z. *inferne.* inferre P. Q. X. inferna *priſci codd.* P. Q1.
187. *Quam ſint.* Quam ſit K. Z. *quid exſtent.* quod extent c. O. P. Z.
189. *portabunt.* portabant K.

NOTÆ.

diendi ſenſum. Sed quid ſi dicam legendum *adtigit aureis*: ut intelligamus, *adtigit* eſſe præſentis temporis à verbo *tago, is, it,* quo utebantur veteres pro *tango?* ſic ſuprà libr. 3: 936.

Nec deſiderium noſtri nos adtigit hilum.

Verumtamen nihil mutare auſim. LAMB. Al. *attigit.* ſed eadem ſignificatio eſt. FAB. Alii *Adſiet*, & Palmerius *Adligit.* Pro *nictantia* in præcedenti verſu quidam, *minitantia.* CREECH. Vide Palmer. Spicileg. pag. 754. tom. IV. Fac. Crit. PREIG.

183. *Oculos ad lumina noſtros*] In aliis: *oculorum ad lumina noſtra*; male, uti puto. GIFAN. Ordo eſt: quam lumina, quæ ad oculos noſtros perveniunt. ſic autem legi debet, ut ego excudendum curavi, non, ut vulgo legitur,

——— ——— *oculorum ad lumina noſtra.*

Hanc etiam lectionem approbavit & ſecutus eſt Zoilus, ut à ſe repertam, aut excogitatam. LAMB. De veritate hujus lectionis *oculos ad*, nulla ſupereſſe dubitatio poteſt; ſic ſolet Lucretius, ut ſæpius a doctis interpretibus monitum. Ut: *hunc propter, variis de,* &c. PREIG.

184 *Et ſimul alte exſtructis*] Id eſt, & ſimul exaggeratis, & coacervatis. ſic loquitur infra: 245.

Fulmina gignier è craſſis, alteque putandum eſt
Nubibus exſtructis. LAMB.

185. *Impete miro*] Id eſt, mira celeritate, ſeu miro impetu. ſic libr. 4: 901. de navi loquens,

Et manus una regit, quantovis impete euntem.

& lib. 5: 506. de æthere:

Ipſe ſuos igneis certo fert impete labens.

& infra de fluminibus:

Nunc ea quo pacto gignantur, & impete tanto
Fiant, &c. LAMB.

Id quidem ferri poteſt: At meliùs *Agmine.* CREECH.

186. *Nec tibi ſit fraudi, &c.*] Nec ne te decipiat: vel, & vide ne te inducat, quod ex locis infernis magis cernimus, quam latè pateant nubila, quam quanta ſint altitudine, & quam in altum & ſurſum verſus exaggerata. *inferne*, id eſt, ex Terra, ex loco infimo, ſeu inferno. neque

Aut ubi per magnos monteis cumulata videbis
Inſuper eſſe aliis alia, atque urgere ſuperna
In ſtatione locata ſepultis undique ventis:
Tum poteris magnas moleis cognoſcere eorum,
Speluncaſque velut ſaxis pendentibus ſtructas
Cernere, quas Venti quom, tempeſtate coörta,
Complerunt, magno indignantur murmure clauſi
Nu-

INTERPRETATIO.

aut cum videas circum magnos montes alias ſuper alias coacervatas, & ſuperiores, licet nullo vento impellantur, inferiores deorſum premere: Tum enim cognoſcere poteris Nubes eſſe altas, & videre ſpeluncas in illis velut Saxis pendentibus ſtructas, quas ſpeluncas cum validi Venti impleverint, nubibus incluſi magno murmure indignantur,

VARIÆ LECTIONES.

190. *Aut.* At Q. *cumulata.* collata videbis c. O. P.
191. *urgere.* viguere Q. urguere Q1. *ſuperna.* ſuperne K.
196. *clauſi.* clauſæ K.

NOTÆ.

que vero eſt, quod quemquam moveat ultima ſyllaba correpta. eſt enim brevis. & ita de *ſuperne* ſentiendum: ut libro 4: 441.

——— ——— *& rectà ſuperne guberna.*

Veruntamen non diſſimulabo, in quibuſdam lib. legi *inferna:* quam lectionem ſi probabimus, paullo aliter hunc locum explicabimus. Lambin. *Inferne*, In quibuſdam libris: *inferna.* Gifan. In errorem inducat. Faber. V. 17. Scrupulus propter Nubes viſas non ut latas, ita profundas, ideoque non iſtis fornacibus, & ſpeluncis, quas fingit, extructas. Hunc eximit. Et quædam ſubjungit de Vento inter Nubes fremente, & tandem cum Fulgure erumpente. Creech.

187. *Quam ſurſum, &c.*] Ordo eſt: quam quid exſtent ſurſum extructa, id eſt, quam quantum extent ſurſum verſus ſpiſſa & denſa. quod ſi quis malet legi *inferna*, totum hunc locum ſic declarabo: Et ne te decipiat, quod nos magis videmus, quam ſint lata inferna, id eſt, infernæ nubium partes, quam ſurſum exſtructa, id eſt, eæ partes, quæ ſunt ſurſum verſus exſtructæ; quid exſtent, id eſt quantum emineant. Lamb.

188. *Contemplator enim*] Sic ſupra libr. 2: 113.

Contemplator enim, cum Solis Lumina cumque, &c. Lamb.

191. *Atque urgere ſuperna*] Ita veteres libri. Gifan.

192. *Sepultis undique ventis*] Sedatis & ſtratis ventis. tralatio eſt. ſic Græci dicunt κοιμίζειν ἀνέμους, id eſt ſopire. Lamb. Ut alii, *ſopitis*, ab eadem metaphora. Faber. Virg. 2: 265.

Invadunt urbem ſomno vinoque ſepultam.

Turneb. *Adv.* xxx. *cap.* xix.

194. *Speluncaſque velut ſaxis pendentibus ſtructas*] M. Tull. lib. 1. Tuſc. quæſt. ex neſcio quo poëta:

Per ſpeluncas ſaxis ſtructas aſperis, pendentibus,
Maximis. Lamb.

In ſpeluncis enim Saxa videntur pendere, *Pendentia Tecta* Virgilius, & paſſim Poëtæ. Creech.

195. *Tempeſtate coörta*] Sic loquitur & Cæſar lib. 7. de bello Gall. *Quod magna ſubito erat coörta tempeſtas* Idem Lucret. lib. 1: 762.

Aut ita diffugient, ut, tempeſtate coörta, &c.

idem infra: 457.

Uſque adeo, donec tempeſtas ſæva coörta eſt.

Virg. lib. 10: 405.

Ac velut optata ventis æſtate coörtis, &c.

Lamb.

196. *Magno indignantur murmure clauſi*] Sic Virg. lib. 1. Æneid. 59.

Illi

Nubibus, in caveiſque ferarum more minantur:
Nunc hinc, nunc illinc fremitus per Nubila mittunt:
Quaerenteſque viam circumverſantur, & ignis
Semina convolvunt è Nubibus: atque ita cogunt
Multa, rotantque cavis flammam fornacibus intus,
Donec divolſa fulſerunt nube coruſci.
  Hac etiam fit uti de cauſa mobilis ille
Devolet in terram liquidi color aureus ignis,
Semina quod Nubeis ipſas permulta neceſſe eſt

Ignis

INTERPRETATIO.

& ut Feræ in caveis fremunt. Nunc ex hac, nunc ex illa parte murmura emittunt, & viam quærentes circumverſantur, multa Ignis ſemina è nubibus corradunt, in unum congregant, verſantque flammam in cavis nubium fornacibus, donec tandem dirupta nube erumpunt multo fulgore coruſcantes. Poteſt etiam fieri, ut mobilis ille color aureus liquidi Ignis (ut velox ille, purus, fulgiduſque Ignis qui Fulgur dicitur) in Terram devolet hanc ob cauſam, Nempe quia neceſſe eſt nubes ipſas multa ſemina Ignis continere;

VARIÆ LECTIONES.

197. *minantur.* minantes H2.
198. *Nunc hinc, nunc illinc.* Nunc huc nunc illuc *Gaſſ. fremitus.* fremitu Y. Z.
200. *convolvunt.* convolvuntur Q. X. *è Nubibus.* in nubibus *Creech.*
201. *flammam.* flammas Z.
204. *color.* calor Q. Y. Z.

NOTÆ.

Illi indignantes magno cum murmure, montis
Circum clauſtra fremunt. LAMBIN.

200. *Convolvunt*] Corradunt, colligunt. LAMB.

200. *E Nubibus*] Leg. *In Nubibus*, id enim tota poſtulat ſententia. CREECH.

202. *Fulſerunt*] Fulgorem conceptum ediderunt. LAMB.

203. *Hac etiam*] Alia cauſa fulguris, quia nubes multa in ſe ignis ſemina contineant. LAMB. Non tantum Ignis in Nubibus circum rotatus accendi poteſt, ſed ipſæ Nubes multa Ignis corpuſcula ſive à Sole, ut docuit Empedocles, ſive aliunde accepta continent. Id enim ſplendidus & flammeus Color quarundam nubium demonſtrat; Iſta autem Corpuſcula à Vento, compellente & comprimente Nubes, expreſſa Fulgur efficiunt. ℣. 11. CREECH.

204. *Liquidi*] Lucidi, vel puri, vel effuſi & abundantis. Macrob. lib. 6. Saturn. c. 5. LAMB. Maro item Ecl. 6: 3.

Et liquidi ſimul Ignis.

Ubi Servius per *puri* & *ætherii* explicat, locumque præter hunc Lucretii etiam Ciceronis, qui dixerit *ignitum liquorem* adducit. Alias enim ſiccæ rei aridæque haud convenit *liquidi* epitheton. Lactantium hoc quoque, ut plura, imitatum docuit Turneb. Adv. x: 8. cujus antiqui ſcriptoris hæc ſunt verba lib. 6. c. 11. *Aliud ille a nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, ſed, ut ait poëta, liquidum atque clarum, mentis ſcilicet.* HAV.

207. *Plerumque colos*] Utraque ſunt uſitata; *color, honor, timor, labor, vapor, odor:* & *colos, honos, timos, labos, vapos.* Nonius in voce *vapos,* & *odos.* LAMB.

208. *Quippe etenim Solis de Lumine*] Hanc ſententiam tangit & refellit Ariſtot. lib. 2. μετεωρ. Καίτοι τινὲς λέγουσιν, ὡς ἐν τοῖς νέφεσιν ἐγγίνεται πῦρ. τοῦτο δ᾽ Ἐμπεδοκλῆς μέν φησιν εἶναι τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον

Ignis habere: etenim quom ſunt humore ſine ullo,
Flammeus eſt plerumque colos & ſplendidus ollis.
Quippe etenim Solis de Lumine multa neceſſe eſt
Concipere, ut merito rubeant, igneiſque profundant.
Haſce igitur quom Ventus agens contruſit in unum
Compreſſitque locum cogens: expreſſa profundunt
Semina, quae faciunt flammae fulgere colores.
  Fulgit item, quom rareſcunt quoque Nubila coeli.
Nam quom Ventus eas leviter diducit eunteis,

Diſſol-

INTERPRETATIO.

namque nubes quæ aquam nullam continent, ſplendidi plerumque flammeique coloris ſunt; quippè neceſſe eſt illas recipere multa Ignis corpuſcula à Sole, & hanc ob cauſam merito ruber illis color, & Ignem poſſunt emittere; Cum autem Ventus in unum locum contruſit hujuſmodi nubes, eaſque cogens compreſſit, tum illa corpuſcula exprimuntur quæ faciunt Fulgur. Fulgur denique fit, cum nubes Cœli rareſcunt, Nam cum Ventus nubium volitantium partes leviter diducit,

VARIÆ LECTIONES.

206. *etenim.* ſed enim P. *recte tamen corrigit in not.* P. Hic cum ſeqq. duob. abeſt in Q.
207. *colos.* Ita in Y. a pr. m. ſed a ſec. *color. ollis.* Solis Y.
210. *Haſce igitur.* Has igitur C. E. K.
212. *fulgere colores.* fulgore colores c. K. O. P. ſcrib. jubet *fulgere* P. *in not.*
214. *diducit.* diducat Q1.

NOTÆ.

νόμενον ἐκ τῶν τοῦ ἡλίου ἀκτίνων· Ἀναξαγόρας δὲ ἐκ τοῦ ἄνωθεν αἰθέρος, ὃ δὴ ἐκεῖνος καλεῖ πῦρ, κατενεχθὲν ἄνωθεν κάτω. id eſt, *Atqui ajunt nonnulli, in nubibus ignem innaſci. hunc autem ignem Empedocles quidem dicit eſſe eum, qui comprehenditur & concipitur ex radiis Solis: Anaxagoras autem ex ſupremo æthere (quem ille ignem appellat) ſuperne deorſum delatum,* &c. LAMB.

210. *Haſce igitur*] Sic habent libri ferè omnes manuſcr. & nonnulli vulgati: alii, *Has igitur.* LAMB.

210. *Agens*] Impellens, incitans. LAMB.

211. *Expreſſa*] ἐκτεθλιμμένα. LAMB.

212. *Quæ faciunt flammæ fulgere*] Quæ faciunt, ut flamma exſiſtat, & fulgor oriatur. ſic loquitur & alibi: ut ſup. lib. prox. 760.

Quæ faciunt igneis interſtingui, atque perire?
& eod. lib. ſupra: 661.

Quæ faciunt Solis nova ſemper Lumina gigni.
& eod. libro; 702.

Qui faciunt ſolem certa de ſurgere parte.
& hoc libro 6: 175.

Fecit, ut ante, cavam, docui, ſpiſſeſcere nubem.
& lib. 3: 101.

Harmoniam Graji, quam dicunt, quod faciat nos
Vivere cum ſenſu, &c.
ad quem locum plura exempla congeſta ſunt. LAMB.

213. *Fulgit item*] Alia cauſa fulguris, non cujuſlibet, ſed ejus quod fit ſine terrore. Hunc verſum profert Nonius in verbo *fulget.* LAMB. Modò dixit Semina Ignis, quæ in Nubibus continentur, vi & impetu Venti exprimi; jam ℣. 5. licet non exprimantur, tamen diductis & diſtractis Nubium partibus decidant neceſſe eſt, atque inde lene illud & mite Fulgur, quod lumine oculos perſtringit, nullo autem Tonitru percellit Aures. CREECH.

214. *Diducit*] Diſtrahit, divellit. LAMB.

 215. *In*

Diſſolvitque, cadant ingratis illa neceſſe eſt
Semina, quae faciunt fulgorem: tum ſine terro
Terrore, & Sonitu fulgit, nulloque tumultu.
Quod ſupereſt, quali natura praedita conſtent
Fulmina, declarant ictus, & inuſta vapore
Signa, notaeque graveis halantes Sulfuris auras.
Ignis enim ſunt haec, non Venti ſigna, neque Imbris.
Praeterea, per ſe accendunt quoque tecta domorum,

Et

INTERPRETATIO.

eaſque diſtrahit. tum neceſſe eſt ut iſtá Semina Ignis quæ fulgur faciant (diductis viz à quibus continebantur nubibus) deciderent; Tum autem fit Fulgur ſine horrendo Tonitru. Proinde quali natura prædita ſunt Fulmina demonſtrant illorum ictus, ſigna quæ relinquunt peruſta flammâ, & notæ tetros ſulphuris odores emittentes. Hæc enim ſunt indicia, Ignis, non Aëris, neque Aquæ. Præterea, Fulmina per ſe incendunt domos,

VARIÆ LECTIONES.

215. *ingratis illa.* ingratius illa C. E. P. X. Y. Z. ingratis *corrigi jubet* P. *in not.* ingratiis L.
218. *quali natura.* quod ſic natura C. E. N. P. ignis natura, *nonnulla exempl.* P. *in not.* quod ſit natura P. *in not.*
219 *ictus.* ictu Y. Z. *& inuſta.* & mixta vapore H2. *codd antiqui* P. *in not.* *vapore.* vaporis Y Z.
220 *halantes.* halantis C. E. *auras* ſulfuris aureis c. O. P. *auras*, legi jubet *in not* P.
222. *per ſe accendunt.* ſæpe accendunt V. ſeſe *codd.* P. *in not.* ſe Q. Y. Z. *per* abeſt in Q.

NOTÆ.

215. *Ingratiis*] Adverbium, quod valet *invite*, & *velint*, *nolint*: vel ablativi caſus, ſine recto, compoſiti ex *gratiis*, & particul. negat. *in* ut ſupra lib. 3: 1083.

—— —— *ingratiis hæret & angit.*

eſt autem utrobique triſyllabum. apud Terent. autem Heautont. 3: 1: 37. quattuor ſyllabarum,

Proterruiſti hinc. ea coacta ingratiis, &c. Lamb.

Velit nolit, nam diductis nubibus neceſſe eſt incluſas Ignis ſcintillas erumpere. Creech.

218. *Quod ſupereſt quali*] Nunc de fulminis natura, ejuſque mobilitate. Et ait, declarari fulmen natura eſſe ignea ex eo, quod loca fulmine tacta odorem ſulfuris mittant, & quod atra ſint, quaſi calore inuſta. hunc locum autem in integrum reſtitui, partim offenſus ſcriptura vulgata, quæ eſt,

Quod ſupereſt quod ſic:

partim ab uno codice Manuſcrip. admonitus, in quo ſcriptum reperi,

Quod ſupereſt, quaſi:

ex quo feci,

Quod ſupereſt, quali, &c.

quæ lectio ſine dubio rectá & vera eſt. Etiam hanc emendationem Zoilus tacitus amplexus eſt, nulla varietatis mentione facta. Lamb. Cum Fulmen urat res tactas, cum domos incendat &c. neminem videas qui ejus naturam igneam eſſe diffiteatur. Quod autem parietes penetrat, quod Aurum, Æs, reliqua metalla liquefacit, quod Vaſe integro exhaurit liquorem, vel facit ut effluat, id quidem pernici motui, & ſubtilitati illius Ignis attribuendum. Creech.

220. *Notæque graveis halantes*] Ordo: notæque halantes, id eſt exhalantes, auras graveis, & tætras, & ſulfureas. vitioſe autem habent quidam vulgati libri *halanteis* Lambin. *Halantes*, Quidam libri: *halantis*, referatur ad auras. Gif.

222. *Per ſe*] Melius quam *Sæpe.* Creech.

226. *Quei*

Et celeri flamma dominantur in aedibus ipſis.
Hunc tibi ſubtilem cum-primis ignibus ignem
Conſtituit Natura minutis, mobilibuſque
Corporibus, quoi nil omnino obſiſtere poſſit.
Tranſit enim valide Fulmen per ſepta domorum;
Clamor uti, ac Voces: tranſit per ſaxa, per aera:
Et liquidum puncto facit aes in tempore, & aurum.

Curat

INTERPRETATIO.

celerique flamma in ipſis ædibus dominantur: Hunc autem ſubtilem Ignem, è minutiſſimis Ignibus, & ſeminibus maxime mobilibus compoſuit Natura, cui Igni nihil omnino poteſt obſiſtere; Fulmen enim magno cum impetu tranſit per parietes domorum, ut Clamor & Voces, per Saxa etiam, & per Æra tranſit, & momento temporis Aurum & Æs liquefacit:

VARIÆ LECTIONES.

224. *Hunc.* Nunc P. *recte tamen corrig. in not.* P.
225. *mobilibuſque.* motibus, atque H. Y. Z. montibuſque Q. montibus atque Q1.
226. *obſiſtere poſſit.* abſiſtere poſſit c. O. P.
227. *valide.* validum Y. Z.
228. *uti, ac voces.* uti vocis C. E. N. Abeſſe poteſt hic verſus *Creech.*

NOTÆ.

226. *Quoi nil omnino obſiſtere poſſit*] Sic infra ỳ 330.

Non facile eſt tali naturæ obſiſtere quidquam.

LAMB.

227. *Tranſit enim valide*] Cod. Memm. habet, *Tranſit enim validum Fulmen.* LAMB.

228. *Clamor uti, ac Voces*] Sic habent tres lib. Manuſcr. Vatic. Tettian. Memm. & ita legi debet: tantum apponendum eſt comma poſt nomen *voces*, ut verbum *tranſit* cohæreat cum voce *fulmen*, & ſit ἐπαναφορᾷ, hoc modo: fulmen tranſit per ſæpta domorum, tranſit per ſaxa, per æra, quemadmodum clamor, & voces. ad hunc locum pertinent illa lib. 1: 355.

Inter ſæpta meant voces, & ſæpta domorum
Transvolitant.

ibidem, 490.

Tranſit enim fulmen cæli per ſæpta domorum
Clamor uti ac voces.

Sed quæri poteſt, quamobrem tanta vis inſit in fulmine, tantaque mobilitas. primum ventus eſt: ventus autem mobilis eſt. deinde ventus eſt incenſus: ignea autem omnia mobilia ſunt. deinde è nubibus magno impetu exprimitur. atque exprimuntur, qua erumpunt, celerrimè & validiſſimè evolant, ut quæ è tormentis miſſa ferri videmus: quod & Lucret. poſterius teſtatur, ibi:

Inde, ubi non potuit nubes capere impetis auctum.
Exprimitur vis atque ideo volat impete miro,
Ut, validis quæ de tormentis miſſa feruntur.

motus autem calorem auget. Ita fit, ut ignis fulmineus ſit & ſubtiliſſimus, & celerrimus, & validiſſimus: ſaxa diſcutiat, aut penetret: æs, & aurum, & ſimilia liquefaciat: ſolo denique contactu, atque adeo afflatu animanteis interimat, & ſimilia auditu mira faciat. LAMB. In aliis: *Clamor uti vocis.* ſupra, lib. 1. verſ. 491. GIFAN. Alii, *Clamor uti Vocis.* Sed totus hic verſus abeſſe poteſt. CREECH.

229. *Et liquidum puncto*] Et clypei æs, aut ferrum liquefacit: *lignum nullo damno afficit* (inquit Ariſtot. lib. 3. μετεώρ.) *propterea quod natura ligni rara & mollis eſt, hæc metalla autem dura & ſolida ſunt. fulmen autem per lignum & ſimilia permanat ac permeat prius quam in ea vim ſuam expromat: dura vero, & obſtantia, & remorantia vel diſcutit ac diſturbat, vel conſumit ac liquefacit.*

Mmm 2 Plin.

Curat item ut vaſis integris Vina repente
Diffugiant: quia nimirum facile omnia circum
Conlaxat, rareque facit lateramina vaſis,
Adveniens calor ejus ut inſinuatur in ipſum: &
Mobiliter ſolvens differt primordia Vini:

Quod

INTERPRETATIO.

facit etiam, ut Vaſe non dirupto Vinum defluat ſubito, & dilabatur, nimirum, quia Ignis ejus ſe in Vas inſinuans partes lateritii Vaſis diducit, novoſque in illis meatus aperit, & ipſum corpus Vini diſſolvens illius ſemina diſpergit:

VARIÆ LECTIONES.

230. *Curat item.* Cur autem, *in not. ſcribendum cenſet ex priſca lectione* P. *ut.* deeſt N. P. Y. Z.

232. *lateramina vaſis.* latera omnia vaſis C. E. N. P. Q. X. latera minua vaſi A. B. L. lateramina P. *in not.*

233. *inſinuatur.* inſinuetur Q1. inſinuatus Y. Z. *in ipſum: &.* in ipſum C. E. N. P. Q. Y. Z.

NOTÆ.

Plin. libr. 2. capit. 51. *Aurum, & æs, & argentum liquatur, intus ſacculis ipſis nullo modo ambuſtis.* Quidam libri habent, *Et liquidum parvo facit æs, &c.* LAMB. Egregie & poëtice Claudianus, ubi de Marci Aurelii expeditione, & pluvia illa celebrata agit VI. Conſ. Honorii ℣. 344.

——— ——— ——— Hic tabeſcente ſolutus
Subſidit galea, liquefactaque fulgure cuſpis
Canduit & ſubitis fluxere vaporibus enſes. HAV.

229. *Tempore*] Ita quidam libri; alii: *temporis.* In quibuſdam Veteribus: *parvo facit* GIFAN.

230. *Curat item*] Tralatio eſt. ſic ſupra lib. 3: 127.

——— ——— ——— calidique vaporis
Semina curare, in membris ut vita moretur.
LAMB.

230. *Ut vaſis integris*] Sic & Plin. lib. eodem. *Tertium fulminis genus eſt, quod clarum vocant, mirificæ maxime naturæ, quo dolia exhauriuntur, intactis operimentis, nulloque alio veſtigio relicto* LAMB.

231. *Diffugiant*] Tralatio illuſtris, & tamen uſitata, pro eo quod eſt *diffluant & dilabantur.* idem lib. 1: 1096. ad flammas tranſtulit:

Ne volucrum ritu flammarum, mœnia mundi
Diffugiant ſubito, &c.

in eod. libr. 762. ad fulmina, ad imbreis & ad ventos:

Aut ita diffugient, ut tempeſtate coorta,
Fulmina diffugere, atque imbreis ventoſque videmus

ſic Plautus Aulul. 1: 2: 16.

Tum aquam aufugiſſe dicito, ſi quis petet. LAMB.

232. *Lateramina vaſi*] Ita veteres libri; rectiſſime, & Martianus, lib. III. Vulgati: *latera omnia vaſis.* GIFAN. Cum animadverterem, libros omneis manuſcriptos habere *lateramina:* vulgatos autem *latera omnia:* diu multumque dubitavi, utram lectionem probarem. ad extremum, lectionem veterem ſequi malui, idque tutius eſſe judicavi. Acceſſit, quo facilius hanc ſcripturam probarem. quod vaſa vinaria, cum ſint fere rotunda, latera non habent: *lateramina* autem, id eſt lateres, habent, cum ſint fictilia, & ex terra conſtent. *Vaſi* autem, quod in ſuperioribus duabus editionibus prætermiſeram, quia nullo in codice repereram, in hac editione tandem repoſui, Capellæ auctoritatem ſecutus: quem homo contumelioſus, & de me male meritus, teſtem produxit. Nam libri omnes & vulgati & manuſcripti habent *vaſis. Vas* autem & *vaſum* dixiſſe veteres, teſtatur & Cariſius. nullo quidem ſcriptore teſte producto: ſed licet hoc auctoris locupletis, Fabii Pictoris, teſtimonio confirmare. ſic igitur ille apud Nonium in voce *polubrum:*

Aquam

Quod Solis vapor aetatem non poſſe videtur
Efficere, uſque adeo pollens fervore coruſco:
Tanto mobilior vis, & dominantior haec eſt.
Nunc ea quo pacto gignantur, & impete tanto
Fiant, ut poſſint ictu diſcludere Turreis,

Diſtur-

INTERPRETATIO.

Quod Calor Solis non poterit efficere per multos annos, Vis fulminis fervore coruſco pollens tanto penetrantior & potentior eſt quam Solis calor. Nunc quo pacto generatur Fulmen, unde tanta ſit illius vis, & impetus, ut ictu poſſit Turres diſcutere, ædes disjicere,

VARIÆ LECTIONES.

236. *uſque adeo pollens.* Exque adeo cellens Z. Uſque adeo tellens Y. tollens A, B. candens C. E. P.

239. *diſcludere.* diſcindere Turreis *Quidam.*

NOTÆ.

Aquam manibus, pedibuſque dato: polubrum ſiniſtra manu teneto. dextra vaſum cum aqua, & Plauti in Trucul. 1: 1: 33.

Aut emta ancilla, aut aliquod vaſum argenteum, &c. & Catonis apud A. Gell. lib. 13. cap. 22. *Neque mihi ædificatio, neque vaſum, neque veſtimentum ullum eſt in manu pretioſum: neque pretioſus ſervus, neque ancilla.* LAMB. Dolia enim lateritii operis erant. FABER. Dolia enim vinaria lateritii operis erant, Horatio *Teſtæ:* & ex Latere *Lateramen*, ut ex Ferro *Ferramen*, ex Ære *Æramen*, &c. CREECH.

233. *Ut inſinuatur*] Id eſt ubi, vel cum inſinuatur. LAMB.

235. *Ætatem*] Longiſſimum tempus, diutiſſimè. ſic Plautus Amphitr. 4: 2: 3.

——— eo modo, ut profecto vivas ætatem miſer.

idem Curculione 4: 3: 22.

——— ſed vives per me ætatem quidem.

Idem Pſeudulo 1: 5: 100.

Do Jovem teſtem tibi, te ætatem impune habiturum.

Idem Pœnulo 3: 3: 23.

Bono ſi quid malefacias, ætatem expetit.

Sic & Terent. Eun. 4: 5: 7.

——— ——— ——— an abiit à milite?

C. jamdudum ætatem.

Idem Heautont 4: 3: 38.

Quid? (malum) me ætatem cenſes velle id adſimularier?

Unus eſt dies, dum argentum eripio: pax, nihil amplius

ubi tamen vulgo legitur,

Quid? malum, me tandem.

idem Hecyr. 5: 1: 21.

Nam neque ille hoc animo erit ætatem: neque pol tu eadem iſtac ætatem LAMB.

Terentius Eun. Act. 4. Sc. 5. *Jamdudum: ætatem lites ſunt inter eos factæ Maxumæ. Jamdudum ætatem* pro longinquo tempore: Lucilius, *Ut multos Menſeſque, dieſque; non tamen ætatem:* Donatus. CREECH.

236. *Uſque adeo pollens*] Sic reſtitui à quinque libris Manuſcriptis admonitus, in quorum tribus ſcriptum eſt *tollens*, in duobus *tellens.* niſi quis dicat, legi poſſe *cellens*, pro *excellens*: ut ſit ſimplex pro compoſito. quod minus probo. Vulgata lectio autem *candens*, ſubdititia & adulterina eſt. LAMB. *Uſque adeo tollens*, Ita veteres libri. Quidam: *tellens*, ut ſupra: *protollere*, quidam: *protellere* Lambinus facit: *pollens.* Vulgati: *candens.* GIFAN. Recte Lambinus, *pollens*, & valeat Gifanii *Tollens*, & Aliorum *candens*, vel *cellens*, viz. excellens. CREECH.

237. *Et dominantior*] Et potentior, ἰσχυρότερα, κρείττων, κυριώτερα. LAMB.

237. *Hæc*] Vis fulminis. LAMB.

238. *Nunc ea quo pacto gignantur*] Cum ortum Fulminis exquiras, obſervandum eſt nunquam ſine nubibus denſis fulminare; Niſi enim ſpiſſæ

eſſent

Diſturbare domos, avellere tigna, trabeiſque,
Et monumenta virûm demoliri, atque ciere,
Exanimare Homines, Pecudes proſternere paſſim:
Caetera de genere hoc qua vi facere omnia poſſint,
Expediam, neque Te in promiſſis plura morabor.
  Fulmina gignier è craſſis, alteque putandum eſt
Nubibus exſtructis: nam coelo nulla ſereno,
Nec leviter denſis mittuntur nubibus unquam.
Nam dubio procul hoc fieri manifeſta docet res,

Quod

INTERPRETATIO.

Tigna & Trabes avellere, Hominum Monumenta evertere, Homines pecudeſque exanimare & proſternere; qua denique vi alias iſtiuſmodi Strages edat docebo, neque Te in promiſſis diutius morabor: Jam vero credendum eſt Fulmen gigni è craſſis nubibus, & alte aliis ſuper alias coacervatis, nulla enim Fulmina è Cœlo ſereno, aut è Nubibus non valde ſpiſſis mittuntur. Hoc autem verum eſſe quotidiana docet experientia,

VARIÆ LECTIONES.

240. *tigna, trabeiſque.* ligna, trabeiſque C. E. P. Q1. *ſigna trabeiſque* Z.
241. *demoliri.* commoliri A. B. D. X. Z.
243. *poſſint.* poſſunt C. E. K. P. X.
244. *neque Te in.* neque in C. E. N. Q. X. Y. neque quam in Z. neque quem in V.
245. *gignier.* gigni Q1. X. Y. Z.
246. *Nubibus exſtructis.* Nubibus extractis C. P. X. extructis H2. *Quidam. codd.* P. *in not.* extruſis *alii codd.* P. *in not.*
248. *hoc fieri.* hæc fieri *Gaſſ.*

NOTÆ.

eſſent nubes, atque altè exſtructæ, non illa Grandinis & Imbris copia Fulmen ſequeretur: In iſtis igitur nubibus concipias Ventum pernici motu circumrotatum iſto motu caleſcentem, & multa Ignis Semina è Nubibus iſtis exprimentem; tandem vel motu ſuo vel ab Igneis iſtis particulis accenſum Ingenti cum fragore, & immani impetu erumpere: Iſta autem eruptione ita concutit & diſtrahit Nubium partes, ut totæ in Grandinem abeant, vel in Imbrem diſſolvantur. Hæc ℣. 55. Creech.

240. *Avellere tigna*] Sic repoſui, ſecutus ſcripturæ veteris non obſcura veſtigia. nam libri vulgati habent *ligna*. Etiam hanc emendationem diſſimulanter arripuit Zoilus. Lamb. Ita veteres quidam libri, ut & ſupra, lib. II. ℣. 196. In Vulgatis: *ligna*. Gifan.

241. *Monumenta*] Ut ſtatuas, ſepulcra, tropæa, porticus, theatra, templa, arcus triumphaleis, & ſimil. Lamb.

241. *Demoliri*] Quidam libri ſcripti habent *commoliri*. ego ſcripturam vulgatam retineo. neque tamen antiquam damno. Lamb. Veteres libri, fere *commoliri*. Marullus: *demoliri*, ut & Vulgati. Gif. Alii, *commoliri*. Fab. & Creech.

244. *Neque Te in promiſſis plura morabor*] Sic ſupra lib. quinto: 92.

Quod ſupereſt, ne Te in promiſſis plura moremur, &c. ubi admonuimus, à quibuſdam viris doctis legi *ne te promiſſis*, &c. ſine præpoſitione *in*. Lamb. *Neque te in promiſſis*, Ita ex veteribus libris poſui, ut & ſupra, lib. v. ℣. 92. Gifan.

244. *Plura*] Amplius. Lamb.

245. *Alteque putandum Nubibus exſtructis*] Sic legen-

Quod tunc per totum concreſcunt Aëra nubes
Undique, uti tenebras omneis Acherunta reamur
Liquiſſe, & magnas coeli complêſſe cavernas:
Uſque adeo tetra nimborum nocte coörta
Impendent atrae formidinis ora ſuperne,
Quom commoliri tempeſtas Fulmina coeptat.
Praeterea, perſaepe niger quoque per mare Nimbus,
Ut picis è coelo demiſſum flumen, in undas
Sic cadit, & fertus tenebris, procul attrahit atram
Fulmi-

INTERPRETATIO.

Quoniam tum Nubes per totum Aëra ita denſantur, ut putes omnes tenebras Inferos reliquiſſe, & ſpatioſa Cœli loca replevisse, tam atra & horrenda Nox è coactis Nubibus coörta impendet deſuper & terret, cum Nimbus procelloſus incipit præparare Fulmina; Præterea, ſæpe niger Nimbus, ut Nautæ obſervant, tanquam Picis flumen è Cœlo demiſſum, in Mare tanto cum impetu deſcendit, ita tenebris horret, & trahit atram

VARIÆ LECTIONES.

253. *Impendent.* Impendunt P. impendant Y.
256. *demiſſum* dimiſſum Y. Z. *flumen.* fulmen P. Y. Z.
257. *fertus tenebris procul.* fertur terris procul F. fertus V. *Alii* fertur tenebris procul & trahit atram. *ſed vide Notas.*

NOTÆ.

legendum, non, ut in quibuſdam lib. *extractis*, neque, ut in nonnullis, *extruſis. alte exſtructis* autem, id eſt *alte exaggeratis*, *& denſis* ſic Marcus Tullius dixit libro ſecundo de leg. *ſepulcrum altius exſtruere.* idem 5. Tuſcul. tranſlatè, *Menſæ conquiſitiſſimis epulis exſtruebantur:* & Horat. Sat. 6. libri ſecundi, ℣. 105.

Quæ procul exſtructis inerant heſterna caniſtris.

hic quoque ſui ſimilis fuit Zoilus. LAMB. *Alteque putandum eſt Nubibus exſtructis*, Ita ſupra. Alii: *extractis*, *extruſis*; male. GIFAN.

246. *Nam cælo nulla ſereno*] Nam eadem eſt venti, terræ motus, tonitrus, & fulminis materia, & (ut ita dicam) eſſentia, nempe ſicca exhalatio, ut ſcribit Ariſtoteles libro ſecundo meteor. in extr. ex hac enim ſuper terram quidem fit ventus: in terra autem, ſeu ſub terra, terræ motus: in nubibus vero vel imber, vel tonitrus, vel procella, vel fulmen. LAMB.

250. *Undique, uti tenebras omneis*] Quattuor verſus qui deinceps ſequuntur, ſupra poſiti ſunt lib. 4. non longè à principio. LAMB.

256. *Demiſſum flumen*] Sic legendum, non *demiſſum fulmen.* nigrum enim nimbum expreſſit ſimilitudine fluminis picei è cælo demiſſi. Hic quoque Zoilus fuit malignus, & βάσκανος, & κωμῳδίας. LAMB. Vulgati: *fulmen*, male. Hac in re ſæpiſſime variatum. GIFAN.

255. *Præterea perſæpe niger quoque per mare nimbus,*
Ut picis è cælo demiſſum flumen, in undas
Sic cadit & fertur tenebris *procul*, &c.]
Fateor, neque me illius pudet, non intelligo quid hoc ſit negotii, *Nimbus fertur tenebris procul*; ſed hoc me beat, Lector, quod nec tu fortaſſe, imo, certa res eſt, non intelligis. Quid autem, donec plus ingenii, & tu & ego habeamus, vel certe meliorem magiſtrum nacti fuerimus, quid, ſi legeretur, *& fertur terris procul?* Non ita, ut opinor, male; cum ſcilicet antea occurrerit, *perſæpe niger quoque* per mare *nimbus*: Nautæ vero quanto *à terris* abſunt longius, tanto & iis à tempeſtate gravius periculum eſt, quippe qui in tutum ſe vix ſatis tempori recipere poſſint. FABER. Ego autem videor intellexiſſe, nempe *fertur valde tene-*

Fulminibus gravidam tempeſtatem, atque procellis,
Ignibus, ac ventis cumprimis ipſe repletus:
In terra quoque ut horreſcant, ac tecta requirant.
Sic igitur ſupera noſtrum caput eſſe putandum eſt
Tempeſtatem altam: neque enim caligine tanta
Obruerent terras, niſi inædificata ſuperne
Multa forent multis exemto Nubila ſole:

Nec

INTERPRETATIO.

Tempeſtatem Fulminibus & procellis gravidam, ipſe Ignibus & Ventis plenus, ut licet longe à nobis feratur, tamen nos in Terra collocati terremur, & ſubimus domos; Igitur credendum eſt Nubes eſſe denſas, alteque exſtructas ſupra noſtrum caput, neque enim tam atra caligine terras obruerent, niſi aliæ ſuper alias eſſent coacervatæ,

VARIÆ LECTIONES.

259. *repletus.* repletur C. P.
264. *Nubila ſole.* lumina ſole *Gaſſ.*

NOTÆ.

tenebroſus per mare, procul ab iis qui in Terra collocati horreſcunt. Creech. Iſaacus Voſſius, & annotator noſter, ex ejuſdem ſeu MS. ſeu conjectura: *Et fertus tenebris.* Ita ſcripſiſſe Lucretium omnino crediderim, ut ſit ſimplex pro compoſito, *fertus* pro *refertus*, ut *pletus* pro *repletus*, & ſimilia apud Noſtrum. Sic ignibus & *ventis repletum* hunc nimbum dicit, verſu ab hinc tertio: & pariter; in præcedentibus: *tenebris magnas cæli cavernas compleri.* Conſtructioni tamen obſtat particula, &, ante verbum, quod ſequitur. Vide igitur, num ſcripſerit Lucretius:

——— Et fertus tenebris, procul attrahit atram
Fulminibus gravidam tempeſtatem, &c.

Attrahit, dum fluminis ritu, ex denſa lateque ſuſpenſa nube deſcendit. Simile quid nautis noſtris vocitatur *een ſtorp*, ſive *een ſturp*, q. d. voraginem, gurgitem, &c. Preig. & Hav.

260. *Horreſcant*] Homines. Lamb.

260. *Ac tecta requirant.*] Immo etiam ſpecus ſubeant. quod de Tiberio traditum eſt. Lamb.

263. *Inædificata*] Exaggerata. & exſtructa. tralatio eſt. proprie uſurpavit Cæſar libr. I. de bello civili: *Portas obſtruit, vicos plateaſque inædificat, foſſas tranſverſas in viis perducit.* & Marcus Tullius orat. de haruſp reſp. *In domo tua eſt inædificatum ſacellum.* quanquam hoc proximum exemplum aliquantum à ſuperiore diſcrepat. Lamb. Mox, ut & antea, *extructis alte nubibus.* Faber.

265. *Nec tanto poſſent venientis opprimere imbri*] Ita veteres libri. In Vulgatis, pro *venientis: hæc terras.* Marullus: *tantos imbres.* Quidam: *viventes.* Gifan. Secutus olim fueram codices vulgatos, qui ſic habent,

Nec tanto poſſent hæc terras opprimere imbri.

Et tamen antiquam ſcripturam lectori indicaram: quæ talis eſt,

Nec tanto poſſent venientes opprimere imbri:

unde quoſdam ſuſpicari ſcripſeram, legendum *viventeis*, id eſt homines, ſeu animanteis. vulgatam autem illam ſic declarabam: & hæc, videlicet fulmina, non poſſent, &c. ne illud quidem omiſeram, quibuſdam videri legendum, & ſupra, *Obrueret terras*, &c. ut ſubintelligatur vox *tempeſtas*: & hîc,

Nec tanto poſſet terras hac oppr. imbri, &c.

& verſu ſeq.

Flumina abund. ut faceret.

Nunc vero antiquam ſic leviter immuto,

Nec tanti poſſent venientes opprimere imbres,
Flumina, &c.

ad *opprimere* autem ſubintelligo *nos*, ſeu *animanteis.* Licet etiam ſic legere, non ita longe ab antiqua ſcriptura.

Nec tanto poſſent viventeis opprimere imbri,

ut

Nec tanto poſſent hæc terras opprimere imbri,
Flumina abundare ut facerent, campoſque natare,
Si non exſtructis foret alte Nubibus aether.
  His igitur Ventis, atque Ignibus omnia plena
Sunt; ideo paſſim fremitus, & fulgura fiunt:
Quippe etenim ſupera docui, permulta vaporis
Semina habere cavas nubeis: & multa neceſſe eſt

Con-

INTERPRETATIO

quæ ab ulteriori progreſſu radios Solis prohibere poſſint: Neque tantis Imbribus iſtæ Nubes Terras valerent opprimere, ut Flumina ripas ſuperare, campoſque inundare facerent, ſi non eſſent in cœlo altæ, & aliæ ſuper alias exſtructæ. Omnes Nubium cavernæ ſunt his Ventis atque Ignibus plenæ, idcirco ubique & frequenter Tonitru & Fulgur: Supra enim demonſtravi cavas Nubes continere multa Ignis corpuſcula,

VARIÆ LECTIONES.

265. *Nec tanto poſſent hæc terras opprimere imbri.* Nec tanti poſſent venientes opprimere imbres *Gaſſ.* tantos poſſent venientes opprimere imbres Hz. tantos imbres M. poſſent terras C. E. nec tanto poſſent venientis opprimere A. B. c. I. P. nec tantos P. *in not.* Abeſt *hæc* ab N. Nec tantos poſſent venientes o. i. Q1. *hæc terras.* venientes Y. Z.

266. *Flumina.* Fulmina c. O. P. Q.

268. *His igitur.* Hic igitur P. Y. Z. *plena.* plana Y. Z.

270. *ſupra.* ut ſupra Q1.

271. *Semina habere cavas.* ſemina hæc de re cavas Q. MSS. V. ſemina ciere cavas V.

NOTÆ.

ut ſubintelligamus *nubila*: & *viventeis* ſit accuſandi caſus, & ſignificet *animanteis*. Superiorem lectionem adjuvat verſus, qui eſt lib. 1: 286.

Nec validi poſſunt pontes venientis aquai
Vim ſubitam tolerare, &c.

Viventes autem pro *hominibus & animantibus* etiam Arnobius poſuit lib. 1. *Aquo* (Chriſto) *jam dudum tanta & accepimus dona viventes, & exſpectamus, dies cum venerit, ampliora?* quamquam *viventes* apud Arnobium proprie potius videtur poſitum, pro *iis qui vivunt*, ut ſit, nos qui vivimus, vel interea dum vivimus. Lamb. Hæc viz. Nubila, ut enim obruunt Terram caligine, ita Imbre opprimunt: Nec video cur huic lectione præferatur alia

Nec tanti poſſent venientes opprimere Imbres. Creech.

266. *Campoſquenatare,*] Hoc eod. lib. infra, 403.

——— *quid undas*
Arguit, & liquidam molem, campoſque natanteis?

& libr. 5; 489.

Augebat mare manando, campoſque natanteis.

facerent abundare flumina autem, uſitatum loquendi genus Lucretio, & aliis bonis ſcriptoribus: de quo ſupra non longe, ꝟ. 212.

——— *quæ faciunt flammæ fulgêre colores:*

& item libro 3: 102.

——— *quod faciat nos*
Vivere cum ſenſu, &c. Lamb.

268. *His igitur Ventis,*] Id eſt, talibus igitur ventis atque ignibus omnia aëris loca referta ſunt: ideoque paſſim, id eſt per totam cæli regionem, & per omneis ætheris parteis, tonitrua & fulgura gignuntur & excitantur. Vocem *plena* junxit cum auferendi caſu, cum M. Tullius ſoleat fere cum patrio conjungere. Lamb.

270. *Quippe etenim ſuperà*] paucis ante verſibus; ꝟ. 204.

Hac etiam fit uti de cauſa mobilis ille
Devolet in terram &c. Lamb.

273. *His*

Concipere ex Solis radiis, ardoreque eorum.
Hic ubi Ventus eas idem qui cogit in unum
Forte locum quemvis, expreſſit multa vaporis
Semina, ſeque ſimul cum eo commiſcuit igni:
Inſinuatus ibi Vortex verſatur in alto,
Et calidis acuit Fulmen fornacibus intus.
Nam duplici ratione accenditur, Ipſe ſua nam
Mobilitate caleſcit, & è contagibus ignis.
Inde ubi percaluit vis Venti, vel gravis Ignis,

Im-

INTERPRETATIO.

multa etiam neceſſe eſt ut accipiant a Solis radiis; Cum autem idem forte Ventus, qui illas Nubes in unum quemvis locum compulit, multa Ignis ſemina expreſſit, & ſe cum iſto Igni commiſcuit, tum rapida tempeſtas cavernis Nubis incluſa circumrotatur, & in calidis intus fornacibus fabricatur, parat, acuit, & excudit Fulmen. Ventus vero iſte duplici ratione accenditur, nam vel ſuo pernici motu flammam concipit, vel ab Igneis, quæ ſunt in Nube, Seminibus accenditur; Inde cum Ventus ipſe flammam conceperit, aut cum ab alio Igne accenditur,

VARIÆ LECTIONES.

273. *Hic ubi.* Hoc, ubi E. Q1. Hac H. 2.
275. *cum eo.* cum in eo C. P.
276. *Vortex.* vertex V. Z.
278. *Ipſe ſua nam.* accenditur, ipſe ſuapte L. *Creech. Gaſſ.* ſua cum C. E. N. P. Y. Z.
280. *vis Venti, vel gravis Ignis.* percaluit gravius jam ventus in ignis c. O. P. *recte tamen ex priſc codd. emendat in not.* P. gravis ventum inſigni Q. gravis venti vis igni Y. Z. *ignis.* igni Q1.

NOTÆ.

273. *Hic ubi Ventus eas idem*] Ordo: Ubi igitur hic idem ventus, qui eas in unum quemvis locum forte cogit, expreſſit, &c. Lamb.

274. *Vaporis*] caloris, ut ſæpe alibi, & fere ſemper. Lamb.

275. *Seque ſimul cum eo*] In præpoſitione *cum*, *m* non eliditur. quod neque huic ſcriptori, neque aliis nonnullis eſt inuſitatum, ut alias admonuimus. Lamb.

276. *Inſinuatus ibi Vortex*] Id eſt, tum ventorum globus ingreſſus, vel intromiſſus, circumagitur in aëre, & fulmen veluti quibuſdam calidis fornacibus intus fabricatur, parat, excudit, & exacuit. Lambin. In cavis viz. & profundis Nubium ſpeluncis Creech.

278. *Nam duplici ratione accenditur,*] nam duobus modis vortex ille venti, ſeu ventus ille conglobatus & convolutus, ignem concipit, id eſt, fit fulmen. Lamb.

278. *Ipſe ſuapte Mobilitate*] Libri vulgati habent, *ipſe ſua cum*, &c. quidam legunt *ipſe ſuaque;* ego *ipſe ſuapte* hac editione repoſui: quamvis olim *ipſe ſua nam* ediderim? quam lectionem alii avide ſunt ſecuti. Sunt autem hi duo modi, quibus ventus ille convolutus & conglobatus, fit fulmen. ipſe (inquit) vortex & ex ſua ipſius mobilitate, hoc eſt ſua celeritate, ſive ſuo celerrimo motu, calorem contrahit, & è contactu ignis. Lamb. Alii, *Ipſe ſuapte*, melius forſan, non enim placet vocis iſtius *nam* repetitæ ſonus. Creech. Videtur mihi ſcribendum eſſe *quom* (nam plurimi MSS. *cum* habent) id eſt, quom & ipſa caleſcit, pro caleſiat, ſua mob. &c. Hav.

279. *E contagibus*] Id eſt, è contactu. *contagibus*, à ſingulari *contages:* quo utitur ſup. lib. 3: 734.

Et mala multa animus contagi fungitur ejus,

& 4: 337.

Quæ

Impetus inceſſit: maturum tum quaſi Fulmen
Perſcindit ſubito Nubem, ferturque coruſcis
Omnia luminibus luſtrans loca percitus ardor:
Quem gravis inſequitur Sonitus, diſploſa repente
Opprimere ut coeli videantur templa ſuperne.
Inde tremor Terras graviter pertentat, & altum
Murmura percurrunt coelum: nam tota fere tum
Tempeſtas concuſſa tremit, fremituſque moventur:
Quo de concuſſu ſequitur gravis Imber, & uber,

Omnis

INTERPRETATIO.

tum Fulmen quaſi maturum ſubito perrumpit Nubem, & impetuoſus Ignis evolat coruſcis luminibus loca omnia perluſtrans, Hunc Ignem ingens fragor inſequitur, ut Fornices Cœli ſubito impetu dirupti in Terras caſuri videantur, ſuoque caſu omnes mortales oppreſſuri. Inde totam Terram pervadit tremor, altum Cœlum murmura percurrunt, tum enim tota fere tempeſtas (Nubes plena Tempeſtatis) concuſſa tremit, & murmura oriuntur: Qua de concuſſione ſequitur gravis & copioſa Pluvia,

VARIÆ LECTIONES.

281. *tum quaſi.* cum quaſi P.
285. *ut.* & Q.
287. *tum.* cum Q1.
289. *concuſſu.* concuſſis Q.

NOTÆ.

Quæ contage ſua palloribus omnia pingunt.
& infra: 1241.
——— *contagibus ibant.* LAMB.

281. *Inceſſit:*] invaſit. LAMB.

281. *Maturum tum quaſi*] Si non addidiſſet *quaſi*, tralatio eſſet: nunc autem eſt εἰκών. tum (inquit) fulmen, quaſi maturum, quippe ubi ventus percaluit vel ſuo motu, vel igne foris concepto, (fulmen enim nihil fere aliud eſt, quam ventus incenſus, ut ſupra diximus) tum (inquam) perſcindit ſubito nubem, &c. LAMB.

184. *Diſploſa repente*] Supr. eodem lib. 130.
Sæpe ita dat ſonitum pariter diploſa repente.
LAMB.

184. *Diſploſa repente Opprimere ut cœli videantur*] Id eſt, ut cælum diſploſum, videatur jamjam caſurum, & ſua ruina mortaleis terraſque omneis oppreſſurum. LAMB.

286. *Pertentat.*] Percipit, pervadit, permovet. ſic Virg. lib. 3: Georg. 250.
Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, &c.

Idem lib. 7: Æn. 355.
Ac, dum prima lues udo ſublapſa veneno
Pertentat ſenſus, &c.

Idem contra de gaudiis, libro 1. Æn. 506.
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus,
& libr. 5: 828.
Hic patris Anchiſæ ſuſpenſam blanda viciſſim
Gaudia pertentant mentem. LAMB.

289. *Quo de concuſſu &c.*] Id eſt ex qua concuſſione, ſeu commotione, &c. LAMB.

289. *Uber,*] Multus, abundans. LAMB.

289. *Quo de concuſſu ſequitur gravis Imber, & uber,*
Omnis uti videatur in Imbrem vertier Æther
Atque ita præcipitans *ad diluviem revocare:*]
Monet Interpres, horum verſuum poſtremum à Priſciano in V. grammatices productum fuiſſe: quod fortaſſe tanti non eſt, ut anxie quæratur: de primo quidem affirmare poſſum: de tertio autem, non auſim. Sed, ut ſit, quomodocunque olim tertius ille lectus fuerit, mendum in eo eſſe arbitror; nec tu, aliorſum ibis ſi mecum otioſe & placide ſeriem verborum ipſorum attenderis: [*Aer videtur*

Omnis uti videatur in Imbrem vertier Aether
Atque ita praecipitans ad diluviem revocare:
Tantus diſcidio nubis, ventique procella,
Mittitur ardenti Sonitus quom provolat ictu.
Eſt etiam quom vis extrinſecus incita Venti
Incidit in validam maturo fulmine Nubem:
Quam quom perſcidit, extemplo cadit igneus ille
Vortex, quod patrio vocitamus nomine Fulmen.
Hoc fit idem in parteis alias, quocunque tulit vis.

Fit

INTERPRETATIO.

ita ut totus Æther in pluviam reſolvi videatur, præcepſque cadens Diluvium minari. Tam ingens & horrendus Fragor una cum Fulmine emittitur è Nube à Vento incluſo perrupta. Fieri etiam poteſt, ut vehemens Ventus extrinſecus incidat in Nubem denſam, in qua Fulmen eſt jam formatum & perfectum, quam Nubem cum Ventus ille perruperit, ſtatim cadit Igneus ille Vortex, quod nos Latini Fulmen *dicimus. Fulmen autem in hanc vel in illam partem erumpit prout Impetus determinat:*

VARIÆ LECTIONES.

290. *uti.* ita Q1. ut Y. Z.
291. *Atque ita præcipitans.* Atque ita Pyrrhæ nos ad F.
293. *provolat ictu.* pervolat ictu D.
294. *Eſt.* Eſſe Y. Z.
295. *fulmine.* culmine X. Y. Z.
297. *Vortex, quod.* Vortex, quem c. O. V. Vertex quem Y. Z. *patrio.* è Latio Z. *a m. ſec.*
298. *idem in.* item in A. B. C. D. E. N.

NOTÆ.

in imbrem verti, & revocare ad diluviem.] Nihil ſentis? poteras tamen. Quid enim? ille áer, quos, quas revocare videtur? Ecquid dubitas quin vox aliqua exciderit, quæ in quarto caſu eſſet? Deinde ad quam diluviem? Ogygiamne, an Deucalioneam? Quamobrem à me non eſt ut impetretur, quin pro

Atque ita præcipitans *ad diluviem revocare,*
legi oporteat,

Atque ita Pyrrhæ nos *ad diluviem revocare*;
Horat. in I. 2: 4.

terruit Urbem,
Terruit gentes grave ne rediret
Sæculum Pyrrhæ, *nova monſtra queſtæ.* Faber. Ingenioſe quidem, at tota hæc Critica pendet è ſcrupuloſa nimis vocis iſtius, *revocare*, acceptatione; cui non favet ipſe Lucretius: vid. L. 5: ℣. 256.

Pars etiam glebarum ad Diluviem revocatur
Imbribus. Creech.

291. *Præcipitans*] præceps cadens, hunc verſum profert Priſcian. libr. 5. Lamb.

292. *Diſcidio*] Sic habent libr. Manuſcripti. *diſcidium* autem à verbo *diſcindo* natum eſt: de quo ſupra diximus. Lamb.

294. *Eſt etiam quom vis*] Eſt cum, eſt quando, more Græcorum dictum, ἔστιν ὅτε: quod valet *aliquando*, & *interdum*, hoc igitur dicit Lucretius: Interdum etiam vis venti extrinſecus *incita*, id eſt incitata, &c. Lamb. Si Ventus incluſus Nubem perrumpere non valeat, à Vento extrinſecus impingente adjuvari poſſit, quocunque autem modo dirumpatur Nubes, maturum fulmen excidat neceſſe eſt. ℣. 5. Creech.

295. *Maturo fulmine*] Sic ſupra, non longe, ℣. 281.

——— *ma-*

Fit quoque ut interdum Venti vis miſſa ſine igni,
Igneſcat tamen in ſpatio, longoque meatu,
Dum venit, amittens in curſu corpora quaedam
Grandia; quae nequeunt pariter penetrare per auras:
Atque alia ex ipſo conradens Aëre portat
Parvola, quae faciunt ignem commiſta volando:
Non alia longe ratione, ac plumbea ſaepe
Fervida fit Glans in curſu, quom multa rigoris
Cor-

INTERPRETATIO.

Aliquando etiam fit ut Ventus ſine Igne erumpens in longo curſu dum ad Terras tendit igneſcat, amittens quædam grandia corpora, quæ ſimul Aëra penetrare nequeunt, alia vero minuta ex ipſo Aëre corradens ſecum portat, quæ minuta corpuſcula, dum per Aërem ſimul cum vento feruntur) Ignem concipiunt & Ventum ipſum accendunt: pari fere modo ac glans plumbea in curſu fit fervida, cum rigida multa

VARIÆ LECTIONES.

300. *Igneſcat.* Igniſcat Y. Z.

NOTÆ.

—— *maturum tum quaſi fulmen.*
hoc tantum intereſt, quod illic eſt εἰκὼν, ut diximus: hîc mera tranſlatio. Lamb.

296. *Perſcidit,*] Perfregit, ſic paullo ante, vſ. 179.
—— *quam cum perſcidit, &c.* Lamb.

296. *Igneus ille Vortex, quod patrio*] Non temere additum eſt *igneus*, nam ſi eſſet vortex ſine igne è nube perſciſſa abruptus, non eſſet fulmen, ſed τύφων, id eſt vibratus ἐκνεφίας, ſeu vibrata procella. cui rei teſtimonio eſt Plin. libr. 2. cap. 43. his verbis: *Sin vero depreſſo ſinu arctius rotati flatus nubem effregerint ſine igne, id eſt ſine fulmine, vorticem faciunt, qui typhon vocatur, id eſt, vibratus ecnephias.* neque ab his admodum diſcrepant quæ leguntur apud Ariſt. lib. 3. meteor. cap. 1. Lamb.

297. *Quod patrio vocitamus*] Cod. Memmianus habet, *quod Latio vocitamus nomine fulmen.* Græci autem κεραυνὸν appellant. Lamb. Quidam codex: *Latio:* ſed ex gloſſa. Gifan.

398. *Hoc fit idem*] Sic habent complures lib. manuſcripti, & aliquot vulgati: in his Pariſienſes. alii habent, *Hoc fit idem.* Lamb. In quibuſdam: *idem.* Gifan.

299. *Fit quoque ut interdum &c.*] Duos alios modos quibus Fulmen paretur ſubjungit Lucretius, quorum prior ỳ. 9. continetur. Quippe Ventus ſine Igne è Nubibus erumpens longo curſu & pernici motu incaleſcere poſſit & accendi; Neque illud incredibile, cum globulus v. g. plumbeus è tormento emiſſus liquefiat; Hoc quidem non adeo verum eſt, ſed multas res motu pernici accendi neminem videas qui diffiteatur. Creech.

300. *Igneſcat*] Inflammetur, exardeſcat, ignem concipiat. Lamb.

301. *Corpora quædam Grandia*] Grandia, atque ita ab ignea natura aliena. ignis enim conſtat ex corpuſculis parvulis & ſubtilibus, ut docuit lib. 2. Lamb.

303. *Conradens*] Colligens, ſumens, conquirens, petens. ſic inf. 443.
Vortex conradens ex aëre ſemina nubis.
ſup. lib. 1: 402. tranſlate poſuit,
—— *fidem dictis conradere noſtris.* Lamb.

305. *Non alia longe ratione, ac plumbea*] Sic ſup. 177.
—— *plumbea vero*
Glans etiam longo curſu volvenda liqueſcit.
Lamb.

306. *Rigoris*] Id eſt frigoris, ut ſup. lib. 5: 639.
Brumaleis uſque ad flexus, gelidumque rigorem.
& inf. 367.
Prima caloris enim pars & poſtrema rigoris. Lamb.

Corpora dimittens ignem concepit in auris.
Fit quoque, ut ipſius Plagae vis excitet ignem,
Frigida quom Venti pepulit vis miſſa ſine igni:
Nimirum quia quom vehementi perculit ictu,
Confluere ex ipſo poſſunt elementa Vaporis,
Et ſimul ex illa, quae tum res excipit ictum,
Ut lapidem ferro quom caedimus, evolat Ignis:
Nec quod frigida vis ſit ferri, hoc ſecius illa
Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum:
Sic igitur quoque res accendi Fulmine debet,

Op-

INTERPRETATIO.

frigidaque corpuſcula dimittens Ignem in Aëre concepit. Fit quoque, ut ipſius ictus impetus Ignem excitaret, cum vehemens Ventus, frigidus licet & ſine Igne erumpens, rem aliquam percuſſerit: Nimirum, quia cum ictu vehementi percutit, ſemina Ignis confluere poſſunt ex ipſo Vento, & ſimul ex illa re quæ tum percutitur: Ut cum Silicem ferro percutimus Ignis exilit, & licet Ferrum ſit Corpus frigidum, nihilominus Semina Ignis ad ictum confluunt: Sic igitur res à Fulmine tacta,

VARIÆ LECTIONES.

307. *concepit.* concipit MSS. V.
310. *perculit ictu.* percutit ictu D. pertulit ictu X.
311. *Vaporis.* Vapores P.
312. *excipit ictum.* excipit illum c. O. P. Q. X.
314. *vis ſit ferri, hoc ſecius illa.* vis ferri eſt, hoc ſecius illa V. Y. ſecius illo Z.

NOTÆ.

Multa frigida Corpora: infra v. 367. & lib. 5. v. 639. 745. Creech.

308. *Fit quoque, ut ipſius &c.*] Poſterior v. 14. Ventus in rem aliquam impingat, ad ictum tam ex Vento quam ex re perculſa Semina Ignis confluant, Inde Ventus accenditur, & fit Fulmen: Talem autem ſeminum Ignis confluxum fieri poſſe demonſtrat Ferri & Silicis conflictus: Neque quis objiciat Ventum eſſe frigidum (illud autem minime concedendum cum motu tam pernici fertur) Ferri enim natura non minus frigida, at è Ferro percuſſo Ignes evolant. Creech.

308. *Ipſius Plagæ*] Ipſius Ictus. Lamb.

310. *Perculit*] Nonnulli volunt legi *perpulit*: alii *percutit*, in præſenti. Lamb.

311. *Elementa Vaporis*] Principia caloris. Lamb.

312. *Et ſimul ex illa, &c.*] Et ſimul ex illa re, quæ res tum plagam accipit, ſeu quæ percutitur ac pulſatur. Lamb.

313. *Ut lapidem ferro cum cædimus,*] Sup. eod. libr. 160.

——— ceu lapidem ſi
Percutiat lapis, aut ferrum. Lamb.

313. *Evolat*] Emicat, exſilit. tralatio eſt. Lamb.

314. *Nec quod frigida vis ſit*] Id eſt, nec, quia ferrum frigidum eſt, ideo minus illa caloris ſemina ad plagam concurrunt. Lamb.

317. *Opportuna fuit ſi forte,*] Si forte fuit apta ad ignem accipiendum. Lamb.

318. *Nec temere omnino, &c.*] Id eſt, nec omnino ſine magna cauſa, aut ratione, ventus frigidus eſſe poteſt, ex quo tempore, ſeu ex quo loco, tanta vi immiſſus eſt: ut non, ſi in curſu, id eſt interea dum fertur, non concipit ignem, neque accenditur, at ſaltem perveniat in loca inferiora,

Opportuna fuit ſi forte, & idonea flammis.
Nec temere omnino plane vis frigida Venti
Eſſe poteſt, ex quo tanta vi immiſſa ſuperne eſt:
Quin prius in curſu ſi non accenditur igni,
At tepefacta tamen veniat commiſta calore.
  Mobilitas autem fit Fulminis, & gravis ictus,
Et celeri ferme pergunt ſic Fulmina lapſu:
Nubibus ipſa quod omnino prius incita ſe Vis
Colligit, & magnum conamen ſumit eundi.
Inde, ubi non potuit Nubes capere impetis auctum,
Ex-

INTERPRETATIO.

ſi apta & idonea flammis fuerit, ab illo accendi debet, Quin vix fieri poteſt ut Ventus plane foret & omnino frigidus, cum tanto impetu è nubibus emittitur, ſed ſi in curſu non accendatur, & inflammetur tepefactus ſaltem & calidus ad Terras veniat. Ideo autem Mobilitas Fulminis tanta eſt & tam gravis illius ictus, tam pernici motu decidit, quoniam, intra Nubem Ventus ſeſe colligit. & intendit vires ut violentius erumpat, tum demum cum Nubes adauctum impetum cohibere non valeat,

VARIÆ LECTIONES.

318 *Nec temere omnino.* Nec tamen omnino *Gaſſ.*
319. *ex quo.* ex qua P. *immiſſa.* miſſa Q1. Y.
320. *in curſu.* in curſus P.
323. *Et* At O. X. Y. Z. *ſic.* ubi P. Q.
324. *incita.* inſita C.

NOTÆ.

ra, jam caloris particeps, & cum calore miſtus. LAMB.

322. *Mobilitas*] Nunc mobilitatis quæ eſt in fulmine, cauſas affert. LAMB. Pernicitas & vehementiſſimus ictus Fulminis è ſupra poſitis facile explicari poteſt. Nam Ventus Nubibus incluſus fremit & fervet, omnia Nubis latera pertentat, exitumque quærit, ideoque cum perruperit magno cum impetu evolet neceſſe eſt; v. 7. Adde quod è minutis & lævibus ſeminibus conſtat, ideoque per inanes meatus Aëris tranſit; v. 5. His ſubjunge illius gravitatem, eamque ictu maxime adauctam v. 5. Demum v. 8. Adde quod e longinquo cadit, ideoque plures celeritatis gradus momento quolibet acquirit, forſan etiam ab ipſo Aëre adjuvatur: Et quid mirum ſi Corpus grave magna cum vi erumpens, & ab aliis Corporibus protruſum Magna celeritate cadat, & graviter percellat omnia? CREECH.

324. *Incita ſe vis*] Sic legendum potius, quam *inſita*, ſi lib. manuſcr. fidem habemus. LAMB. Ita veteres libri. Vulgati quidam: *inſita*. GIFAN.

325. *Conamen ſumit*] Conatum ſumit. ſic loquitur & infra, 1039.

-- *Et partem in quamquam conamina ſumſit.* LAMB. Metaph. ab iis, qui, collectis viribus & ſpiritu, ſe ſe ad curſuram parant. FABER.

26. *Capere*] Χωρεῖν, recipere, tanquam vas. LAMB.

326. *Impetis auctum*] Id eſt, impetus magnitudinem, ſeu incrementum. LAMB. Dicebant enim *impetis* pro *impetus*; unde frequens hodieque apud poëtas recentiores *impete*. FABER. *Impes* [non *impetis*] non ſolum uſitatum Poëtis, ſed & Floro, ut recte obſervatum Salmaſio, qui tamen non vidit alterum locum ubi de Gallis agit, ubi ſimiliter reducendum: *impes* NOTAE MSS. VOSSII *ſeu* BEVERL. ad marg. Annot. Fabri.

327. *Ex-*

Exprimitur vis, atque ideo volat impete miro,
Ut validis quae de Tormentis miſſa feruntur.
Adde quod è parvis, ac laevibus eſt elementis:
Nec facile eſt tali naturae obſiſtere quidquam:
Inter enim fugit, ac penetrat per rara viarum.
Non igitur multis offenſibus in remorando
Haeſitat: hanc ob rem celeri volat impete labens.
Deinde, quod omnino natura Pondera deorſum
Omnia nituntur: quom plaga ſit addita verò,
Mobilitas duplicatur, & impetus ille graveſcit:

Ut

INTERPRETATIO.

exprimitur, & hanc ob cauſam miranda vi & pernicitate fertur, ut Saxa aut Tela e validis Tormentis jaculata. Adde, quod Fulmen conſtat è parvis & lævibus Seminibus, & rei ex iis compoſitæ quicquam non facile obſiſtit; nam penetrat, & fertur per inanes meatus rerum, igitur non in multas res quæ ipſum remorari queant offendit, & hanc ob cauſam tam celer eſt illius motus; Deinde, quod Omnia gravia deorſum Natura tendunt, ubi vero Corpus aliquod grave protruditur, duplicatur ejus celeritas, & impetus illius major ſit,

VARIÆ LECTIONES.

331. *per rara viarum.* per operta viarum H. apta Q1.
334. *natura.* naturæ P. *deorſum.* deoſum V. deorum Q. Y. Z.

NOTÆ.

327. *Exprimitur*] Ἐκθλίβεται. Lamb.

327. *Volat*] Tralatio, ad ſignificandum & illuſtrandum adhibita. Lamb.

328. *Ut validis quæ de Tormentis*] Alia illuſtratio, à ſimili. Lamb.

329. *Adde quod è parvis, &c.*] Sic ſup. libr. 2: 384.

Dicere enim poſſis, cælèſtem fulminis ignem
Subtilem magis è parvis conſtare figuris. &c.

Lamb.

330. *Nec facile'ſt tali naturæ obſiſtere*] Sic paullo ante: 226.

—— *quoi nil omnino obſiſtere poſſit* Lamb.

331. *Inter enim fugit,*] Id eſt, nam fugit inter omneis res, in quas incidit, ſi modo ſint raræ, & non ſolidæ. Lamb.

331. *Per rara viarum*] Sic habent omnes libri vulgati, præter Florentinos: quibuſcum (vulgatos illos dico) congruunt quatuor libri manuſcripti. neque video, quamobrem quicquam immutare debuerit Marullus: qui repoſuit *per operta viarum.* Nam ſignificat (opinor) Lucretius; fulmen penetrare in corpora per raras vias, quæ ſcilicet inſunt in corporibus non ſolidis, ſed raris, quale eſt lignum. nam quæ ſunt ſolida & dura, vel diſcutit & diſturbat, ut ſaxa: vel liquefacit, ut aurum: vel comburit, ut oſſa. Lamb.

332. *Non igitur multis offenſibus*] Id eſt, non igitur offendit in multas res, quæ id remorari & retardare poſſint; vel quibus retardatum hæſitet. Lambin.

334. *Deinde, quod omnino, &c.*] Alia ratio mobilitatis fulminis: quæ ſumitur ex eo, quod ſupra probavit lib. 2: 184. omnia corpora deorſum ferri, nulla ſurſum:

Nunc locus eſt (ut opinor) in his illud quoque rebus
Confirmare tibi, nullam rem poſſe ſua vi
Corpoream ſurſum ferri, ſurſumque meare. Lamb.

334. *Pondera deorſum*] Sic veteres libri; recte. Vulgati: *deorſum.* Quidam Veteres: *deorum.* ſic

&

Ut vehementius, & citius, quaecunque morantur
Obvia, diſcutiat plagis, itinerque ſequatur.
Denique, quod longo venit impete, ſumere debet
Mobilitatem, etiam atque etiam quae creſcit eundo,
Et validas auget vireis, & roborat ictum.
Nam facit, ut, quae ſint illius Semina cumque,
E regione locum quaſi in unum cuncta ferantur,
Omnia conjiciens in eum volventia curſum.
Forſan & ex ipſo veniens trahit Aëre quaedam
Cor-

INTERPRETATIO.

ita ut potentius & celerius quæcunque obvia morantur ictu diſcutiat, & quo primum dirigebatur eo pergat. Deinde quodcunque è longinquo cum impetu emittitur debet ſumere mobilitatem, quæ ſemper eundo intenditur, quæ validas vires auget, & ictum illius reddit potentiorem; nam facit ut omnia illius Semina in unum quaſi locum directo ferantur, omnia Semina volubilia, & quæ illius motum promovere poſſunt, in eundem curſum conjiciens (eodem dirigens.) Forſan etiam dum volat trahat ex ipſo Aëre quædam corpora,

VARIÆ LECTIONES.

338. *plagis.* gladiis itinerque *Nonius.*
345. *Forſan &.* Forſitan Q1. X. Y. Z.

NOTÆ.

& lib. III. ℣. 1029. GIFAN. *In Ed. poſt. tantum. Deorſum*, Gifanii illud *deoſum*, abſque *r*, forſan reſpondet τῷ *ſuſum* pro *ſurſum*, quod agnoſcunt Gloſſæ Lat. Gr. ſimiliter *proſa* oratio ex *prorſa.* &c. PREIG.

338. *Diſcutiat plagis*] Diſturbet, & diruat ictibus. LAMB.

338. *Itinerque ſequatur*] Profert hunc locum Nonius in voce *iter:* affertque teſtimonia aliorum antiquorum ſcriptorum, ut Turpil. in Thraſyl.

Age, age: ingredere: atque utinam iſtuc perpetuum itiner ſit tibi:

& Pacuvii Atalanta: *Dolet, pigetque magis magiſque me, conatum hoc nequicquam itiner.* LAMB.

339. *Denique quod longo*] Poſtrema ratio, quamquam ſubjicit ei & aliam, ſed quaſi dubitans. Denique (inquit) quia fulmen longo ſpatio, & longo tractu atque impetu fertur, idcirco credibile eſt, id mobilius fieri, & mobilitatem adipiſci: quæ intenditur eundo. LAMB.

342. *Nam facit*] Mobilitas. LAMB. Longus Ille viz. impetus: nam Fulminis ſemina, ut aliarum rerum Corpuſcula, Vaga ſunt neque ad certum locum determinata, longo vero illo impetu diriguntur: Hunc locum ab Aliis non ſatis explicatum, recte mihi videor interpretari. CREECH.

342. *Ut, quæ ſint illius Semina cumque*] Tmeſis: quæcumque illius ſint ſemina. *illius*, videlicet fulminis. LAMB.

343. *E regione*] Directo. tollenda autem diſtinctionis nota eſt poſt vocem *regione*, & locanda poſt particulam *cumque.* LAMB.

344. *Omnia conjiciens in eum volventia curſum*] Horum verborum ordo difficilis eſt, ego hunc eſſe puto: conjiciens, ea (inquam) mobilitas, omnia ſemina *volventia*, id eſt volubilia, ut ſit abſolutum, quemadmodum libro quinto: 929.

Multaque per cælum Solis volventia luſtra:

vel, ſe convolventia in eum curſum: vel ſic, conjiciens omnia ſemina volventia curſum in eum locum. LAMB.

345. *Forſan & ex ipſo*] Alia cauſa mobilitatis, nempe quia fulmen, dum fertur, quædam corpora ex aëre ſecum trahere poteſt, quæ augeant

Ooo ejus

Corpora, quae plagis intendunt mobilitatem.
Incolumeiſque venit per res, atque integra tranſit
Multa, foraminibus liquidis quia travolat Ignis.
Multaque perfringit, quom corpora Fulminis ipſa
Corporibus rerum inciderint, qua texta tenentur.

Diſſol-

INTERPRETATIO.

quæ ictibus ſuis illius celeritatem augeant. Denique Fulmineus ille Ignis volat per res illæſas, & multa integra permanat, (tranſit per quaſdam res quas non diffringit & diſſolvit) quoniam per inanes rerum meatus tranſit; Multas autem res perfringit, cum ipſa corpora Fulminis in rerum corpuſcula, qua ſibi invicem conjuncta hærent, impingant:

VARIÆ LECTIONES.

346. *intendunt.* intendant A. B. D. incedunt *Quidam. ut &* X. Y. Z. incendunt *Quidam.*

348. *liquidis.* liquidus E. H N. *Creech* Y. liquidum Z. lapides Q. *travolat Ignis.* trameat ignis A. B. D. transvolat C. E. L. N. traviat c. P. transviat Y. Z. *Palmer.* tranſivit X.

349. *perfringit.* perfigit Y. *à m. prima.* perfregit Q. X. Z.

350. *qua texta.* quæ tecta C. quæ texta P. Q.

NOTÆ.

ejus mobilitatem. At quæ alia ex aëre corpora trahere poteſt, quam venti ſemina? Atqui Ariſtoteles libr. 3. Meteor. cap. 1. in extremo ait, ſemper ventum eſſe comitem fulminis, ſemperque ei præire. cujus rei hoc argumentum affert, quod ea quæ à fulmine jamjam tangenda ſunt, prius quam percutiantur, moventur, utpote vento prius in ea irruente. Lamb.

346. *Intendunt*] Amplificant, augent. Lamb.

347. *Incolumeiſque venit*] Nunc rationem exponit, quamobrem per quaſdam res integras & incolumeis tranſeat: quaſdam perfringat ac diſturbet, aut liquefaciat ac diſſolvat. vox *incolumeis* accuſandi caſus eſt, numeri multitudinis, ut & hoc totum quod ſequitur, *multa integra.* ſignificat enim, fulmen tranſire res multas integras. Lamb. Non omnia in quæ incidit diffringit Fulmen, Rara Corpora integra manent & illæſa, nam per illorum meatus libere tranſit ſubtilis Ignis: Solida, Æs, Aurum, &c. diſſolvit, quia in Solida corpora impingit, & eorum Poros ingreſſus, dum exitum non invenit, disjungit ipſa corpuſcula, Metalla liquefacit, Saxa redigit in pulverem. Creech.

348. *Foraminibus liquidis*] Quia (inquit) ignis per foramina rerum liquida, id eſt patentia & aperta, tranſvolat: quod ſimile eſt, ut ſi diceret, ignem per res foraminoſas & raras tranſire, cujuſmodi ſunt lignum, corium, veſtis, & ſimil. Atque hujus quidem ſcripturæ, quæ in omnibus fere libris reperitur, hæc ſententia eſt: ſed in quodam exemplo Baſileæ impreſſo, anno CIↃ. IↃ. XXXI. ſic legitur,

—— *foraminibus liquidus quia tranſvolat Ignis.*

quæ lectio ſi cui probabitur, hæc erit ejus ſententia: ignem *liquidum*, id eſt purum & ſincerum, tranſire *per foramina rerum*, ſeu per res foraminoſas, & minime ſolidas. Præterea non eſt celandus lector, omneis libros manuſcriptos habere, partim *quia tranſviat ignis*, partim *quia traviat ignis.* Unde mihi videbatur legendum *trameat*, quod & homini cuidam injuſtiſſimo, peſſimeque de me inſonte merito, venit in mentem. Lamb. Apertis, vel inanibus; Sed *liquidus* forſan legas, viz. Ignis ſubtilis. Creech. Vide ad hunc locum, & Lambini ad eum commentarium, Joh. Mellerum Palmerium, Tom. quarto Fac. Crit. pag. 614. Preig.

349. *Multaque perfringit, &c.*] Id eſt, multa etiam perfringit fulmen, nempe dura, & ſolida, & reſiſtentia; qualia ſunt ſaxa: cum in talia corpora

Diſſolvit porro facile Aes, Aurumque repente
Confervefacit; è parvis quia facta minute
Corporibus vis eſt, & laevibus ex elementis,
Quae facile inſinuantur, & inſinuata repente
Diſſolvunt nodos omneis, & vincla relaxant.

Au-

INTERPRETATIO.

Porro facile diſſolvit Æs, & repente liquefacit Aurum, quia conſtat è minutis & lævibus Seminibus, quæ facile inſinuantur, & inſinuata ſubito diſſolvunt omnes nodos, & rerum vincula relaxant. Et altum Cœlum ſtellis fulgentibus ornatum

VARIÆ LECTIONES.

351. *Diſſolvit.* Diſſoluit Q. diſſolvunt *Ed. Creech. ſecunda.*

NOTÆ.

pora inciderit, qua parte texta cohæreſcunt. LAMB.

350. *Corporibus rerum incid.*] In corpora rerum inciderint. LAMB.

350. *Qua texta tenentur*] Id eſt, qua parte res ſunt denſiſſimæ, ſolidiſſimæ, & maxime contextæ. LAMB.

351. *Diſſolvit porro facile æs*] Ratio, quamobrem æs & aurum à fulmine facile diſſolvantur & liqueſiant. LAMB.

352. *Vis*] Æris, & auri. LAMB. Vis æris & auri, inquit Interpres; Sed fallitur; quod & ratio & verſus ſequentes probant; Vis enim illa fulminis eſt, non auri:

Quæ facile inſinuantur, & inſinuata repente
Diſſolvunt nodos omnes, & vincla relaxant.

Sed res plana eſt, neque monuiſſem, ni adoleſcentibus ab auctoritate Docti hominis periculum eſſet. FABER.

355. *Nodos*] Copulas, compages, conjunctiones, συνδέσμȣς, compoſituras. LAMB.

355. *Auctumnoque magis*] Cur Auctumno & Vere crebriora ſint tonitrua & fulmina. LAMB. Quæſtionem ſolennem de crebrioribus fulminibus hac potius quam illa tempeſtate ſic exponit:

Auctumnoque magis ſtellis *ardentibus alta*
Concutitur cœli domus undique, totaque tellus:

Error manifeſtiſſimus: ſed quam ille manifeſtiſſimus eſt, tam certiſſima emendatio eſt, quæ olim Notis Phœdri noſtri inſerta fuit: Ita igitur ibi ſcribebam. [Faciet autem hoc mendum in Phædro animadverſum & ſublatum, faciet, inquam, ut inſignem Lucretii locum in VI. quem vitiatum eſſe primi animadvertimus, purgare aggrediamur. Cui enim potius quam tanto poëtæ, quique omnium elegantiorum hominum ſtudio ac cura digniſſimus ſit, operam navatam oporteat? Verſus, queis de agitur, hi ſunt,

Auctumnoque magis ſtellis fulgentibus alta
Concutitur cœli domus undique, totaque tellus.

Sed, Lector humaniſſime, hoc, niſi moleſtum eſt, ex te quæſitum velim, quid hoc ſit, *domus cœli & tellus concutitur ſtellis fulgentibus?* Nugæ, meræ nugæ; nam præter ſonum & granditatem ſublimitatemque verborum, nil quidquam frugis eſt. Cum autem ibi à poëta doctiſſimo poſita ſit quæſtio hæc, *Cur auctumno & verno tempore frequentius tonare videamus*: quis neget legendum eſſe,

Auctumnoque magis telis *fulgentibus alta*
Concutitur cœli domus undique, totaque tellus.

Tela autem *fulgentia*, fulmina ſunt, Virgilii, Horatii, Ovidii, atque adeo omnium poëtarum teſtimonio: neque me in proferendis γυγνώθοις longarum ῥήτεων laſcivire, & otio abuti juvat. Quin & Herodotus alicubi (certus dico) fulmen vocavit θεȣ̃ βέλος *telum Dei*. Error autem adeo fœdus, *magis ſtellis*, ortus eſt, quemadmodum ſubindicavi modo, ex ὑφενώσεως ſeu conjunctione harum vocum, *magis telis*, unde poſtea diviſim ſcriptis, & geminatio S, concinnarunt ineptam hanc & ridiculam lectionem, quæ porro omnes editiones invaſit.] FABER. Leg. *Stellis fulgentibus apta*: vel cum *Fabro* (quamvis iſta

Ooo 2 Le-

Auctumnoque magis ſtellis fulgentibus alta
Concutitur Coeli domus undique, totaque Tellus;
Et quom tempora ſe Veris florentia pandunt.
Frigore enim deſunt Ignes, Ventique Calore
Deficiunt, neque ſunt tam denſo corpore Nubes,
Inter utrumque igitur quom Coeli tempora conſtant,
Tum variae cauſae concurrunt Fulminis omnes.
Nam fretus ipſe anni permiſcet Frigus, & Aeſtum:
Quorum utrumque opus eſt fabricanda ad Fulmina nobis,
Ut

INTERPRETATIO.

ex omni parte magis concutitur, & tota Tellus, in Autumno, & (in Vere) cum florentia tempora Veris ſe pandunt; Nam in Hyeme deſunt Ignes, in Æſtate Venti, neque Nubes ſunt ſatis denſæ: In Anni igitur Tempeſtate quæ inter Hyemem & Æſtatem eſt (in Vere & Autumno) omnes variæ cauſæ Fulminis concurrunt. Nam ipſe Anni fretus Calorem & Frigus miſcet, quorum utrumque neceſſarium eſt ad facienda Fulmina,

VARIÆ LECTIONES.

356. *ſtellis fulgentibus alta.* telis fulgentibus alta F. K. *Creech. vel.* ſtellis fulgentibus apta *Creech.* & *Turneb. Adv.* 28. 6.

359 *Frigore.* Frigora Z. *Ventique Calore.* Ventique calores *Quidam.*, *ut &* Y. Z. venti atque calores Q1.

360. *Deficiunt.* Defiunt Q.

361. *Inter utrumque igitur.* Inter utraſque igitur E. N. Q.

362. *Tum variæ.* Cum variæ *Quidam.*

363. *Nam fretus ipſe.* Namque frit ipſe H2. *frigus, & Æſtum.* frigidus æſtum H1. c. O. P. frigus ad æſtum *Non.*

NOTÆ.

Lectio non ſit adeo neceſſaria) *Telis fulgentibus* id eſt, *Fulmine:* ỽ. 22. Inquiritur cur Autùmno & Vere frequentius quam Hyeme & Æſtate (quod quidem de quibuſdam Italiæ regionibus intelligendum) fulminet? Quia viz. cum Fulmen ſit Igneæ naturæ, atque è denſis nubibus erumpit, tum Fulmina ſunt maximè expectanda, quando calida eſt Tempeſtas, & Figoris non omnino expers, nam ubi nullus Calor, ibi fruſtra requiras Ignem; nimius autem Calor non patitur ut denſentur Nubes. At in Vere & Autumno Calor cum Frigore miſcetur, Inde Nubes, Venti, Ignis, Tumultus tandem in Aëre, è quibus Tonitru, Fulgur, Fulmen. CREECH. Nihil muto. *ſtellis fulg.* dicitur hic, uti *ſedibus* &c. lib. 2. 600. HAV.

357. *Alta Concutitur Cæli domus*] Sup. libro 2: 1100.

Nubibus ut tenebras faciat, cælique ſerena
Concutiat ſonitu. LAMB.

359. *Frigore enim deſunt*] Forte: *defiunt.* GIFAN.

363. *Nam fretus ipſe anni*] Hunc verſum profert Nonius, ut probet, utrumque eſſe uſitatum Latinis, *fretum i*, & *fretus us*, maſcul. gen. profert ille & hoc Varronis: *Inter Italiam & Siciliam, qui eſt fretus inter Rhegium & Meſſanam.* teſtatur & Cariſius, *hic fretus, hujus fretus*, uſurpatum eſſe ab antiquis: profertque aliquot exempla ex Porcio Licinio, Meſſala, & M. Tull. Idemque docet A. Gellius lib. 13. cap. 19. Errat igitur & Priſcianus, qui lib. 1. *fretu* poſitum eſſe à Lucretio pro *freto* ſcribit, quaſi *hic fretus, hujus fretus*, non ſit in uſu. quod tamen idem fatetur

Ut diſcordia ſit rerum, magnoque tumultu
Ignibus, & Ventis furibundus fluctuet Aër.
Prima Caloris enim pars, & poſtrema Rigoris,
Tempus id eſt Vernum: quare pugnare neceſſe eſt
Diſſimileis inter ſe res, turbareque miſtas.
Et Calor extremus primo cum Frigore miſtus
Volvitur, Auctumni quod fertur nomine tempus.
Hîc quoque confligunt Hiemes Aeſtatibus acres.

Pro-

INTERPRETATIO.

ut ſit rerum Diſcordia, & furibundus Aër magno tumultu à Ventis ſimul & Ignibus turbatus agitaretur. Nam poſtrema pars Hyemis, & prima pars Æſtatis faciunt Ver, quare neceſſe eſt res contrariis qualitatibus imbutas pugnare, & cum miſcentur turbas & tumultus excitare: Ultima pars Æſtatis & prima pars Hyemis faciunt iſtam Anni tempeſtatem, qui Autumnus dicitur: Igitur in hac etiam tempeſtate acre Frigus cum Calore pugnet neceſſe eſt;

VARIÆ LECTIONES.

366. *fluctuet Aër.* fluctuet æther *Gaſſ.*
367. *&.* eſt P. Y. Z. *Rigoris.* poſtrema liquoris H. O. P. X. Y. Z.
368. *Tempus id eſt Vernum.* tempus adeſt vernum c. E. H. O.
369. *ſe res, turbareque.* ſeſe turbareque Y. inter ſe, turbareque Z.
370. *extremus.* extremis A. B.
371. *quod fertur.* cum fertur H2.

NOTÆ.

tetur lib. 5. & Marullus, qui eum ſecutus, legit hoc loco,

Namque frit ipſe anni.

per *fretum anni* autem, eas anni parteis, quæ ſunt inter frigus & calorem interjectæ, ſignificat Lucretius, à ſimilitudine maris anguſti, inter duas terras, quod fretum proprie appellant Latini à fervendo: quia in talibus anguſtiis maxime mare effervefcit, atque æſtuat. Idem Lucret. ſup. lib. 1: 721.

Anguſtoque fretu rapidum mare dividit undis.

Lamb. Ita vocat eas tempeſtates, quæ frigus & calorem interjacent; ut fretum dividens duas continentes. Dicebant autem *fretus* & *fretum.* jam ſupra. Faber. Seneca Nat. Quæſt. lib. 7 cap. 28. *Æquinoctium in Calorem Frigusque flectentis Anni ſignum.* Creech.

364. *Quorum utrumque opus eſt*] Opus eſt, id eſt requiritur, ſeu uſui eſt: ut lib. 2: 814.

Scire licet nil principiis opus eſſe colores:

& lib. 4: 1263.

Nec motus opus ſunt noſtris uxoribus hilum:

& item ſæpe. Lamb.

367. *Prima caloris enim*] Prima caloris pars, à quo æſtas incipit, & poſtrema *rigoris*, id eſt frigoris, in quod hiems deſinit, id ipſum tempus eſt vernum. legendum eſt autem,

Tempus id eſt vernum,

quemadmodum habent libri manuſcripti, & aliquot vulgati emendatiores, non

Tempus adeſt Vernum.

ut vulgati mendoſi. Lamb. Prima pars veris adulti, ſeu (liceat mihi ita loqui) veris caput, calor eſt; finis autem, ſeu illa pars qua cum hieme committitur, frigus. Faber.

368. *Tempus id eſt Vernum*] Quidam libri: *adeſt*; male. Gifan.

369. *Turbareque miſtas*] Varro. *quia cum mare turbat.* idem enim eſt quod turbari & miſceri, antiquitate quadam ſancta. Turneb. *Adv.* xxx. *cap.* xix.

370. *Et Calor extremus*] Æſtatis. Lamb.

370. *Primo*

Propterea ſunt haec Bella anni nominitanda:
Nec mirum eſt in eo ſi tempore plurima fiunt
Fulmina, tempeſtaſque cietur turbida coelo,
Ancipiti quoniam bello turbatur utrimque,
Hinc Flammis, illinc Ventis, Humoreque miſto.
Hoc eſt igniferi naturam Fulminis ipſam
Perſpicere, & qua vi faciat rem quamque videre:
Non Tyrrhena retro volventem carmina fruſtra

In-

INTERPRETATIO.

Propterea hæc ſunt dicenda Anni Bella. *Neque mirum eſt, ſi in ea Tempeſtate plurima ſint Fulmina, & multi Tumultus in Cœlo excitentur, quoniam utrinque ancipiti bello pugnatur, è parte Æſtatis Ignibus, è parte Hyemis Ventis ſimul & Humore. Hæc ſcire eſt perſpicere ipſam Naturam igniferi Fulminis, & intelligere qua vi rem quamque faciat, Fruſtra autem Ille qui libros Etruſcorum ſolicite evolvit,*

VARIÆ LECTIONES.

373. *nominitanda.* non imitanda Q. X.

374. *mirum eſt in eo ſi.* mirum ſi in eo jam tempore C. E. N. mirum ſi in eo tum P. ſi in eo ſic H. Q1.

NOTÆ.

370. *Primo cum Frigore*] Hiemis. LAMB.

373. *Confligunt*] Pugnant inter ſe Hiems & æſtas. tralatio eſt. LAMB.

374. *Nec mirum eſt in eo ſi tempore*] Sic habent quattuor libri Manuſcripti: & ita legendum eſt. vulgati autem inter ſe diſſentiunt, omniumque lectio videtur mendoſa: qui habent partim,

Nec mirum, ſi in eo jam tempore, &c.

partim,

Nec mirum, ſi in eo tum tempore, &c.

partim,

Nec mirum, ſi in eo ſic tempore, &c.

Harum tamen trium tolerabiliſſimæ ſunt duæ priores. Poſtrema vero, quæ reperitur etiam in cod. Tettiano,

Nec mirum, ſi in eo ſic,

à recta paullum detorta eſt. nam *ſi* pro *eſt*, *ſic* pro *ſi* ſubditum eſt. Sententia autem hæc eſt: Nec mirum eſt, ſi in Veris & Auctumni tempore plurima exſiſtunt tonitrua, plurimaque cadunt fulmina, plurimæ denique turbidæ tempeſtates in cælo cooriuntur: quoniam duæ qualitates tum ſunt inter ſeſe pares & æquales, calor & frigus. Hinc autem bellum anceps oritur. quod non fit æſtate, aut bruma. tum enim quia calor aut frigus ſuperat, dominatur, ac præpollet, nullus eſt bello locus: quod idcirco *duellum* dictum eſt, quod duæ partes æquales de victoria contendant. LAMB. *Nec mirum eſt, in eo ſi*, ita veteres libri, manu formaque deſcripti. GIFAN.

376. *Ancipiti bello*] Vere & Autumno Calor & Frigus contendunt; Æſtate Calor, Hyeme Frigus dominatur. CREECH.

378. *Hoc eſt Igniferi*] ἐπιφώνημα. hoc eſt (inquit) naturam fulminis perveſtigare, atque adeo cernere, & qua poteſtate ſeu facultate quidque faciat, videre; non revolventem & replicantem Etruſcorum & haruſpicum carmina, id eſt, *libros Tageticos* (qui omnem Etruſcorum diſciplinam continebant, à *Tagete* illo puero Etruſco ex agro Tarquinienſi, cum terra araretur, edito: de quo lege M. Tull. libro ſecundo de Divin.) non (inquam) Etruſcorum libros conſulentem, ſigna voluntatis Deorum obſcuræ & incognitæ indagare: quod faciebant haruſpices, diviſo in aliquot partes cœlo, ut ſupra diximus, ỿ. 85.

Ne

Indicia occultae Divôm perquirere mentis,
Unde volans Ignis pervenerit, aut in utram ſe
Verterit hic partem, quo pacto per loca ſepta
Inſinuârit, & hinc dominatus ut extulerit ſe,
Quidve nocere queat de coelo fulminis ictus.
Quod ſi Jupiter atque alii fulgentia Divi
Terrifico quatiunt ſonitu coeleſtia templa,
Et jaciunt igneis, quo quoique eſt cumque voluptas,
Cur,

INTERPRETATIO.

ut ſecreti Numinum conſilii indicia inquirat, ut ſuperſtitioſe notet è qua parte Cœli erupit Ignis, in quam tendit, quo modo per domorum Parietes tranſiit, & quo modo facta ſtrage exierit, & quid mali de Cœlo veniens portendat: Nam poſt hanc inquiſitionem factam Naturam Fulminis ignorabit. Quod ſi Jupiter, atque alii Dii horrendo fragore ſplendentes domos cœleſtes quatiunt, & pro libitu jaciunt Fulmina;

VARIÆ LECTIONES.

381. *Indicia occultæ.* Iudicia occultæ A. B. c. D. H. I. O. P. *mentis.* menti Y. Z.
383. *partem.* partim Y. Z.
388. *igneis.* ignem Y. Z. *quo quoique eſt cumque voluptas.* quo ducit quemque voluptas A. B. quo inducit cumque P. at qua ejis eſt cumque voluntas V. inque eſt cumque Y. Z. *voluptas.* voluntas H2. Y. *Gaſſ.* P.

NOTÆ.

Ne trepides, cæli diviſis partibus, &c. LAMB. Sacrificulorum, Augurumque generi inſultat. Iſtud, inquit, eſt, ſcire quæ natura ſit fulminis, &c. quod nunquam in libris veſtris deliramentorum plenis reperietis: *retro volventem*, id eſt, à capite ad calcem, à calce ad caput volvendo, revolvendo aniles iſtos libros quos Tyrrheni ſeu Tuſci condiderunt. FABER. Nihil dici potuit brevius, aut elegantius. CREECH.

381. *Indicia occultæ*] Sic habent tres libri manuſcripti, & Veneti recentiores, & Lugdunenſes, & Baſilienſes. duo manuſcrip. & Veneti antiq. & Pariſienſ. & Florent. *Judicia.* quam ſcripturam rejeci, ut mendoſam, & corruptam. Nam conſtat, veteres illos, auſpicia, auguria, omina, oſtenta denique, & talium rerum obſervationes inſtituiſſe, atque uſurpaſſe, ut ex iis voluntatem Deorum, quam his indicari & ſignificari putabant, cognoſcerent. LAMB. Ita ex quibuſdam Veteribus, & Vulgatis malui. Alii: *Indicia.* GIFAN.

382. *Unde volans*] Hi tres verſus deinceps ſequentes, jam ante poſiti ſunt, ſtatim poſt eum verſum, quem modo protuli. LAMB.

386. *Quod ſi Jupiter*] Vult probare, fulmina à Diis non mitti, ſed ex certis & naturalibus cauſis naſci. LAMB.

386. *Alii fulgentia divi*] Plinius lib. 2. cap. 52. ſcribit, *ex Thuſcorum litteris novem Deos fulmina emittere*, quod & Arnobius confirmat lib. 3. adverſus genteis, ex auctoritate Manilii, his verbis: *Novenſileis, novem Deos ait eſſe Manilius, quibus ſolis Jupiter poteſtatem jaciendi ſui permiſerit fulminis.* LAMB. Novem enim dii erant, quibus fulminis jaculandi jus à Jove conceſſum erat. FABER.

388. *Quo quoique eſt cumque voluntas*] Sic habent quatuor libri manuſcripti & aliquot. vulgati

Quo cuique eſt cumque voluptas:

alii,

Quo inducit quemque voluptas. LAMB.

388. *Quo ducit quemque*] Ita, in Veteribus noſtris, & in Vulgatis. Quidam: *inducit.* Supra, II: 257. In aliis Veteribus: *quo cuique eſt cumque voluntas.* Et in quibuſdam Vulgatis: *voluptas.* GIFAN.

389. *Sce-*

Cur, quibus incautum ſcelus averſabile cumque eſt,
Non faciunt, icti flammas ut Fulguris halent
Pectore perfixo, documen mortalibus acre?
Et potius nullae ſibi turpis conſcius rei
Volvitur in flammis innoxius, inque peditur,

Tur-

INTERPRETATIO.

cur iſti Dii non faciunt, ut qui non cavent à ſceleribus quæ debent averſari, (qui horrenda ſcelera committunt) pectoribus fulmine transfixis flammas Fulguris emittant, aliis hominibus divinæ vindictæ inſigne monimentum? Cur potius Innocens & Innoxius qui nullius Criminis ſibi conſcius ſit Flammis involvitur, & impeditur,

VARIÆ LECTIONES.

389. *averſabile cumque 'ſt.* adverſabile cumque 'ſt C. E. N. P. averſabile P. *in not.*
390. *icti.* ictu C. E. P. *Fulguris halent.* Fulguris edant D.
392. *nullæ ſibi turpis conſcius rei.* nulla ſibi turpi conſcius in re C. E. N. P. Q1. V. X. Y. Z.

NOTÆ.

389. *Scelus averſabile*] Sic habent tres libr. manuſcr. quibuſcum congruunt Florent. alii *adverſabile*; mendoſe, opinor. *averſabile* autem *ſcelus* interpretor, *horrendum*, *fugiendum*, & *quod omnes averſari debent.* Itaque totum hunc locum ſic explico ac declaro: Cur Dii non faciunt ut quicunque à ſcelere nefario atque horrendo ſibi non caverunt, id eſt, ſeſe non abſtinuerunt, ii percuſſi *halent fulguris flammas.*, id eſt, flammis conflagrent, quo ſint ceteris mortalibus documento atque exemplo? & potius homines innocentes & nullius turpitudinis ſibi conſcii, fulmine icti exanimantur? ſic Ariſtoph. Νεφελ. v. 398.

Εἴπερ βάλλει τοὺς ἐπιόρκους, πῶς δῆτ' οὐχὶ Σίμων' ἐνέπρησεν,
Οὐδὲ Κλεώνυμον, οὐδὲ Θέωρον; καίτοι σφόδρα γ' εἰσ' ἐπίορκοι·
Ἀλλὰ τὸν αὑτοῦ νεὼν βάλλει, καὶ Σούνιον, ἄκρον Ἀθηνῶν,
Καὶ τὰς δρῦς τὰς μεγάλας. Τί παθών; οὐ γὰρ δὴ δρῦς ἐπιορκεῖ.

id eſt, *Si Jupiter fulmine perjuros petit, qui fit, ut Simonem non inflammarit, neque Cleonymum, neque Theodorum? Atqui valde ſunt perjuri: ſed templum ſuum petit, & Sunium, Athenarum promuntorium, & quercus magnas. quamobrem? non enim quercus pejerat.* LAMB. In Aliis: *adverſabile*; non tam recte. GIFAN. Βδελυρὸν, φρικτὸν, tetrum, dirum. FABER.

390. *Flammas ut fulguris edant*] Ita ex veteribus libris ſcripſi. In aliis veteribus libris; & vulgatis: *halent.* In quibuſdam Vulgatis: *ictu.* GIF.

390. *Flammas ut Fulguris halent*] Sic legendum: & ita habent libri omnes & manuſcripti, & vulgati, ſic autem loquitur infr. 522.

Terraque cum fumans humorem tota rehalat.

Quare *edant*, quod Zoilus ſubſtituit, hinc procul arceatur ut profanum. LAMB.

491. *Documen mortalibus*] Eſſet acre mortalibus documentum, ſi improbi & impii darent pœnas. nunc autem, quia hoc non fit, Iarbas ille apud Virg. lib. 4: Æn. 208. ſic cum Iove expoſtulat:

Adſpicis hæc? an te, genitor, cum fulmina torques.
Nequicquam horremus? cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miſcent!

&c. LAMB.

392. *Et potius nullæ ſibi &c.*] Hanc ex veterum librorum veſtigiis ſcripturam puto veriſſimam. Vulgati: *nulla turpi ſibi conſcius in re.* In Veteribus quibuſdam; *nulla ſibi conſcius re.* GIF. Sic reſtitui hunc verſum, conjectura quidem ductus, ſed tamen à vetere ſcriptura admonitus, quæ

Turbine coeleſti ſubito conreptus & igni?
Cur etiam loca ſola petunt, fruſtraque laborant;
An con brachia ſuefaciunt, firmantque lacertos?
In terraque Patris cur telum perpetiuntur
Obtundi? cur Ipſe ſinit, neque parcit in hoſteis?

De-

INTERPRETATIO.

Turbine Cœleſti & Igne (Fulmine) ſubito afflatus? Cur etiam in deſerta loca jaciunt, & fruſtra laborant? An tum conſuefaciunt (exercent ut certius fortiuſque jaculari diſcant) ſua brachia, & lacertos firmant? Cur patiuntur Telum patris ſui Jovis in Terra obtundi, cur ipſe permittit, cur non reſervat Tela, ut in Hoſtes utatur?

VARIÆ LECTIONES.

396. *An con brachia ſuefaciunt.* An tum brachia conſueſcunt A. B. C. D. E. N. P. Q1. V. X. Y. Z.

397. *In terraque Patris.* Et terræ matris P. *in not. in* Z. *ſuperſcrib.* atque petris.

NOTÆ.

quæ talis eſt, *nulla ſibi turpi conſcius re.* ex hac enim ſuſpicatus ſum præpoſitionem *in* eſſe inculcatam, & ita à Lucretio ſcriptum eſſe, ut excudendum curavi, præſertim veritate hanc lectionem flagitante. ſic enim Latini loquuntur *nullius rei turpis ſibi conſcius*, non *conſcius in re turpi*, quo modo eſt in libris vulgatis. Sic enim habent,

Et potius nulla ſibi turpi conſcius in re,

plane inepte. *nullæ* autem in patrio caſu, antiquum, & antiquis uſitatum, ut apud Terent. Heaut. 2: 3: 30.

——— *alteræ*
Dum narrat.

Lege quæ annotata ſunt ſupra ad illum locum lib. 2: 778.

——— *unæque figuræ*

Hanc quoque emendationem ſibi arrogavit Zoilus. LAMB.

395. *Loca ſola*] Loca deſerta, ſolitudines. LAMB.

396. *Con brachia ſuefaciunt*,] Sic propemodum edendum curavi in ſecunda editione, nempe hoc modo,

An tum brachia ſuefaciunt, &c.

ſed volueram edi,

An con brachia ſuefaciunt, &c.

ut intelligamus, eſſe tmeſin, pro *conſuefaciunt brachia*, quo modo ſup. lib. 4: 67. quidam de me male meriti non male repoſuerunt, ordine eodem,

Quo fuerint, & con formæ ſervare figuram,

Sic igitur nunc reſtituo hunc locum. nam *conſueſcunt*, quod vulgo legitur, pro *conſuefaciunt*, mihi probari non poteſt. LAMB. Tmeſis Lucretio & veteribus poëtis familiaris, pro *conſuefaciunt.* FABER. Voſſius Pater tamen de Anal. lib. 3. cap. 4. ita ut *adſueſco*, *inſueſco*, etiam *conſueſco* docuit interdum actionem ſignificare tranſeuntem, eoque tranſitivorum more conſtrui; ut enim Virg. Æn. 6: 832.

——— ——— *nec tanta animis adſueſcite bella*

Horat. 1 Sat. 4: 105.

——— ——— *Inſuevit pater optimus hoc me*
Ut facerem,

Ita Columella dixit lib. 6. cap. 2. *Ubi plauſtro aut aratro juvencum conſueſcimus.* Ut ita forſan melius ſit hic non nimis tmeſin Lucretianam contra MSS. fidem urgere; &, ut hic *An tum*, ita mox v. 401. *in eas tum* dixit. HAV.

398. *Cur Ipſe*] Cur pater Jupiter. LAMB.

398. *Neque parcit in hoſteis?*] Et cur non parcit ſuo telo *in hoſteis*, id eſt, ad hoſteis ſuos perdendos? LAMB. Neque parcit telis, neque iis minus frequenter utitur, ut, ubi occaſio fuerit, hoſtes ſuos male perdat. FABER. & CREECH

Denique, cur nunquam coelo jacit undique puro
Jupiter in terras Fulmen, ſonituſque profundit?
An ſimul ac Nubes ſucceſſêre, Ipſe in eas tum
Deſcendit, prope ut hinc teli determinet ictus?
In Mare qua porro mittit ratione? quid undas
Arguit, & liquidam molem, campoſque natantes?

Prae-

INTERPRETATIO.

Denique cur non Jupiter jaculatur Fulmen in Terras & Tonitru ſpargit, cum Cœlum ſit ex omni parte ſerenum, an ſimul ac Nubes ſubtexunt Cœlum ipſe in eas deſcendit, ut ex illis Teli ſui ictus prope, atque ideo certius, determinet? Quam denique ob cauſam in Mare vibrat Fulmen? Quid Undas, liquidam molem, & campos natantes arguit?

VARIÆ LECTIONES.

401. *ipſe in eas tum.* ſucceſſere ipſus in æſtum C. O. P. Q. Y. Z. ipſe in æſtum E. N. Q. X.
402. *teli.* cæli P. *priſca lectio*, teli P. *in not.*
404. Poſt hunc verſus 474. ſi modo Lucretianus eſt, videtur locandus L.

NOTÆ.

399. *Denique, cur nunquam cœlo*] Sic ſup. eod. lib. 246.

——— ——— *Nam cælo nulla ſereno,*
Nec leviter denſis mittuntur nubibus umquam.

ſic Ariſtot. lib. 2. meteor. cap. 9. Καὶ διὰ τί ποτε τοῦτο γίγνεται κατὰ τὸν οὐρανὸν, ὅταν ἐπινέφελον ᾖ μόνον, ἀλλ' οὐχὶ συνεχῶς οὕτως· αἰθρίας δ' οὔσης οὐ γίγνεται; id eſt, *Et quamobrem hoc fit in cœlo, cum eſt nebuloſum & concretum tantummodo, & non ita perpetuo: cælo autem puro & ſereno non fit?* Lamb.

401. *Ipſe in eas tum*] Cum & in quinque libris manuſcrip. & in aliquot vulgatis reperiſſem ita ſcriptum *ipſe in æſtum*, non, ut in aliis, *ipſus in æſtum*, orta eſt continuo mihi mendi ſuſpicio, præſertim jam antea mea ſponte hanc vulgatam faſtidienti. quid enim ſibi vult *deſcendere in æſtum*? primis igitur cum ultimis comparatis, & mediis cum extremis, venit mihi in mentem ita eſſe legendum, & ita à Lucretio eſſe ſcriptum, *ipſe in eas tum*, &c. Primum enim levis admodum & parva fit immutatio ſcripturæ vulgatæ? quippe ex voce *æſtum*, fiunt duæ, *eas tum*, duarum vocalium ordine mutato: deinde ſententia jam fit planiſſima, hoc modo: An ſimulac nubes ſurſum venerunt, tum ipſe Jupiter è ſummo cæli & ætheris vertice in eas deſcendit, ut in his nubibus *teli*, (id eſt, fulminis) ictus determinet? *Deſcendere* autem tum Jovem dicunt poëtæ, cum jam jam futurum eſt, ut vel tonet, vel pluat, vel grandinet, vel ninguat, quaſi ſine nubibus, & niſi è cælo in nubeis deſcendat, neque tonare, neque pluere, neque grandinare, neque ninguere poſſit. Ex hoc Virg. lib. 1. Georg. 328.

Ipſe pater media nimborum in nocte coruſca
Fulmina molitur dextra.

Idem Ecl. 7: 60.

Jupiter & læto deſcendet plurimus imbri.

idem Georg. 2: 325.

Tum pater omnipotens fæcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit.

& Horatius od. 13. epod. 2.

Humida tempeſtas cælum contraxit, & imbreis,
Niveſque deducunt Jovem, &c. Lamb.

Egregie Lambinus ex *æſtum* fecit *eas tum.* *Ipſus* eſt in Vulgatis quibuſdam, ſed non in Veteribus. Ita & infra, verſ. 1260. Gifan.

403. *In Mare qua*] Cum hoc toto loco congruit ille apud M. Tull. lib. 2. divin. *Quid enim* *pro-*

Praeterea, ſi vult caveamus Fulminis ictum,
Cur dubitat facere, ut poſſimus cernere miſſum?
Si nec-opinanteis autem vult opprimere igni,
Cur tonat ex illa parte, ut vitare queamus?
Cur tenebras ante, & fremitus, & murmura concit?
Et ſimul in multas parteis quî credere poſſis

Mit-

INTERPRETATIO.

Præterea, ſi vult Ille Jupiter ut ictum Fulminis evitemus, cur non facit, ut videre poſſimus Fulmen dum volat? Si vero nos non opinantes & nihil tale timentes Igne percutere voluit, cur Tonat ex illa parte qua fulminat, ut poſſimus evitare, cur antequam Fulmen jaculatur, Tenebras facit, fremitus & murmura concitat? Et quomodo poſſis credere Illum Jovem in multas Terrarum partes ſimul jaculari poſſe?

VARIÆ LECTIONES.

405. *Præterea.* Propterea Y. Z. *ſi vult.* ſævi ut H2. Q1. juvit Y, Z.
407. *vult opprimere.* vel opprimere Z

NOTÆ.

proficit, cum in medium mare fulmen jacit? quid cum in altiſſimos monteis? quod plerumque fit. quid cum in deſertas ſolitudines? quid cum in earum gentium oras, in quibus hæc ne obſervantur quidem? Lamb.

404 *Arguit mare.*] Nam cur in aliquid jaciat fulmen Jupiter, niſi illud aliquo crimine arguat; Huic verſui Lambinus exiſtimat verſum, qui ab hoc ſeptuageſimus eſt, ſi modo Lucretianus eſt,

Nam ratio cum ſanguine abeſt humoribus omnis

ſubjungendum. Creech.

404. *Campoſque natanteis*] Sup. 5: 489.

Augebat mare manando campoſque natanteis.

& infr. 1140.

Aëra permenſus multum, campoſque natanteis.

Poſt hunc verſum videtur locandus ille, ſi modo Lucretianus eſt, qui eſt ab hoc ſeptuageſimus,

Nam ratio cum ſanguine abeſt humoribus omnis.

Lamb. Ita ex Lucretiana imitatione Virg. Æn. 6: 724.

Principio cœlum, ac terras, campoſque liquentes.

notante Macrobio Saturn. 6: 1. Hav.

405. *Præterea, ſi vult caveamus*] Dilemma: Jupiter aut vult nobis ante denunciare & præſignificare fulminis ictum, ut nobis ab eo caveamus: aut vult nos opprimere nec-opinanteis, & imparatos. ſi vult nos præmonere: cur non facit, ut fulmen ab eo miſſum cernamus; ſin vult nos opprimere imparatos: cur ex certa cæli parte tonat? Lamb. His v. 11. proponit duo mira argumenta, quibus Fulmen Jovi conatur eripere: Vult enim Ille Jupiter ut evitemus Fulmen, aut non: Si velit, cur tanta illius ſubtilitas, tam pernix motus, ut ſenſum fugiat? Si non, cur Murmure, Tenebris, &c. monet è qua parte Fulmen mittetur; Deinde in plurimas partes uno tempore Fulmen ſpargitur. At illud uni Jovi foret nimis laborioſum. Creech.

410 *Et ſimul in multas, &c.*] Hujus loci & argumenti hæc mihi videtur ſententia & vis eſſe: vel dices, Jovem uno eodemque tempore fulmen in multas parteis mittere: vel negabis, ſi dices: quo pacto hoc cuiquam perſuaderi poteſt, unum ſive hominem, ſive Deum multa tela in multas ac diverſas parteis uno tempore mittere? ſi negabis: res ipſa vincet, ut fatearis. Lamb.

Mittere? an hoc auſis nunquam contendere factum,
Ut fierent ictus uno ſub tempore plures?
At ſaepe eſt numero factum, fierique neceſſe eſt,
Ut pluere in multis regionibus, & cadere imbreis,
Fulmina ſic uno fieri ſub tempore multa.
Poſtremo, cur ſancta Deûm delubra, ſuaſque
Di-

INTERPRETATIO.

An audes aſſerere multa Fulmina nunquam uno tempore emitti? At profecto ſæpe id factum eſt, & neceſſe eſt fieri, ut in multis regionibus uno eodemque tempore imbres pluviamque, ſic & Fulmina cadere. Præterea, cur ſancta Deorum delubra,

VARIÆ LECTIONES.

411. *Mittere?* Mittier *Quidam codd.* P. *in not.*

NOTÆ.

416. *Poſtremo, cur ſancta*] Cum hoc loco congruit ille, qui eſt libro 2: 1101.

Tum fulmina mittat, & ædeis
Sæpe ſuas diſturbet, & in deſerta recedens,
Sæviat exercens telum, quod ſæpe nocenteis
Præterit, exanimatque indignos, inque merenteis.

& cum his Lucretianis conſentiunt illa M. Tullii ex lib. 2. de conſul. quæ poſita ſunt lib. 1. de divin.

Nam pater altitonans, &c.

nam ea protulimus ſup. l. 2. in extr. & profert Firmianus l. 3. divin inſtit. cap. 17. LAMB.

418. *Bene facta Deum ſimulacra*] Ad ridiculum iſtud *bene facta*; Quanti enim vænire poterant! Indignum vero, Deos tantum damni facere, tam elaborata ſimulacra ad Canonem Polycleteum exacta. ὦ πόποι, hoi. hei. FABER.

420. *Altaque cur plerumque*] Sic Horat. od. 2: 10: 11.

——— ——— Feriuntque ſummos
Fulmina (al. *Fulgura*) *monteis.* LAMB.

420. *Plurimaque plus*] Ita omnes libri; rectiſſime. Lambinus, *hujus*, reponit ſine cauſſa. Verſus eſt μείουρος. GIFAN.

420. *Plurimaque hujus*] Sic reſtitui, & ita legi debet. Zoilus hanc conjecturam non probavit, cum ſit tamen rectiſſima & veriſſima: ſcribitque eſſe verſum μείουρον. Primum non uſurpat verſus miuros Lucretius. quamobrem? quia nihil eſt neceſſe. deinde ſi darem, locum eſſe verſibus miuris in hoc egregio poëmate, tamen ſententia hic ferre non poteſt ut legatur *plus*, quod tu ſi Zoile vidiſſes, qui luce clara non vides, numquam iſta tam inconſiderate ſcripſiſſes, Ἐς κόρακας igitur cum tuis putidiſſimis verſibus. LAMB. *Plurimaque plus*, Gifanius, cui nunquam placet verſus integer. CREECH.

422. *Quod ſupereſt, &c.*] Quod ſupereſt (inquit) ex iis, quæ ante diximus, cognoſcere facile eſt eorum fulminum quæ πρηστῆρες à Græcis nominantur, naturas, cauſas, & motus. Nam alia quædam ſunt fulmina, quæ præſteres non ſunt, ut quæ non ſunt ignita: qualia ſunt, quæ columnæ, procellæ, turbines, vortices appellantur. Atque ut hanc totam de fulminibus diſputationem facilius intelligere poſſimus, ſciendum eſt (quod & antea attigimus) omnia & tonitrua, & fulgetra, & fulmina, flatus ſeu anhelitus terræ eſſe: qui ſi minutatim & ſparſim diffundantur, ac cum ſint tenuiores, difflentur; tonitrua, & fulgura: ſin denſiores, & crebriores, minuſque tenues erumpant; procellam gignunt, quæ vocatur à Græcis *ecnephias* ventus. idcirco violentus eſt. eruptionis enim celeritas robur & vim efficit. Cum vero flatus ſine igne erumpens ex nube, in alterius nubis flatum incur-

Diſcutit infeſto praeclaras Fulmine ſedes:
Et bene facta Deûm frangit ſimulacra? ſuiſque
Demit imaginibus violento volnere honorem?
Altaque cur plerumque petit loca? plurimaque hujus
Montibus in ſummis veſtigia cernimus Ignis?
Quod ſupereſt, facile eſt ex his cognoſcere rebus,

Πρη-

INTERPRETATIO.

& præclara ſua templa fulmine inimico disjicit? Cur frangit Deorum Simulachra ſumma arte elaborata? Cur violento ictu pulchras ſuas imagines deformat? Cur denique alta loca plerumque ferit? Et cur in altiſſimis montibus plurima ſigna Ignis fulminei videmus? Proinde ex iis quæ jam docui facile eſt cognoſcere

VARIÆ LECTIONES.

419. *Ferveſcunt.* Quidam & hic & alibi *Ferviſcunt.*
420. *plurimaque hujus.* plurimaque plus A. B. E. N. plurima quo plus C. P.

NOTÆ.

currerit, quemadmodum ventus in portis aut viis ex laxitate in anguſtias redactus, luctatur, & circumverſatur: tum fit vortex, qui typhon à Græcis appellatur, maxime ſi fragorem edat. nam ſi ſtridorem potius mittat, quam fragorem, turbo eſt. Quod ſi hic flatus poſtea exardeſcat, preſter eſt. Si vero non poſteaquam è nube erupit, ignem concipiat, ſed cum primum è nube exprimitur: fulmen eſt, quod Græci κεραυνὸν vocant. Ubi autem non poteſt flatus nubem perfringere, neque ex ea erumpere, ſed eam deorſum in terram, aut in mare deprimit, ita ut videatur unda quædam denſa & rigida oblonga decidere: tum eſt columna. De preſteribus ſic Laërtius: Πρηστῆρας ἐνδέχεται γίνεσθαι, καὶ κατὰ θέσιν νέφους εἰς τοὺς κάτω τόπους ἀλλοειδῶς ὑπὸ πνεύματος ἀθρόου ὠσθέντος, καὶ διὰ τοῦ πνεύματος φερομένου, ἅμα καὶ τὸ νέφος εἰς τὸ πλησίον ὠθοῦντος τοῦ ἐκτὸς πνεύματος, καὶ κατὰ περίστασιν δὲ πνεύματος εἰς κύκλον ἀέρος τινὸς ἐπισυνωθουμένου ἄνωθεν, καὶ ῥύσεως πολλῆς πνευμάτων γινομένης, καὶ οὐ δυναμένης ἐς τὰ πλάγια διαῤῥυῆναι διὰ τὴν πέριξ τοῦ ἀέρος πίλησιν. καὶ ἕως μὲν γῆς τοῦ πρηστῆρος καθιεμένου, στρόβιλοι γίνονται, ὡς ἂν καὶ ἡ ἀπογέννησις κατὰ τὴν κίνησιν τοῦ πνεύματος γίνεται· ἕως δὲ θαλάττης, δῖνοι ἀποτελοῦνται. i. e. *Preſteres fieri poſſunt, & ex demiſſione nubis ad loca inferiora, diſſimiliter à vento conferto pulſæ, & per ventum ruentis, ſimul externo flatu nubem in locum propinquum impellente, & propter flatum circumſtantem aëre nonnullo ſuperne in eam una pulſo, & multis flatibus confluentibus, qui non poſſint in obliqua diffluere, propter aëris circumfuſi condenſationem. Et, ubi quidem preſter uſque ad terram demittitur, turbines fiunt, ut & generatio ex motione flatus exſiſtat: ubi vero uſque ad mare, vertices creantur.* LAMB. Fulmen ſequitur Preſteris explicatio v. 20. Preſter autem Turbo Igneus, qui ſcilicet Ventus circumactus, & ſe in ipſa vertigine concitans cum ſit, ſi pugnacior eſt & diutius volutatur in flammam abit. Si Ventus hic è Nubibus excutitur, & recto impetu feratur, tum fit Fulmen; Si Nubem, quæ lenta eſt, perrumpere non valeat, ſed deorſum in Mare extendat, ibique erumpens rapida vertigine omnia torqueat, tum fit Preſter, maxima Navigantium Peſtis: Quoniam vero de Fulmine ſatis dixiſſet, jam Turbinem tantum explicat, & inde conjicit (perperam ni fallor) Gaſſendus, Epicuri Preſterem eſſe Ecnephian non igneum, & docet Preſterem *ab re à Græcis nominatum* ita dici non, quaſi *inflammantem*, ſed quaſi *inflantem*, ſeu tumefacientem, quatenus incidens in Mare tumeſcere ipſum cogit; ſeu *ferveſacientem*, quatenus Aquam ſic commovet, ut veluti *ferviſcere*, ſeu quaſi bullire videatur. CREECH.

423. *Pre-*

Πρηστῆρας Graji quos ab re nominitârunt,
In mare qua miſſi veniant ratione ſuperne.
Nam fit, ut interdum tanquam demiſſa columna
In mare de coelo deſcendat, quam Freta circum
Ferveſcunt graviter ſpirantibus incita flabris:
Et quaecunque in eo tum ſunt deprenſa tumultu
Navigia, in ſummum veniunt vexata periclum.
Hoc fit, ubi interdum non quit vis incita Venti
Rumpere, quam coepit, nubem; ſed deprimit, ut ſit
In mare de coelo tanquam demiſſa columna
Paul-

INTERPRETATIO.

qua ratione turbines iſti, quos Græci (quoniam res ipſa id nomen poſtulat) Preſteras *vocarunt, è Cœlo in Mare deſcendant. Aliquando enim fit, ut veluti Columna è Cœlo demiſſa in Mare deſcendat, circa quam Columnam Mare flabris ſpirantibus incitatum vehementer exæſtuat: Et quæcunque naves in eo tumultu ſunt deprehenſæ in ſummum diſcrimen jactatæ veniunt. Hoc autem fit, cum impetuoſus Ventus non valet perrumpere Nubem ex ea parte qua cœpit, ſed iſtam deprimit, ut ſit tanquam Columna de Cœlo in Mare paulatim demiſſa*

VARIÆ LECTIONES.

427. *incita.* lacita Q. X. Y. Z.
428. *tum ſunt.* tum ſint C. E. N. cum ſint P.
431. *quam cœpit.* qua cæpit *Gaſſ.* cum cœpit Q1.

NOTÆ.

423. *Preſtêras*] Ita veteres libri. In quibuſdam: *Præſteras*, ut *ſcæna* ex σκήνη. Varro. Ita & mox. Gifan.

431. *Quam cœpit; Nubem*] Gaſſendus *Qua cœpit*, ita enim poſtulat ſententia: Creech.

433. *Quaſi quid pugno*] In Veteribus noſtris: *pugni.* Gifan.

433. *Brachiique ſuperne conjectu*] Mendoſe habent quidam libr. vulgati *brachiiſque.* Lamb.

435. *Prorumpitur in mare*] *Prorumpit* & *erumrumpit* ſæpenumero neutrorum ſignificatione trita videmus uſurpari. Maro tamen Æn. 1:250. dixit
——— ——— *it mare proruptum.*
ut Lucretius 6: 435. *Hinc prorumpitur* &c. & M. Tullius l. 16. Epiſt. ad Attic. 3. dixit: *Ne in me ſtomachum erumpant, cum ſint ſibi irati.* & Lucret. 6: 582.
Exagitata foras erumpitur.
Iſta quadam varietate auctorum ſcripta commendant, & gratiam eis afferunt. Turneb. *Adv.* xxx. *cap.* xix.

436. *Concinnat*] Efficit, κατασκευάζει. ſic ſupr. libr. 4. 1246.
——— ——— *Conſuetudo concinnat amorem.*
& infra. 583.
——— ——— *Magnum concinnat hiatum.*
tralatio eſt à cinno, quem Græci κυκεῶνα appellant. Eſt autem potionis genus ex multis liquoribus confectum. vocem Græcam uſurpavit Homerus Iλ. λ. 623.
Τοῖσι δὲ τεῦχε κυκειῶ ἐϋπλόκαμος Ἑκαμήδη.
id eſt, *His autem cinnum confecit pulchre comta Hecamede.* Uſurpavit & Orpheus in iis verſibus, quos refert Clemens Alexandr. προτρεπτ.
Ὣς εἰποῦσα, πέπλους ἀνεσύρετο· δεῖξε δὲ πάντα
Σώματος, οὐδὲ πρέποντα τύπον. παῖς δ' ἦεν Ἴακχος,
Χειρί τέ μιν ῥίπτασκε γελῶν, Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις,
Ἡ δ' ἐπεὶ οὖν ἐνόησε θεά, μείδησ' ἐνὶ θυμῷ·
Δέξατο δ' αἰόλον ἄγγος, ἐν ᾧ κυκεὼν ἐνέκειτο.
Hos autem verſus eo libentius huc adſcripſi, quod cum eos Latinis verſibus reddiderit Arnobius libro quinto adverſus genteis, ii Latini verſus

Paullatim, quaſi quid pugno, brachiique ſuperne
Conjectu trudatur, & extendatur in undas:
Quam quom diſcidit, hinc prorumpitur in mare Venti
Vis, & fervorem mirum concinnat in undis.
Verſabundus enim Turbo deſcendit, & illam
Deducit pariter lento cum corpore nubem.
Quam ſimul ac gravidam detruſit ad aequora Ponti,
Ille in aquam ſubito totum ſe immittit, & omne
Excitat ingenti ſonitu Mare fervere cogens.
Fit quoque, ut involvat venti ſe nubibus ipſe
Vor-

INTERPRETATIO

quaſi res aliqua manu brachiique impetu deſuper trudatur, & in Undas extendatur: Quam nubem cum perruperit Ventus, valida procella in Mare effunditur, quæ mirum fervorem in Undis excitat. Nam Turbo verſabundus deſcendit, & ſecum deducit nubem quæ lenta eſt, & non facile diduci, aut perſcindi poteſt. Quam nubem Ventis plenam ſimul ac detruſit ad mare, ſe totum in Undas repente immittit, totum pelagus excitat horrendo murmure, cogens ferviſcere ſeu bullire. Aliquando etiam fit, ut Venti Vortex ſe Nubibus involvat,

VARIÆ LECTIONES.

435. *Venti.* Ventus Z.
439. *detruſit ad.* detrudit ad C. E. N. P. Y.
442. *venti ſe nubibus.* ventis è nubibus C. E. N. P. venti ſe è nubibus *Priſci codd.* P. *in not.* venti ſe nubibus P. *in not.*

NOTÆ.

ſus non ſatis emendati ſint in vulgatis codicibus. ſic enim leguntur:

Sic effata, ſimul veſtem contraxit ab imo
Objecitque oculis formatas inguinibus res.
Quas cava ſuccutiens Baubo manu (nam puerilis
Olli vultus erat) plaudit, contrectat amice.
Tum Dea defigens auguſti luminis orbeis,
Triſtitias animi paullum mollita reponit.
Inde manu poclum ſumit, riſuque ſequenti
Perducit totum cyceonis læta liquorem.

In primo verſu igitur pro *ſimul* legendum arbitror *ſinu*: in tertio, pro *Baubo manu* recte conjecerit Jo. Auratus legendum *Bacchi manus*, ut *manus* ſit recti caſus, numeri ſingul. Habetur autem ſermo de Cerere ob amiſſam Proſerpinam filiam mærore confecta: quam Baubo nulla alia re ad hilaritatem ex luctu traducere potuit, quam parte illa ſua muliebri inhoneſta, nudata, & oculis ejus ſubjecta. Si quis autem forte dubitet, quid ſibi velit in ultimo verſu *Perducit, &c. Perducit* hoc loco valet *perbibit*, ſeu *perpotat.* LAMB.

438. *Lento cum corpore Nubem*] Nubem, quæ fertur tardo cum corpore. *Fayus:* Agnoſcis Ingenium Hominis. CREECH.

439. *Detruſit*] Sic legendum, non *detrudit.* LAMB.

442. *Fit quoque*] Nunc de vortice: de quo ſic Plin. lib. 2. *Sin vero flatus repentini, depreſſo ſinu, arctius rotati nubem effregerint, ſine igne, hoc eſt ſine fulmine, vorticem faciunt.* LAMB. Mare plurimum vexat Preſter, Terras autem Turbo ille qui proprie Vortex dicitur, qui eſt rapidus Ventus circumactus & circumvolutus in Nube, cum Nube autem deſcendens in Terras ibique erumpens ſine Igne, rotat omnia, & verſat: Neque hic quidem Turbo in Terris frequens, nam deſcenſum illius montes impediunt, & vim frangunt. At in lato mari Nautæ miſeri ſæpe timent. CREECH.

442. *Ut*

Vortex conradens ex Aëre ſemina nubis,
Et quaſi demiſſum coelo Preſtêra imitetur.
Hic ubi ſe in terras demiſit, diſſolvitque:
Turbinis immanem vim provomit, atque procellae.
Sed quia fit raro omnino, monteiſque neceſſe eſt
Officere in Terris: appâret crebrius idem
Proſpectu Maris in magno, coeloque patenti.
  Nubila concreſcunt, ubi corpora multa volando
Hoc ſuper in Coeli ſpatio coiêre repente
Aſperiora, modis quae poſſint indupedita
Exi-

INTERPRETATIO.

Nubis ſemina ex Aëre corradens, atque imitetur Preſterem Cœlo demiſſum. Cum hic Vortex ſe in Terram dimiſit, Nubemque diſſolvit, ingentem Turbinem & Procellam evomit. Cum vero infrequens ſit ejuſmodi Turbo in Terris, quoniam montes impediant, illiuſque vim frangant, frequentius in lato mari & cœlo patenti accidit; Nubila fiunt, cum multa corpora hamata & aſpera, quæ huc & illuc in Aëre vagantur, in illo Cœli ſpatio, quod ſupra noſtrum caput eſt, repente coeunt:

VARIÆ LECTIONES.

443. *Vortex.* Vertex Z. *conradens.* concandens Q.

446. *provomit.* Vitioſe *promovit* in poſteriore Creech. Edit. *procellæ.* procellat V. X. Y. Z.

452. *quæ.* quo Q. X. *poſſint.* poſſent A. B.

NOTÆ.

442. *Ut involvat venti ſe nubibus ipſe*] Forte *venti vortex.* In Vulgatis: *ventis è nubibus.* Intelligit *typhona.* Gifan. *in utraque editione.* Sic ex Ariſtotele & Plinio hunc locum reſtitui, cum antea legeretur *ventis è nubibus. venti* autem *vortex* dicitur, quia vortex nihil aliud eſt, quam flatus circumactus & circumvolutus. Hunc quoque locum ſibi arrogavit Zoilus. Lamb.

444. *Preſtera imitetur*] A preſtere hoc tantum differat, quod non ſit accenſus. Lamb.

444. *Preſtera*] *Præſtera.* Gifan.

449. *Proſpectu Maris in magno*] Id eſt in magno & lato mari: in quo major eſt proſpectus, quam in terra. Lamb.

449. *Cœloque patenti.*] Idem ſignificat. Nam in mari cælum latius & longius patet, propter maris æqualitatem & planitiem, quam in terra propter monteis, qui proſpectum interrumpunt. Lamb.

450. *Nubila concreſcunt*] Quo pacto nubes & nubila concreſcant, id eſt cogantur. Lamb. Unde Nubes docet Lucretius v. 8. Hamata viz. quædam aſperaque corpora, quæ in Aëre volitant, coëunt, inde tenues primum nubes, ex iſtis vero tenuibus ſimul junctis & condenſatis tandem Nubila. Creech.

451. *Hoc ſuper in Cæli ſpatio*] Malim legi *ſupera.* Sic enim explico, ſupra in hoc cæli ſpatio. Lamb.

452. *Modis endopedita exiguis.*] Ordo & ſententia eſt: quæ impedita & implicata *modis exiguis*, id eſt modice, nec nimis arcte, aut adſtricte, poſſint tamen complexa cohærere. Lamb.

453. *Comprenſa*] Sic potius legendum videtur, ut habent quidam libr. manuſc. quam ut eſt in aliis, *compreſſa.* atque hanc lectionem confirmat verſus ſequen, ab hoc tertius,

Inde ea comprendunt inter ſe.

dictum autem *comprendunt inter ſe*, ut *amant inter*

Exiguis, tamen inter ſe comprenſa teneri.
Haec faciunt primum parvas conſiſtere Nubeis;
Inde ea comprendunt inter ſe, conque gregantur;
Et conjungendo creſcunt, ventiſque feruntur
Uſqueadeo, donec Tempeſtas ſaeva coorta eſt.
  Fit quoque uti Montis vicina cacumina coelo
Quam ſint quaeque magis tanto magis edita fument
Adſidue fulvae Nubis caligine craſſa;
Propterea, quia quom conſiſtunt Nubila primum,

An-

INTERPRETATIO.

quæ quidem Corpora aliquo modo connecti poſſunt, at non arcte conjungi atque implicari. Hæc primum faciunt tenues Nebulas conſiſtere, deinde ſpiſſius preſſiuſque connectuntur, novis etiam additis corporibus augetur eorum ſpiſſitudo, Ventis huc & illuc delata ita condenſantur, ut Totum Cœlum ſubtexat horridus & procelloſus nimbus. Fit quoque ut quo magis Montes ſint Cœlo vicini (quo altiores ſunt) eo magis fumare videantur, & perpetuo emittere craſſam caliginem fulvæ Nubis, Quoniam cum primum Nebulæ conſiſtunt,

VARIÆ LECTIONES.

453. *comprenſa teneri.* compreſſa teneri C. E. N. P. V. X. Y. Z.
459. *Quam ſint quæque.* Quam ſint quoque V. X. Y. Z. Qua ſint conque V.
461. *quom conſiſtunt.* tum conſiſtunt C. P. X *recte. tamen corrigit* cum P. *in not.*

NOTÆ.

ter ſe. LAMB. In Quibuſdam: *compreſſa.* GIFAN. Sic potius legendum, quam *Compreſſa.* Ita v. 455. *Comprendunt inter ſe:* Dictum autem *Comprendunt inter ſe*, ut *Amant inter ſe.* CREECH.

454. *Primum parvas c. n.*] Confer hiſtoriam Eliæ puerique ſui in ſiccitate pluviæ adventu depulſa 1 Reg. 18: 44, 45. HAV.

456. *Ventiſque feruntur* &c.] Scilicet craſſa hæc moles modicis ventis cietur, vehementibus disjicitur; Ita Quidam, ſed fruſtra; aliam vero interpretationem ſequutus ſum. CREECH.

458. *Fit quoque uti Montis* &c.] Plurimæ autem Nubes de altorum montium cacuminibus ſurgere videntur, nempe quoniam tenues Nebulæ quæ viſum fugiunt ad Montium vertices à Ventis feruntur, ibique conjunctæ & condenſatæ fiunt aſpectabiles. CREECH.

459. *Quam ſint quæque*] Sic habent omnes libri, nequis ſemidoctus putet legi debere, *Quam ſint quæque magis.* de quo loquendi genere in ſcholiis lib. 1: 537. diximus, ad illum locum:

Et quam quæque magis cohibet res intus inane,
Tam magis, &c.

Sententia autem hujus loci hæc eſt; fit quoque, ut, quo montis cacumina ſunt altiora, & cælo propinquiora, eo magis in eis caliginoſæ cogantur, propterea quod, quo primum tempore nubes concreſcunt, eæ etiamnum tenues, oculis cerni non poſſunt: & prius ad ſumma montis cacumina à ventis portatæ conveniunt, & confluunt, quam eas oculis uſurpare poſſimus. LAMB.

460. *Fulvæ Nubis caligine craſſa*] Homerus Il. ξ. p. 983.

——— Τοῖόν τοι ἐγὼ νέφος ἀμφικαλύψω
Χρύσεον, ὃδ' ἂν νῶι διαδράκοι ἠέλιός περ.

Euſtathius, πυκνότητα πολλὴν ὁ Ζεὺς δηλοῖ νέφους. Χρύσεα δὲ φάσιν οἱ παλαιοὶ νέφη, τὰ ἐν ὑψηλῷ ἀέρι, ἃ πυρωειδὴς ὢν Αἰθὴρ χρυσίζειν ποιεῖ. CREECH.

461. *Propterea quia cum conſiſtunt. n. p.*] Sic reſtitui trium libr. manuſcriptorum auctoritate fretus. nam alii habent, *quia tum conſ.* conjungendum eſt autem adverbium *cum*, una cum adver-

 bi-

Ante videre oculi quam poſſint tenuia, Venti
Portantes cogunt ad ſumma cacumina Montis.
Hîc demum fit, uti turba majore coörta,
Condenſa, ac ſtipata ſimul cernantur, & udo
Vertice de Montis videantur ſurgere in aethram.
" Nam loca declarat ſurſum ventoſa patere

" Res

INTERPRETATIO.

antequam Oculi tenues iſtas videre valeant, Venti portant ad ſummos Montium vertices, Ibi demum fit, ut, quoniam copioſiores ſint, & denſatæ & conſtipatæ, oculo percipiantur, & videantur de humido Montis cacumine aſcendere in Ætherem. Nam loca Ventoſa ſurſum petere, (ad loca ſuperiora tendere, ibique regnare Ventos)

VARIÆ LECTIONES.

464. *Hîc demum.* Hinc demum H2 *Gaſſ.*

465. *Condenſa, ac ſtipata ſimul cernantur, & udo.* Et condenſa, atque arcta, apparere, & ſimul ipſo A. B. C. E. I. N. Q1. V. *Hunc verſum delet* L. Et Condenſa, atque arcta patere: & ſimul ipſo P. Condenſa atque arta parere & ſimul ipſo X. Y. Z.

466. *videantur.* videatur C. E. P. X. Y. Z.

467. Delet L.

Nam loca declarat. Nam ſe declarat C. E. N. Q. Nam ſi P. Nam loca *Emaculati codd.* P. *in not.*

NOTÆ.

bio *primum*, ut ſit *cum primum.* Lamb. Ita Marullus, & Lambinus. Vulgati: *tum.* Gifan.

462. *Ante vid. oc. q. p. t.*] Ante quam oculi ea videre poſſint, utpote tenuia, & tenueis halitus. Lamb.

465. *Condenſa, & ſtipata ſimul c. & udo*] Hunc verſum ſic emendatum reperi in margine unius exempli Veneti ab Aldo impreſſi, quod mihi commodato dederat Jo. Pupperius Lugdunenſis. Sed neque eum, neque duos, qui deinceps ſequuntur à proximo, Lucretianos eſſe puto. Lamb.

465. *Et condenſa, atque arta apparere, & ſimul ipſo*] Ita in Veteribus, & Vulgatis, fere. Lambinus inducit. Gifan. Tollendi ſunt verſus 465. 467. 468. 474. Faber. Alii, *Et condenſa atque arta apparere, & ſimul ipſo:* Hunc verſum cum v. 467. & 468. Multi rejiciunt: Ferri tamen poſſunt, ſeu potius videntur neceſſarii, præcipue duo poſteriores, quibus Ventos ſurſum tendere, atque ideo Nebulas ad Montium cacumina tollere declaratur. Creech.

466. *In æthram*] Id eſt, in aëra lucidum. nomen eſt Græcum, quo ſæpe utuntur & Latini. Virgil. Æneid. 3: 585.

Nam neque erant aſtrorum ignes, neque lucidus æthra
Siderea polus.

Idem libro duodecimo 247.

Namque volans rubra fulvus Jovis ales in æthra, &c. Hom. Ιλ. ρ. 646.

Ποίησον δ' αἴθρην, δὸς δ' ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι.

ad quem locum Euſtath. *αἴθρην λέγει τὴν λάμψιν, τὴν εὐδίαν, τὴν αἰθρίαν.* id eſt, *æthram dicit aerem lucidum, ſerenitatem, & cælum purum.* Lamb. Adde *Brodæum* ad Ep. Gr. lib. Anthol. 1. *εἰς Ποι-μένας.*

467. *Nam loca declarat*] Sic habent libri quatuor manuſcripti. *loca ſurſum* autem interpretor *loca ſuperna*, quamquam non probatur mihi hoc loquendi genus, neque hunc verſum Lucretianum eſſe arbitror, neque huic proximum. Lamb. Hoc etiam tollit Lambinus: ego non auſim. Gifan.

468. *Res ipſa, & ſenſus*] Sic habent tres libri manuſcripti, quibuſcum conſentiunt antiqui Veneti, & Pariſienſes. ordo autem verborum eſt: res ipſa & ſenſus declarat, loca ſuperna patere ven-

“ Res ipſa ad ſenſum, Monteis quom adſcendimus altos.
Praeterea, permulta Mari quoque tollere toto
Corpora Naturam, declarant littore veſtes
Suſpenſae, quom concipiunt humoris adhaeſum.
Quo magis ad nubeis augendas multa videntur
Poſſe quoque è ſalſo conſurgere momine ponti.

“ Nam

INTERPRETATIO.

Res ipſa & ſenſus demonſtrat, cum montes altos aſcendimus. Præterea, Naturam multa corpora è toto Mari evehere docent veſtes in littore ſuſpenſæ, cum adhærente humore madefiant. Quapropter multa Corpora videntur poſſe conſurgere è ſalſo mobilique æquore quibus Nubes augeantur;

VARIÆ LECTIONES.

468. Delet L.
Res ipſa ad ſenſum. Ita C. E. N. V. res ipſa & ſenſum X. Y. Z. ſenſim Q1. *Lamb. & Alii:* Res ipſa ad ſenſus.
472. *Quo magis* Quod magis *Quidam, ut &* Y. Z.
473. *momine ponti.* momina Ponto V. nomine Ponti Q1. Y. Z.

NOTÆ.

ventoſa, cum, &c. Alii habent, *Res ipſa ad ſenſum.* Verum (ut jam dixi) neque hic verſus, neque ſuperior, neque ille, *Condenſa, & ſtipata*, &c. videntur mihi Lucretiani: neque denique horum verſuum ſententia mihi placet. Quod ſi operæpretium eſſet eos emendare, ſic legendos putarem:

Nam hoc loca declarant ſurſum ventoſa, patetque
Senſibus res ipſis, monteis cum aſcendimus altos.

Poſſet etiam ſic legi verſus prior,

Nam hoc loca declarant ventoſa ſuperne, patetque, &c. Lamb.

Scribendum monſtrantibus MSS. *Res ipſa ad ſenſum.* Declarat enim *ad ſenſum*, id eſt *ſenſu*, uti 5: 570. *ad ſpeciem* pro *ſpecie.*

——— *Nihilo ad ſpeciem eſt contractior ignis.* Hav.

469. *Præterea perm. mari q.*] Sententia horum verſuum hæc eſt: Præterea naturam multa corpuſcula è toto mari attollere, declarant veſtes in litore ſuſpenſæ, cum humorem ex mari contrahunt. At multo credibilius eſt, multa corpuſcula ex mari una exſiſtere poſſe ad nubeis cogendas & augendas. Quare ſi illud verum eſt, ut eſt: ergo & hoc. Lamb. Ne deſit Materia è qua tantæ Nubium moles componantur, è Mari vapores & halitus attolit, v. 11. Deinde è Fluviis & Terra ipſa, non quod Terreſtres aliquas particulas attolli putat (ut Gaſſendus) ſed quod Terra rore aut pluvia madefacta Fumare videtur. Creech.

470. *Declarant lit. veſt. ſuſp.*] Sic ſupra libr. 1: 306.

Denique fluctifrago ſuſpenſæ in litore veſtes.
Uveſcunt. Lamb.

471. *Adhæſum*] Utitur & alibi hoc nomine, ut libro tertio: 382.

Nam neque pulveris interdum ſentimus adhæſum
Corpore. Lamb

473. *Momine*] Si hæc ſcriptura placet, quæ reperitur in tribus lib. manuſcr. & in omnibus vulgatis, *momen ponti* intelligemus *agitationem, motum. & ſalum maris.* ſin cui ſuſpecta eſt, videat, præſtet ne legere *numine ponti.* nam in Memmiano ſcriptum eſt *nomine*: quod quidam putant depravatum eſſe ex *numine.* omnino magis probo *momine.* verum tamen judicet lector. Lamb. Recte *momine* in veteribus libris. In quibuſdam: *nomine*; quod ex *momine* depravatum eſt, ut ſupra, III. 189. Gifan. Melius quam Aliorum *Numine.* Creech.

 474. *Nam*

" Nam ratio conſanguinea eſt humoribus omnis.
Praeterea, fluviis ex omnibus, & ſimul ipſa
Surgere de terra nebulas, aeſtùmque videmus:
Quae velut halitus, hinc ita ſurſum expreſſa feruntur,
Suffunduntque ſua Coelum caligine, & altas
Sufficiunt nubeis paullatim conveniundo.
Urget enim quoque ſigniferi ſuper Aetheris aeſtus,
Et quaſi denſendo ſubtexit caerula nimbis.
Fit quoque, ut hunc veniant in coetum extrinſecus illa
Corpora, quae faciunt Nubeis, nimboſque volanteis.
In-

INTERPRETATIO.

nam ratio omnis cum ſanguine abeſt humoribus. *Præterea, è cunctis Fluminibus, ex ipſa quoque Terra nebulas & Vapores videmus ſurgere, Quæ, velut Halitus, è Terris expreſſa ſurſum feruntur, ſua caligine Cœlum denigrant, & paulatim coëundo in denſum Corpus Nubes in Aëre conſtituunt. Æſtus etiam Cœli ſignis ornati deſuper premit, & quaſi condenſando nebulas Cœlum cæruleum ſubtexit nimbis. Fit quoque ut illa corpora, quæ Nubes, & nimbos vagantes conſtituunt, extrinſecus veniant, & in noſtro Aëre coaleſcant;*

VARIÆ LECTIONES.

474. *ratio conſanguinea eſt humoribus.* Ita *Voſſ.* ratio tum ſegnis abeſt M. & H2. *vel,* cum ſanguine adeſt H2. c. O. P. *Delendum verſum cenſent* L. *Creech.* P. ratio cum ſanguine abeſt *Cr. aliique.* tum ſanguinea eſt Q1. conſanguineas eumoribus Y. Z.
480. *Urget.* Surgit c. O. Urgit Z. *denſendo.* denſando *Quidam.*
481. *nimbis.* nimbus P.
482. *hunc veniant.* huc veniant c. O. P. hinc veniant Q1. *in cœtum.* in cœlum P. X. *illa.* illi Q. X. Y. ille Z. illinc Q1.

NOTÆ.

474. *Nam ratio cum ſang. abeſt. h.*] Avancius ſcriptum reliquit, ſe, quid ſibi hic verſus velit, non videre. ego ex verbis ſententiam aliquam elici poſſe puto, ſed quorſum ponatur, aut quo pertineat, excogitare non poſſum. Omnino ſi Lucretianus eſt, videtur alieno loco eſſe inculcatus, & ſupra potius poſt verſum,

Arguit & liquidam molem, campoſque natanteis,

eſſe collocandus; ut ſit hic Lucretii ſenſus: quamobrem Jupiter in mare fulmen mittit? quid undas arguit, & mare? nam ratio, & ſanguis, & ſenſus abeſt ab aquis. Licet igitur multi mortales in aquis intereant, non tamen iccirco aquæ in crimen vocandæ ſunt, cum ſint rationis & conſilii expertes: peccatum autem non ſit ſine conſilio & voluntate nocendi. Sed non celabo lectorem, in cod. Memmiano ſcriptum eſſe,

Nam ratio conſanguinea, ſe amoribus omnibus:

in vulgatis autem Florentinis,

Nam ratio tum ſegnis abeſt humoribus omnis:

in Pariſienſibus autem,

Nam ratio cum ſanguine adeſt hum. omnis. Lamb. Hunc verſum rejicit Lambinus. In quibuſdam libris: *ab humoribus.* in al. *conſanguinea ſe amoribus omnibus.* Marullus: *tum ſegnis abeſt.* In aliis: *adeſt.* Gifan. Hunc Verſum nonnulli ſubjungunt v. 404. Alii v. 522. at quocunque in loco ponas, ſi ſapis ſubito iterum ejicies. Creech. At cur ejicias, quum ſententiam potius finiat & claudat. Voſſii vero conjecturam atque veſtigia MSS. ſecuti, *conſanguinea eſt* repoſuimus; nove quidem id dictum à Poëta agnoſcentes, ſed tamen

Innumerabilem enim numerum, ſummamque Profundi
Eſſe infinitam docui: quantaque volarent
Corpora mobilitate, oſtendi, quamque repente
Immemorabile per ſpatium tranſire ſolerent.
Haud igitur mirum eſt, ſi parvo tempore ſaepe
Tam magnos Monteis tempeſtas; atque tenebrae
Cooperiant Maria, ac Terras, impenſa ſuperne.
Undique quandoquidem per caulas aetheris omneis,
Et quaſi per magni circum ſpiracula mundi
Exitus, introituſque elementis redditus exſtat.

Nunc

INTERPRETATIO.

jamjam enim demonſtravi Semina eſſe Numero infinita, Inane etiam nullis terminis circumſcriptum, oſtendi inſuper quanta celeritate feruntur Semina, & quam brevi tempore immenſum ſpatium ſolent tranſire; Minime igitur debemus mirari, ſi frequenter temporis exiguo ſpatio tenebroſæ Nubes per Cœlum diffuſæ operiant tam magnos Montes Maria, & Terras, cum ex omni parte per omnes meatus Ætheris, & per omnia circum quaſi ſpiracula (Aditus & fauces) magni Cœli intrare poſſunt in noſtrum Aërem Semina, atque iterum exire.

VARIÆ LECTIONES.

485. *quantaque.* cunctaque *Quidam.* E. & qua cuncta Q1.
495. *demiſſus.* dimiſſus N. P. X.

NOTÆ.

men non minore jure quam alii id quod eſt proximum & particeps rei *adfine* dicunt, ſicut & ipſe 3: 733.

Corpus enim magis his vitiis adfine laborat. HAV.

479. *Sufficiunt*] Suppeditant. FABER.

480. *Urget enim quoque* &c.] Si Æſtum cum Gaſſendo, atque Aliis interpreteris *Calorem*, habebis cauſam quæ diſſipet Nubes, at quæ nunquam condenſet, neque Te juvabit, quam vocant, Anteperiſtaſis: Igitur per Æſtum Ætheris intellige Corpora iſta quæ è Cœlo continuo venientia ictibus ſuis tenues nebulas in nimbos cogunt vid. v. 513. CREECH.

481. *Ætheris æſtus*] Calor ætheris ſigniferi. jam *æther ſigniferum etiam ſupra* dixit lib. 5: 460.

——— ——— *Primus ſe ſuſtulit æther*
Signifer. LAMB.

481. *Denſando ſubtexit cærula nimbis*] Denſando Nebulas ſuperinducit illis colorem cæruleum: *Fayus.* Bipedum ſtupidiſſimus. CREECH.

481. *Denſendo*] Id eſt denſando, ut ſup. lib. 1: 662.

Denſeri poterunt ignes, rarique relinqui. LAMB.

482. *Fit quoque ut hunc* &c.] Ex Infinito ſpatio, aliiſque Mundis Nubium ſemina v. 12. accerſit. Alii, in *Hoc Cœlum.* CREECH.

484. *Innumerabilem enim,* &c.] Libr. 1: 957.

Omne, quod eſt igitur, nulla regione viarum
Finitum eſt, &c. LAMB.

485. *Quantaque volarent corp.*] Lib. 2: 141.

Nunc quæ mobilitas ſit reddita materiaï
Corporibus, &c. LAMB.

490. *Impenſa ſuperne*] Tempeſtas & tenebræ, duo illa, impenſa, id eſt effuſa, cooperiant maria ac terras è ſupera regione. *impenſa*, à verbo *impendor, eris*; id eſt, profuſa, effuſa, magna. LAMB.

491. *Per caulas.*] Per inania & cavitates, ut ſupra lib. ſecundo: 950.

Diſperſamque foras per caulas ejicit omneis. LAMB.

492. *Spiracula*] Aditus, fauceis. Virgilius libro ſeptimo Æneid. 568.

Hic ſpecus horrendum, & ſævi ſpiracula mundi
Monſtrantur. LAMB.

494. *Nunc*

Nunc age, quo pacto Pluvius concreſcat in altis
Nubibus humor, & in terras demiſſus ut imber
Decidat, expediam. Primum jam ſemina Aquaï
Multa ſimul vincam conſurgere nubibus ipſis
Omnibus ex rebus, pariterque ita creſcere utraſque,
Et Nubeis, & Aquam, quaecunque in nubibus exſtat,
Ut pariter nobis corpus quom ſanguine creſcit,
Sudor item atque humor quicunque eſt denique membris
Concipiunt etiam multum quoque ſaepe marinum
Humorem, veluti pendentia vellera lanae
Quom ſupera magnum venti mare nubila portant.

Con-

INTERPRETATIO.

Nunc age, docebo quo pacto pluvius Humor in altis nubibus concreſcat, & in Terras demiſſus decidat ut Imber. Primum demonſtrabo Semina multa Aquæ una cum ipſis Nubibus attolli ex omnibus rebus, & utrumque ſimul augeri, Nubes viz & Aquam quæ eſt in Nubibus: Ut noſtrum Corpus una cum Sanguine, & Omnis Humor qui eſt in Corpore una cum Corpore augetur. Nubes quoque, quando ſuper latum æquor à Ventis feruntur, multam aquam Marinam tanquam pendentia Lanæ vellera hauriunt,

VARIÆ LECTIONES.

498. *creſcere utraſque.* creſcere utrumque A. B. C. D. E. I. L. N. *Gaſſ.* P. Y. Z.
500. *corpus cum ſanguine.* ſanguis cum corpore creſcit L.
501. Delet L recte forſan, *Creech. eſt.* è Q1.
502. *Concipiunt.* Conſuggunt *codd.* P. *in not.* conſugunt Q1. concuderint Q. concidiunt Y. Z.
504. *venti mare.* mare venti Y. Z.

NOTÆ.

494. *Nunc age, q. p.*] Nunc de aqua pluvia, & imbribus. Lamb. De Pluvia ſequitur brevis diſputatio v. 29. Multa viz. Aquæ Corpuſcula una cum ſeminibus Nubium evehuntur, & ut ſanguis aliique Humores cum noſtro Corpore (Nam Nubes concipi poteſt tanquam Corpus, in quo Pluvia, quæ componatur cum ſanguine, continetur) cum nubibus pariter augentur: His adde iſtas Aquæ particulas, quas Nubes tanquam Lanæ vellera, quibus ſimiles videntur, è Mari & Fluminibus hauriunt. Ita Aqua plenæ Nubes, ſi vel Ventorum impetu, aut proprio ſuo pondere comprimantur, ex iis Guttæ exſiliant neceſſe eſt: v. 18. Deinde partes Nubium diducant Venti, excident incluſi Imbres; Diſſolvat autem Calor Solis, & tum tanquam Cera ab Igne liquefacta defluent Nubes v. 4. Vehemens Imber vehementem Nubium compreſſionem ſequitur v. 2. Diuturna denique Pluvia, cum à pluribus Nubibus coacervatis continuatur Imber, & Terra pluviam, quam recepit, in vapores reſolutam remittit v. 5. Creech. Servius ad Virg. Æn. 1: 747. *unde imber* &c. ita ſcribit: *ſcilicet de nubibus fit, ſecundum* Lucretium *de terræ halitu naſcuntur, qui nebulas creat: quæ cum altius elevatæ fuerint, aut Solis calore reſolutæ, aut vi ventorum compreſſæ, mittunt leves pluvias, vel exprimunt concitatiores.* Hav.

495. *Demiſſus*] Sic malo legi, quam *dimiſſus.* Lamb. Ita & ſupra. Quidam: *demiſſus.* Gifan.

497. *Vincam*] Firmiſſimis argumentis probabo. ſic libro ſecundo: 747.

Quod quoniam vinco fieri, nunc eſſe docebo.

ſic Horat. ſat. 3. libri ſecundi: 15.

Vin-

Conſimili ratione ex omnibus amnibus humor
Tollitur in nubeis: quo quom bene ſemina aquarum
Multa modis multis convenêre undique adaucta:
Confertae nubes vi venti mittere certant
Dupliciter: nam vis venti contrudit, & ipſa
Copia nimborum, turba majore coörta,
Urget, & è ſupero premit, ac facit effluere Imbreis.
Praeterea, quom rareſcunt quoque Nubila ventis,
Aut diſſolvuntur Solis ſuper icta calore:
Mittunt humorem pluvium, ſtillantque, quaſi igni

Ce-

INTERPRETATIO.

Similiter etiam ex omnibus Fluviis Humor in Nubes tollitur; In quas Nubes cum multa Aquæ Semina è Mari, Terra, undique multis modis ſurgentia convenerint, tum confertæ gravidæque Nubes duas ob cauſas pluviam dimittunt, Ventus enim Nubes iſtas contrudit, & ipſa Nimborum copia (nam confertas nubes ſupponimus) deſuper premit, & Imbres exprimit è nubibus. Præterea cum Nubes à ventis rareſiunt, aut diſſolvuntur ictibus radiorum Solis deſuper incidentium, tum pluvium Humorem dimittunt, & diſtillant,

VARIÆ LECTIONES.

508. *nubes vi venti.* nubes imbres tum mittere *Creech.* nubes vim venti Q1.

510. *majore coorta* majore coacta C. E. V. MSS. minore coorta Q. Q2. turbarum more Q1. Y. turbai *more* Z.

511. *Urget, & è ſupero premit.* Urget & inſuper opprimit V. Urget & ſuper V. Urgens & ſuper Y. Z.

514 *ſtillantque.* ſtillantia, quaſi A. B. I. ſtillante C. E. N. V. MSS. P. X. Y. Z. ſtillando H2. M.

NOTÆ.

Vincit enim ſtultos ratio inſanire nepotes. LAMB.

500. *Ut pariter nobis corpus*] Malim ſic legi, ſi libri patiantur,

Ut pariter nobis ſanguis cum corpore creſcit. LAMB. Lambinus, *Ut pariter nobis Sanguis:* & verſum ſequentem delet; Recte forſan: At *Corpus cum Sanguine*, & *Humor cum Membris* reſpondent verſui 498. *Pariterque ita creſcere utraſque* (Alii *Utrumque*) Et Nubes & Aquam. CREECH.

501. *Sudor item, atque humor*] Hunc verſum, ut ſpurium, delendum cenſeo. LAMB.

502. *Concipiunt*] Alibi ſcribitur *Confugiunt:* alibi, *Conciliant.* LAMB.

503. *Vellera lanæ*] *Vellus à vellendo dictum eſſe* docet Varro libro quarto de lingua Latina. ſic utrumque conjungit Horat. od. 13. epod. 21.

Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ
Cui properabantur? LAMB.

508. *Confertæ Nubes vi Venti mittere certant*] Viz. Nubes vi venti condenſatæ aquas collectas mittunt: Ita Interpretes, contenderem vero voces iſtas *Vi Venti* è ſequenti verſu fuiſſe huc delatas, & Lucretium ſcripſiſſe, *Imbres tum mittere certant.* CREECH.

508. *Mittere*] Aquas conceptas & collectas. LAMB.

510. *Turba majore coorta*] Sic legendum eſſe vincit verſus, qui paullo ante poſitus eſt vſ. 464.

Hic demum fit uti, turba majore coorta, &c. LAMB.

511. *Facit effluere*] Sic loquitur ſup. lib. 5: 702.

Qui faciant ſolem certa de ſurgere parte.

& hoc eodem libr. ſupra vſ. 454.

Hæc faciunt primum vacuas conſiſtere nubeis.

& item alibi. LAMB.

514. *Humorem pluvium ſtillantia, quaſi igni*] Sic reſtitui, cum veteres libri haberent: *ſtillante.*

Ita

Cera ſuper calido tabeſcens multa liqueſcat.
Sed vehemens imber fit, ubi vehementer utroque
Nubila vi cumulata premuntur, & impete venti.
At retinere diu pluviae, longumque morari
Conſuerunt, ubi multa fuerunt Semina aquarum;
Atque aliis aliae Nubes, nimbique rigantes
Inſuper, atque omni volgo de parte feruntur:

Ter-

INTERPRETATIO.

tanquam Cerâ quæ vehementi Igne liquefit. Vehemens autem fit Imber, cum Nubes coacervatæ tam pondere ſuo, quam Venti impetu comprimuntur. At Pluviæ ſolent morari, diuque Homines domi retinere, cum multa ſint in Nubibus Aquæ Semina; atque aliæ ſuper alias Nubes, & ſtillantes Nimbi; cum ex omni parte Cœli circum portantur Nubes,

VARIÆ LECTIONES.

515. *Cera.* Cara Q1. Tela Y. Z. Teda V.

516. *vehementer utroque.* vehementer utrinque c. H2. P. veh. utrumque O. veh. utraque Y. Z.

519. *multa fuerunt.* multa fluent Q1. multa flentur ſemina V. afflentur V. multa flentur Y. Z.

521. *Inſuper, atque omni.* Inſuperaque omni *Quidam.*

NOTÆ.

Ita ſupra: *ſemine oriundi.* Marullus fecerat: *ſtillando.* Lambinus: *ſtillantque.* GIFAN.

Stillantque] Sic reſtitui, cum in omnibus libris tum manuſcriptis, tum vulgatis, (præter Florent. qui habent *ſtillando*) legatur *ſtillante*, plane mendoſe. Arbitror autem à Lucretio ſcriptum eſſe *ſtillantque*: deinde à ſcriptore librario deſcriptum multis poſt ſæculis, *ſtillantce*, c pro *qu*, ut *aca* pro *aqua*: poſtremo à nonnullis factum *ſtillante*, detracto *c*, quod eam litteram inanem & ſupervacaneam putarint. Hæc Zoilus non probat, reditque ad ſuos vomitus, verſus volui dicere, ut cenſeat legendum,

——— ——— *Stillantia quaſi igni* LAMB.

516. *Ubi vehementer utroque*] In Quibuſdam *utrimque.* GIF. & CREECH.

518. *At retinere*] Nunc, cum interdum longæ & diuturnæ ſint pluviæ. Sed cur non dixit,

At durare diu pluviæ, &c.

Reſpondeo: pluviæ, quæ durant, homines morantur, & retinent. Itaque ex effectis, hoc eſt, ex eo quod pluviæ retinent, durare intelliguntur. LAMB. Morari, domi homines retinere. FABER.

519. *Multa fuerunt*] Neſcio quis *Multa flentur:* iſta obſervatio nulla eſt. CREECH.

522. *Rehalat*] Humorem è cælo delapſum iterum atque iterum ſurſum halat. LAMB. & CREECH.

523. *Hinc ubi Sol radiis*] Nunc de arcu, ſeu arquo, ſeu arco cæleſti, qui Iris à Græcis appellatur. Nonnulli libri habent *Hic ubi*, &c. LAMB. De Iride pauca v. 3. neque multis opus, quippe nubem roridam ex adverſo ſitam illuſtrant Solis radii, atque Inde Iris, Quoniam vero nihil de coloribus aut Forma Iridis *Lucretius*, Quid Ipſe adjiciam? CREECH.

524. *Adverſa fulſit*] Nam ſemper fit ex adverſa ſoli parte. Atque ex hoc probant, iridem, ſeu arcum pluvium nihil eſſe aliud, quam adſpectus noſtri refractionem ad ſolem: quam Græci ἀνάκλασιν appellant. Ἔστι νῦν τὸ τῆς ἴριδος πάθος, τοιοῦτον (inquit Plutarchus lib. 3. περὶ τῶν ἀρεσκ.) δεῖ γὰρ ἐπινοῆσαι τὴν ὑγρὰν ἀναθυμίασιν εἰς νέφος μεταβάλλουσαν, εἶτα ἐκ τοῦ κατὰ βραχὺ εἰς μικρὰς ῥανίδας νοτιζοῦσαν. ὅταν οὖν ὁ ἥλιος γένηται εἰς δυσμὰς, ἀνάγκη πᾶσαν ἶριν ἀντικρὺς ἡλίου φαίνεσθαι, ὅτι ἡ ὄψις προσπίπτουσα ταῖς ῥανίσιν, ἀνακλᾶται, ὥς τε γίνεσθαι τὴν ἶριν. id eſt, *Eſt igitur Iris affectus talis. O-*

por-

Terraque quom fumans humorem tota rehalat.
Hinc ubi Sol radiis tempeſtatem inter opacam
Adverſa fulſit nimborum adſpergine contra:
Tum color in nigris exſiſtit nubibus Arqui.
Caetera, quae ſurſum creſcunt, ſurſumque creantur:
Et quae concreſcunt in nubibus omnia, prorſum
Omnia, Nix, Venti, Grando, gelidaeque Pruinae,

Et

INTERPRETATIO.

& cum tota fumans Terra vapores remittit. Inde cum Sol inter opacam tempeſtatem adverſis radiis rorantem nubem in pluviam reſolutam percuſſerit, tum in atris Nubibus fit Iris. Reliqua quæ in ſuperiore Aëris regione fiunt, & omnia quæ in Nubibus generantur, Omnia inquam, Nix, Ventus, Grando, gelida pruina,

VARIÆ LECTIONES.

522. *Terraque quom fumans.* Terraque conſumens humorem c. O. P. *rehalat.* tota relatrat V. redhalat V. redralat Y. Z.
523. *Hinc ubi.* Hic ubi C. E. N. P. *inter.* intus Q. X.
524. *adſpergine.* adſpargine Y. Z.
525. *nubibus Arqui.* nubibus arci C. E. arquus c. O. P. nubibus arquis *cod.* P. *in not.*
526. *creantur.* creantur N.
528. *Omnia, Nix.* Sicuti nix H2.

NOTÆ.

portet enim exhalationem humidam cogitare, quæ in nubem mutetur. deinde paullatim in parvas guttas liqueſcat. Cum igitur ſol in occaſu fuerit, neceſſe eſt omnem arcum cæleſtem è regione ſolis videri, quia cum adſpectus noſter in guttas illas incidit, refringitur, ita ut fiat Iris. De Iride legendus Ariſtoteles lib. μετεωρ. γ. ut & de aliis omnibus rebus ſuperis, ſuo unaquæque loco. LAMB.

525. *Tum color in*] Hunc verſum profert Nonius in voce *arcus*, legitque hoc loco *arqui*, non *arci*, docens *arquum* dici Irim, *arcum* ſuſpenſum fornicem. Priſcianus vero lib. 6. probat ex Cicerone lib. 3. de natura Deorum, *arcum arci* in ſecunda quoque declinatione uſurpari pro arcu cæleſti. Sic Cic. *Cur autem arci ſpecies non in numero Deorum reponatur? Exſiſtunt porro, aut certe apparent tres colores in iride, puniceus, viridis, purpureus.* LAMB. Seu *arcus*, ſeu *arci*, ſeu *arqui* legatur, nil intereſt. FABER. Ipſe cœleſtis Arcus, ut alibi *Flammæ colores*, Flamma. Sive *Arcus*, ſive *Arci*, ſive *Arqui* legatur, nihil intereſt. CREECH. Ita (*arqui*) Nonius. Vulgati: *arci.* GIFAN.

526. *Cætera, quæ ſurſum creſcunt* &c.] V. 8. De Nive, Vento, Grandine, Pruina, Glacie, nihil ſpeciale Lucretius; Qui vero res has contempletur, qui Nubes, & Imbres conſideret, Qui denique varias Principiorum formas, figuras, motuſque in animo habeat, Ille reliqua quæ non explicantur Meteora commode explicare poſſit. CREECH.

528. *Nix*] Nix fit cum tenuis aqua è nubibus fuſa, ſenſim decidens concreſcit non longe à terra, ſed longe à nubibus, è quibus effuſa eſt, ita ut, propter magnum intervallum, guttæ rotunditatem ſuam conſervare non potuerint, ſed diſtractæ jam ac divulſæ, ad locum, ubi frigore concreverunt, pervenerint. LAMB.

528. *Grando*] Grando fit, cum guttæ è nubibus effluentes, ſtatim ut ex illis exſtiterunt, frigore concreſcunt. guttæ autem omnes rotundæ ſunt natura, quod ſenſus docet, ac judicat. Ita fit, ut guttæ illæ, quæ natura rotundæ ſunt, ante quam longius à nubibus recedunt, frigore, quod ibi eſt acerrimum & intentiſſimum propter antiperiſtaſin, concretæ, fiant id quod dicun-

 tur,

Et vis magna Geli, magnum duramen aquarum:
Et mora, quae fluvios paſſim refraenat eunteis:
Perfacile eſt tamen haec reperire, animoque vidēre,
Omnia quo pacto fiant, quareve creëntur,
Quom bene cognôris, elementis reddita quae ſint.
Nunc age, quae ratio Terraï motibus exſtet,

Per-

INTERPRETATIO

Item rigida glacies, quæ indurat aquas, moratur vagantes fluvios, & amnes paſſim labentes reprimit, Hæc inquam omnia, eorumque cauſas, & quo modo generantur, facile intelliges, poſtquam Vim virtutemque Seminum penitus perſpexeris. Nunc age, jam audi quæ ſit Terræ-motus cauſa:

VARIÆ LECTIONES.

530. *refrænat eunteis.* refrænat aquantis Amarg. H2. refrænat aquades Q1. refrænat. aventes Perfacile & V. X. Y. Z. amentes Q.
531. *tamen hæc.* cuncta hæc H2 timet hæc Q1. *reperire.* te per te P. reperire P. *in not.*
532. *fiant.* fluant X. Y. Z.
533. *ſint.* ſunt P. X.
534. *bene.* bone O.

NOTÆ.

tur, ex aqua grandines. Ex quo nives fiunt hieme maxime: at grandines vere atque auctumno. LAMB.

528. *Gelidæque pruinæ*] Pruina, ros eſt congelatus, & frigore concretus. Itaque ros fit æſtate maxime, interdum etiam vere, & in locis tepidis & calidis: pruina vero, quam πάχνην nominant Græci, hieme, & in locis frigidis. LAMB.

529. *Magnum duramen*] Aquæ duratæ, ſeu vis ea quæ durat aquas, glacies, κρύσταλλος: ex cujus ſimilitudine ſupra libr. 1: 494. *glaciem æris* dixit, tenuem æris laminam, ſeu bracteam, quæ glaciei inſtar ſit lævis & rigida,

Tum glacies æris flamma devicta liqueſcit:

ubi vulgo legebatur,

Tum glacies acri fl. d. &c. LAMB.

530. *Et mora, quæ fl.*] Idem dicit. glaciem enim ſignificat, quæ fluvios moratur. ſic Virgil. libr. 4. Georg. 136.

Et glacie curſus frenaret aquarum.

& Horat. epiſt. 1: 3: 3. ad Jul. Florum:

Thracane vos, Hebruſque nivali compede vinctus, &c. LAMB.

530. *Eunteis*] Quidam libri habent *aquanteis*: in his Florentini. LAMB.

531. *Reperire*] Quidam legendum putant, *te per te, animoque videre.* LAMB. Alii, *Te per Te*, quos pauci ſequentur. CREECH.

531. *Animoque vid.*] Sic ſupra libro quinto: 1106.

——— ——— *Et corde vigebant.* LAMB.

533. *Sint*] In Quibuſdam: *ſunt.* GIFAN.

534. *Nunc age, quæ ratio*] Nunc de terræ motibus, de quorum variis generibus lege Ariſtot. lib. de mundo cap. 4. & μετεωρολ. β. cap. 7. & 8. LAMB. Ut terræ-motus recte explicetur, nonnulla (quæ tamen nemo unquam negavit) ſupponi debent: Supponas igitur v. 8. Terram eſſe cavernoſam, in Cavernis autem Halitus contineri, & in illas Ventos poſſe irruere; Supponas denique multos ſub Terra lacus, & lata Aquarum Stagna; multa etiam flumina per interiores Telluris meatus volvi: Atque his ſuppoſitis, Primo fit Terræ tremor v. 9. cum Spelunca aliqua longa ætate ſubruta pars Terræ in profundum decidat, Quinetiam Tremorem ab iſtiuſmodi concuſſione oriri poſſe minime dubitandum, cum videamus Terram curru vel plauſtro prætereunte ſuccuti. CREECH.

535. *Et in primis Terram fac ut*] Hæc ſententia fuit Democriti, ut ſcribit Ariſtot. lib. 2. de re-

bus

Percipe: Et in primis Terram fac ut eſſe rearis
Subter item, ut ſupera eſt, Ventis, atque undique plenam
Speluncis, multoſque lacus, multaſque lacunas
In gremio gerere, & rupeis, deruptaque ſaxa:
Multaque ſub tergo Terraï flumina tecta
Volvere vi fluctus, ſubmerſo capite putandum eſt.

Un-

INTERPRETATIO.

& imprimis concipe Terram ut ſupra, ita ſubter eſſe; Ventis ex omni parte refertam, & ſpeluncis excavatam, multos inſuper lacus, & multas lacunas in Viſceribus habere, rupes etiam & derupta ſaxa; Putandum denique eſt, occulta multa flumina fluctus magno cum impetu & ſubmerſa ſaxa volvere ſub cortice Terræ.

VARIÆ LECTIONES.

535. *Terram.* terras X. Z. *fac ut eſſe.* fac eſſe D. face ut eſſe P. face eſſe Q1.

536. *item, ut ſupera eſt.* item & ſupera P. ut ſuper eſt Q1. ut ſupera Y. Z. *atque.* abeſt Y. Z.

538. *gerere.* & gemere, & H.

540. *vi.* jam P. *ſubmerſo capite putandum eſt.* Sic vel *ſubmerſo capte* V. ſubmerſis ita putandum eſt Q1. ſubmerſis caputandum eſt Q. X. ſubmerſos caputandum eſt Y. Z. ſubmerſaque ſaxa *Vulg.* ſubmerſis ſaxa N.

NOTÆ.

bus ſuperis: Δημόκριτος δέ φησι πλήρη τὴν γῆν ὕδατος οὖσαν, καὶ πολὺ δεχομένην ἕτερον ὄμβριον ὕδωρ, ὑπὸ τούτου κινεῖσθαι. πλείονός τε γὰρ γινομένου, διὰ τὸ μὴ δέχεσθαι τὰς κοιλίας, ἀποβιαζόμενον ποιεῖν τὸν σεισμὸν, καὶ ξηραινομένην καὶ ἕλκουσαν εἰς τοὺς κενοὺς τόπους ἐκ τῶν πληρεστέρων, τὸ μεταβάλλον ἐμπίπτον κινεῖν. i. e. *Democritus autem ait, terram, cum ſit aquæ plena, multamque aliam aquam pluviam recipiat, ab hac moveri. Nam & cum hæc augetur, creſcitque propterea quod lacunæ totam non recipiunt, eam vi irrumpentem, terræ motum efficere: & terram areſcentem, atque in parteis inaneis è locis plenioribus attrahentem, ab aqua locum mutante & illabente moveri.* Sic fere Plutarchus lib. 3. περὶ τῶν ἀρεσκ. ex ſententia Epic. Ἐπίκουρος φησὶν ἐνδέχεσθαι μὲν ὑπὸ τοῦ πάχους ἀέρος τοῦ ὑποκειμένου, ὑδατώδους ὄντος, ἀνακρουομένην αὐτὴν, καὶ οἷον ὑποτυπτομένην, κινεῖσθαι. i. e. *Epicurus ait evenire poſſe, ut terra à craſſo aëre ſubjecto, qui ſit aquoſus, repulſa, & veluti ſubtus verberata, moveatur.* Lamb. Ex Anaxagoræ ſententia; Vide Hieronym. Cardanum in libb. de varietate rerum; cui addas licet quod in fodinis aurariis apud Indos Occidentales obſervatum eſt. Faber.

539. *Multaque ſub tergo*] Id eſt, & multa flumina ſub terra latentia fluctuare, & ſaxa una ſecum rapere è locis plenioribus. Lamb.

540. *Submerſaque ſaxa*] Voſſius ad Catullum p. 269. legit è Codd. *Submerſo capte*, id eſt, Capite. Creech. Et recte quidem Voſſius, clare id evincentibus MSS. optimis, qui veſtigia non modo lectionis hujus monſtrant, ſed tantum non ipſam ponunt. Ennius quoque in *capitibus* ſimiliter literam *i* elidi voluit verſu apud Nonium & Gellium, atque inter Fragm. Poëtæ pag. 135.

Capitibus nutantes pinos, rectoſque cupreſſus.

Sed & Lucretius in prioribus jam *ſaxa* illa commemoravit verſu 538. quæ *derupta* vocavit, non quod ut *ſubmerſa volvantur* tanquam diffracta & avulſa ab aliis ſaxis, ſeu à ſe invicem, verum quod ſint hiantia, aſpera, confragoſa, atque adeo in medio ſui derupta. At illud *ſubmerſo capte* ſeu *capite*, terram denotat inverſam, & in ſe quaſi ſubſidentem ita, ut quod extra oſtendat intus ſimiliter comprehendat, in quo utique argumento verſatur Poëta, & quod ſibi probandum proponit, ſcribens verſu 535.

——— *Et in primis Terram fac ut eſſe rearis*
Subter item, ut ſuperà eſt. &c.

ut ita ſimilis ſibi ipſi ſit & exſerto & ſubmerſo (ut poëtice loquitur) capite. Hav.

541. *Si-*

Undique enim ſimilem eſſe ſui, res poſtulat ipſa.
  His igitur rebus ſubjunctis, ſuppoſitiſque:
Terra ſuperne tremit magnis concuſſa ruinis
Subter, ubi ingenteis ſpeluncas ſubruit aetas,
Quippe cadunt toti montes, magnoque repente
Concuſſu, late diſſerpunt inde tremores:

Et

INTERPRETATIO.

Nam res ipſa poſtulat ut Terra ſit ex omni parte ſibi ipſi ſimilis. His igitur datis & conceſſis; Terra ſuperne tremit; magni alicujus ponderis caſu ſubter concuſſa, cum longa ætate exeſæ ſpeluncæ corruant: Quippe toti montes decidunt gravi ſubitoque caſu, atque inde Tremor per Magnam Terræ partem diffunditur:

VARIÆ LECTIONES.

541. *ſimilem eſſe ſui, res.* ſimile eſſe & par res H2. ſimile eſſe ſui res P. *recte corrig. in not.* ſimilem P. ſimile eſſe vires X.
542. *rebus ſubjunctis.* rebus ſejunctis D.
546. *diſſerpunt.* diſcerpunt P. X.

NOTÆ.

541. *Similem eſſe ſui*] Terram. Cod. Vatic. habet, *ſimile eſſe & par, res poſtulat ipſa.* LAMB.

542. *His igitur rebus &c.*] Τούτων δὴ ὑποκειμένων, ϗ ὑποτεθέντων. LAMB.

543. *Terra ſuperne tremit*] Millies jam dixi, ultimam ſyllabam adverbii *ſuperne* brevem eſſe: itaque eos errare, qui hoc loco & ſimilibus legi volunt *ſuperna*, præſertim reclamantibus omnibus libris, & manuſcr. & vulg. præter Venetos antiq. & Pariſienſ. LAMB.

546. *Diſſerpunt*] Sic legendum, non *diſcerpunt*. *diſſerpunt* autem, id eſt, in diverſas parteis ſerpunt, & dimanant, & divagantur. LAMB.

547. *Quoniam non magno*] Argumentum à minore. LAMB.

547. *Plauſtra concuſſa &c.*] Seneca Nat. Quæſt. lib. 6. cap. 22. *Si quando magna onera per vices vehiculorum plurium tracta ſunt*, (fort. per Vicos vehiculorum plurium ordine tracta ſunt) *& rotæ majore niſu in ſalebras inciderunt, Terram concuti ſenties: Aſclepiodotus tradit, cum petra è latere montis abrupta cecidiſſet, ædificia vicina tremore collapſa. Idem ſub Terris fieri poteſt, ut ex his quæ impendent rupibus aliqua reſoluta magno pondere, & ſono in ſubjacentem cavernam cadat, eo vehementius, quo aut plus ponderis habuit, aut venit altius: Et ſic commovetur omne tectum cavatæ Vallis.* CREECH.

548. *Viam propter*] Ἀναςροφή: *propter viam*, id eſt prope viam, ut *propter viam facere.* de quo Feſtus & Macrob. LAMB.

549. *Nec minus exſultant, &c.*] Secutus eram initio codices Florent. Lugdun. Venetos, Baſilienſeis, in quibus ſic legitur,

Nec minus exſultant ubi currus cumque equitum vi.

nam alii vulgati habent,

Nec minus exſultantia ſunt, fortis quam ubi equum vis.

Memmianus autem manuſcr.

Nec minus exultantes dupuiſcumque vim.

ex quibus ſcripturis vitiatis, & corruptis, nunc hanc elicio:

Nec minus exſultant, ubi currus, fortis equum vis, &c.

ut ſit hic ordo verborum, hæcque ſententia: Nec minus exſultant (tecta ſubint.) ubi *fortis equum vis*, hoc eſt fortes equi, ſuccutit (ſuccutiunt) utrimque ferratos orbeis rotarum currus, *currus* enim eſt patrii caſus. LAMB.

549. *Nec minus exultantes, quam ubi fortis equum vis*] Ita proxime accedens ad veterum librorum ſcripturam edidi. Numeri congruenter exultant. Vulgata lectio: *exultant ubi currus cumque equitum vi*, Marulli eſt. GIFAN. Proxime ad optimorum Codd. lectionem accedes ſi ſcribas,

Nec minus exſultant, ubi currus cunque & equôm vis &c.

i. e.

Et merito, quoniam plauſtris concuſſa tremiſcunt
Tecta viam propter non magno pondere tota.
Nec minus exſultant, ubi currus fortis equôm vis
Ferratos utrinque rotarum ſuccutit orbeis.
Fit quoque, ubi magnas in aquae, vaſtaſque lacunas
Gleba vetuſtate è terra provolvitur ingens,

Ut

INTERPRETATIO.

Et merito, totæ enim domus juxta viam ſitæ plauſtris non magno pondere onuſtis prætereuntibus concuſſæ tremunt, neque minus tremunt cum fortes equi ferratos orbes rotarum currus ex utraque parte ſuccutiunt (cum Equi rapido impetu currum juxta trahunt.) Fit quoque ut, cum magna pars Terræ ætate reſoluta decidat in latas vaſtaſque Aquæ lacunas, Aqua jactetur,

VARIÆ LECTIONES.

549. *exſultant, ubi currus fortis equôm vis.* exultantia ſunt, fortis quam *ubi* equûm vis c. O. tibi P. exultant iola P. ſæumque flumen V. exultantes quam ubi fortis equûm vis a. B. exultant ubi currus cunque equitum vi A. C. E. M. N. exul. ubi currus cumque equum vi Q2. exultantes dupius cunque viri, Q. X. *in* Q. *vero adſcript. ad oram in MS. vetuſto Codice fuiſſe ſic :* Nec minus exſultantes dup. vis cumque viri. *At vero in Y. Z. ita legitur :* Nec minus exſultantes dupuis cumque vim.

550. *Ferratos utrinque.* Ferratos cum utrinque V.

551. *ubi magnas in aquæ.* ubi in magnas aquæ A. B. in magnas æque C. E. magnas in aquas c. O. P. *in* delent Y. Z.

NOTÆ.

i. e. ubicunque currus & vis equorum currum trahentium ſuccutit &c. Hav.

551. *Fit quoque, ubi magnas in aquæ*] Sic reſtitui, ſcripturæ veteris veſtigia ſecutus. Sic enim habent quatuor lib. manuſcript.

Fit quoque, ubi in magnas aquæ.

vulgati autem fœde corrupti ſunt, in quibus ita legitur,

Fit quoque, ubi in magnas aquæ.

Venetos antiq. & Pariſienſ. & Vicetinos excipio: in quibus eſt,

Fit quoque, ubi magnas in aquas, &c.

quam lectionem non damno, ſed illam magis probo. Verum non probat eam Zoilus, ſed quandam perreconditam, talem ſcilicet:

Fit quoque, ubi in magnas aquæ, &c.

aqua interdum (inquit) habet primam longam, ut docet Beda libro de metris. Primum Beda non dicit hoc eſſe perpetuum; deinde Beda non profert hunc locum, ſed alium, qui eſt infra,

Quæ calidum faciunt aquæ tactum, atque ſaporem.

in quo tamen oſtendam Bedam falli, neque ejus me movet auctoritas. Sic igitur hunc locum eſſe legendum aio, ut olim edidi, quidquid dicant Zoili & ſycophantæ. Licebit tamen legegere, ut illi volunt, modo *aquæ* ſit triſyllabum. Lamb. V. 5. Alia tremoris Terræ cauſa continetur, Nempe ſi in vaſtam Aquæ paludem decidat gravis Terræ portio, Aquæ iſtius ſit agitatio, Iſtam vero Aquæ jactationem, ſequitur Telluris (quæ iſtam Aquam tanquam Vas continet) titubatio. Creech.

551. *Fit, quoque, in magnas aquæ*] Ita veteres libri. Marullus: *æque*; non recte. *Aquæ* priorem interdum habet productam. Gifan.

552. *Gleba vetuſtate* &c.] Facit huc quod legi in Relationibus Groenlandicis pag. 45. anni 1676. Hiſtoria autem Latine (nam Belgice liber ſcriptus eſt) ita ſeſe habet: *Quum itaque per* XIX. *dies immota navi coarctati inter glaciem ſediſſent concretam, nocte inter* 31. *Aug. &* 1. *Septemb. cœlo claro & ſereno, quieta tempeſtate, nullo audito ſonitu, ſubito magnus motus & jactatio ſubtus glaciem fit aquarum, ita ut tres illæ naves magno impetu propulſæ*

 huc

Ut jactetur aqua, & fluctu quoque terra vacillet:
Ut vas in terra non quit conſtare, niſi humor
Deſtitit in dubio fluctu jactarier intus.
  Praeterea, Ventus quom per loca ſubcava terrae
Conlectus parti ex una procumbit, & urget
Ob-

INTERPRETATIO.

Terra quoque Aquæ fluctu agitata, titubet: Ut Vas non poteſt in Terra quieſcere, ſed titubet neceſſe, quamdiu liquor in illo contentus huc & illuc agitetur. Præterea, cum Ventus in Terræ cavernis collectus parte ex una impetum facit,

VARIÆ LECTIONES.

553. *aqua , & fluctu.* aquæ fluctu A. B. C. D. E. N. P. X. Y. Z. *vacillet.* vacillans D. P. vacilla Y. vacillas Z.

554. *Ut vas in terra.* ut vas inter non Y. Z. Ut vas inferii non V. Et vis in terra c. P. Ut vas *quidam codd. P. in not.*

557. *parti ex.* parte ex P. X. Y. Z.

NOTÆ.

huc illuc, rupta glacie atque diſcedente, mediis veherentur aquis &c. Hanc ſubitam atque inexſpectatam aquæ jactationem, gubernatores nautæque inde factam judicabant; quod (ſive naturali de cauſa, ſive Dei pro ſervandis illis ſingulari providentia) alicubi vaſtum fragmentum montis ex glacie concreti deruptum, in aquas fuerit propulſum, atque hinc eaſdem tanto motu ſuccuſſas fuiſſe naves atque jactatas. Hav.

553. *Ut jactetur, aquæ &c.*] Sic Veteres quidam, & Vulgati. In Aliis: *jactentur aquæ*, &c. In Quibuſdam: *vacillat.* In Quibuſdam: *vacillans.* Gifan.

553. *Ut jactetur aqua & fluctu &c.*] Cum olim hanc ſcripturam codicum Pariſienſium ſecutus eſſem,

Ut jactetur aquæ fluctu quoque terra vacillans.

hæc annotaram, his ipſis verbis: Secutus ſum codices Pariſienſeis. nam alii vulgati partim habent,

Ut jactetur, aquæ fluctu quoque terra vacillet:

partim,

Ut jactentur aquæ, fluctu quoque terra vacillet.

manuſcripti autem etiam inter ſe diſſentiunt, & alii cum his, alii cum illis vulgatis congruunt. Memmianus porro in eo quod habet *vacillans*, etiam cum Pariſienſibus conſentit. legendum fortaſſe eſt,

Ut jactetur aqua , & fluctu quoque terra vacillet.

Hanc igitur ſcripturam nunc magis probo, idque pro meo jure: ab iiſque qui eam mihi palam ademerunt, recuperatorio judicio repeto. Lamb. Alii, *Ut jactetur* aquæ fluctu *quoque Terra* vacillans: Nullo vero modo ferri poteſt iſtud Gifanii, Ut jactetur, *aquæ fluctu quoque Terra vacillet.* Creech.

554. *Ut vas in terra &c.*] Id docet à ſimili, hoc modo: Quemadodum (inquit) ſi aqua, quæ eſt in vaſe, moveatur, movetur & vas, neque prius moveri deſinit, quam aqua moveri deſita ſit. Lamb. Voſſius ad Catullum p. 331. *Ut Vas Inferii.* Vinum autem *Inferium* eſt Vinum novum, (*Vinum inferium, id quod in ſacrificando infra pateræ labrum ponebatur, Feſtus*) Quis vero neſcit Vinum novum non contineri in vaſis aut doliis, ſi non ſatis deferbuerit? At rem ipſam non ſatis attendit Vir ille doctus, Quis enim vidit dolia ab iſto novo vino quod non ſatis deferbuit jactata? & quæ *Novi vini* neceſſitas, cum idem efficeret Liquor viliſſimus? recte igitur *in Terra* editur. Creech. Et recte quoque intellexit Servius, cujus hæc ſunt verba ad Virg. Georg. 2: 479. *Alii aquam dicunt genitalem ſub terris moveri, & ſimul eas concutere, ſicut vas aquæ, ut dicit Lucretius.* Hav. Omnino aliquod mendum in hiſce verbis latet. Non enim de quolibet vaſorum genere verum eſt, quod hic dicit Lucretius, ſed de eo dumtaxat, quod baſi caret, & concavum eſt, ubi exteriori ſeu convexa parte loco
ali-

Obnixus magnis ſpeluncas viribus altas;
Incumbit tellus, quo Venti prona premit vis:
Tum, ſupera terram quae ſunt exſtructa domorum,
Ad coelumque magis quanto ſunt edita quaeque,
Inclinata minent in eandem prodita partem:
Protractaeque trabes impendent ire paratae:

Et

INTERPRETATIO.

& obnixus magnis viribus altas ſpeluncas premit, Tellus inclinat in eam partem in quam ruit Ventus. Tum domus ſupra Terram exſtructæ, quo magis altæ ſunt, eo magis in eandem partem inclinatæ videntur ruituræ, & Trabes protractæ impendent caſuræ.

VARIÆ LECTIONES.

558. *altas.* altus Q1.

562. *minent.* minant. in C. E. N. P. *in not.* micant c. O. P. manent *alii codd. P. in not.* Q2. *& Oudendorp. ad Jul. Obſequ. p.* 132. minatur Q3. *prodita.* percita P. *in not.*

NOTÆ.

alicui plano imponitur. *Vas inferii*, quod Viro Eruditiſſimo in mentem venit ad Catull. pag. 331. Creechio, ob additam ibi explicationem, haud immerito diſplicet. Verum, ſi quis ſuſpicioni locus; videndum num *vas inferii* accipi queat de *pateris*, quibus, ut lac & ſanguinem, ita vinum præprimis, *inferium* dictum, in Sacris Novemdialibus excipiebant & libabant, quæ Virgilio *cymbia*, III. Æn. verſ. 66. ut Lucretius tale vas *conſtare*, nimirum plano alicui loco impoſitum, ex vero neget, niſi humor deſtiterit *jactarier intus*. Simili de cauſa, in ſeqq. *ſcaphia* in exemplum adducet, ubi de vi magnetica verſ. 1044. Certe Athenæus lib. XI. pag. 481. Κυμβία τὰ κοῖλα ποτήρια explicat καὶ μικρὰ, ex Simariſto. Εἶδος autem ποτηρίων βαθέων, καὶ ὀρθὸν πυθμένα μὴ ἐχόντων, μηδὲ ὦτα, ex Dorotheo. (*poculi genus, quod nec rectum fundum, nec anſas habet*, niſi & ſic ſimpliciter legendum eſt, καὶ πυθμένα μὴ ἐχόντων, explicandumque de eo, *quod non habet baſin*, quemadmodum πυθμὴν arboribus, plantis, fructibus paſſim tribuitur, ut notant Lexicographi.) denique, τὰ κῦμβα, *pocula gibboſa*, ex Ptolemæo Ariſtonici. PREIG.

555. *Jactarier*] In codice Vaticano ſcriptum eſt *verſarier*. LAMB. Quidam Veteres: *verſarier*. GIFAN.

556. *Præterea, Ventus*] Aliam rationem affert terræ motus. LAMB. Tertio, v. 20. Tellus Vento agitatur, Nam Ventus in Speluncas Telluris irruens, facit ut inclinet Tellus, ſed cum flatus Venti non ſit continuus, cum aliquando repulſus recedat; ſua gravitate in priſtinas ſedes, imo in alteram partem nimis prolabitur Terra, Iſtam autem Terræ fluctuationem ſequitur Tectorum diſſolutio, & ruina. CREECH.

557. *Et urget*] Quidam libri: *urgit*. GIFAN.

560. *Exſtructa domorum*] Talia ſunt illa, *ſtrata viarum*, *ſtructa ſaxorum*, &c. LAMB. Ut, *miratur ſtrata viarum*. Virgil. Ecl. 7: 54. id eſt, *vias ſtratas*. ita *exſtructa domorum*, exſtructas domos ſignificat. FABER.

561. *Ad cælum*] Et quanto quæque ſunt editiora, & à terra remotiora ædificia, tanto magis, tantoque latius moventur. LAMB.

562. *Minent*] Sic repoſui, cum libri omnes & manuſcripti, & vulgati, habeant partim *micant*, partim *minant*, partim *manent*, partim hoc ipſum *minent*. *minent* autem verbum eſt ſimplex pro compoſito poſitum, *imminent*. atque ita habent codices Veneti anno CIↃ. CCCC. LXXXXV. impreſſi. LAMB. Hæc veriſſima ſcriptura. In quibuſdam libris tamen: *minant*, *micant*, *manent*. GIFAN. A *minent* natum *imminent*, *prominent*, &c. Lectio à Lambino conſtituta. FABER.

562. *Prodita*] Sic habent omnes libri tum manuſcript. tum vulgati, quos quidem viderim. quidam tamen in nonnullis ſcriptum dicunt eſſe *percita*: ex qua putat quidam amicus meus legendum *procita*. ego nil mutandum cenſeo. ſic enim paullo poſt loquitur, 605.

--- --- *Rerumque ſequatur prodita ſumma*. LAMB.

563. *Pro-*

Et metuunt magni naturam credere Mundi
Exitiale aliquod tempus, clademque manere,
Quom videant tantam Terrarum incumbere molem!
Quod niſi reſpirent Venti, non ulla refraenet
Res, neque ab exitio poſſit reprendere euntem:
Nunc quia reſpirant alternis, inque graveſcunt,
Et quaſi conlecti redeunt, ceduntque repulſi;
Saepius hanc ob rem minitatur Terra ruinas,
Quam facit: inclinatur enim, retroque recellit,

Et

INTERPRETATIO.

Et tamen quidam non audent credere Magnum Mundum aliquando periturum; licet cernant tantam Terrarum molem inclinare, ita ut niſi Venti ceſſarent flare, nulla res integram poſſit conſervare, illamque à ruina & diſſolutione prohibere. Nunc quoniam Venti alternis ceſſant, & impetum faciunt, quaſi redintegratis viribus revertuntur, iterumque cedunt repulſi; Hanc ob cauſam Terra ſæpius minatur ruinam, quam facit: Inclinat enim, iterumque reclinat,

VARIÆ LECTIONES.

563. *ire paratæ.* irreparatæ Q2.
566. *tantam.* tandem E.
567. *non ulla refrænet.* ſi nulla refrænet C. E. N. P. nulla re feſtinet Z.
568. *reprendere euntem.* Ita A. B. L. *Creech.* deprehendere eunteis C. E. N. P. X. reprehendere cunque? D. repreh. veras Q. reprehendere eunteis. *Alii.*
571. *ruinas,* ruinam P.

NOTÆ.

563. *Protractæ Trabes*] Nam inclinata Tellure, Trabes è ſuis ſedibus excuſſæ protrahi videntur. Creech.

564. *Et metuunt magni Naturam credere*] Et homines metuunt uſque adeo, ut credant exitium aliquod, clademque mundo imminere. *metuunt credere* more Græcorum dictum eſſe puto, φοβῦνται πιςεύειν, ὥςε πιςεύειν. Lamb. Et Homines metuunt uſque adeo, ut credant exitium aliquod, clademque Mundo imminere, *Lambinus:* & forſan hæc eſt verior interpretatio. Creech. *Metuunt credere* in ſenſum plane contrarium acceperim, pro: a ſe impetrare non poſſunt, ut credant, non audent credere. Sic alibi Noſter: *renuunt*, item: *fugitant*, quod & Horatio arriſit; lib. I. od. IX. 13. *Fuge quærere.* Item, II. od. IV. 22. *Fuge ſuſpicari*, id eſt, noli quærere, ſuſpicari, &c. Sic hoc loco: *Et metuunt credere* q. d. Et tamen nolunt credere! cum ſigno admirationis. Manifeſto hoc voluiſſe Lucretium, patet ex verſ. 600.

Proinde licet quamvis cœlum Terramque reantur
Incorrupta fore, æternæ mandata ſaluti, &c. Preig.

567. *Quod niſi reſpirent &c.*] Id eſt, ſi autem non reſpirarent venti: nulla res terram refrenaret, aut reprimeret, nullaque eam euntem pereuntem ab interitu retinere poſſet. Lamb.

568. *Reprehendere euntem*] Sic habent aliquot libri manuſcript. *euntes* autem, quod eſt in vulg. factum ex *euntez* per *z.* *z* autem ſcribebant librarii illi ſcriptores pro *m.* Lamb. Ita recte Lambinus ex veteribus libris. In Vulgatis: *euntes.* Gifan. *Euntes*, impetum facientes, Melius *Euntem*, Terram viz. perituram; Alibi (ſup. 563.) *Ire* pro mori, aut perire. Creech.

572. *Retroque recellit*] Id eſt, reclinat. & ita Feſtus. Lamb.

573. *Et recipit prolapſa &c.*] Ordo eſt: Et prolapſa ſe in ſuas ſedes pondere, id eſt per ſuum pondus, recipit. Lamb.

575. Per

Et recipit prolapſa ſuas ſe in pondere ſedeis:
Hac igitur ratione vacillant omnia tecta,
Summa magis mediis, media imis, ima perhilum.
Eſt hæc ejuſdem quoque magni cauſa tremoris,
Ventus ubi, atque Animæ ſubito vis maxima quaedam,
Aut extrinſecus, aut ipſa à tellure coörta
In loca ſe cava Terraï conjecit, ibique
Speluncas inter magnas fremit ante tumultu:
Verſabundaque portatur, poſt incita quom vis;
Exa-

INTERPRETATIO.

& è Sede ſua mota propria gravitate in priſtinam ſtationem relabitur. Hac igitur ratione omnia tecta agitantur, ſumma quidem magis quam media, media magis quam Infima, Infima perpaululum. Hæc quoque eſt cauſa magni ejuſdem tremoris, quando Ventus, & magna vis Spiritus vel extrinſecus, vel in ipſa Tellure orta in cavernas Terræ ſe contulit, ibique magno fremit cum murmure, & circumrotatur, deinde cum concita hæc Venti vis

VARIÆ LECTIONES.

573. *ſuas ſe in.* ſuas in C. E. N. P. X. Y. Z.
578. *aut ipſa à tellure.* ut ipſa I. ipſa tellure C. E. P. X. Y. Z. ipſa ab tellure A. B. H. I.
580. *magnas.* magno F. *fremit ante.* fremitante E.

NOTÆ.

575. *Perhilum*] Perpaullum. LAMB. Paululum modo, fere nihil, imo nihil omnino; quanquam verum non eſt. FABER.

576. *Eſt hæc ejuſdem*] Alia cauſa terræ motus, quæ etiam à Plutarcho exponitur eodem loco, his verbis: ἐνδέχεσθαι δὲ καὶ σηραγγώδη τοῖς κατωτέρω μέρεσι κατεστῶσαν ὑπὸ τοῦ διασπειρομένου πνεύματος εἰς τὰς ἀντροειδεῖς κοιλότητας ἐμπίπτοντος σαλεύεσθαι. id eſt, *fieri poſſe autem, ut terra, quæ ſit in inferioribus partibus cavernoſa, à vento diſperſo, & in cavitates antrorum ſimileis incitato, quatiatur.* LAMB. Inclinationem Tremoremque Terræ pulſus & Succuſſio ſæpe comitatur, Nam ſi Ventus cavernas perrumpat, diffindatque Terram, tum Populi, Urbes, Inſulæ, &c. ingenti hiatu abſorbentur, Si Ventus non perrumpat, tum tantum Tremor, & veluti Horror Telluris, à frigido viz. Vento per omnes Terræ meatus diffuſo ortus; Etſi autem nihil parumve timendum videatur à Tremore ſimplici, eſſe nihilominus poſſit cum aliis ſpeciebus conjunctus, nec certus eſſe quiſquam valeat, non ita increbiturum, vireſque accepturum Tremorem, ut aut Tecta evertantur, aut Terra nonnihil dehiſcat. v. 24. CREECH.

577. *Animæ ſubito vis*] Vis animæ, i. e. vis flatus, ut ſæpe alias. LAMB.

577. *Animæ*] *Spiritus*, Interpretor, propter Senecam Nat. Quæſt. lib. 6. cap. 20. *Nullam tamen placet* Epicuro *cauſam eſſe majorem, quam Spiritum.* CREECH.

578. *Aut ipſe à tellure*] Sic legendum eſt, vel ut habent nonnulli alii lib. veteres, *ab tellure*: quibuſcum conſentiunt cod. Florentini. nam alii libri vulgati non habent præpoſitionem. LAMB.

578. *Aut ipſa ab tellure*] Hoc ex veteribus libris malui. In quibuſdam aliis: *à*. GIFAN.

579. *In loca ſe cava Terraï conjecit, ibique Speluncas inter* magnas *fremit ante tumultu.*] Legendum neceſſario, ſeu MSS. annuant, ſive abnuant.

——— magno *fremit ante tumultu.* FABER. *in Emend.*

580. *Speluncas inter magnas*] Arbitror monuiſſe me in Emendation. legendum eſſe, *magno fremit ante tumultu.* FABER. *in Notis.*

 582. *Exa-*

Exagitata foras erumpitur, & ſimul artam
Diffindens terram magnum concinnat hiatum:
In Tyria Sidone quod accidit, & fuit Aegis
In Peloponneſo: Quas exitus hic animaï
Diſturbât urbeis, & Terrae motus obortus!
Multaque praeterea ceciderunt moenia magnis
Motibus in terris, & multae per mare peſſum
Subſcdêre ſuis pariter cum civibus urbes.

Quod

INTERPRETATIO.

& maxime agitata foras erumpit, & ſolidam Terram diffindens ingentem hiatum efficit: quod olim in Tyria Sidone accidit, quod fuit Ægis in Peloponneſo. Quot quantaſque Urbes hæc Spiritus eruptio, & inde ortus Terræ motus dejecit, & evertit! Præter hæc multa oppidorum mœnia magnis in concuſſionibus corruerunt per Terras, per Mare etiam multæ civitates unà cum ſuis Civibus deorſum ſubſedere.

VARIÆ LECTIONES.

582. *ſimul artam.* ſimul altam A. C. D. E. L. N. P. X. Y. Z. ſimulatam a. B.
584. *In Tyria.* in Syria C. E. P. Q. X. Y. Z. *fuit Ægis.* fuit Argis H2. Ægi P. recte tamen corrigit *Ægis* P. *in not.*
586. *Diſturbât.* Diſturbans C. E. N. Diſturbatque P. *obortus.* abortus P. X.
587. *ceciderunt.* cecider' & V. *Multaque.* Multa V. X.
588. *multæ per.* multis per A. B. I.
589. *Subſedêre.* Subſidere P.

NOTÆ.

582. *Exagitata foras erumpitur.*] Adi ſi placet Turneb. Adv. 30: 19. Jo. Ger. Voſſ. de Analogia lib. 3. p. 20. & Taubman. ad Virg. p. 355. atque verſum ſuperius hoc libro 435. Hav.

583. *Concinnat*] Efficit, ut ſæpe alias. Lamb.

584. *In Tyria Sidone quod accidit,*] Juſtinus lib. 18. *Tyriorum gens condita à Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati, relicto patriæ ſolo, Aſſyrium ſtagnum primo, mox mari proximum litus incoluerunt, condita ibi urbe, quam a piſcium ubertate Sidona appellaverunt. Nam piſcem Phœnices ſidon vocant.* Hæc iccirco notavi, quod omnes fere libri vulg. habent *in Syria Sidone*, mendoſe. atque hanc meam emendationem Zoilus ſibi adſcripſit more ſuo. Lamb. Meminit Strabo ex Poſidonio; quamquam alium quemdam terræ motum hic intelligi putem. Vulgo locus Juſtini profertur ex lib. xviii. *Tyriorum gens condita à Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati, relicto patriæ ſolo Aſſyrium ſtagnum primo, mox mari proximum litus incoluerunt, condita ibi urbe, quam à piſcium ubertate, Sidona appellaverunt. Nam piſcem Phœnices Sidon vocant.* Sed is locus male accipitur. Nam ibi de motu terræ, quo poſtrata Sidon fuerit, non agitur, ſed de clade, quæ Phœnices vexarit, non ad oram in qua Sidon condita, ſed in regione Idumæorum. Phœnices enim Juſtini, Idumæi ſunt, teſtanturque Herodotus, Plinius & Dionyſius Afer, eos ab origine prima Rubri maris accolas fuiſſe. Stagnum autem Aſſyrium, illud ipſum eſt quod mare ſeu lacus *Genneſaret* in libris ſacris dicitur. Faber. Quod de Sidone ait confirmatur à Poſidonio, dum apud Strabonem ſcribit urbem ſitam ſupra Sidonem Terræ motu abſorptam fuiſſe, & ipſius Sidonis corruiſſe propemodum Beſſem. Quod autem ſubjicit de Ægis, reſpicit cladem Helices & Buræ Ægis Peloponneſiacis vicinarum apud Veteres celebrem. Ovid. Metam. lib. 15: 293.

Si quæras Helicen, & Buran, Achaidas urbes,
Invenies ſub aquis, & adhuc oſtendere Nautæ
Inclinata ſolent cum mœnibus oppida merſis. Creech.

584. *Et*

Quod niſi prorumpit, tamen impetus ipſe Animaï
Et fera vis Venti per crebra foramina terrae
Diſpertitur, ut Horror; & incutit inde tremorem:
Frigus uti noſtros penitus quom venit in artus,
Concutit invitos cogens tremere atque moveri.
Ancipiti trepidant igitur terrore per urbeis:
Tecta ſuperne timent, metuunt inferne, cavernas

Ter-

INTERPRETATIO.

At vero ſi non erumpat incitatus hic Ventus atque Spiritus, tamen per frequentes meatus Terræ diſpergitur, tanquam Horror, atque ita Tremorem facit, Ut cum Frigus membra noſtra penetraverit concutit nos, cogens, licet invitos, tremere & moveri. Homines igitur paſſim per Urbes ancipiti (nam ab utraque parte timent exitium) terrore trepidant, à Superiori timent ne Tecta cadant, & obruant,

VARIÆ LECTIONES.

592. *Diſpertitur.* Diſperditur N. *inde.* unde P.
593. *uti.* ut in Y. Z.
594. *moveri.* movere C. E. N. P. X. Y. Z. *haud male, ut plura talia apud Poëtam.*
596. *ſuperne.* ſuperna C. O. P. *inferne, cavernas.* inferne caverna C. E. N. inferna cavernas c. P.

NOTÆ.

584. *Et fuit Ægis in Peloponneſo*] Ægis Achaicis. hunc terræ motum fortaſſe ſignificat Ariſt. lib. 2. meteor. cap. 8. ibi. ἐγένετο δὲ καὶ περὶ Ἀχαΐαν, &c. nam ſatis eſt mihi locum indicaſſe. LAMB. Intellige Ægas Achaicas, non longe à Bura & Helice, quæ & ipſæ motu terræ afflictæ fuerunt. De iis ſcriptor libelli de Mundo; nil de Ægis tamen. FABER.

586. *Diſturbât urbes*] Ita veteres libri, manu formiſque deſcripti. Vulgati: *Diſturbavit res, Diſturbans, Diſturbatque.* GIFAN. Secutus ſum codices manuſcriptos. neque vero eſt quod quenquam moveat ultima ſyllaba verbi *diſturbât.* eſt enim longa, pro præterito *diſturbavit* poſita, ut ſup. libr. 1: 71.

Virtutem inritât animi,

pro *irritavit.* Mendoſi igitur ſunt omnes libri vulgati, quorum alii habent, *Diſturbavit res*, ut Florent. alii, *Diſturbatque urbeis*, ut Veneti antiqui alii, *diſturbans urbeis*: ut Veneti recentiores, & Lugd. & Baſil. Hanc quoque emendationem compilavit Zoilus: & profecto piget me ſingillatim hujus ſycophantæ furta apertiſſima atque impudentiſſima indicare. LAMB. Pro *diſturbavit.* Vide quæ ad I. 71. notata ſunt. FAB.

587. *Multaque præterea*] Lege Plin. libr. 2. cap. 80. LAMB.

588. *Peſſum*] Deorſum, & quaſi ſub pedes. nonnulli tamen lib. habent *paſſim.* LAMB. Quidam libri: *paſſim.* GIFAN.

592. *Diſpertitur, ut Horror, &c.*] Sic fere Ariſtot. lib. β. μετεωρ. Δεῖ γὰρ νοεῖν, ὅτι, ὥσπερ ἐν τῷ σώματι ἡμῶν, καὶ τρόμων, καὶ σφυγμῶν αἴτιόν ἐστιν ἡ τοῦ πνεύματος ἀπολαμβανομένη δύναμις, οὕτω καὶ ἐν τῇ γῇ τὸ πνεῦμα παραπλήσια ποιεῖ, καὶ τὸν μὲν τῶν σεισμῶν οἷον τρόμον εἶναι, τὸν δ' οἷον σφυγμόν. i. e. *Intelligere enim oportet, quemadmodum in corpore noſtro, tremorum, & pulſuum cauſa eſt efficiens vis animæ, ſeu flatus, qui intercipitur, ita & in terra flatum ſimile quiddam efficere, & terræ motus alios eſſe veluti tremores, alios pulſibus conſimileis.* LAMB.

592. *Horror*] Celſus lib. 3. cap. 3. de Febribus: Horrorem voco, ubi totum Corpus intremit. CREECH.

596. *Tecta ſuperne timent, metuunt inferne*] Sic legendum, & ita ſcriptum eſt in codice Vaticano, Tettiano, & Memmiano: quibuſcum congruunt codices Florentini, & Veneti recentiores. alii autem, in quibus ſuppoſitum eſt *ſuperna,*

Sff 2 &

Terraï ne diſſolvat Natura repente:
Neu diſtracta ſuum late diſpandat hiatum:
Idque ſuis confuſa velit complere ruinis.
Proinde licet, quamvis coelum terramque reantur
Incorrupta fore aeternae mandata saluti:
Attamen interdum praeſens vis ipſa pericli
Sub-

INTERPRETATIO.

ab inferiori timent ne Tellus ſubito diſſolveret ſuas cavernas, ne disjuncta latum hiatum aperiret, illumque Tectis hominibuſque abſorptis complere conaretur. Proinde quamvis exiſtimant Cœlum & Terram immortalia fore, & in æternum integra manſura, interdum tamen vis ipſa præſens periculi

VARIÆ LECTIONES.

597. *Terraï ne diſſolvat.* Terrarum ne H2. Terræ ne diſſolvatur O. P. Terrarum ne diſſiliat natura c.

598. *Neu diſtracta.* nec diſtracta D.

602. *Attamen.* Et tamen P. X. Y. Z. *priſci codd.* Attamen P. *in not.*

NOTÆ.

& *interna*, mendoſi ſunt, quippe corrupti ab iis qui putarent, in illis adverbiis ultimam ſyllabam longam eſſe. quod falſum eſt, ut ſæpe jam diximus. ſubintellige autem in *timent*, *metuunt*, *homines*, hoc modo, timent homines à ſuperiore parte, ne tecta corruant, ſcilicet: *inferne*, id eſt ab inferiore parte, metuunt, ne terræ cavernas repente natura diſſolvat. Lamb. Quidam libri: *ſuperna* & *inferna*. Gifan.

597. *Terraï Natura*] Ipſa Tellus. Creech.

598. *Neu diſtracta ſuum late diſpandat*] i. e. neve terra divulſa, ſuum hiatum late in diverſas parteis aperiat. Mire autem terræ motum deſcripſit, ejuſque magnitudinem terroris plenam auxit & amplificavit: videturque cum Homero certaſſe, qui non diſſimili ratione terræ motum excitatum à Neptuno tum, cum Achilles placatus Græcis, prœlium longo intervallo iniit exaggeravit: niſi quod Lucr. noſter non eſt auſus tanta ſermonis uti ſuperlatione, quanta Homerus. Sed præſtat Homeri verſus adſcribere. Sic igitur ille Ιλ. lib. ν. 75.

——— αὐτὰρ ἔνερθε Ποσειδάων ἐτίναξε
Γαῖαν ἀπειρεσίην, ὀρέων τ' αἰπεινὰ κάρηνα·
Πάντες δ' ἐσσείοντο πόδες πολυπιδάκου Ἴδης,
Καὶ κορυφαί, Τρώων τε πόλις, καὶ νῆες Ἀχαιῶν.
Ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεύς,
Δείσας δ' ἐκ θρόνου ἆλτο, καὶ ἴαχε, μή οἱ ὕπερθε
Γαῖαν ἀναρρήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων,
Οἰκία δὲ θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισι φανείη
Σμερδαλέ', εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ, &c.

id eſt, *Neptunus autem inferne terram immenſam, montiumque alta cacumina concuſſit: omnes Idæ radices, ſeu pedes vacillabant, & vertices: tum urbs Trojanorum, & Græcorum naves commotæ ſunt. Timuit autem inferne rex inferorum Pluto, & timore affectus è ſede ſua exſiluit, & vociferatus eſt, ne ſubtus ſibi terram perfringeret Neptunus, ædes autem ſuæ terribiles, & ſitu ſentæ, quas etiam Dii horrent atque oderunt, mortalibus & immortalibus paterent.* Tantus ſonitus excitatus eſt, Diis ad pugnandum congreſſis. Sed videtur in verſu ſequenti legendum,

Imque ſuis confuſa velit compl. ruin.

Im autem, i. *eum* ſubintell. hiatum. Lamb.

599. *Idque ſuis*] *Imque* Lambinus: id eſt, illumque hiatum· Creech.

600. *Proinde licet, quamvis*] Id eſt, proinde quatumvis licet homines putent mundum eſſe immortalem, numquamque interiturum: ipſa tamen periculi magnitudo interdum eos timere cogit, ne terra ſeſe eorum pedibus ſubtrahat, atque in barathrum præceps cadat. Lamb. Demum v. 7. illis inſultat, qui putant Mundum æter-

Subditat hunc ſtimulum quadam de parte timoris,
Ne pedibus raptim Tellus ſubſtracta feratur
In barathrum, rerumque ſequatur prodita Summa
Funditus, & fiat Mundi confuſa ruina.
Nunc ratio reddunda, augmen cur neſciat Aequor.

Prin-

INTERPRETATIO.

quadam de parte ſubdit hunc ſtimulum timoris (facit ut quodammodo timeant) ne Terra raptim pedibus ſubſtracta in Abyſſum feratur, ne diſſoluta rerum compages ſequatur, & confuſa fiat totius Mundi ruina. Nunc reddenda eſt ratio cur Mare non augetur,

VARIÆ LECTIONES.

603. *Subditat.* ſubdit & hunc c. O. P.
604. *ſubſtracta.* ſubſtructa feratur V. Y. Z.
607. Deeſt P. Q. V. X. Y. Z.

NOTÆ.

ternum fore & immortalem, cum Terram, magnam illius partem, adeo concuſſam ſentiunt, & labefactatam; imo cum ipſi totius compagis diſſolutionem & ruinam timent. CREECH.

600. *Licet quamvis*] Cicero in Lælio: *quamvis licet excellens.* notante G. I. Voſſio de Conſtructione p. 268. Edit. in Quarta forma; ut & lib. 4. de Analog. p. 240. Æque vero apud Ciceronem ac hic pro *quatumvis* ſumitur. HAV.

603. *Subditat hunc ſtimulum*] Hunc ſtimulum timoris ſubter admovet. LAMB.

603. *Subditat timoris ſtimulum aliqua de parte*] Sic enim hæc verba collocanda; id eſt, quodammodo terret ne, &c. FABER.

604. *Ne pedibus raptim, &c.*] Sic lib. 1: 1099. *Terraque ſe pedibus raptim ſubducat, &c.* LAMB.

607. *Nunc ratio reddunda,*] Cur tot fluviis in mare decurrentibus, mare tamen nihilo majus fiat, quæſitum eſt ab antiquis, teſte Ariſtot. lib. 2. μετεωρ. cujus hæc verba ſunt: Τὸ δὲ ζητεῖν τὴν ἀρχαίαν ἀπορίαν, διὰ τί τοσοῦτον πλῆθος ὕδατος οὐδαμοῦ φαίνεται (καθ᾽ ἑκάστην γὰρ ἡμέραν ποταμῶν ῥεόντων ἀναριθμήτων, καὶ τὸ μέγεθος ἀπλέτων, οὐδὲν ἡ θάλαττα γίνεται πλείων) τοῦτο οὐδὲν μὲν ἄτοπον ἀπορῆσαί τινας, οὐ μὴν ἀποβλέψαντί γε χαλεπὸν ἰδεῖν. τὸ γὰρ αὐτὸ πλῆθος ὕδατος εἰς πλάτος τε διαταθὲν, καὶ ἀθρόον, οὐκ ἐν ἴσῳ χρόνῳ ἀναξηραίνεται, ἀλλὰ διαφέρει τοσοῦτον, ὥστε τὸ μὲν διαμεῖναι ἂν ὅλην τὴν ἡμέραν, τὸ δ᾽, ὥσπερ εἴτις ἐπὶ τράπεζαν μεγάλην περιτείνειεν ὕδατος κύαθον, ἅμα διανοουμένοις ἂν ἀφανισθείη πᾶν. ὃ δὴ καὶ περὶ τοὺς ποταμοὺς συμβαίνει. συνεχῶς μὲν γὰρ ῥεόντων ἀθρόων, ἀεὶ τὸ ἀφικνούμενον εἰς ἀχανῆ καὶ πλατὺν τόπον ἀναξηραίνεται ταχὺ καὶ ἀδήλως. id eſt, *Quærere autem id, de quo ab antiquis dubitatum eſt, quamobrem tanta aquæ multitudo nuſquam appareat: (innumerabilibus enim & immenſis fluminibus quotidie in mare influentibus, id nihilo fit majus) hoc quidem non eſt abſurdum, ſi nonnulli dubitent: non eſt tamen, ſi quis attendat, rationem videre difficile: Nam eadem aquæ magnitudo in latitudinem confertim effuſa, non æquali tempore areſcit: ſed hoc differt, quod pars quidem totum diem permanere poſſit, pars autem puncto temporis evaneſcat, proinde ac ſi quis aquæ cyathum in magnam menſam profuderit, ac dilatarit, quod & hic accidit. Aſſidue enim & continenter, & confertim influentibus in mare fluminibus, ſemper id, quod delabitur in locum vaſtum & latum, cito & obſcure areſcit.* hactenus Ariſtoteles. Idem ibidem refellit ſententiam Platonis in Phædone de Tartaro, quem ille putat principium & fontem eſſe omnium aquarum. LAMB. Hic verſus à quibuſdam veteribus, manu, formaque deſcriptis abeſt. GIFAN. Quamobrem ex tot, tantorumque fluminum in mare exoneratione Mare non exundet, ſive non excreſcat; reſpondet *Lucretius* v. 8. Iſta vorago in quam fit Fluminum effuſio tam vaſta eſt, ut omnis illorum decurſus una cum Imbribus, Nive, Grandine &c. vix unam guttam infundere videatur. Deinde v. 7. Sol è Mari alto multum humoris evehit: Tertio v. 4. Multum Venti auferunt. Quarto v. 4. Nubes rapiunt. Denique v. 8. ut

Flu-

Principio, Mare mirantur non reddere majus
Naturam, quo tantus fuat decurſus aquarum,
Omnia quo veniant ex omni Flumina parte.
Adde vagos imbreis, tempeſtateſque volanteis:
Omnia quae maria, ac terras ſparguntque, rigantque.
Adde ſuos fonteis: tamen ad Maris omnia ſummam
Guttaï vix inſtar erunt unius ad augmen:
Quo minus eſt mirum, Mare non augeſcere magnum.
Praeterea, magnam Sol partem detrahit aeſtu.
Quippe videmus enim veſteis humore madenteis

Ex-

INTERPRETATIO.

Mirantur enim Homines Naturam non reddere Æquor majus, in quod tantus ſit Aquarum decurſus, & in quod omnes fluvii ex omni parte defluunt. His autem fluviis ſi vagos Imbres, & volantes nimbos quæ Maria omnia & Terras irrigant & conſpergunt, Fontes etiam Fluviorum conjungas, cuncta tamen ſi cum vaſto Æquore componantur, vix unam Guttam ad Mare augendum conferre videantur: Minus igitur mirandum eſt Mare magnum non augeri. Præterea, Sol calore ſuo magnam Aquæ partem detrahit, Nam videmus Solem radiis ſuis ardentibus madidas veſtes exſiccare,

VARIÆ LECTIONES.

609. *quo tantus fuat.* quo ſit tantus decurſus C. E. N. X. Y. Z. quo ſit tantus D. quo fiat tantus A. B. fuat tantus *Gaſſ.*

610. *veniant.* veniunt D.

611. *tempeſtateſque volanteis.* tempeſtateſque valenteis H2.

NOTÆ.

Fluvii in mare decurrunt, ita per Terræ meatus ad fontes ſuos relabuntur, ita fit Humoris ejuſdem circuitus, ideoque minime mirandum quod Æquor non augetur. CREECH.

609. *Quo tantus fuat decurſus aquarum,*] Sic nunc reſtitui. Nam vulgo legitur, *quo ſit tantus decurſus aquarum.* alii legunt,

Quo fiat tantus decurſus aquarum.

quod ferri non poteſt. LAMB.

609. *Quo fiat tantus decurſus*] Ita ex veteribus libris ſcripſi. Nam & mox: *quo veniant.* Vulgati: *ſit.* GIFAN.

609. *Decurſus aquarum*] Tranſlate, & tamen uſitate dictum eſt. ſic lib. I: 284.

Montibus ex altis magnus decurſus aquai, &c. LAMB.

610. *Omnia quo veniant ex omni Flumina*] Supra libr. I: 1031.

Efficit, ut largis avidum mare fluminis undis
Integrent amnes, &c.

Sic Plautus in Trucul. 2: 7: 12.

Nam hoc aſſimile eſt, quaſi de fluvio qui aquam derivat ſibi.
Niſi derivetur, tamen omnis ea aqua abeat in mare.
Nam hoc in mare abit, miſereque perit ſine omni bona gratia.

ſequitur paucis poſt verbis:

Meretricem ego item eſſe reor mare, ut eſt, quod des, devorat, nec umquam
Abundat. at hoc ſaltem ſervatum tibi æſtuat. id apparet: huic des
Quatumvis, nuſquam apparet, neque datori, neque acceptrici. LAMB.

613. *Ad*

Exſiccare ſuis radiis ardentibus Solem.
At Pelage multa, & late ſubſtrata videmus.
Proinde licet quamvis ex uno quoque loco Sol
Humoris parvum delibet ab aequore partem:
Largiter in tanto ſpatio tamen auferet undis.
Tum porro Venti magnam quoque tollere partem
Humoris poſſunt verrentes aequora ponti:
Una nocte vias quoniam perſaepe videmus
Siccari, molliſque luti concreſcere cruſtas.
Praeterea, docui multum quoque tollere Nubeis
Hu-

INTERPRETATIO.

At multa vaſtaque Maria Solis radiis expoſita jacere videmus; Proinde licet Sol partem Aquæ quantumvis parvam ex unaquaque parte Maris detrahat, multum tamen Humoris in tanto ſpatio auferet. Tum porro Venti Maris æquora verrentes poſſunt multum Humoris tollere. Siquidem ſæpe videmus Vias una nocte exſiccari, & luti Mollis, utpote Madidi, cruſtas indureſcere. Præterea, demonſtravi Nubes multum

VARIÆ LECTIONES.

619. *At pelage.* At Pelago C. N. Q2. *Ita legi jubet ex antiquis exemplaribus* P. *in not.* Pelagi A. B. I. P. Q. X. Pelagus E. *ſubſtrata.* Ita L. Q. Y. Z. *Aliique.* ſcribi jubet ex priſca lectione *ſubtracta* P. *in not.*

622. *Largiter in.* Largius in c. P. Largitus in Hi. X. *auferet undis.* auferat undas. Q2.

624. *ponti.* venti X. Y. Z.

NOTÆ.

613. *Ad maris omnia ſummam*] Id eſt, ſi cum maris ſumma omnia comparentur. LAMB.

614. *Ad augmen*] Ad augendum mare. LAMB.

616. *Præterea magnam Sol partem*] Alia ratio, quamobrem mare non augeatur, tot fluviis in id influentibus. LAMB.

619. *At Pelage multa*] Cum & in aliquot lib. manuſcriptis reperiſſem ſcriptum,

At pelagi multa,

& viderem ſcripturam vulgatam *pelago* ferri non poſſe, ſic repoſui, præſertim cum viderem codices Florentin. ſic habere, ſciremque Marullum hanc lectionem probaviſſe. *pelage* autem, id eſt maria, quarti caſus eſt, πελάγη. quo utitur ſup. libr. 5: 36.

Propter Atlanteum litus, pelageque ſevera.

utitur & Catull. in Galliambo:

Rapidum ſalum tuliſtis, truculentaque pelage.

quamquam non pugnem cum iis qui apud Catull. lectionem vulgatam malint *pelagi* in patrio caſu LAMB. Ita veteres libri, fere. In Vulgatis pleriſque: *pelago.* Lambinus: *pelage*; etiam recte. GIFAN. Lib. 5. v. 36.

Propter Atlantæum littus, Pelageque *ſevera.*

Fruſtra igitur illi ſunt, qui legunt, *Pelagi multa.* CREECH.

621. *Delibet*] Deguſtet, & ita detrahat, & deminuat. quidam tamen legendum etiam hoc loco putant *delibret:* nonnulli *delimet.* LAMB.

623. *Tum porro*] Alia ratio. LAMB.

624. *Verrentes*] Sic ſupra libro 5: 267.

Partim quod validi verrentes æquora venti
Deminuunt, radiiſque retexens ætherius ſol. LAMB.

626. *Molliſque luti concreſcere*] Et lutum, quod erat molle, dureſcere. LAMB.

627. *Præterea docui*] Alia ratio. LAMB.

628. *Con-*

Humorem magno conceptum ex aequore ponti:
Et paſſim toto terrarum ſpargere in orbe,
Quom pluit in terris, & venti nubila portant.
Poſtremo, quoniam raro cum corpore Tellus
Eſt & conjuncta eſt, oras maris undique cingens:
Debet, ut in mare de terris venit humor aquaï,
In terras itidem manare ex aequore ſalſo;
Per-

INTERPRETATIO.

Humorem è Mari hauſtum tollere, eoque totum orbem Terrarum irrigare, cum in Terras imber decidat, & Venti portant Nubes, (& nebuloſum ſit Cœlum.) Poſtremo quoniam in Corpore Telluris pori & meatus ſunt, & quoniam iſta Tellus Mari ex omni parte adjuncta eſt, oportet fieri, ut quemadmodum de Terris in Mare fluat Aqua, ita è Mari in Terras viciſſim manet;

VARIÆ LECTIONES.

628. *æquore ponti.* æquore venti *Quidam.*
629. *in orbe.* in orbi E. H2. in orbis X. Y. Z.
632. *conjuncta eſt — cingens.* Ita A. B. C. D. E. N. P. Q2. Y. Z. *maris undique.* magis undique *Quidam. conjunctas — cingit.* L.

NOTÆ.

628. *Conceptum*] Contractum, hauſtum. Lamb.

630. *Cum pluit in terris.*] Servius ad Virg. Æn. 10: 807.

Dum pluit. in terris ut poſſint &c.

ita ſcribit: *Hic Diſtinguendum* &c. *nam ſi junxeris*, dum pluit in terris, *erit Archaiſmos, debuit enim dicere* in terras: *tamen ſciendum hemiſtichium hoc Lucretii eſſe, quod ita ut invenit Virgilius ad ſuum tranſtulit carmen.* Hav.

631. *Poſtremo quoniam*] Proſtrema ratio, quæ eſt hujuſmodi: quoniam (inquit) terra raro corpore eſt, & oras maris extremas & proximas omni ex parte cingit: quemadmodum aqua è terris in mare, ita è mari in terram manare debet. libri quidem omnes habent,

Et conjuncta eſt oras maris undique cingens,

ſed putavi legendum,

Et conjunctas oras maris undique cingit.

Verumtamen illam non damno. Lamb.

632. *Conjunctas Oras Maris* &c.] Lambinus, At omnes Codd. *Et conjuncta eſt oras Maris undique cingens.* Creech. Neque ratio eſt cur illos non ſequamur. Licet enim findatur hic illic fluviis; tota tamen ſibi cohæret, ut globoſa & connexa. Hav.

634. *Percolatur enim*] Hic verſus, & tres deinceps ſequentes, jam ſupra poſiti ſunt libr. 5: 270. Lamb.

635. *Virus*] Salſus Humor Æquoris: vid. lib. 5. 270. Creech.

638. *Qua via ſecta*] Hunc quidem verſum cum tribus, qui proxime antecedunt, profert Lucretius lib. 5. ſed quia fugit me ſupra lectorem admonere *ſecare viam* & *via ſecta* Virgilium quoque dixiſſe, hic, ſerius quidem, ſed non alieno loco tamen, admonebo, & verſus indicabo. Sic igitur Virgil. Georg. 1: 237.

Has inter, mediamqae duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ Divûm: & via ſecta per ambas, &c.

Idem lib. 6: 899.

Ille viam ſecat ad naveis, &c.

Idem lib. 12: 368.

Sic Turno, quacumque viam ſecat, agmina cedunt.

Lamb.

638. *Liquido pede*] Solent Poëtæ humori fluenti pedem tribuere. id ex eo credo, quod etiam *currere* aqua dicatur: quod ſine pedum officio fieri non poſſe videtur, ac certe jus ſuum Poëtæ tenent, ut tranſlationibus utantur audacius. Itaque ſcripſit Horatius Epod. Ode 16: 48.

Levis crepante Lympha deſilit pede.

& Virgilius in Ætna verſu 13.

Ipſe ſuo flueret Bacchus pede.

Turneb. *Adv.* VI. *cap.* XX.

639. *Nunc ratio quæ ſit*] Nunc de Ætna, Si-
ci-

Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, & ad caput amnibus omnis
Confluit: inde ſuper terras redit agmine dulci,
Quâ via ſecta ſemel liquido pede detulit undas.
  Nunc ratio quae ſit, per fauceis montis ut Aetnae
Exſpirent ignes interdum turbine tanto,
Expediam: neque enim Diâ de clade coörta
Flam-

INTERPRETATIO.

Humor enim ſalſus percolatur, & retro remeat, omnis ad fontes fluviorum confluit, inde ſuper Terras redit dulci flumine, qua Via ſemel ſecta detulit Undas liquido pede. Nunc cur Ignes per fauces montis Ætnæ tanto impetu interdum erumpunt, docebo: Neque enim Flammæ tempeſtas media de clade orta

VARIÆ LECTIONES.

638. *liquido pede.* recto pede *Gaſſ.*

641. *Diâ de clade.* Ita præclare F. K. enim mediocri clade F. *Creech.* mediocre clade V. media græcia de coorta H2. Y. Z. græcia decorata Q. X. media quæ clade P. *ſcribit tamen in not. ex antiqua lectione* P. media de clade *ut & Reliqui.* media de glande Q2.

NOTÆ.

Siciliæ monte, & de ejus ignibus diſputare parat. LAMB. Quoniam Meteora, Terræ motus, & quædam Maris Phœnomena ſibi videtur ſatis explicaſſe, Reliqua admiranda, quæ aliquam de Diis & Providentia opinionem facerent, aggreditur: Et primum v. 6. De Ætnæ ignibus diſputat, quos, licet interdum erumpentes Siciliam vaſtarent, non adeo debemus admirari; ut Naturæ vires ſuperare inconſiderate putaremus; Dicat aliquis ingens hoc eſſe Incendium, & vires illius plane admirandas; Nempe quia non vidit majus; ſed in aliis rebus præcipites & inconſiderati perinde fallimur. Nihil eſt quod magnum dici poteſt, nihil quod debemus admirari, ſi Univerſum infinitum contemplemur; nam ex illo ſubito poteſt confluere immenſa ſeminum Ignis, ſive Venti copia, quæ Semina in Ætna, ſeu alio quolibet monte collecta Vim impetumque ſumant, Terræ motus efficiant, erumpant demum, longe lateque flammam ſpargant & favillam. Hujuſmodi autem eruptiones ſunt veluti morbi, & convulſiones hujus Mundi, Atque ut Morborum ſemina in Hominem (Nam ſæpe febricitat, dolet dentes &c.) ex hoc Mundo, ita ex Univerſo in hunc Mundum derivari poſſunt: Nam ſi comparationem inſtituas; Ut Homo ad Mundum, ita Mundus ad Univerſum. CREECH.

639. *Per fauceis montis ut Ætnæ &c.*] *Fauceis* appellat, quas Græci κρατῆρας nominant, ut idem dicit paullo poſt, 701.

In ſummo ſunt ventigeni crateres ut ipſi
Nominitant, nos quas fauceis perhibemus, & ora.
LAMB.

640. *Exſpirent*] *Exſpirent* abſolute poſitum, & ſine caſu accuſativo ſubſequente: quo modo alias poni ſolet, ut libro 2: 354.

Sanguinis exſpirans calido de pectore flumen. LAMB.

641. *Neque enim media de clade*] Hujus loci hæc mihi videtur eſſe ſententia: non enim ex aliqua clade media coorta flamma, per Siculorum agros divagata, genteis admiratione affecit, quo tempore illæ omneis cæli parteis ſcintillare cernentes, magnopere erant ſollicitæ, atque anxiæ, dubitantes quidnam rerum novarum natura meditaretur: ſed ex monte Ætna. Ad hunc locum pertinent illa M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. *Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantæ quondam eruptione Ætnæorum ignium finitimas regiones obſcuraviſſe dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnoſceret: cum autem tertio die ſol illuxiſſet, tum ut revixiſſe viderentur.* LAMB. Hunc quoque locum cor-

Flammae tempeſtas Siculûm dominata per agros
Finitimis ad ſe convertit gentibus ora,
Fumida quom coeli ſcintillare omnia templa
Cernentes pavida complebant pectora cura,
Quid moliretur rerum Natura novarum.
Hiſce tibi rebus late eſt, alteque videndum,

Et

INTERPRETATIO.

per campos Siculorum graſſata oculos vicinorum populorum ad ſe convertit; quando, videntes fumantes omnes Cœli fornices flammis micare, erant valde ſoliciti, expectantes quid novi Natura moliretur. Cum vero de hujuſmodi rebus inquiritur, late, longe, alteque

VARIÆ LECTIONES.

642. *Siculûm.* Siculos Q2.
645. *Cernentes pavida.* Cernentes pando. C. H1. panda O. P. *corrigit in not.* P. pavida. *complebant.* complectant Q. X.
647. *tibi rebus.* tibi in rebus C. D. E. I. *Gaſſ.* P. Y.

NOTÆ.

corruptum eſſe olim ad Phædrum oſtendimus. Hæc ipſa verba fuerant. [Verum quando ita factum eſt, ut jam ſolennem notulis modum egreſſi ſimus, locum quoque alium Lucretii (lib. VI.) emendabimus. nam ab eadem origine, qua ſuperiores, corruptus eſt. Verſus incomparabilis poetæ ſunt,

Nunc ratio quæ ſit, per fauces montis ut Ætnæ
Exſpirent ignes interdum turbine tanto,
Expediam; neque enim Media de clade coorta
Flammæ tempeſtas Siculûm dominata per agros,
Finitimis ad ſe convertit gentibus ora.

Quid eſt *media clades*, lector: Neminem ſane uſque adhuc videre contigit, qui expoſuerit; neque adeo mirum; locus enim eſt plane deperditus. Et tamen debuerant Interpretes errorem animadvertiſſe. Sed, uti dicebam modo, corruptus locus eſt ab eadem cauſa, quæ à me ſuperius memorata eſt; nempe propter reduplicationem litteræ M, ἐν τῷ *Enim*; unde per ſocordiam exſcriptoris factum eſt *enim mdia*, & mox (quippe iſtis pulmoneis hominibus hæc mirifica videbantur) *enim media*, quod nullum ſenſum habet; namque ſcripſerat aliter Lucretius,

——— *neque enim* diâ *de clade*, &c.

Dia tempeſtas (explicatione enim digniſſimum locum judico) eſt tempeſtas θεόπεμπτος, ut loquitur Diodorus, ſeu θεήλατος; quaſi diceret Lucretius, quæramus nunc quid cauſæ ſit quamobrem olim flammarum tempeſtas totam Siciliam pervaſtarit; neque enim putandum eſt Deos tantam vim incendii in inſulam importaſſe.] Quippe nemini, qui veterum philoſophorum ſectas perſpectas habeat, ignotum eſt, exiſtimaſſe Lucretium & ceteros Epicuri ſectatores, non oriri iſthæc ἐκ θεομηνίας, & ultrice Deorum providentia, quam impugnabant, ſed ea omnia cauſis naturalibus niti. Unde & ille alter συνθιασώτης τοῦ αὐτοῦ λήρου ſcripſit alicubi,

——— *credat Judæus Apella,*
Non ego; namque Deos didici ſecurum agere ævum;
Nec, ſi quid miri faciat natura, Deos id
Ex alto cœli triſtes demittere tecto.]

Hæc olim. queis addas licet apud Xenophontem in libello περὶ τῆς τῶν Ἀθηναίων πολιτείας, illiuſmodi calamitates dici, ἐκ Διὸς εἶναι. pag. DC. XCIX. edit. Aubrianæ. FABER. Gronovii Codex *Media Græcia de coôrta*: Salmaſius *Media è re clade coorta*, id eſt, ex media rerum natura, ex Summa rerum: Sed olim monui *Salmaſium* haud feliciter interpretari Lucretium. *Faber* tandem *Dia de clade*. *Dia Tempeſtas* eſt θεόπεμπτος ſeu θεήλατος, quaſi diceret *Lucretius*, Quæramus nunc quid cauſæ ſit, quamobrem olim flammarum tempeſtas totam Siciliam pervaſtarit, neque enim putandum eſt Deos tantam vim incendii in Inſulam importaſſe. Egregia quidem conjectura.

Ne-

Et longe cunctas in parteis diſpiciendum,
Ut reminiſcaris, Summam rerum eſſe profundam,
Et videas, coelum Summaï totius unum
Quam ſit parvola pars, & quam multeſima conſtet:
Nec tota pars, Homo Terraï quota totius unius.

Quod

INTERPRETATIO.

in cunctas partes Animum tuum vagari debes permittere, ut reminiſcaris Univerſum infinitum eſſe, & ut videas quam parvula & quam multeſima pars Univerſi unum Cœlum ſit, & quota pars totius Terræ unus Homo ſit;

VARIÆ LECTIONES.

648. *diſpiciendum.* deſpiciendum Y. Z.
650. *Et videas* ut videas P.
651. *conſtet.* conſtent H2.
652. *Nec tota pars* &c. *Ita expreſſe* X. Y. Z. *quod varie fuit mutatum*; *nam* **Lamb. Cr.** *aliique*: Et quota pars homo terrai ſit totius unus. Nec ſit pars homo terrai quota totius unus C. E. H. N Nec quota pars homo &c. c. M. O. P. unum c. Nec tota pars homo &c. H2. Q. V. P. *in not. ſed textus lectionem magis probat* P. *in not.*

NOTÆ.

Neque iſtos moror, qui legunt *Mediocri*. CREECH. Veriſſimam Fabri, cujus corroboratio exſtat in Notis Pſeudonimi Goralli ad Ætnam Severi verſu 193. eſſe emendationem ex ſcriptura Codd. depravatorum evinci poſſe puto; quum enim inter alios MSS. Lugd. Bat. quoque habeant *media Græcia de coorta*, vix dubito, quin deſcriptor aliquis *Dia* inveniens, id relicta lacuna, (ut ſolebant) non expreſſerit in ipſo verſu, ſed ad oram notaverit Græcum ibi occurrere vocabulum; unde poſtea nata ſit ineptiſſima lectio *Græcia de.* Alii invenientes ſcriptum connexis, more veteri, literis *enimdia*, putarunt per compendium ita exſtare pro *enim media*, quod poſtremum maxime veram obſcuravit lectionem; quam divine Faber adinvenit. Ad ejuſdem vero confirmationem miror non occurriſſe alicui Interpretum vel Lucretii vel ipſius Severi hoſce ejus in Ætna verſus ỳ. 29.

Principio ne quem capiat fallacia Vatum,
Sedes eſſe Dei, tumidiſque e faucibus ignem
Vulcani ruere & clauſis reſonare cavernis
Feſtinantis opus; non eſt tam ſordida Divis
Cura, neque extremas jus eſt demittere in artes
Sidera; ſeducto regnant ſublimia cælo
Illa, nec artificum curant tractare laborem. HAV.

647. *Hiſce tibi in rebus,*] Nunc demum incipit rationem horum ignium exquirere. LAMB.

647. *Hiſce tibi rebus*] Al. melius, *in rebus.* FAB.

649. *Ut reminiſcaris*] Lib. 1: 957.

Omne, quod eſt, igitur nulla regione viarum
Finitu' eſt, namque extremum debebat habere, &c.

& libr. 2: 89.

Et quo jactari magis omnia materiai
Corpora pervideas: reminiſcere, totius imum
Nil eſſe in ſumma, neque habere ubi corpora prima
Conſiſtant, quoniam ſpatium ſine fine, modoque eſt
&c. LAMB.

651. *Et quam multeſima conſtet*] Et quam ſit pars multeſima, id eſt, & quam ſit parva pars, ſi cum toto comparetur. Multeſima pars eſt ea, cui multæ debent eſſe pares, aut ſimiles ad conſtituendum totum: πολλοστὸν μέρος appellant Græci. profert autem hunc verſum Nonius in voce *multeſima*. LAMB. Strabo lib. 1. pag. 26. Πολλοστὸν τοῦ μέρος ἐστὶ τὰ πόῤῥω τερατολογούμενα τῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι. *perexigua ſunt eorum pars, quæ de ipſa Græcia.* Ubi in Notis hunc quoque locum adducit Caſaubonus. HAV.

652. *Et quota pars*] Ita veteres quidam libri. In quibuſdam Vulgatis; *Hæc.* Forte legendum: *Ac*, ut & Marullus: *Et.* Vulgati: *Nec.* GIF. Cum in omnibus libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſem, partim *Nec quota*, partim *Hæc tota*, partim *Et quota*, ſic repoſui. hujus autem ſcripturæ, quæ perſpicue vera & recta eſt, hæc ſententia eſt. Et, ut videas quota, id eſt quam

mul-

Quod bene propoſitum ſi plane contueare,
Ac videas plane; mirari multa relinquas.
Num quis enim noſtrûm miratur, ſiquis in artus
Accepit calido Febrim fervore coörtam,
Aut alium quemvis Morbi per membra dolorem?
Obturgeſcit enim ſubito Pes, arripit acer

Saepe

INTERPRETATIO.

Quod propoſitum, ſi accurate perpendas, & penitus conſideres, tum multa mirari deſines. Nam quis noſtrum miratur ſi quis in venas recepit Febrem fervido calore natam, aut alium quemvis morbum qui dolorem per membra excitaret? Repente enim tumet Pes, ſæpe acerbus dolor ſubito Dentes corripit,

VARIÆ LECTIONES.

653. *bene.* bone O.
655. *miratur.* miratus P. quidam *codd.* miratur P. *not.*
658. *Obturgeſcit.* Obbruteſcit *quidam legunt* P. *in not.*

NOTÆ.

multeſima & parva, ſit pars totius terræ homo unus, &c. Hic quoque ſuum inſtitutum tenuit, ſuoque ingenio indulſit Zoilus. LAMB. Ἀπροσδιόνυσα hæc. *Et quota pars homo ſit terrai totius unus.* Quid enim ad rem facit quod & homo admodum parvula ac multeſima demum pars terræ ſit. Acute & ingenioſe ὁ πάνυ I. Voſſius:

Nec tota pars, homo terrai quota totius unus.

Ut hæc inſtituatur comparatio, hic ſit ſenſus: *Et quam ne tota quidem pars univerſi ſit cœlum, quota unus homo totius terræ.* Id enim voluiſſe virum Eruditiſſimum, opinor, & res ipſa poſtulat. *Totus*, *quotus*, utrumque priori correpta, eodem ſenſu Manilio quoque uſurpatum notaverat Scaliger, ad lib. III. pag. 70. in hiſce:

Detrahitur ſummæ tota pars, quota demit utrinque
Omnibus ex horis æſtivæ momine noctis.

Quem vide. PREIG. Ut lectio præſtantiſſimorum noſtrorum Codd. Lugd. Bat. recte intelligatur, adſcribenda eſſe duxi Jo. Ger. Voſſii verba, qui lib. I. de Analogia cap. 2. ita diſſerit: *Servio etiam*, *interpretatione* in edit. II. Donati. pronomina generaliter infinita ſunt, *quis*, *qualis*, *talis*, *quantus*, *tantus*, *quotus*, *totus*. Etiam Diomedi pronomina ſunt, *alius*, *alter*, *neuter*, *uter*, *uterque*, *alteruter*, *unus*, *unuſquiſque*, *ullus*, *nullus*, *nemo*, *talis*, *qualis*, *totus*. Ubi (ut & apud Servium) *totus* intellige non pro integro (quâ ſignificatione plane eſt nomen) ſed priore correptâ, ut idem ſit, quod τοτοῦτος: quomodo (ut Deſpauterius primus annotavit) Manilius uſurpat lib. III. *Detrahitur ſummæ tota pars, quota demit utrumque.* Similiterque loqui Tertullianum, obſervat ibi Joſephus Scaliger. Imo & Lucretium eodem modo locutum animadverti. Nam lib. VI. verſ. 652. ubi à Lambino, Giffanioque, editum eſt: *Et quota pars homo terrai ſit totius unus:* elegantiſſima, veriſſimaque eſt lectio, quam diſertim habent veteres membranæ noſtræ:

Nec tota pars homo terrai, quota totius unus.

Quin Lambinus quoque fatetur, in quibuſdam ſe manuſcriptis, *Nec quota*; in aliis, *Et quota*; in aliis, *Hæc tota*, inveniſſe. Quod vero Petrus Candidus in Florentinâ, Marullus in Venetâ mutarunt; id non aliunde eſt, quam quod, ob modulum prioris in *totus*, pravo male talo verſum ſtare crediderunt. Quid mirum? quando antiquiores etiam in eo decepti: eoſque inter Cledonius, Romanus Senator, Grammaticus Conſtantinopolitanus: qui cap. de Pronomine, recte quidem inter provocabula ponit, *quot*, *tot*, *quotus*, *totus*; verum inepte ſubjicit, *quotus* penultimam acuere, *totus* circumflectere; quia ſcripſerit Maro, I. Georg. 434. *Totus & ille dies.* Iſthæc vero Sergii invalida eſt ratio; *Neuter*, inquit,

Saepe dolor Denteis, Oculos invadit in ipſos:
Exſiſtit ſacer ignis, & urit corpore ſerpens
Quamcunque arripuit partem, repitque per artus.
Nimirum, quia ſunt multarum Semina rerum:
Et ſatis haec Tellus nobis Coelumque mali fert,
Unde queat vis immenſi procreſcere morbi.

Sic

INTERPRETATIO.

aut ipſos oculos invadit; Sacer Ignis repente oritur, per Corpus ſerpens, quodcunque membrum arripuit, urit, & omnes tandem pervadit artus. Nimirum, quoniam in hoc Mundo latent multa rerum multarum ſemina, & Hæc Tellus, & Hoc Cœlum ſubminiſtrare poſſunt ſufficientem copiam noxiorum ſeminum, unde gravis Morbus oriri poſſit;

VARIÆ LECTIONES.

659. *Oculos.* Oculoſque P.
660. *Exſiſtit ſacer.* Exurit ſacer c. O. P. *corpore.* corpora P.
661. *repitque.* repetitque Q. X.
663. *nobis Cœlumque.* morbi Cœlumque A. C. E. N. X. Y. Z. *mali fert.* male fert P. X. *ſcribi jubet* P. *in not.* Et ſatis hæc tellus Orbem Cœlumque malum fert.

NOTÆ.

quit, *alius*, & *reliqua*, *conſtat eſſe nomina, quoniam Probus viginti, & unum, dicit eſſe pronomina; in quibus iſta non computantur.* Nempe hoc eſt, quod ſapientes tot ſunt conqueſti, *ſequi* pene omnes *pecorum ritu antecedentium gregem, pergentes, non qua eundum eſt, ſed qua itur.* Seneca lib. de vitâ beatâ cap. 1. Idem Voſſ. de Analogia lib. 4. cap. 2. Super hac quæſtione eorum me ſententiæ aggrego, quibus placet, quædam novorum horuncce, ut ita dicam, civium, recte referri ad interrogativorum tribum; ut, *uter*, *quantus*, *qualis*, *quot*, *quotus*: quædam item non male relativis accenſeri; uti ea, quæ vel ſubſtantiam referunt; ut, *alius*, *alter*, *cæterus*, *reliquus*: vel accidentis relationem habent: ut, *qualis*, *quantus*, *quot*, *quotus*; quando extra interrogationem ponuntur. Ut in illo Lucretii, lib. VI. verſ. 652.

Nec tota pars homo terrai quota totius unus:

quomodo verſum eum ex manuſcripto noſtro codice lib. II. rei Grammaticæ, cap. XVII, emendavimus. Ubi & Manilium ſimiliter loqui videbamus. Hæc magnus ille Grammaticus; in diſtinctione autem Preig. meo adſentior. HAV.

658. *Obturgeſcit*] Sic habent omnes libri & vulgati, & manuſcripti, quos quidem viderim. Sed Avancius Veronenſis legebat *Obbruteſcit*, id eſt *obſtupeſcit.* quo verbo uſus eſt lib. 3: 544.

An contractis in ſe partibus obbruteſcat. LAMB.

660. *Sacer ignis*] Virgil. lib. 3. Georgic. 565.

——— *nec longo deinde moranti*
Tempore contactos artus ſacer ignis edebat.

ſacer ignis (inquit Corn. Celſus libr. 5: 28.) *malis ulceribus annumerari debet.* Auctor vocabularii Latinogræci manuſcripti, *Sacer ignis*, inquit, ἐρυσιπέλας: al. ἕρπης. Quid ſit porro *eryſipelas*, & *herpes*, & quid inter hæc duo interſit, & quæ ſint eorum cauſæ, conſulendi ſunt medici: ego alio propero. Non me pigebit tamen lectorem admonere, Cornelio Celſo aliud eſſe ἐρυσιπέλας, aliud *ſacrum ignem*, lib. ſupra commemorato, cap. 28. ibi, *Sacer quoque ignis malis ulceribus*, &c. *Ejus duæ ſpecies ſunt*, &c. LAMB.

Πῦρ ἄγριον, ut & nos Galli voce ejuſdem ſignificationis notare ſolemus, ejus ſpecies eſt, ſed lenis: At qui exedens eſt, ἕρπης ἐσθιόμενος, ad oſſa uſque pervadit; de quo hic Lucretium loqui credibile eſt. FABER. Addas Celſo Paulum Æginetam lib. 4. cap. 20. Quos, ſi vacet, lege: Nam in illis multa de Sacro Igne. CREECH.

663. *Et ſatis hæc tellus morbi*] Ita veteres libri. Marullus tamen: *nobis*; quod & Florentini, & Lambinus ſecuti ſunt. Ego veteres libros ſequor,

Sic igitur toti coelo, terraeque putandum eſt
Ex infinito ſatis omnia ſuppeditare;
Unde repente queat Tellus concuſſa moveri,
Perque mare, & terras rapidus percurrere Turbo,
Ignis abundare Aetnaeus, flammeſcere Coelum.

Id

INTERPRETATIO

Pariter igitur credendum eſt, toti Cœlo & Terræ, ſufficientem ſeminum copiam ex infinito Univerſo ſubminiſtrari, unde Terra repente concuſſa tremat, unde per Mare & Terras rapidus Turbo percurrat, Ignis Ætnæus abundet, & Cœlum flammeſcere videatur:

VARIÆ LECTIONES.

666. *ſuppeditare.* ſuppeditari C. D. E. N.
668. *ac.* & Y. Z.

NOTÆ.

quor, etſi mox ſequatur: *procreſcere morbi.* Gifan.

663. *Et ſatis hæc Tellus nobis, Cœlumque*] Secutus ſum codices Florent. nam ceteri vulgati, quibuſcum manuſcripti congruunt, habent,

Et ſatis hæc tellus morbi, cœlumque.

quæ lectio nullo modo ferri poteſt. hanc tamen tuetur Zoilus. tale eſt hominis palatum. Lamb.

666. *Suppeditare*] Sic habent quatuor libri manuſcripti, & vulgati Veneti antiq. quod probo. eſt enim abſolute accipiendum. Lamb. Vulgati, fere: *ſuppeditari.* Gifan.

669. *Ignis abundare Ætnæus*] Ripas ſuas videtur ſuperare dum erumpit Igneum flumen. (Flammeſcere *Cœlum*) Dum coruſcat & Fulgurat. *Fayus*: Quaſi aliquid de Fulgure, & Coruſcatione, *Lucretius*, cum de Ætnæ ignibus diſputet: Sed in iſtius viri ineptiis refutandis non amplius morabor. Creech.

669. *Flammeſcere*] Fulgere, ſeu flammam comprehendere, & concipere, ſeu flammis collucere. Lamb.

671. *Ut tempeſtates pluviæ*] Sic legendum, non, ut vulgo, *Et tempeſtates pluviæ.* Lamb.

671. *Graviore coortu ſunt*] Id eſt majores & graviores ſunt, ſeu majore copia cadunt. Lamb.

672. *Tetulerunt*] Secutus ſum cod. Pariſienſ. Florentinos, Baſilienſeis, Venetos utroſque, Lugdunenſeis majores. nam minores mendoſe habent *retulerunt.* manuſcripti autem etiam corrupte *detulerunt.* jam *tetuli* pro *tuli* antiquum, quo & Terent. utitur Andria 4: 6: 13.

Nam pol ſi ſciſſem, numquam huc tetuliſſem pedem.

& Plaut. Moſtell. 2: 2: 39.

Quia ſeptem menſes ſunt, cum in haſce ædeis pedem
Nemo intro tetulit, ſemel ut emigravimus. Lamb.

Locis à Lambino adductis alia addi poſſunt; Plaut. in Rud. 4: 1: 2.

——— ——— *Hodie me his mulierculis*
Tetuliſſe auxilium.

& Menæchm. 4: 2: 21.

——— ——— ——— *Conditiones*
Tetuli tertas, confragoſas.

Nec ſcenici ſolum Poëtæ (verba ſunt Jo. Ger. Voſſii lib. 3. de Analogia cap. 37.) ſic locuti, ſed etiam Catullus. Chariſius enim citat ex carmine ejus de Vere, quod deperiit (nam in Pervigilio non exſtat is locus)

Concitum tetuli gradum

Unde recte Pierius colligit contra nonnullos, Latine etiam dici *ferre gradum.* Quid nunc Epicos dicam? Ennii enim eſt 1. Annal. p. 13.

Ilia dia nepos, quas ærumnas tetuliſti!

Suevii quoque apud Macrobium lib. 3. Saturn. cap. 28.

——— ——— ——— *cum Rege potenti,*
Nomine Alexandro Magno, fera prælia bello
In Perſas tetulere ſuo.

Ita enim ibi legi jubet Voſſius idem, non (ut vulgo) *retulere.* Hav.

673. *At nimis eſt ingens, &c.*] Occupatio eſt objectionis. Lamb.

673. *Incendii*] Alias *incendi*, alias *incendii*: quod tamen intelligendum eſt pro triſyllabo *incendi* poſitum. Lamb.

674. *Sci-*

Id quoque enim fit, & ardeſcunt coeleſtia templa,
Ut Tempeſtates pluviae graviore coörtu
Sunt, ubi forte ita ſe tetulerunt Semina aquarum.
At nimis eſt ingens Incendî turbidus ardor.
Scilicet, & fluvius, qui viſus, maximus eji

Qui

INTERPRETATIO.

nam ideo in Cœlo fit ignea Tempeſtas, quoniam multa Ignis ſemina conveniunt; ut fit gravis pluviæ tempeſtas cum plurima Aquæ ſemina convenerint. Aliquis vero dicat hunc Ignem Ætnæum ingentem nimis eſſe & immanem: Nempe, & Flumen, quod non eſt maximum, videtur maximum illi homini,

VARIÆ LECTIONES.

671. *Ut Tempeſtates.* Et Tempeſtates C. E. Y. Z.

672. *tetulerunt.* retulerunt D. P. tetulerunt *not.* P.

674. *fluvius, qui viſus, maximus eji.* Ita A. B. C. E N. O. P. Q. Y. Z. quivis ut maximus V. *Lambin. & illum ſecuti:* fluvius, qui non eſt, maximus eii eſt. *Sed vide Notas noſtras de hoc verſu & ſeqq.*

NOTÆ.

674. *Scilicet & fluvius*] Solutio objectionis à ſimili, hoc modo ſcilicet & fluvius, qui non eſt maximus, ei videtur maximus, id eſt, ejus judicio & ſententia eſt maximus, qui aliquem ante majorem non vidit: & item homo & arbor non maximi, ei videntur maximi, qui nullos antea majores vidit. hunc locum in omnibus fere libris corruptum, qui ſic habent,

Scilicet & fluvius qui viſus maximus ei,
Qui non ante aliq.

ſic reſtitui jam in prima editione, plane (præfiſcini præfatus dicam) divine. Quam emendationem etiam Zoilus probavit tacitus. LAMB. Codd. *Scilicet & Fluvius qui viſus* &c. Unde *Salmaſius: Scilicet & Fluvius* quis *viſus maximus eii:* Fluvius aliquis viſus eſt ei maximus, qui majorem non vidit; Iſtam quam Codices exhibent lectionem, ſequi poſſumus, at non rejicienda eſt illa altera *Lambini* lectio. CREECH. Mire ſua emendatione exſultat Lambinus. *Plane*, inquit, *præfiſcine præfatus dicam, divine.* Verum ita, non modo

Maxima quæ vidit quiſque, hæc ingentia fingit,

ut verſu ab hoc quarto Lucretius loquitur, ſed &

Optima quæ vidit quiſque, hæc cœleſtia fingit.

Quid enim ſimplicius, quin & elegantius, quam quod vidit Iſ. Voſſius

Scilicet & fluvius quivis ut maximus eji ſt.

quam emendationem & variantes Lectiones agnoſcunt, & Annotator noſter. *Quivis* hoc verſu, & *aliquis* proximo, optime ſibi invicem opponuntur. Locum ipſum egregie Claudianus illuſtrat, ubi de ſene Veronenſi:

Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumque putat littora rubra lacum.

Haud inepte etiam legeris:

Scilicet & fluvius quivis eſt maximus eji, PREIG.

Omnia hæc acuta & eleganter inventa; verum ego is ſum, qui difficillime a MSS. probatiorum fide deſciſco, ſi aptus inde ſenſus erui poſſit, qui hic aptiſſimus & ſimpliciſſimus eſt.

Scilicet & Fluvius, qui viſus, maximus eji
Qui &c.

Fluvius, qui viſus, eſt is qui primus, ante alios viſus eſt. omnes enim hi verſus de *viſu* (primo, ut ante *viſos* alios) agunt, & ita infra verſu 676. *quæ vidit quiſque*, pariter poſita ſunt, pro: *quæ primum* vel *prima quiſque vidit.* Sed mala ubique diſtinctio confuſionem peperit, quum ita diſtingui hi verſus debeant, uti à nobis factum eſt, non ut vulgo, videlicet

——— ——— *& omnia de genere omni,*
Maxima quæ vidit quiſque hæc &c.

ſed

——— ——— *& omnia de genere omni*
Maxima; quæ vidit quiſque &c.

Arbor, inquit, & homo, videtur ingens, & omnia

Qui non ante aliquem majorem vidit; & ingens
Arbor, Homoque videtur; & omnia de genere omni
Maxima; quae vidit quiſque, haec ingentia fingit:
Quom tamen omnia cum Coelo, Terraque, Marique
Nil ſint ad Summam Summaï totius omnem.
 Nunc tamen, illa modis quibus irritata repente
Flamma foras vaſtis Atnae fornacibus efflet,
Expediam. Primum totius ſubcava montis
Eſt natura, fere ſilicum ſuffulta cavernis:
Omni-

INTERPRETATIO.

qui non vidit majus; Arbor item atque Homo videtur ingens, & omnia de omni rerum genere quibus aliquis majora non vidit illa fingit eſſe ingentia. Cum tamen omnia hæc una cum Cœlo, Terra, Mari, ſi cum Univerſo comparentur minima ſunt, imo plane nihil. Nunc tamen, quibus cauſis illa flamma repente concita è vaſtis Ætnæ fornacibus erumpat, docebo: Primum Natura totius iſtius montis eſt cava ſubter, fere ſilicum cavernis ſuffulta:

VARIÆ LECTIONES.

679. *Summai totius omnem.* Summæ totius in omnem Q. X.

NOTÆ.

mnia in omni genere videntur ei, qui non ante aliquid majus vidit, maxima; nam quæ quiſque vidit, (primum ſcilicet) ea fingit ſibi ingentia & maxima. HAV.

675. *Et ingens, &c.*] Et ingens videtur arbor, homoque, ei qui majorem arborem, majoremque hominem non vidit. LAMB.

677. *Maxima*] Id eſt, quibus majora numquam antea vidit. LAMB. Terentii Interpretes ex Cicerone & aliis docebunt, quid inter *magnus* & *ingens* interſit. Non temere *ingentior* occurrat; conſtat tamen apud Virgilium Æn. 11: 124. legi. FABER.

680. *Nunc tamen illa*] Redit ad inſtitutam diſputationem de Ætnæorum ignium ratione. de quibus ſic Virgil. Æneidos tertio: 571.

—— ſed horrificis juxta tonat Ætna ruinis:
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente favilla,
Attollitque globos flammarum, & ſidera lambit:
Interdum ſcopulos, avulſaque viſcera montis
Erigit eructans, liquefactaque ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat.

De iiſdem ſic Ariſtot. lib. de mundo: ἐμπεριέχει δὲ καὶ πολλὰς ἡ γῆ ἐν αὐτῇ καθάπερ ὕδατος, οὕτω καὶ πνεύματος καὶ πυρὸς πηγάς. τούτων δὲ αἱ μὲν ὑπὸ γῆν εἰσὶν ἀόρατοι, πολλαὶ δὲ ἀναπνοὰς ἔχουσι, καὶ ἀναφυσήσεις, ὥσπερ Λιπάρα τε καὶ Αἴτνη, καὶ τὰ ἐν Αἰόλου νήσοις. αἳ δὴ καὶ ῥέουσι πολλάκις ποταμῶν δίκην, καὶ μύδρους ἀναρριπτοῦσι διαπύρους. i. e. *Continet autem terra & multos in ſe, ut aquæ, ita & flatus & ignis fonteis. Horum porro alii quidem ſub terra ſunt occulti & obſcuri, alii autem reſpirationes habent, ut Lipara, & Ætnæ, & loca in Æoli inſulis. qui ſæpenumero & fluviorum modo fluunt, & Flammas ac maſſas candenteis provomunt.* de iiſdem idem lib. περὶ θαυμασίων ἀκουσμ. LAMB. Si inquiras cur collectæ in Ætna flammæ erumpant tanto impetu, v. 31. declaratur ratio: Breviter, vi Venti fit eruptio; Venti autem iſtius ſemina ex Univerſo infinito veniunt, & in monte Ætna collecta flammas vel latentes in viſceribus Montis, vel ex ipſo monte expreſſas ejiciunt, v. 14. Aut Ventus iſte irruit per ſpeluncas quæ ſunt ad radices Montis, & quarum ora, cum Mare à littore recedit, (Mare enim radices montis alluit) aperta ſunt, atque ita efflat Ignes; v. 7. Denique in ipſis faucibus Montis generantur venti, v. 2. Sic multas ponit cauſas, ut inter eas una vera, & certa diceretur, v. 9. CREECH.

682. *Primum totius*] Sic fere Trogus lib. 4. ut eſt

Omnibus eſt porro in ſpeluncis Ventus & Aër.
Ventus enim fit, ubi eſt agitando percitus Aër.
Hic ubi percaluit, calefecitque omnia circum
Saxa furens, qua contingit, Terramque: & ab ollis
Excuſſit calidum flammis velocibus ignem:
Tollit ſe, ac rectis ita faucibus ejicit alte,
Funditque ardorem longe, longeque favillam
Differt, & craſſa volvit caligine fumum:
Extruditque ſimul mirando pondere ſaxa:

Ne

INTERPRETATIO.

In omnibus autem cavernis eſt Ventus, & Aër; Nam Ventus tum fit, cum moveatur & agitetur Aër; Hic Ventus cum ipſe motu ſuo calorem concepit, & magno impetu circumrotatus calefecit omnia ſaxa quæ verberat, & Terram, atque ex illis Saxis & Terra expreſſit ignem calidum flammis velocibus, tum tollit ſeipſum, ita per directas Montis fauces in altum erumpit, Flammas, & favillam longe lateque diſpergit, tenebroſum craſſumque fumum volvit, & Saxa mirando pondere ejicit,

VARIÆ LECTIONES.

686. *percaluit calefecitque.* percellit calefecitque K. & *Scalig. ad Virg. Catalecta, ſive Severi potius Ætnam, verſu 562.*

687. *Saxa furens.* ſaxa ferens K. ſaxa terens *Scalig. ibidem.*

689. Deeſt P.

690. *Funditque.* Vertitque V. & *Oudendorp. ad Jul. Obſequentem* p. 152. Fecitque P. Fertitque P. *in not.* Q2. Y. Fervitque Q3.

691. *Differt.* differre P. X. differt *alii codd.* P. *not.* 692. 693. Inſeras verſ. 689. P.

NOTÆ.

eſt apud Servium in tertium Æneid. *Sicilia terra eſt cavernoſa & fiſtuloſa: quo fit, ut ventorum flatibus pateat, unde ignis concipitur. intrinſecus ſulphur habet, & bitumen: in qua ubi ventus per ſpiramenta cavernarum incubuit, diu luctatus ignem concipit. Sic Ætnæ durat incendium. motus ergo ventorum, cauſa incendii eſt.* LAMB.

685. *Ventus enim fit, ubi eſt agitando*] Itaque quidam dicunt, ventum nihil aliud eſſe, quam agitatum aëra. LAMB.

687. *Qua contigit*] Qua parte ſaxa tangit. LAMB.

687. *Terramque*] Et ubi terram calefecit, qua eam tangit. LAMB.

689. *Ac rectis ita faucibus ejicit alte*] Severus in Ætna verſu 322.

Haud ſecus adſtrictus certamine tangitur ictu
Spiritus, involvenſque ſuo ſibi pondere vires
Denſa per ardentes exercet corpora venas,
Et quacunque iter eſt, properat, tranſitque morantem,
Donec confluvio reſolutis æſtibus, omnis
Exſilit, atque furens tota vomit igneus Ætna.

In quibus ultimis idem epitheton *furens* notari debet, quod apud Lucret. modo verſu 687. legitur, ne quis ſollicet temere MSS. lectionem, *terens* ibidem reponendo, ut V. D. facit ad Severi ejuſdem verſum 562. ubi legas

Hæc Operis ſumma eſt; ſic nobilis uritur Ætna.
Terra foraminibus vires trahit, urget in arctum,
Spiritus incendî vivit per maxima ſaxa.

Sed & totum illud Carmen cum Lucretianis hiſce conferri meretur. HAV.

691. *Differt*] In diverſas parteis fert. LAMB.

 693. A-

Ne dubites, quin haec Animaï turbida ſit vis.
  Praeterea, magna ex parti Mare montis ad ejus
Radices frangit fluctus, aeſtumque reſorbet.
Ex hoc uſque mari Speluncae, Montis ad altas
Perveniunt ſubter fauceis: Hac ire fatendum eſt,

“ Et

INTERPRETATIO.

ut dubitare non poſſis quin hæc omnia à vehementi Vento fiant. Præterea, magna ex parte ad radices illius montis Mare fluctus frangit, & æſtum reſorbet, (Mare magnam partem radicum iſtius Montis alluit) Ab hoc autem Mari cavernæ ad altas montis fauces ſubter perveniunt, fatendum igitur eſt,

VARIÆ LECTIONES.

693. *Ne.* Nec P. Q. X.
694. *magna ex parti.* magni ex D. parte C. P. X.
695. *æſtumque.* æſtuque Q1. *reſorbet.* reſolvet Q. X. Y. Z.
696. *mari.* mare A. B. P. X.
697. *Hac ire.* hæc ire C.

NOTÆ.

693. *Animaï*] Flatus ſpiritus, venti, πνεύμα-τος. Lamb. Venti: Alibi: Horatius *Impellunt* Animæ *lintea Thraciæ.* Creech.

694. *Præterea, magna*] Alia ratio horum ignium. Lamb.

694. *Parti*] Parte, ut ſæpe alias. Lamb. Quidam libri: *parte.* Gifan.

696. *Ex hoc uſque mare*] Ita fere veteres libri. Vulgati: *mari.* Supra, I. 390. & infra, verſ. 712. Idem.

697. *Hac*] Per has ſpeluncas fatendum eſt mare penetrare. Lamb.

698. *Et penetrare mari &c.*] Secutus olim lectionem vulgatam, .

Et penetrare mare, & penitus ſe cogier arcto:

ad eam hæc annotaram, eamque ſic declararam: & fatendum eſt, mare hac, nempe per has ſpeluncas, penetrare & penitus in anguſtum cogi à ſeipſo coarctato. ſed non diſſimulabo, in aliquot libr. manuſcr. ita ſcriptum eſſe,

Et penetrare mari penitus res cogit aperto.

quibuſcum conſentiunt cod. Pariſienſes; & Veneti antiq. Hanc igitur ſcripturam antiquam, quam olim lectori propoſui, & indicavi, nunc in contextum reſtituo. Dicam tamen, quod ſentio, neque hic verſus, neque is, qui reperitur in libris vulg. lucernam olet Lucretianam: & eo detracto, nihil de ſententia decedet. Lamb. Ita fere omnes libri veteres, manu, formiſque deſcripti. Marullus tamen: *mare & penitus ſe cogier arto.* Et ita vulgati, fere ac Lambinus. Mihi minime placet. Agit de vento Poëta. Gif. Al. *Et penetrare mare, & penitus ſe cogier arcto.* Utraque lectio Lambino diſplicet; neque id injuria: ambæ enim corruptæ ſunt. legendum putarim,

Et penetrare animam *penitus res* cogere *aperto.*

Anima ventus eſt; ſæpe apud Lucretium; modo legebas, *Ne dubites, quin hæc animai turbida ſit vis*, id eſt, *vis venti.* Senſus itaque & ordo verborum ſic ſe ſe habebunt: *Fatendum eſt animam hac ire & cogere res penetrare aperto*, id eſt per apertum, ſeu per illas fauces. Omnino enim agitur de vento, non de mari: itaque illa emendationis pars (*animam*) plane neceſſaria eſt; per *res* autem intelligo ignes, ſcintillam, cinerem, ſaxa *&c.* de quibus antea. Faber. Iſtam interpretationem vitioſa nuce non emerem. Si placet vox *Animam*, leg. *Res cogit aperta*, ut alibi *Manifeſta docet res.* Ex *Mari aperto* vix aliquis ſenſus poteſt exprimi, qui vero iſtas voces retinet, hoc modo interpretetur; *Mari aperto*, id eſt, cum Mare recedit à radicibus iſtius montis & reſorbet fluctus. Creech.

700. *Subjectare*] Surſum jactare. Lamb. In altum tollere. vide Not. ad I: 8. Fab. & Creech.

701. *In*

" Et penetrare mari penitus res cogit aperto:
Atque efflare foras, ideoque extollere flammas,
Saxaque ſubjectare, & arenae tollere nimbos;
In Summo ſunt vertice enim Cratêres, ut ipſi

No-

INTERPRETATIO.

imo eſt prorſus evidens per has cavernas Ventos intrare; ad fauces directo aſcendere, inde efflant foras, flammas attollunt, Saxa ejiciunt, & arenæ nimbos extrudunt. In Vertice montis ſunt Crateres Ventigeni (qui ventos generant,)

VARIÆ LECTIONES.

698. *mari penitus res cogit aperto.* mare & penitus ſe cogier arcto C. E. H. N. animam penitus *Creech.* mare A. B. res cogit aperto c. H1. *Hunc verſum ſpurium cenſet* L. *Poſt hunc inſerit* L. *quem ſpurium quoque cenſet.* Et penetrare mare & penitus ſe cogier arcto L.

699. *flammas.* flammam, H1. & 2. P. Y. Z.

701. *vertice enim.* Ita cum V. legendum cenſeo. *Lambin. Gif. & Cr.* ventigeni crateres. vertice item crateres A. B. C. E. M. N. P. V. X. verticem Y. Z. vertigeni *alii.*

NOTÆ.

701. *In ſummo*] Lamb. legit, *in ſummâ*, id eſt *denique*, ἐπὶ τούτοις, ut innuat plures eſſe rationes, qua de re in nota ſequenti. Faber.

701. *Ventigeni*] Sic emendandum exiſtimat Adr. Turnebus l. 22. Adverſar. cap. 18. Nam vulgo legitur,

In ſummo ſunt vertice item, &c.

Ventigeni autem, id ventos gignentes vel à ventis geniti. Ventus enim crateres ſeu fauceis illas efficit. Sed videtur hic locus explicari non poſſe, immo ne apte quidem cum aliis cohærere, niſi legamus *In ſumma*, hoc eſt ad ſummam, ὅλως. vel *in ſummo* interpretemur *in ſummo monte.* Vel dicamus, hos duos verſus alieno loco eſſe poſitos. Lamb. Ita (*ventigeni*) ex quibuſdam Veteribus lego, cum Ad. Turnebo. Vide Indicem. In quibuſdam veteribus: *vertice erat.* Marullus: *vertice item.* Et ita Vulgati. Gifan. Lambinus etiam, in Ed. prima.

701. *Ventigeni Cratêres*] Crateres Ætnæ ita dicuntur quod per eos venti ex viſceribus montis fere ſemper prorumpant; qua de re nemo dubitabit, ſi qua Straboni fides. Is in lib. vi. ſic ſcribit: Οὔτε γὰρ προσιτὸν εἶναι τὸν τόπον, οὔθ᾽ ὁρατόν, Εἰκάζειν τε μηδὲ καταῤῥιφθῆναί τι δύνασθαι ἐκεῖσε, ὑπὸ τῆς ἀντιπνοίας τῶν ἐκ βάθους ἀνέμων, καὶ τῆς θερμότητος, ἣν προαπαντᾶν εὔλογον πόῤῥωθεν, πρὶν ἢ τῷ στομίῳ τοῦ κρατῆρος προσπελάσαι· εἰ δὲ καταῤῥιφθείη, φθάνοι ἂν διαφθαρὲν πρὶν ἀναῤῥιφθῆναι πάλιν, ὁποῖον παρελήφθη πρότερον. τὸ μὲν οὖν ἐκλείπειν ποτὲ τὰ πνεύματα καὶ τὸ πῦρ, ἐκλειπούσης ποτὲ τῆς ὕλης, οὐκ ἄλογον· οὐ μὴν ἐπὶ τοσοῦτόν γε, ὥς τ᾽ ἀντὶ τῆς τοσαύτης βίας, ἐφικτὸν ἀνθρώπῳ γενέσθαι τὸν πλησιασμόν. *Etenim locum illum neque adiri poſſe, neque conſpici. Et conjecturam ſe facere, ne injici quidem poſſe eo quidquam, ob adverſum ventorum ex profundo flatum & calorem; quem, conſentaneum ſit, procul occurrere, antequam ad os Crateris adpropinquetur. Quod ſi quid tamen omnino injiceretur, multo ante ejus formam corruptum iri, qua erat injectum, quam ipſum rurſus ejiceretur. Ceterum non abſurdum eſſe, deficiente aliquando materia, ſpiritus quoque & ignem aliquamdiu ceſſare. At eam intermiſſionem tantam non eſſe uti contra iſtam vim mortalium aliquis propius accedere queat.* Quare lectio vulgata, *In ſummo ſunt vertice item Crateres*, mihi non diſplicet, quod illud Lambinianum *in ſumma* mihi hoc loco haud probetur. Cumque opus aliquo verbo ſit, quod indicet novam rationem afferri poſſe, illud *item* admittatur neceſſe eſt. Fab. Alii, *In ſummo ſunt vertice item Crateres.* Prior lectio (*Ventigeni* &c.) placet, quippe duobus hiſce verſibus declaratur. Ventum non tantum per ſpeluncas ad montis radices ingredi, ſed etiam in ipſis faucibus generari: Neque id mirum. nam nihil certius, quam Aërem ex omni parte ad Flammam ruere, atque inde Ventum generare. Creech. Turnebi nota, quam Lambin. citat, hæc eſt: „ Eſt &

„il-

Nominitant, Nos quas Fauceis perhibemus, & Ora.
Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere cauſam
Non ſatis eſt, verum plureis, unde una tamen ſit.
Corpus ut exanimum ſi quod procul ipſe jacere
Conſpicias Hominis: fit ut omneis dicere cauſas
Conveniat lethi, dicatur ut illius una.

Nam

INTERPRETATIO.

Græci viz. Crateres vocant. Nos Latini fauces & ora. Sunt quoque aliquot res quarum unicam rationem reddere non ſufficit, ſed plures reddi debent, è quibus tamen unica eſt vera. Ut ſi è longinquo ſpectes cadaver Hominis, enumerare oportet omnes cauſas quibus Homo iſte perire potuit, ut una vera diceretur;

VARIÆ LECTIONES.

702. *Nos quas,* quos nos P. nos quod Q2. Y. Z.

NOTÆ.

„ illud ſpurium *In ſummo ſunt vertice item crateres:* „ quidni enim nothum appellem, quod ſi non „ pellicatu, certe ſuppoſitione tamen ſubrepſit „ in liberorum locum? ego cum reperiam *ver-* „ *tigeni*, & intelligam *v.* elementum ſæpenu- „ mero in libris ſcriptis occupare ſedem literæ „ *n. ventigeni* legendum ſuſpicor: hucque addu- „ cor, quia fauces illas Ætnæ certo ſcio auras & „ ventos effundere: & Poëtæ atris ſpeluncis „ ventos incluſos fingunt: quia inde eorum „ materia emanat, qua mons Ætna exuberat, „ igne venas ſulphuris & bituminis in fumum a- „ nimalem tenuante atque mutante. Suſpica- „ tus & aliquando ſum *vertice enim* legi non in- „ concinne poſſe. „ Hæc Turnebus, cujus poſterior conjectura mihi præferenda videtur priori, eo quod in veſtigiis MSS. appareat & ſenſus poſtulet; nam *verticem* quód in *Lugd. Bat.* eſt, natum eſt ex *vertice m.* pro quo conjunctè prius fuerat ſcriptum *verticeenim*, literarum vero *e* altera propter concurſum ſimilium inter ſe neglecta peperit lectionem *verticem* & *vertice item*, quæ inde ab aliis formata fuit. At ſenſus Lucretii poſtulat *vertice enim*, quod ita confirmo; In ſuperioribus vim furentis aëris deſcripſit, qui fundat, differat & extrudat ignem favillam atque ſaxa mirandi ponderis, quæ ejectari non poſſunt niſi per Fauces ſive Crateras; vim itaque auget ſi in ſummo montis vertice Crateres iſti ſint, per quos omnia hæc tam alte efflata & ſublata evomantur, nam, inquit, in ſummo vertice ſunt Crateres &c.

In ſummo ſunt vertice enim &c.

& fruſtra cum Fabro *item* præferas, quum non novam adferat rationem Poëta, ſed concludat iſto *enim* illam quam multis ſuperius adſtruxerat. Hav.

703. *Sunt aliquot quoque*] Ne quis miretur, me multas horum ignium rationes afferre, quaſi dubium atque incertum, ſunt aliquot etiam res, quarum unam cauſam afferre non eſt ſatis, ſed plures afferendæ ſunt, ex quibus tamen unica cauſa ſit. idque oſtendit à ſimili. Lamb.

707. *Dicatur ut illius una*] Id eſt, ut cauſa illius leti, quo homo ille interiit, quæ una eſt, dici poſſit. doctus quidam legendum putat,

Dicatur ut illius vera. Lamb.

Lethi ſcilicet. Faber.

708. *Nam neque eum ferro*] Ita conſtantur MS. probatiſſimi; quod in *neque cum* mutarunt, qui putarunt *eum* poni non poſſe, ubi de *corpore* agatur, quaſi vero non ſæpius genus mutent Auctores, atque æque ad *Hominis* verſu 706. quam *Corpus*, verſu 705. referri poſſit. Hav.

710. *Verum aliquid genere eſſe ex hoc, quod contio* &c.] Ita ex veteribus libris noſtris, & aliis reſtitui. Vulgati, & Lambinus: *credat.* Quidam Veteres: *ites*, *ito.* Gifan. Secutus eram initio cod. aliquot vulgatos, qui habent,

Verum eſſe ex genere hoc aliquid, quod contio credat:

idemque indicaram ingenioſo lectori ſcripturam,

quæ

Nam neque eum ferro, nec frigore vincere poſſis
Interiiſſe, neque à morbo, neque forte veneno:
Verum aliquid genere eſſe ex hoc, quod contigit eji,
Scimus: Item in multis hoc rebus dicere habemus.
Nilus in aeſtatem creſcit, campiſque redundat

Uni-

INTERPRETATIO.

nam probare non poſſis eum Ferro, aut Frigore, aut morbo, aut veneno periiſſe, Novimus tamen eſſe aliquam ex hiſce cauſis quæ certa eſt, & quam veram eſſe adſtantium turba confirmaret: Et eodem modo de multis aliis rebus eſt agendum.

VARIÆ LECTIONES.

708. *neque eum ferro nec.* &c. Ita A. B. C. D. E. N. P. Q2. Y. Z. nec eum ferro Q3. neque cum ferro, neque f. v. p. *Reliqui.*

710. *Verum aliquid genere eſſe hoc, quod contigit eji.* Verum eſſe ex genere hoc aliquid, quod C. E. N. utrum quod contigit eii V. Utrum aliud genere Q2. Utrum genere aliquid X. Y. Z. contio dicat A. B. contio credat E. P. *in not.* Q3. concio credat C. concio ires X. concio itel Y. contio ite Z. concio item eſt Q2.

711. *dicere habemus.* dicere avemus H2.

712. *æſtatem.* Ita H. Q1. X. Y. Z. æſtatī *Alii.* æſtate A. B. C. E. P.

NOTÆ.

quæ reperitur in quatuor manuſcrip. cum quibus conſentiunt vulg. Veneti antiq. & Pariſienſ.

Verum aliquid genere eſſe ex hoc, quod contio dicat. hanc igitur nunc ſequor. Idem admonueram, codicem Memmianum manuſcr. ſic habere,

Verum genere aliquid eſſe ex hoc contioito.

quæ ſcriptura quid ſibi velit, non video. Omnino in hoc loco mendum ſubeſſe ſuſpicor. LAMB. Omnino vera Voſſii emendatio eſt: quæ harum vocum, inane neſcio quid ſonantium loco reponit: *quod contigit eji.* Nondum tamen, quid ſibi vox *utrum*, pro *verum*, nempe in verſus Principio velit, mihi liquet. Cæterum, dum huic intenti verſiculo, in eoque ſanando toti ſunt viri docti, in ſequenti, *habemus*, pro: *avemus*, irrepſiſſe, non animadverterunt. Lambini certe requiras diligentiam, qui de eodem hoc verbo alias haud male meritus eſt. Lego itaque.

Verum aliquid genere eſſe ex hoc, quod contigit eji,
Scimus, & in multis hoc rebus dicere avemus.

Ut ſit ſenſus: ſcimus, ac lubenter dicere ſolemus, id quod ei contigit, hujuſmodi quid, aut ex hoc genere ſaltem eſſe. *Contigit eji*, more Lucretiano. Atque ita quam proxime ad veterem ſcripturam accedimus, quæ apud Lambinum: *contio ito*, apud Londinenſes: *contio itel*, adeoque veſtigia vocum; *contigito*, & *contigitei*, refert. *Avemus*, ut Cic. 1. Off. cap. IV. *Itaque cum ſumus neceſſariis negotiis curiſque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiſcere.* PREIG. Si in *concio itel*, quod in Y. eſt, *c. o. l.* mutes in *t. g. i.* vel in *contio ite*, quod in Z. eſt, mutes *o* in *g.* & *i* in fine addas, habes veram lectionem. *Habemus dicere*, i. e. dicimus, dicere ſolemus. Conf. 1: 1068. 6: 899. HAV.

710. *Contio*] Turba, quæ circumſtat, & quæ ad audiendum convênit. LAMB.

712. *Nilus in æſtati*] Nunc cur Nilus in æſtate creſcat; qua de re ſæpe quæſitum eſt ab antiquis: & Herodotus treis antiquorum opiniones refert, eaſque refellit: quarum prima eſt ea, quæ in Eteſias cauſam confert: ſecunda, quæ in Oceanum: tertia, quæ in niveis liquefactas: quartam affert ſuam, qua ſolem vult eſſe cauſam efficientem hujus incrementi, nempe quia ſol brumæ tempore in Libyæ partibus curſum ſuum conficiens, multum ad ſe humorem è Nilo attrahat; atque iccirco Nilus hoc tempore præter naturam ſuam minor fiat: æſtate autem adventante, atque appropinquante, ſol diſcedens ad Septentriones, Græciæ fluvios ſiccet & minuat: idcirco Nilum

 vi-

Unicus in terris Aegypti totius amnis.
Is rigat Aegyptum medium per ſaepe calorem,
Aut quia ſunt aeſtate Aquilones oſtia contra
Anni tempore eo, quo Eteſia flabra feruntur:

Et

INTERPRETATIO.

Nilus, unicus ille in tota Ægypto amnis, in Æſtate creſcit, & inundat campos: Ille Ægyptum in media Æſtate irrigat, quoniam viz. in Æſtate, eo viz.

VARIÆ LECTIONES.

716. *quo Eteſia flabra feruntur.* qui Eteſiæ eſſe feruntur C. E. N. qui Eteſii eſſe feruntur V. efflare feruntur c. O. quo Eteſiæ efflare feruntur P. ſcribi jubet *quo Eteſia flabra feruntur* P. *in not.*

NOTÆ.

videri æſtate creſcere, cum re vera hoc non fiat, ſed potius hieme decreſcat. ſed hanc ſententiam reprehendit Diod. Siculus lib. 1. quem legito, ſi plura hac de re cognoſcere cupis: & Herod. Euterpe, & Plin. lib. 5. cap. 9. & Melam l. 1. c. 9. & Solinum cap. 45. Non arbitror hoc loco mihi eſſe prætereundum, quod retulit Antigonus inter eas, quas collegit, hiſtorias admirabileis: puteis, qui ſunt Mythopoli, ſimile quiddam, atque Nilo, accidere. Æſtate enim ſupra labra plenos eſſe; hieme vero ita decreſcere, atque adeo exareſceret. ut ne tinguere quidem aliquid ex eo facile ſit, Græca verba ſunt hæc: Λέγειν δὲ τὸν Εὔδοξον καὶ περὶ τῶν ἐν τῇ Μυθοπόλει φρεάτων, ὅτι παραπλήσιόν τι τῷ Νείλῳ πάσχουσι. τὰ μὲν γὰρ θέρους ὑπὲρ τὰ χείλη πληροῦσθαι, τὰ δὲ χειμῶνος οὕτως ἐκλείπειν, ὥστε μηδὲ βάψαι ῥᾴδιον εἶναι. Lamb.

712. *Nilus in Æſtati creſcit*, &c.] Ab Æſtivo Solſtitio ad Æquinoctium uſque Autumnale Nilus ita intumeſcit, ut per Ægyptum exundans, oblitos limo agros fœcundet, alias ſteriles futuros, egregium Divinæ Providentiæ monumentum: (*Ægypti incolæ aquarum beneficia percipientes Aquam colunt*, &c. Julius Firmicus de Er. Prof. Rel.) Huic igitur incremento pro more ſuo cauſas tantum naturales aſſignat *Lucretius* v. 26. Et primo quidem v. 12. Venti Eteſiæ ab ſeptentrione ſpirantes aquas Amnis, qui ab Auſtro fluit, repellunt, faciuntque, ut impleto Alveo exundent: Si vero Eteſiæ ad obſiſtendum tanto aquarum ponderi, lenes enim ſunt Venti, impares dicantur, tum v. 5. Arena, quam Mare ab iſtis Ventis agitatum congerit, obſtruuntur Nili Oſtia; atque inde Exundatio. Hiſce cauſis duas alias conjunge, nempe Pluvias, quæ ad fontes Nili decidunt v. 6. & Nives, v. 3. reſolutas. Nam omnibus hiſce cauſis conſpirantibus Nilus, aut quilibet alius Fluvius exundet. Creech.

712. *In Æſtati*] In æſtate. Lamb.

712. *Æſtate*] Ita legendum. Quidam libri *æſtatem*; male. Lambinus: *æſtati.* Vide ſupra, verſ. 696. Gifan. *In Æſtati* omnes libri; quum tamen nihil vetet, Lucretium ſcripſiſſe: *in æſtate.* Id genus quam plurima apud eum a ſcioliſ immutata, &, quod tanti non viderentur, a Viris Doctis neglecta, facile crediderim. Vide, quæ ad lib. 1. verſ. 390. Preig. Imo repone *in æſtatem*, clariſſime totidem literis ita ſcribentibus MSS. Lugd. Bat. nimirum, ut Terentius Eun. 2: 2: 29. *eſſe in tantum honorem*, ut Curtius 3: 5. *Darium fore in Ciliciam*, ut ſepulturam roganti Auguſtus in Vita ſua apud Sueton. cap. 13. *eam in volucrum fore poteſtatem*, ita & Lucretius de Nilo dixit eum *in æſtatem* creſcere. Hav.

714. *Is rigat Ægyptum*] Sic Virg. Georg. 4:291.
Et viridem Ægyptum nigra fæcundat arena
& M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. *Ægyptum Nilus irrigat, & cum tota æſtate obrutam oppletamque tenuerit, tum recedit, mollitoſque & oblimatos agros ad ſerendum relinquit.* Lamb.

714. *Per medium calorem*] Sub finem extremum Junii menſis, ad uſque initium Septembris. Quod ideo notare viſum eſt, ut intelligamus hodie aliter fieri, quam olim. Citius enim definebat inundatio Nili. Ejus rei teſtis oculatus eſt Lam-

Et contra fluvium flantes remorantur, & undas
Cogentes ſurſus replent, coguntque manere.
Nam dubio procul haec adverſo flabra feruntur
Flumine, quae gelidis à ſtellis Axis aguntur.

Il-

INTERPRETATIO.

Anni tempore quo flatus Eteſii ſpirant, Venti ab Aquilone in Nili oſtia feruntur, & adverſi flantes fluvii curſum impediunt, verſus fontes undas repellunt, replent alveum, & ſiſtunt: Nam proculdubio hi Venti qui ab Aquilone ſpirant feruntur adverſo flumine:

VARIÆ LECTIONES.

718. *ſurſus replent.* rurſus replent c. Hi. O. P. X. *manere.* manare Y.
720. *Flumine, quæ.* Flamine, quæ Hi. & 2. *à.* ab Y. Z.

NOTÆ.

Lambertus Maſſilienſis, qui de peregrinatione Ægyptiaca, quam ipſe anno M. DC. XXVI. ſuſcepit, commentariolum reliquit Lutet. editum. In eam rem luculentá quæſtio eſſe poteſt. Fab.

715. *Aut quia ſunt æſtate Aquilones*] Hanc rationem ajunt fuiſſe Thaletis. idque teſtatur & Diodorus Siculus lib. I. his verbis: Θαλῆς μὲν οὖν, εἷς τῶν ἑπτὰ σοφῶν ὀνομαζόμενος, φησὶ τοὺς Ἐτησίας ἀντιπνέοντας ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ ποταμοῦ, κωλύειν εἰς θάλασσαν προχεῖσθαι τὸ ῥεῦμα &c. id eſt, *Thales, unus è ſeptem ſapientibus, ait Eteſias Nili oſtiis reflanteis, prohibere, ne in mare profundatur. Eteſiæ* autem iidem ſunt, atque *Aquilones.* flant enim à ſeptentrionibus. hoc intereſt, quod Aquilones qualibet anni parte potius quam æſtate, & incertis anni temporibus ſpirant: Eteſiæ autem ſola æſtate, nempe ſub ſolſtitium, ſpirant. Itaque *Eteſiæ* dicti ſunt παρὰ τὸ ἔτος; quæ vox annum ſignificat, quia certo anni tempore flant. de quibus ſic Ariſtot. l. 2. de reb. ſuperis: Οἱ δ' Ἐτησίαι πνέουσι μετὰ τροπὰς, καὶ κυνὸς ἐπιτολὴν, &c. id eſt, *Eteſiæ autem flant poſt ſolſtitium, & canis ortum.* Lamb.

715. *Aquilones oſtia contra; Anni tempore* &c.] Poſt biduum exortus Caniculæ Aquilones conſtantius perflant diebus quadraginta, quos Eteſias vocant. Plinius lib. 2. cap. 47. Et Lucretius v. 730. *Eteſia flabra Aquilonum. Fayus* tamen, *Eteſiæ*, ſunt Venti ab Auſtro, ſeu à Meridie flantes; & hoc Nili incrementum contendit fieri à duobus Ventis contrariis, quorum alter, nempe Aquilo, retardat Aquarum curſus; alter, nempe Eteſiæ, impellit illas, quoniam Nilus ab Auſtro in Septentrionem fluit. En dignum Lucretio interpretem! Creech.

716. *Quo Eteſia flabra feruntur*:] Hanc eſſe puto veram & rectam ſcripturam, non quod reperiatur in lib. manuſcriptis expreſſa, ſed quod propius abſit ab antiqua. ſic enim omnes fere lib. veteres habent,

Quæ Eteſia flare feruntur:

Memmianus autem,

Quo Eteſia efflare feruntur:

cum quo conſentiunt aliquot vulgati: in his Pariſienſes, & Veneti antiquiores. Lamb. Ita ut Lamb. & in Veteribus noſtris. Gifan.

Multa ſe ſpecie commendat Iſ. Voſſii lectio:

Anni tempore eo qui Eteſii eſſe feruntur.

Aquilones nempe, quos eo anni tempore, non quolibet, non in hyeme ibi Eteſios eſſe, perhibent *Eteſia flabra* ex verſ. 730. ut & libri v. verſ. 741. huc infarcire in promptu fuit iis, quos ſupervacanea metri cura tenuit, cum Lucretiana eliſionis neglectio in hiſce ac ſimilibus nihil novi apportet. Preig.

718. *Cogentes ſurſus*] Quidam libri habent, *cogentes rurſus replent*: quod fortaſſe probabilius eſt, ut *rurſus* cohæreat cum verbo *replent.* ego tamen alteram, ut tolerabilem & receptam, ſecutus ſum. Lamb.

719. *Adverſo flumine*] Ut v. 725. *Fluctibus adverſis*: (Neque enim leg. *Flamine*) Mallem tamen *Gelidi.* Creech.

720. *Quæ gelidis à ſtellis*] Quæ flabra flant à ſeptentrionibus. Lamb.

720. *Quæ gelidis*] Forte: *gelidi.* Gifan.

721. *Ab*

Ille ex aeſtifera parti venit amnis ab Auſtro
Inter nigra virûm, percoctaque ſaecla calore,
Exoriens penitus media ab regione diei.
   Eſt quoque, uti poſſit magnus congeſtus arenae
Fluctibus adverſis oppilare oſtia contra,
Quom Mare permotum ventis ruit intus arenam.
Quo fit uti pacto liber minus exitus amni.
Et proclivus item fiat minus impetus undis.

Fit

INTERPRETATIO.

Ille enim amnis fluit ab æſtifera Auſtro, nigras & Solis calore percoctas gentes (Æthiopum regiones) ſecans. in ultima parte Mundi Auſtrali ortus. Fieri etiam poteſt, ut ingens arenæ cumulus undis delabentibus oppoſitus poſſit obſtruere oſtia iſtius fluminis, cum Mare procella agitatum ad illius alveum arenam congerit: Inde enim fit, ut minus liber exitus ſit flumini, ut minus declivis ſit Alveus, ideoque tardior Aquarum effluentium impetus;

VARIÆ LECTIONES.

722. *nigra virûm.* nigra nigrum c. O. *percoctaque ſæcla calore.* Percocto ſæcla colore C. E. N. P. V. X. Y. Z.
727. *amni.* amnis P. X. Z.
728. *proclivus.* proclivis C. E. N. P. X. Z.

NOTÆ.

721. *Ab Auſtro*] A meridie, & ab axe illi oppoſito. Lamb.

722. *Inter nigra*] Æthiopas; in montibus, qui Lunæ dicuntur, res hodie nota, veteribus non item. Faber.

722. *Percoctaque ſæcla calore*] Sic legi debet, & ita legitur infra non longe ab extremo, verſu 1107.

Uſque ad nigra virûm, percoctaque ſæcla calore. adde quod Vaticanus codex habet *calore*, non, ut vulgati *colore.* ſignificat autem Æthiopas, & taleis nationes, quæ calore ſolis peruſtæ ſunt. Lamb. Sic Lambinus, ut infra in fine. Vulgati: *percocto ſæcla colore.* Gifan. Neque tamen damnare tam ſubito auſim illam lectionem quæ & hic & inferius verſu 1107. a MSS. Lugd. Bat. etiam confirmatur; Legerim itaque lubens cum hac diſtinctione:

Inter nigra virûm percocto ſæcla colore,

ut dicat nigra illa ſæcla virorum eſſe *colore percocto*, tanquam δίβαφα ut Græci vocabant quæ bis & penitius tincta atque percocta erant, colore itaque nigro indelebili Poëta hoſce ait eſſe mortales. Hav.

723. *Media ab regione diei*] Janus Guilelmus Quæſt. in Caſ. Plauti cap. 1. ſeu Fac. Crit. Tom. 3. p. 375. ſcribi jubet *medi ab regione diei*, quoniam *medidiem* & *meridiem* veteres dicebant; & tmeſes hæ certe ſatis familiares ſunt Lucretio. Hav.

724. *Eſt quoque, uti poſſit magnus*] Hanc rationem commemorat Pomponius Mela. Lamb.

724. *Congeſtus*] Cumulus. Lamb.

725. *Oppilare*] Obſtare tanquam multæ pilæ, ſeu columnæ confertim oppoſitæ. verbum eſt abſolute poſitum hoc loco. ſed M. Tullius uſus eſt participio patiente, ſecunda Philipp. *Negotiumque tranſegiſſes, niſi ille ſe ſub ſcalas tabernæ librariæ conjeciſſet, hiſque oppilatis, impetum tuum compreſſiſſet.* Lamb. *Oppilatio*, optimum vocabulum, legimus in Scaligeranis Primis pag. 80. ubi Lucretii hic adducitur verſus, & vocabuli ipſius illuſtratio eſt. Huc pertinet elegans Epigramma Martialis lib. 10. Ep. 85. de Ladonte nauta, quod adſcribere non piget.

Jam ſenior Ladon, Tiberinæ nauta carinæ,
Proxima dilectis rura paravit aquis.
Quæ quum ſæpe vagus premeret torrentibus undis
Tybris, & hiberno rumperet arva lacu.

Eme-

Fit quoque, uti pluviae forſan magis ad caput ejus
Tempore eo fiant, quo Eteſia flabra Aquilonum
Nubila conjiciunt in eas tunc omnia parteis.
Scilicet ad mediam regionem ejecta diei
Quom convenerunt, ibi ad altos denique monteis
Contruſae nubes coguntur, vique premuntur.
Forſit & Aethiopum penitus de montibus altis
Cre-

INTERPRETATIO.

Poteſt fieri ut ad caput illius amnis copioſiores imbres cadant eo tempore, quo Venti Eteſii ab Aquilone ſpirantes nubes omnes in partes Auſtrales deferunt; Scilicet in partes Auſtrales delatæ Nubes cum convenerint, ibi tandem ad altos montes contruſæ condenſantur, & comprimuntur. Forſan etiam incrementum ſumat ab ipſis altis Æthiopum montibus longe remotis;

VARIÆ LECTIONES.

729. *ejus.* ei Q. X.
730. *quo Eteſia.* quod Eteſia H2.
735. *Forſit & Æthiopum.* Forſitan Æthiopum C. E. N. P. X. Y. Z.

NOTÆ.

Emeritam puppim; ripa quæ ſtabat in alta,
Implevit ſaxis oppoſuitque vadis.
Sic nimias avertit aquas; Quis crederet poſſet?
Auxilium domino merſa carina tulit. HAV.

726. *Ruit*] *Ruit* poſitum eſt ἐνεργητικῶς, ut apud Virgil. Georg. 1: 105.
——— *cumuloſque ruit male pinguis arenæ.*
& 1. Æneid. 39.
——— *ſpumas ſalis ære ruebant.*
& Lucret ſup. lib. 1: 293.
Quamlibet in partem trudunt res ante, ruuntque
Impetibus crebris. LAMB.

728. *Et proclivus*] Sic habent tres libri manuſ. & aliquot vulgati: alii, *proclivis.* LAMB. Vulgati: *proclivis*; contra vetuſtatem. GIFAN.

729. *Fit quoque, uti pluviæ*] Alia ratio, quam commemorat Plin. libr. 5. cap. 9. *Cauſas hujus incrementi varias prodidere, ſed maxime probabileis, Eteſiarum eo tempore ex adverſo flantium repercuſſum, ultro in ora acto mari: aut imbreis Æthiopiæ æſtivos, iiſdem Eteſiis nubila illo ferentibus e reliquo orbe.* LAMB.

729. *Ad caput ejus*] Etiam de capite & origine Nili valde dubitarunt veteres. exſtat apud Herodotum in Euterpe hac de re longiſſima diſputatio, & item apud Diod. Siculum lib. 1. quos cum legeris, nihilo certiora de Nili fontibus cognoveris. Quin & Plinius eadem de re ſcribens lib. 5. cap. 9. nos æque fere incertos dimittit. ſic autem ille. *Nilus* (inquit) *incertis ortus fontibus, it per deſerta & ardentia: & immenſo longitudinis ſpatio ambulans, famaque tantum quæſitus, ſine bellis, quæ ceteras omneis terras invenere, originem (ut Juba rex potuit exquirere) in monte inferioris Mauritaniæ non procul Oceano habet, lacu protinus ſtagnante, quam vocant Nilidem.* ſic fere & Solinus. Tum porro poëtæ fere omnes Nili originem faciunt ignotam, ut Horat. od. 14. lib. 4: 45.
Te fontium qui celat originem
Nilus.
& Tibull. lib. 1: 8: 23.
Nile pater, quanam poſſum te dicere cauſa,
Aut quibus in terris occuluiſſe caput?
& Lucanus lib. 10: 295.
Arcanum natura caput non prodidit ulli:
Nec licuit populis parvum te Nile videre:
Amovitque ſinus, & genteis maluit ortus
Mirari, quam noſſe tuos. LAMB.

730. *Aquilonum nubila*] Hæc conjungit Fayus, Vir in errore conſtans, & qui eadem chorda ſemper egregie oberrat. CREECH.

732. *Ad mediam regionem ejecta diei*] Ad meridiem, &c. LAMB.

735. *Forſit & Æthiopum*] Dum in duobus cod. manuſcr. ſcriptum reperiſſem, *Forſit at Æthio-*

 pum,

Creſcat, ubi in campos albas deſcendere ningueis
Tabificis ſubigit radiis Sol omnia luſtrans.
Nunc age, Averna tibi quae ſint loca cumque lacuſque,
Expediam, quali natura praedita conſtent.

Prin-

INTERPRETATIO.

quando Sol, qui omnes Terræ regiones ſuis radiis perluſtrat, albas nives in campos à montibus radiis ſuis liquefacientibus cogit defluere. Nunc age docebo, quænam eſt eorum locorum & lacuum, quæ Averna dicimus, Natura.

VARIÆ LECTIONES.

736. *Creſcat.* Creſcit P. *albas deſcendere ningueis.* albas decedere ningues C. E. I. albos decedere in igneis c. O. P. Q. X. albas decedere ningues, *ſcribi jubet P. in not.* i. e. (inquit) abire nives. albas diffundere ningues H2. diſcedere ningues Y. Z.

738. Deeſt *loca*; C. *ſint.* ſunt P.

NOTÆ.

pum, Forſit & repoſui. *forſit* autem idem valet quod *forſan*, & *forſitan.* quo uſus eſt Horat. ſatyr. 6. lib. 1. & Virg. Æneid. 11. Poſtrema autem ratio eſt, quamobrem Nilus æſtate creſcat: nempe quia tum nives in Æthiopiæ montibus liqueſcant, & liquefactæ Nilum augeant. Lamb. Ita recte Lambinus, ex veteribus libris. Vulgati: *Forſitan*; etiam non male. Gifan. Id eſt, *fors ſit*, fortaſſe. Faber.

735. *De montibus Æthiopum*] Vera ratio, quod tunc ibi hiems eſt; quæ in illis regionibus tota in pluvias perpetuas abit. Vide recentiorum *Relationes.* Faber.

736. *Creſcat*] Sic liber Vaticanus, & vulgati Florentini: atque ita legendum, non, ut vulgo, *Creſcit.* eſt enim hæc ſententia: Forſitan etiam Nilus creſcere poſſit de montibus Æthiopum. Fuit autem hæc opinio Anaxagoræ, & Euripidis, quem illius diſcipulum fuiſſe ferunt: quam hoc uno argumento refellit Diodorus Siculus, quod fieri non poteſt propter immoderatos calores, ut in Æthiopia nives exiſtant. Lamb. In aliis libris, etiam veteribus: *Creſcit.* Gifan.

736. *Deſcendere ningueis*] *Ningueis, is*, antiquum, pro *nix, nivis. deſcendere* autem legendum eſſe, non *decedere*, res ipſa loquitur. Lamb. Servius *effundere* legit ad Virg. 4: 250. *Nix nivis facit; ſed ab eo, quod eſt hæc ninguis, & hæ ningues, Lucretius ——— ——— albas effundere ningues.*
Ninguit autem prima perſona caret & ſecunda; quia non eſt in noſtro arbitrio. Hæc Servius. Quæ lectio ſi vera eſt, *effundere*, ut plura talia apud Lucretium, poſitum eſt pro *effundere ſeſe* vel *effundi*; ſed vulgata lectio ſatis commoda eſt. De præcedenti autem verſu & Æthiopum montibus egit etiam G. Canterus lib. 4. cap. 8. Nov. Lectionum ſuarum. Hav.

737. *Tabificis*] Liquefacientibus, ſeu vim liquefaciendi habentibus. Tabeſcere enim valet τήκεσθαι, hoc eſt liqueſcere, ut ſupra 2: 1170.
Nec tenet, omnia paullatim tabeſcere, & ire
Ad ſcopulum, &c. Lamb.

737. *Subigit*] Cogit, ut Virgilius libro ſexto Æn. 567.
Caſtigatque, auditque dolos, ſubigitque fateri.
& Lucil. lib. 30.
Tune jugo jungas me autem, & ſuccedere aratro
Invitum, & glebas ſubigas proſcindere ferro?
Lamb.

738. *Nunc age, averna*] Nunc de avernis diſſerere incipit. dicta autem ſunt *averna*, quaſi ἄορνα, id eſt, ſine avibus, quia (ut ipſe Lucret. ſtatim dicet) ſunt avibus contraria cunctis. de Averna palude interjecta inter Miſenum & Dicæarchiam, id eſt Puteolos, lege Diod. Siculum libr. 4. Nam hoc loco Lucretius de genere ipſo avernorum, non de uno averno loquitur. Ariſt. libr. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. quandam avernam paludem deſcribit non longe ab inſulis Electridibus, fluvioque Eridano: cujus paludis aquæ ſint calidæ: odor ab ea exhalet gravis & tæter: ex ea nullum animal bibat: ſupra eam nulla avis volet: quod ſi forte volare conata ſit, continuo in eam decidat, & intereat. Idem aliam non mul-

Principio, quod Averna vocantur, nomen id ab re
Impoſitum eſt, quia ſunt Avibus contraria cunctis,
E regione ea quod loca quom advenêre volantes,
Remigii oblitae pennarum vela remittunt,

Prae-

INTERPRETATIO.

Primum, ſi nomen ſpectes, Averna, id illis imponitur ab effectu, nam omnibus Volucribus ſunt noxia. Nam cum Aves volantes ad ea loca venerint, iiſque ad perpendiculum impenderint, non amplius memores remigii Alarum remittunt vela,

VARIÆ LECTIONES.

742. *quom advenêre.* cum venere A. B. C. E. N. P. X. Y. Z.
743. *Remigii.* Remigio P. Q1. X.

NOTÆ.

multis poſt verſibus avernam paludem, Cumæ vicinam commemorat his verbis: Περὶ τὴν Κύμην, τὴν περὶ Ἰταλίαν, λίμνη ἐςὶν ἡ προσαγορευομένη ἄορνος, id eſt, *Ad Cumas, Italiæ urbem, palus eſt, quæ averna appellatur, &c.* LAMB. Beneficum Deum non agnoſcit, Iratum negat Lucretius, & ut Cœli Aëriſque Phænomena Diis Superis, ita noxia quædam & in Terris admiranda Diis Manibus eripit. Nam quædam ſunt loca, quæ v. 9. Averna dicimus, quæ Avibus ſupervolantibus, aliiſque Animalibus, quæ forte illac tranſierint, ſunt perniciosa. Talis eſt locus apud Cumas, v. 2. In ipſa Athenarum Arce v. 7. in Syria ỳ. 4. in quibus locis Atri Ditis januam patere credidit Vulgus, ibique Animas Mortuorum ad Inferos & regna ſubterranea deſcendere, v. 9. Ut vero vim naturamque Avernorum diſtinctius explicet, v. 49. Monet Terram continere multa, ut ſalubria, ita noxia Hominibus, aliiſque Animantibus ſemina, multaque congerit exempla, quibus docet multarum rerum effluvia multis rebus inſalubria eſſe & mortifera. His propoſitis, denique rem ipſam aggreditur; & primum v. 12. Nempe ex Avernis teter Halitus erumpit, quo tranſvolaturæ Aves ſubito afflatæ repente decidunt; vel v. 10. Hic Halitus erumpens ita attenuat & diſcutit Aërem, ut Aves volantes in illo ſuſtentari non poſſint, decidentes autem in Inani protinus expirant. Hæc omnia v. 102. CREECH.

740. *Principio, quod averna*] Profert hunc verſum Nonius. ſed mendoſe. LAMB. Virgilius Lucretium imitatus. Æn. 6. v. 237.

Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris;
Quam ſuper haud ullæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis, talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens ſupera ad convexa ferebat.
Inde locum Graji dixerunt nomine Avernum. CREECH.

741. *Quia ſunt Avibus contraria*] Virg. lib. 6: 237.

Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris:
Quem ſuper haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis; talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens ſupera ad convexa ferebat:
Unde locum Graji dixerunt nomine avernum. LAMB.

742. *E regione ea quod*] Ordo eſt: quod, cum è regione ad ea loca venêre, &c. legendum autem fortaſſe eſt *advenêre*: vel ſubintellige *ad*, ſi vulgata lectio *venêre* retineatur. ſic Virgilius libro primo Æneid. 369.

Devenêre locos, ubi nunc ingentia cernes
Mœnia. LAMB.

743. *Remigii oblitæ pennarum*] Sic Virgilius libro ſexto Æneid. 18.

—— tibi, Phœbe, ſacravit
Remigium alarum.

Lucianus Timone de Mercurio, qui in cælum revolarat: ὁ μὲν ἀπελήλυθεν, ὡς δοκεῖ· τεκμαίρομαι γὰρ τῇ εἰρεσίᾳ τῶν πτερῶν. id id, *ille quidem abiit, ut videtur: conjicio enim ex remigio alarum.* LAMB. Virgilius, aliique, *Remigium Alarum*: Quippe Alis tanquam Remis Aërem ſecant Volucres. Nautæ autem in portum ſuccedentes, nec remis am-

plius

Praecipiteſque cadunt molli cervice profuſae
In terram, ſi forte ita fert natura locorum:

Aut

INTERPRETATIO

mollique cervice profuſæ præcipites cadunt in Terram, ſi forte Avernus ſit Terra,

NOTÆ.

plius uſi Vela etiam remittebant; Inde Remigium Alarum, & Vela conjungit Poëta. Creech.

744. *Molli cervice profuſæ*] Volucris languidæ, & morientis Imago. Creech. Imitatus in bove languente eſt Virgilius Georg. 3: 523.

Solvuntur latera, atque oculos ſtupor urget inertes,
Ad terramque fluit devexo pondere cervix. Hav.

745. *Si forte ita fert*] Sunt enim quædam averna ſine aqua. Lamb.

746. *Si forte lacus ſubſtratus*] Si forte lacus eſt avernis ſubjectus. Lamb.

747. *Qualis apud Cumas eſt ocris vipera montis*] Ad hunc verſum, quem ſic olim ediderам,

Qualis apud Cumas lacus eſt, montemque Veſevum,

hæc annotaveram, quæ ſequuntur: Cum hic verſus in cod. Vaticano ita legatur,

Is lacus eſt Cumas ap. & Viſui per montis:

in Tett. autem, & Faërn.

Is lacus eſt Cumas aput, & Viſus per montis:

in Memmiano porro,

Is lacus eſt Cumas apud ecris vi per montes,

in vulgatis autem partim,

Is lacus eſt Cumas apud ejus ſub pede montis:

partim,

Is lacus eſt Cumas apud Etruſcos per monteis:

partim, *Etruſcos & monteis:* partim, *etriſui per montis:* perſpicuum ſit autem, Lucretium inſtituiſſe diſputationem non de uno certo averno, ſed de omnibus, & de genere ipſo avernorum: in hac ſententia ſum, à qua deduci non poſſum, neque hunc verſum, neque eum qui deinceps ſequitur, eſſe Lucretianos, ſed ab aliquo inepto inculcatos, & fortaſſe ex aliqua annotatiuncula ad oram libri adſcripta natos. Quid enim ineptius, atque adeo abſurdius, quam, poſteaquam de toto genere avernorum mentionem fecit, ut dixi, hos verſus ſubjungere,

Is lacus eſt Cumas, &c.

quibus oſtendat, ſe de uno averno locutum eſſe? vel igitur non ſunt Lucretiani, (quod verius eſſe puto.) vel principium verſus ita eſt emendandum, quemadmodum excudendum curavi:

Qualis apud Cumas lacus eſt, montemque Veſevum,

ut intelligamus Lucretium avernorum genere explicato, ſingularis averni, ejuſque noti exemplum proponere voluiſſe. Hunc avernum autem non longe abeſſe à Veſevo, ſeu Veſuvio monte, & Cumis, conſtat. Si quis tamen malet legi

——— ——— *Montemque Miſenum,*

non pugnebo. Cum hæc aliquot annis ante quam Adr. Turnebus Adverſariorum libros ediдiſſet, ſcripſiſſem, & divulgaſſem: is ex antiqua ſcriptura, quam reperiri dixi in cod. Memmiano, conjecit legendum eſſe,

Is lacus eſt Cumas apud ocris vipera montis.

Nunc igitur hanc Turnebi conjecturam paullum immutatam ſequor, ut proxime ad ſcripturæ veteris ſententiam accedentem. propter eam rationem autem, quam initio expoſui, ſic eam immuto,

Qualis apud Cumas eſt ocris, &c.

non enim loquitur de uno certo averno, ſed de genere avernorum. *ocrim* autem (ut docet Feſtus) montem confragoſum vocabant. *Viperam* porro *montis Ætnæ* dicit avernum, quaſi peſtilentem, & exitioſum, ut interpretatur Turnebus. Omnino hi duo verſus, quantumvis licet ita immutati, &, ſi ita vis, ſic emendati, mihi ſuſpecti ſunt. Jam Pompeji oppidum non longe abeſt à monte Veſuvio, & Cumis. Cum hæc ita ſcripſiſſem, & jam edidiſſem: Simeo Boſius, quem ſæpe appello, cujuſque & ingenii acumen, & judicii ſubtilitatem admiror, hoc loco diu multumque conſiderato, dixit tandem, ſibi videri ſic eſſe legendum:

Is lacus eſt Cumas apud, ex vivis per monteis
Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.

quam lectionem ſic ille explicat: Is lacus (avernis ſubſtratus ſcilicet) eſt apud Cumas, ubi auctus (id eſt, receptacula) oppleti ex vivis calidis

Aut in aquam, ſi forte lacus ſubſtratus Averno eſt.
Qualis apud Cumas locus eſt montemque Veſevum,
Op-

INTERPRETATIO.

vel in Aquam: ſi forſan Avernus ſit Lacus. Qualis Locus eſt apud Cumas & montem Veſuvium,

VARIÆ LECTIONES.

746. *ſubſtratus.* lacus ſubjectus H2. ſubiratus Q. X. Y. Z. *Averno eſt.* averni C. E. H2. N. P. Q. K. Y. Z.

747. *Qualis apud Cumas locus eſt montemque Veſevum.* Hic locus eſt Cumas apud Aethruſcos per montes, Oppleti validis ubi fumant montibus auctus *Pius ex Jano Parrhaſio.* Is lacus eſt Cumas apud, & Veſuvi per montis A. B. Is locus eſt Cumas apud, Hetruſcos & monteis C. N. Is locus eſt Cumas apud Hetruſcos, & monteis E. Is locus eſt Cumas apud, acri ſulpore montis V. His locus eſt Cumas apud ecris viper montis Y. Is locus eſt Cumas aput ecris vi per montes Z. Ut locus &c. Euboico ſub monte F. Qualis apud Cumas eſt ocris vipera montis L. Miſeni ſub pede montis *Gaſſ.* Is lacus eſt Cumas apud acri ſulpore montis K. Qualis apud Cumas lacus eſt D. Hic locus eſt Cumas apud, ejus ſub pede montis P. Is locus &c. apud, ejus ſub pede montis c. O. His (Q2. *Is.*) locus eſt Cumas apud triſni (eriſni X.) per montis Q. X. & per ſulfura noti Q1. moti Q2.

NOTÆ.

dis fontibus per monteis fumant. De qua lectione, & amici mei conjectura, judicet lector eruditus. LAMB.

747. *Is lacus eſt Cumas apud, & Veſuvi per montis*] Ita ex veteribus libris. *Is*, id eſt, ejus generis. *Montis*, id eſt, montes, ut infra, verſ. 786. *montes Heliconis.* In Vulgatis, hæc per ſciolos depravata ſunt. Forte, *prope* legendum, pro *per.* Certe *lacus* poſui pro *locus*; ut apud Feſtum: *Curtii* Lambinus hos tres verſus ὀβελίζει. GIFAN.

747. *Qualis apud Cumas locus eſt montemque Veſevum,*
Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.]
Hic vero locus eſt, qui, ſi quis alius, viros doctiſſimos miſere & anxie torſit; videamus & nos quoque, etſi longe infra illos poſiti ſumus, an aliquid afferre poſſimus, quod tolerabilius videri queat, quam quod ab iis uſque adhuc ad illorum verſuum emendationem allatum eſt. Variantiæ lectionum multæ ſunt; quas inter una eſt quæ ad verum ducere videtur, ſed nil tale præſtare poteſt. Aliæ autem, quæ prorſus alienæ poſſunt & ridiculæ haberi, illæ ipſæ ſunt tamen, quarum ope ad veritatem penetrabitur. Sic igitur ſe ſe habent:

Is locus eſt Cumas aput & viſui per montes.
Is locus eſt Cumas aput ecris vi per montis.
Is locus eſt Cumas aput ejus ſub pede montis.
Is locus eſt Cumas aput etruſcos ſub montes.
Is locus eſt Cumas aput etriſui per montis.

Lambinus ſic legendum putavit,

Qualis apud Cumas locus eſt montemque Veſevum.

Ibique hæc ſcribit. *Cum perſpicuum ſit* &c. De illius ſententia poſterius videbitur quid ſit ſentiendum: Turnebus autem legebat,

Qualis apud Cumas eſt ocris vipera montis.

Sic rationem conjecturæ ſuæ exponit in Adverſar. lib. XXII. cap. 18. [*Verſus eſt libro ſexto Lucretii inſigniter maculoſus, cum de Averno diſputat:*

Is locus eſt Cumas apud Etruſcos & montes,
Pompeji calidis ubi fumant fontibus aucti.

Quis enim in Hetruria putet eſſe Avernum, quem in Campania uno ore omnes eſſe fatentur, neque eſt quiſquam qui ignoret, niſi qui nondum ære lavantur. In libris ævi veteris reperio ſcripturam, quæ Sibylla egere videatur, eriſui per montes: *quam cum ego omnem in partem verterem, ſuccurrit ſcriptum fuiſſe videri mutatis aliquot apicibus,* & Veſui per montes; *ſed ne hoc quidem ſatis placuit, quod immutatio ad Ovidianam pene metamorpheſin referri poſſit:*

 ſe-

Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.

Eſt

INTERPRETATIO.

ubi calidi ſulphureique Fontes emittunt fumos,

VARIÆ LECTIONES.

748. *Oppleti.* Pompeji calidis L. *auctus.* aucti C. E. L. V. X. Y. Z.

NOTÆ.

ſecunda navigatione, ut in proverbio eſt, placuit tentare pelagus, & aliud quiddam probabilius periclitari, quod eodem modo ac voces veteris codicis in auribus ſonaret; puto igitur Lucretium ſcripſiſſe, ocris vipera montis. *Ocrem enim Pompejus, quæ vox Græca eſt, aſperum interpretatur, & montis epithetum perſpicue fatetur: neque explicandam eam vocem ſuſcepiſſet, ſi à nullo Latino auctore uſurpata fuiſſet. Credo autem Avernum viperam dici, ob loci peſtilentem naturam & venenatam diritatem, non minus noxiam & exitioſam, quam aſperrimi ſit montis vipera. Nam etſi viperæ ſunt omnes uno nomine lethiferæ, tamen locorum conditione virus earum importunius eſt & tetrius.*] De hoc & infra agetur. At vero Giſanius hæc habet, quæ ordine ſuo infra à nobis examinabuntur quando hoc opus pertexendum eſt ſedulo & diligenter. Utinam modo id ne irrito conatu aggreſſi fuerimus. [*Ita v. l.* is, *id eſt, ejus generis.* montis, *id eſt, montes. ut inf.* vs. 786. montes Heliconis. *vulg. hæc per ſciolos depravata ſunt f.* prope *leg. pro* per. *certe* lacus *poſui pro* locus. *ut apud Feſt.* Curtii. *Lamb. hos 3. verſus ὀβελίζω.*] Sed his omnibus addendum quoque illud eſt, quod me nuper amicus quidam meus à Salmaſio ſcriptum eſſe monuit, in Epiſtola quadam ad V. Ill. I. Fredericum Gronovium clariſſimum Academiæ Leydenſis ornamentum. [*Pro corollario & mantiſſa addam ex eodem libro verſum deſperatiſſimum, in quo Viri eruditi fruſtra diu deſudarunt, feliciter ex veſtigiis antiquæ ſcripturæ à nobis, præfiſcine dixerim, reſtitutum:*

Qualis apud Cumas eſt ocris vipera montis,
Pompeji calidis ubi fumant fontibus auctus.

Ita noſter Lambinus edidit à conjectura Turnebi, cum ipſius libri haberent, ut tuus ille quem vidiſti:

Is locus eſt Cumas aput acri ſui per montes
Oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti.

Vide ſis an divinus ſit, qui conjiciat legendum:

Is locus eſt Cumas apud, acri ſulpore montes
Oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti.

Scis in illo codice, ut & antiquiſſimis quibuſque, L pro I & contra ſæpe occurrere. Cum igitur ſcriptum eſſet acriſui pore *pro* acri ſulpore, *ex eo factum,* acris vi per montes. *Non commendabo tibi pluribus hanc conjecturam. Per ſe bonitas ejus patet. Sed nec verbum amplius addam.*] Nunc in tot tamque diſtractis ſententiis, quid arguendum quid probandum, ſingillatim videamus. Primum optime judicavit Lambinus τὸ IS eſſe corruptum, neque ulla ratione locum in eo verſu habere poſſe; uti ex iis apparet; quæ contra Giſanium dicuntur. Sed in eo graviter lapſus eſt vir doctus, quod Veſuvium montem juxta Cumas ſtatuerit, qui XIX. aut XX. plus minus millibus paſſuum ab illa urbe, quæ nunc modicum caſtellum eſt, diſtet. Dein, quod Turnebi ſententiam poſſe defendi exiſtimavit, qui legeret,

Is locus eſt Cumas apud ocris vipera montis,

id quoque ex iis eſt quæ reprehendi debeant. Nam quod ibidem *Ætnæ* montis, &c. meminit, aliud in animo habebat, cum vel pueri ac mulierculæ ſciant Ætnam in Sicilia, non in Campania eſſe; videlicet de Veſuvio cogitabat, qui ut Ætna, *ignivomus* eſſet: unde & animi ſpecies impulſæ & mixtim confuſæ. Sed eſt tamen & aliud quod in eo virgula cenſoria notari debuit; qui dicat ſcilicet, urbem *Pompeios* non longule à Cumis abeſſe: fallitur; remotior enim illa eſt quam ipſemet Veſuvius.

De Turnebi vero ſententia, non eſt quod quidquam dicendum arbitrer, ita ab omni veriſimilitudine abhorret. Quis enim unquam putet, uti ab illo ſcriptum eſt. Avernum lacum vocari poſſe *viperam montis?* Idque venire in mentem tam docto tamque eleganti homini potuiſſe, nequeo ſatis mirari. Eſt etiam præterea, in quo peccat, nec vero leviter; qui ſcilicet crediderit *τὸ ocris;* epithetum eſſe montis: id quod à nemi-

Eſt & Athenaeis in moenibus, arcis in ipſo

Ver-

INTERPRETATIO.

Athenis etiam locus eſt, in ipſo Arcis

VARIÆ LECTIONES.

749. *in mœnibus.* in montibus .c. P. Athoneis in montibus X.

NOTÆ.

mine unquam probari poſſe ſatis confido; cum videam huic voci *ocris* adjunctum epithetum fuiſſe ab eo ipſo auctore cujus teſtimonio ſe ſe tegere poſſit: quod non fieret, ſi *ocris aſperum* ſignificaret. Exempla ipſa Livii Andronici fidem dictis fecerint:

Sed quei ſont iſtei quei arſcendunt altom ocrin?

& alibi:

Celſoſque ocris.

Addit præterea Turnebus [*Feſtus Pompejus montis epithetum eſſe perſpicue fatetur*] non ſine errore id quoque: nam cum legiſſet apud Paulum (non autem Feſtum, uti mox conſtabit) *ocrem montem confragoſum dicebant antiqui*, exiſtimavit diſtinctiunculam ſtatuendam eſſe poſt τὸ *montem*, cum contra ſic ſcribendus ille locus ſit: OCREM, deinde ἐξηγητικῶς, *montem confragoſum vocabant antiqui.* Nam Feſtus quidem ipſe, quem haud dubie ob oculos non habebat cum ea ſcriberet Turnebus, rem, qua de agitur, extra omnem dubitandi locum ſtatuit: ſic enim ſcribit: OCREM *antiqui, ut Atejus Philologus in libro gloſſematorum refert, montem confragoſum vocabant.* Itaque cum *ocris* montem ſignificet, mirabilis vero Turnebi lectio videbitur: nam *ocris vipera montis*, nihil eſſe aliud poterit, quam *montis vipera montis*; indignum tanto viro. Verum quid fiat? homines ſumus. Sed in verſu ſequenti, de quo in Notis;

Pompeji calidis ubi fumant fontibus aucti;

itidem circa *Pompejos* erravit atque Lambinus: uti ex alio quodam Adverſariorum loco oſtendam alibi. Et hæc quidem adverſus viri clariſſimi ſententiam.

Nunc ad Gifanium; *Certe*, inquit ille, lacus *poſui pro* locus. Id quod verum eſt; ſed ſi rem paulo conſideraſſet diligentius, aliquantulo plus judicii eo die habere viſus eſſet quam fortaſſe pridie habuerat; verſus enim proxime ſuperior eam emendationem reſpuit, ut probat quod mox de altero illo aorno ſcribitur. neque enim *lacus* erat in arce urbis Athenienſis. Dein lacum, de quo agitur, ad Veſuvii radices ſine incili traduxit, ſine hauſtris tranſvexit, quæ res hodie haud facile fiat. Quod autem addit, legi poſſe etiam *Veſuvi prope montes*; nihil agit tamen; ea enim conjectura hominem minime extricabit.

Poſtremus omnium eſt Salmaſius. Illius emendatio eo minus placet, quod cum tot tamque diſſimiles ſcripturæ varietates ſint, unam tantum agnoſcit. Dein τὸ ἄορνον in monte Cumano ponit, quod verum non eſt; nam ἄορνον erat in lacu, aut certe in ſpelunca quæ lacu cingebatur. Quod ille cogitare debuit; ego autem ex Geographis veteribus & Virgilio ipſo probare poſſem.

His ita examinatis, ſententiam meam, certe ut habeant quod in me ſcribere poſſint, quibus id, ſi forte, cordi fuerit, aperiam. Memini me in exordiundo hoc negotio dicere, omnium illarum lectionum, quas ibi expoſui, eam eſſe maximo uſui poſſe; quæ maxime ridicula, maximeque falſa videretur: Contra autem, quæ manifeſtiora veri indicia præ ſe ferret, ex ea nil niſi falſum poſſe protrahi. Quis enim, niſi poſtea diffidere cœptet, ex illa depravatiſſima ſcriptura [*ecviſui per montes*] non continuo exclamet, commode effici poſſe [*Veſuvi per montes?*] unde poſtea effingatur, *montemque Veſevum?* quod antea tamen ſatis refellere viſi fuimus. Contra autem, illa, [*etruſcos per montes*] unde ceteræ manarunt, planiſſime falſa eſt, cum Etruſci in Campania & circa Cumas non ſint, non magis quam Armorici in Turonibus; & tamen monſtrum illud lectionis ad ſtabiliendum conjecturam vel maximo erit adjumento. Eam jam apponemus, pedetentim progrediundo. Primum totius antiquitatis teſtimonio conſtat, Cumas in Campania coloniam Euboicam eſſe; quod Livius, Strabo, Dionyſius, Paterculus, ut ne alios appellem, probabunt: Quæ una res emendationis, ſeu conjecturæ mavis, fundamentum ſubſtruet. Nam, quod uſque adhuc invitus feci,

Vertice, Palladis ad templum Tritonidos almae,
Quo nunquam pennis adpellunt corpora raucae

Cor-

INTERPRETATIO.

vertice, prope templum almæ Palladis Tritonidos, quo raucæ Cornices nunquam corpora ſua alis appellunt (nunquam advolant)

NOTÆ.

ci, ne te morer amplius, pro

Is locus eſt Cumas apud Etruſcos per montes

(quam ego lectionem corruptam quidem ipſam arbitror, ſed ceteras omnes ex ſe ſe progenuiſſe;) facile putarim eſſe legendum,

Ut *locus eſt Cumas apud* Euboico ſub monte.

Eamque ſi minus unicam putes lectionem eſſe & veram; tutam certe eſſe, & ab omnibus, objectionibus, quæ contra cunctos doctorum conatus afferri poſſunt, ſecuram aſſerere poſſe videor. Videlicet homines imperitiſſimi, quibus hunc tantum ſcriptorem debemus, cum Eubœam in Græcia eſſe inaudiſſent, & tamen de *monte Euboico*, quaſi in Italia ſitus eſſet, mentionem à Lucretio fieri viderent, ingenioſiores quam par erat fuerunt, & pro *Euboico*, ſcripſerunt *Etruſco*, (quidni enim? Etruſci In Italia ſunt, ſcilicet) cujus audaciæ, prudentiæ, ſolertiæ, facinora apud omnes fere ſcriptores pæne innumera ubique reperias. Ceterum qui à Lucretio *Mons Euboicus* dicitur, is à Virgilio, qui perpetuò Lucretii veſtigia preſſit, *Euboica rupes* dicitur; (nam verſus in VI. Æneidos notiſſimi ſunt,) ut Claudiano *Cumana rupes*; collis videlicet, cui olim impoſitae Cumæ fuerunt. Hæc erant, Lector, quæ ad hunc locum ſcribenda exiſtimavi; quæ, ſi nihil aliud, iis certe meliora & tutiora ſunt, quam quæ à Turnebo & aliis allata fuere. Nam quod Interpres exiſtimavit debere hos tres verſus ὀβελίζεσθαι; non poteſt, cum id, quod mox de aorno Attico addit Lucretius, planiſſime probet, jam antea exemplum aliquod præmiſſum fuiſſe; Id enim ni eſſet, qui tandem potuiſſet dicere, *Eſt* QUOQUE *in arce Attica*, &c.

Eſt ET *Athenæis in montibus, arcis in* &c.

Addam unum quiddam; in verſu ſequenti, ubi de fontibus, *&c.* non intelligi Stabias, ut à nonnullis ſcribi memini, ſed Baias: Stabiæ enim à Cumis remotiores etiam erant, quam *Pompeji*, de quibus antea dictum. FABER. De duobus hiſce Verſibus multa Interpretes, Omnium commenta refutavit *Faber*, & ipſe tandem legit

Ut *locus eſt Cumas apud* Euboico ſub Monte.

Nam Cumas in Campania Coloniam eſſe *Euboicam* plurimi teſtantur, Et qui à Lucretio *Mons Euboicus* dicitur, is à Virgilio, qui perpetuo Lucretii veſtigia preſſit, Euboica rupes dicitur Æneid. 6: 42. & ℣. 2. *Euboicæ Cumarum oræ.* Gaſſendus,

Qualis apud Cumas Miſeni ſub pede montis:

ut lectiones variæ conciliari poſſint tum inter ſe tum cum Virgilio, qui, Æn. 6. v. 234. mentione facta Miſeni, Averni deſcriptionem ſubjicit. CREECH. Multo ſudore Interpretes exercuit verſ. 747. nec eos modo qui Lucretium ex profeſſo emendandum atque illuſtrandum ſuſceperunt, ſed & alios; inter quos Janus Parrhaſius Syll. IV. Exercit. Tomo I. Facis Crit. Jani Gruteri p. 834. ita emaculandum putat

Hic locus eſt Cumas apud, Æthruſcos per montes.
Oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti.

Carrion vero ad Valerii Argonaut. 3: 209.

Is lacus eſt Cumas apud, & Veſuvi prope montem.

Alii forſan aliter. Teſtatur vero idem Carrion abfuiſſe verſum hunc ab exemplari Moguntia ad ſe miſſo. Imo tuto ſatis abeſſe poſſe, neque a Lucretio, ſed gloſſatore natum eſſe, tribus forſitan argumentis demonſtravero. Primum hoc eſt, quod, licet abſit, ſatis cohæreant verba:

Aut in aquam, ſi forte lacus ſubſtratus Averno eſt,
Oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti.

Ubi illud *aucti* reſpicit locos, quorum naturam id ferre dicit verſu 745. Alterum inde deſumo; quod tria diverſa locorum genera deſcribere videatur Poëta; quorum primum lacum locumque aquoſum tangit; ſecundum, terram ſolidam; tertium, terram cavatam, ſive terræ antrum. Prioris plura exempla ad manum in Italia ipſa aderant, quare nullum nominatim poſuit; ſecundi in ſola forſan arce Athenarum, in ſolo plano, ſine lacu aut antro, quod certe apud ſcriptores non commemoratur; tertii Syria adferebat; quod Strabonis adfirmat auctoritas. Hinc tertium argumentum lectio optimorum MSS. mihi apportat, quæ malam manum in contextum ir-

Cornices, non quom fumant Altaria donis:
Uſqueadeo fugitant non iras Palladis acreis

Per-

INTERPRETATIO.

ne quidem cum ſacra fiant, pinguibuſque ſacrificiis fument altaria. Non quod tam caute vitant ſævam iram Palladis propter nimiam vigilantiam conceptam,

VARIÆ LECTIONES.

752. *non quom.* non, cum A. B.

NOTÆ.

irrepſiſſe clamare videtur. Ex iis enim (& maxime Lugd. Bat. apparet hanc lectionem maxime ad antiquiora exemplaria accedere:

Is locus eſt Cumas apud, ecris (vel *ocris*, vel *acris*) *vipera montis.*

Quæ verba mihi primo ad marginem videntur adſcripta fuiſſe, quaſi ad illuſtrandum exemplo, id quod dixerat Lucretius; & forſan ita initio concepta fuerunt: *Is locus eſt apud Cumas, Nonacris, vipera mortis.* i.e. tanquam quædam peſtifera Nonacris & mortis ſeu lethalis vipera. Eaque poſtea intruſa fuerunt in qualemcunque verſum redacta; deleto *Nonacris*, quod non intelligebant. Eſt autem Nonacris Arcadiæ humor ſeu aqua peſtilens tanti veneni, ut *Stygiæ* inde nomen meruerit. Seneca Nat. Quæſt. 3. 25. *Quædam aquæ mortiferæ ſunt, nec odore notabiles, nec ſapore. Circa Nonacrin in Arcadia Styx appellata ab incolis, advenas fallit: quia non facie non odore ſuſpecta eſt: qualia ſunt magnorum artificum venena, quæ deprehendi niſi morte non poſſunt. Hæc autem, de qua paulo ante retuli, aqua, ſumma celeritate corrumpit: nec remedio locus eſt, quia protinus hauſta duratur nec aliter quam gypſum ſub humore conſtringitur & alligat viſcera.* Diſcribit & Vitruvius lib. 8. cap. 3. *Item eſt in Arcadia Nonacris nominata terræ regio, qui habet in montibus e ſaxo ſtillantes frigidiſſimos humores. Hæc autem aqua Στυγὸς ὕδωρ nominatur.* Additque deinde necatum ea fuiſſe Alexandrum; quo & Tertullianus reſpexir libro de Anima cap. 59. *Sed aut ebrioſos reddit Lynceſtarum vena vinoſa, aut lymphaticos efficit Colophones Scaturigo dæmonica, aut ut Alexandro accidit Nonacris Arcadiæ venenata.* Atque ita Gloſſator ille Lucretianus Nonacrim addere potuit, non ut ejuſdem naturæ cum Cumano lacu quoad halitum, ſed quoad mortiferum effectum, ſi ſumeretur; ſicuti etiam vipera, non afflatu ſed morſu necare ſolet. HAV.

748. *Aucti*] id eſt, prædìti, & inſtructi. LAMB.

749. *Eſt & Athenæis*] eſt etiam in mœnibus Athenienſibus, id eſt Athenis, in ipſo arcis vertice, locus, ad quem nunquam cornices advolant. LAMB.

750. *Palladis almæ*] Fœcundæ, *Fayus:* fæcunda Virgo! ut Virgilii Æn. 8: 43.

——— *Inventa ſub Ilicibus Sus*
Triginta capitum fætus enixa.

Os Hominis! CREECH.

750. *Tritonidos*] Pallas *Tritonia*, & *Tritonis*, & *Tritogenia* dicitur, quod ad amnem *Tritonem* nata ſit. Virgilius libro ſecundo: 226.

——— *Sævæque petunt Tritonidos arcem,*

Aliæ tamen horum cognominum rationes afferuntur. LAMB.

752. *Cornices, non cum fumant*] Ita interpunxi. Vulgati: *non cum*, &c. GIF.

752. *Non cum fumant Altaria*] ne tunc quidem; cum veriſimile erat eas maxime advolaturas. LAMB. Ita illum locum cornices averſantur, ut, etſi in eo ſacra fiant, ne tum quidem advolent, quantumvis carnium nidor illas invitare ad ſe ſe videatur. FABER.

753. *Uſqueado fugitant non &c.*] id eſt, non quod fugiant graveis Palladis iras, inquit Lucretius, ſed quod talis ſit illius loci natura. Fabula talis eſt: Coronis, quæ poſtea in avem cornicem verſa eſt, cum Erichthonium in ciſta incluſum, ciſtam aperientibus Pandroſo, Herſe, Aglauro, vidiſſet: rem ad Palladem detulit. Propterea è comitatu Palladis ejecta eſt. avis poſtea à Neptuno facta, ne tum quidem iras Palladis oblita, templum ejus fugere, quaſi iratæ, fingitur. Ovid. Metamorph. 2: 563.

Acta Deæ refero: pro quo mihi gratia talis
Redditur, ut dicar tutela pulſa Minervæ, &c.

Sed hanc eandem pluribus verbis perſecutus eſt Antigonus is, qui collegit hiſtorias admirabileis:

Pervigilî cauſa, Grajûm ut cecinêre poetae:
Sed natura loci hoc opus efficit ipſa ſuapte.

In

INTERPRETATIO.

ut Græci Poëtæ cecinerunt; Sed ipſa loci natura propria ſua vi (fugat) hoc efficit.

VARIÆ LECTIONES.

755. *hoc.* abeſt Y. Z. *ſuapte.* Ita Q. X. Y. Z. ſua vi *Lamb. & alii.*

NOTÆ.

quæ non pigebit me huc adſcribere: Ἀμελησαγόρας δὲ ὁ Ἀθηναῖος ὁ τὴν Ἀτθίδα συγγεγραφὼς, οὔ φησι κορώνην περιπτῆναι περὶ τὴν ἀκρόπολιν, οὐδ᾽ ἔχοι ἂν εἰπεῖν ἑωρακὼς οὐδείς. Ἀποδίδωσι δὲ τὴν αἰτίαν μυθικῶς. φησὶ γὰρ, Ἡφαίστῳ ἐκδοθείσης τῆς Ἀθηνᾶς, συγκατακλιθεῖσαν αὐτὴν ἀφανισθῆναι· τὸν δ᾽ Ἥφαιστον εἰς γῆν πεσόντα, προΐεσθαι τὸ σπέρμα· τὴν δὲ γῆν ὕστερον αὐτῷ ἀναδοῦναι Ἐριχθόνιον· ὃν τρέφειν τὴν Ἀθηνᾶν, καὶ εἰς κίστην καθεῖρξαι, καὶ παρακαταθέσθαι ταῖς Κέκροπος παισὶν, Ἀγραύλῳ, Πανδρόσῳ, Ἕρσῃ· καὶ ἐπιτάξαι μὴ ἀνοίγειν τὴν κίστην, ἕως ἂν αὐτὴ ἔλθῃ. ἀφικομένην δὲ εἰς Πελλήνην, φέρειν ὄρος, ἵνα ἔρυμα τὰ πρὸ τῆς ἀκροπόλεως ποιήσῃ. τὰς δὲ Κέκροπος θυγατέρας τὰς δύο, Ἄγραυλον, καὶ Πάνδροσον, τὴν κίστην ἀνοῖξαι, καὶ ἰδεῖν δράκοντας δύο περὶ τὸν Ἐριχθόνιον. τῇ δ᾽ Ἀθηνᾷ φερούσῃ τὸ ὄρος, ὃ νῦν καλεῖται Λυκαβηττὸς, Κορώνην φασὶν ἀπαντῆσαι, καὶ εἰπεῖν, ὅτι Ἐριχθόνιος ἐν φανερῷ. τὴν δὲ ἀκούσασαν, ῥίψαι τὸ ὄρος, ὅπου νῦν ἐστί· τῇ δὲ Κορώνῃ διὰ τὴν κακαγγελίαν εἰπεῖν, ὡς εἰς ἀκρόπολιν οὐ θέμις αὐτῇ ἔσται ἀφικέσθαι. id eſt, *Ameleſagoras autem Athenienſis, qui hiſtoriam Atticam conſcripſit, negat cornicem in arcem Athenarum advolare, neque quiſquam eſt, qui poſſit dicere ſe ullam in ea vidiſſe. Cauſam autem hujus rei reddit fabuloſe. Ait enim, Palladem Vulcano in matrimonium datam, & cum eo in communi lecto collocatam, repente ex conſpectu Vulcani abiiſſe, neque amplius cum eo viſam: Vulcanum autem in terram decidiſſe, & ſemen profudiſſe: porro autem terram poſterius Erichthonium ei protuliſſe: eumque Minervam aluiſſe, & in ciſtam concluſiſſe: ciſtam apud Cecropis filias, Agraulon, & Pandroſon, & Erſen depoſuiſſe, eaſque vetuiſſe ciſtam aperire, donec ipſa revertiſſet. Illam autem in urbem Achajæ Pellenam profectam. montem abſtuliſſe, ut anteriora arcis communiret. Interea duas Cecropis filias Agraulon & Pandroſon, ciſtam aperuiſſe, & dracones duos circum Erichthonium vidiſſe. Minervæ autem montem ferenti, qui nunc Lycabettus appellatur, Coronam obviam factam eſſe, eique nuntiaſſe, Erichthonium in promtu eſſe. Illam, hoc audito, montem eo, ubi nunc eſt, abjeciſſe: Coronæ autem dixiſſe, numquam ei fas futurum propter malum nuntium in arcem venire, eoque dicto Coronam in cornicem eſſe verſam.* Lamb.

754. *Pervigilii cauſa*] Si legamus *Pervigili cura*, id eſt ſummo ſtudio, accurate, aſſidua cura: conjungemus cum verbo *vitant*, ut ſit *vitant pervigili cura.* Sin, ut in pleriſque libris legitur, *Pervigilii cauſa*: hujus ſcripturæ rationem non erit facile explicare, niſi quis dicat, iratam Coronidi fuiſſe Minervam pervigilii cauſa, id eſt quia pervigilaverit, ut Erichthonium in ea ciſta incluſum videret. Lamb. Fabula Corones notiſſima eſt; ſed non illud pervigilium; credibile itaque ſit Lucretium alios ſecutum eſſe auctores, quam qui ad nos pervenere. Faber. Vid Ovid. Metam. lib. 2. v. 557.

Abdita fronde levi denſa ſpeculabar ab ulmo
Quid facerent, &c. Creech.

755. *Sed natura loci hoc opus*] Secutus ſum codices Pariſienſeis. nam alii habent

Sed nat. loci opus efficit.

quæ lectio ſi cui magis probetur, in voce *loci*, *i* vocalis ante vocalem non elidetur, & producetur. ſic apud Horat. epod. od. 11: 14.

Fervidiore mero arcana promorat loco.

Quamquam ex hoc verſu duos feci in ſecunda editione Horatiana. Lamb.

755. *Sua vi*] Sic legi debet, non, ut vulgo, *ſuapte*: quod natum eſt ex depravata ſcriptura *ſuabi*. Sed unde nata ſit hæc vis loci, non dicit Lucret. Quid ſi dicamus, hoc non eſſe naturæ loci adſcribendum, ſed noctuæ & cornicis inimicitiis? & cum Athenis noctuarum magna ſit multitudo, ex quo proverbium, γλαῦκ᾽ εἰς Ἀθήνας, id eſt, *noctuam Athenas* (ſubintell. *fers*) cumque noctuæ Palladi ſint ſacræ, cornices in eum locum, ubi hoſtes ſint potentiores, & ſuperiores viribus, ire non audere? Lamb.

755. *Ipſe ſuapte*] Ita omnes libri. Lambinus

ta-

In Syria quoque fertur item locus eſſe, videri,

Qua-

INTERPRETATIO.

Fertur item Locum eſſe quendam in Syria,

VARIÆ LECTIONES.

756. *item locus eſſe, videri.* Item ſpelunca videri F. locus (lacus) ſulporis eſſe V. eſſe, vigentes *Creech.* eſſe volantes H2. M.

NOTÆ.

tamen: *ſua vi.* GIF. Alii, *Ipſa ſuapte:* Et Voſſius ad Catullum p. 113. id eſt, *ſponte.* CREECH.

756. *Locus eſſe, videri, Quadrupedes quoque quo*] Sic habent omnes lib. & manuſcr. & vulgati, quos quidem viderim, præter Florentinos: in quibus ita impreſſum eſt,

Locus eſſe volantes, &c.

quarum lectionum neutra mihi admodum placet, niſi dicamus, hanc receptam, quam ſecutus ſum, ſic explicari poſſe: In Syria etiam fertur eſſe locus, & videri, quo etiam quadrupedes ſimulac, &c. ut *eſſe videri*, ſit ἀσυνδετον. vel ſic: in Syria fertur locus eſſe, i. licere, videri, &c. quamquam eſſet duriuſculum. mollior eſſet fortaſſe ſcriptura, ſi ita legeretur,

In Syria quoque fertur item locum eſſe videre.

vel ſic receptam ſcripturam interpretare: fertur locus eſſe in Syria, *videri*, id eſt ut videatur, ſeu ad videndum, ὥστε ἰδέσθαι. Omnino locus eſt perplexus & impeditus. Ego ſic putabam hunc locum emendandum.

In Syria q. f. i. locus eſſe, volucres,
Et quo quadrupedes ſimulac v. p.

Per hunc locum autem, Plutonium ſignificari puto, quod eſt in Hierapoli, non procul à Laodicea. de quo ſic Strabo lib. 13. Τὸ δὲ Πλουτώνιον ὑπ' ὀφρύϊ μικρᾷ τῆς ὑπερκειμένης ὀρεινῆς, στόμιόν ἐστι σύμμετρον, ὅσον ἄνθρωπον δέξασθαι δυνάμενον, βεβάθυνται δ' ἐπιπολὺ, &c. τῷ δ' εἴσω παριόντι ζώῳ θάνατος παραχρῆμα ἀπαντᾷ. ταῦροι γοῦν εἰσαχθέντες πίπτουσι, καὶ ἐξέλκονται νεκροί. ἡμεῖς δὲ στρουθία ἐπέμψαμεν, καὶ ἔπεσον εὐθὺς ἐκπνεύσαντα. id eſt, *Plutonium autem ſub exiguo montis imminentis ſupercilio, os eſt ea amplitudine, ut hominem capere poſſit tantum, altitudine vero immenſa*, &c. *animanti autem eo ingreſſo mors præſens parata eſt. Tauri enim introducti concidunt: & extrahuntur mortui. nos autem paſſerculos immiſimus, & ſtatim ceciderunt anima profuſa.* hactenus Strabo. Eſt etiam Panium antrum in radice montis Libani: quod gravem & mortiferum ſpiritum exhalat. LAMB.

756. *Videri*] Marullus: *volantes;* contra omnes libros. GIF. *Omnino locus eſt perplexus & impeditus*, ait Interpres: addo etiam ego, verſum illum ſecundum corruptum eſſe; in eo enim τὸ *quoque* nihil loci habere poteſt; tertium autem ſolœciſmo inquinatum eſſe ajo: nam quod ad *mutationem generis*, unde iſti figuram fecere, vulgo confugitur, id ab hoc loco abhorret: neque, quod non obſervant, ejuſmodi licentiam omnia exempla admittunt, ut aliquando demonſtrabitur. In primo autem quid eſt, *fertur eſſe videri?* Sed conjecturam meam aperire ſatius ſit, quam longum loqui. Hos tres verſus ab una eademque origine depravatos eſſe arbitror, ex gloſſemate ſcilicet τοῦ *videri*; quod cum hoc loco non pro δοκεῖν, ut fere ſemper, ſed pro *eſſe* poſitum ſit, ideo τὸ *eſſe* ad illam vocem appoſuere; quod mox in ipſummet verſum irrupit, ut ubique factum eſſe exempla probant. Hinc autem cum longior æquo verſus evaſiſſet, cetera pro ingenio librariorum torta, detorta fuere; ut mox apparebit. In ſecundum autem cum illud *quoque* (id negari haud poteſt) migraſſet, cetera item tanta labe contacta fuerunt, ut in tertio ſolœciſmus repente enatus ſit. Lego itaque,

In Syria quoque fertur item ſpelunca *videri*
*Quadrupe*dum quo ſæcla *ſimul veſtigia* prima
Intulerint graviter vis cogat concidere ipſa,
Manibus ut ſi ſint divis mactata repente.

Elegantiores homines, ſi rem diligenter ſeduloque inſpexerint, hanc noſtram, ſpero, emendationem non plane contemnendam eſſe arbitrabuntur. FABER. Forſan melius legatur

Locus eſſe, vigentes
Quadrupedes quoque &c.

Locus eſſe, ut v. 547. *Apud Cumas locus eſt*: Iſta autem vox *quoque* non otioſa eſt, nam iſte in Syria locus tam Quadrupedibus quam Avibus noxius: in tertio vero verſu *Ipſa* cum *Vis* con-

Quadrupedes quoque quo ſimul ac veſtigia primum
Intulerint, graviter vis cogat concidere ipſa,
Manibus ut ſi ſint Divis mactata repente.
Omnia quae naturali ratione geruntur,
Et quibus è cauſis fiant, apparet origo:
Janua ne his Orci potius regionibus eſſe
Credatur pôſta, hinc Animas Acheruntis in oras
Du-

INTERPRETATIO.

quo ſimul ac pedes ſuos Quadrupedes Animantes intulerint, ſubito vi loci ipſius proſtratæ concidunt, quaſi Diis manibus eſſent repente immolatæ: Quæ omnia non ſuperant naturæ vires, imo perſpicuum eſt quænam ſint effectuum iſtorum cauſæ: Ne putetur in hiſce terræ partibus præcipue poſitas eſſe Orci fauces, & credamus Deos Manes per has inferne

VARIÆ LECTIONES.

757. *Quadrupedes quoque quo ſimul ac veſtigia primum.* Quadrupedum quo ſecla ſimul veſtigia prima F.

761. *cauſis fiant.* fiant cauſis Q. X. Y. Z.

762. *Janua ne his Orci potius regionibus eſſe.* Janua ne poteis (potis Y.) orci regionibus eſſe Y. Z. neu poſtes V. ne potius orci regionibus C. E. ne portis orci c. nepotis Orci Q. X. *Sed corr.* ne potius. ne portis orci & P. ne potius his orci A. B. Janua ne potius Orci N.

763. *Credatur pôſta, hinc Animas.* Credatur: poſt hinc Animas Acherontis E. N. V. Y. Z. Credatur, poſthinc Animas Acherontis C. P. poſita hinc H2. M.

NOTÆ.

jungi poteſt. Vid. Strabonem lib. 13. de Plutonio. Creech. Multa Faber, acuta, ut ſolet, ſed & longius a MSS. remota. Sola forſan diſtinctione locus juvari poterit, ſi ita interpungas,

In Syria quoque fertur item locus eſſe, videri Quadrupedes &c.

i. e. ubi videri poſſunt quadrupedes (avibus tanto robuſtiores) e veſtigio perire, & ut (quod ſubintelligi debet) ipſa vis cogat eos gravi caſu procidere, tanquam &c. *Fertur eſſe* dixit, ut MSS. legunt inf. verſu 848.

Eſſe apud Ammonis &c. *fertur.* Hav.

757. *Quadrupedes quoque quo, &c.*] Videri poſſet gradatio quædam ſeu exaggeratio rerum hic fieri, qualis admirantium vel admirationem in aliis excitantium fere eſt. Atque ita neque ingrata neque ſuperflua foret iſta vocis *quoque* repetitio: *In Syria quoque: Quadrupedes quoque, &c.* Sed plura a Fabro non de nihilo moventur adverſus vulgatam lectionem, de quibus eruditiores judicent. Preig.

751. *Concidere ipſa*] Mutat genus, ſubintelligendum enim eſt *animalia*, aut aliquid ſimile, ſic ſup. l. 1: 353.

Quod cibus in totas uſque ab radicib. imis, &c. ad quem locum plura. & ſupra hoc eodem lib. verſu 214.

Nam cum ventus eas leviter, &c. ſubintelligendum *nubes*, cum antecedat vox *nubila.* Lamb.

759. *Manibus ut ſi ſint Divis*] Proinde ac ſi ſint Diis Manibus repente immolata. Lamb.

762. *Janua ne potius his Orci*] Ita ex veterum librorum veſtigiis ſcripſi. Vulgati: *potius Orci.* Gifan.

762. *Janua ne his Orci potius regionibus*] Id eſt, hoc dico, nempe hæc omnia naturali ratione geri, & cauſam apparere, quamobrem fiant: ne forte potius Orci janua credatur his regionibus eſſe poſita: ut vulgo creditur. Aliter Zoilus, ſed non recte. Plautus in Trinummo, 2: 4: 124.

Acheruntis oſtium in noſtro eſt agro. Lamb.

763. *Credatur poſta*] Ita Marullus: *poſita.* Vulgati: *poſt hunc*; male. Gifan. Sic reſtitui poſt

Ducere forte deos Maneis inferne reamur:
Naribus alipedes ut Cervi ſaepe putantur
Ducere de latebris ſerpentia ſaecla ferarum.
Quod procul à vera quam ſit ratione repulſum,
Percipe: namque ipſa de re nunc dicere conor.
  Principio hoc dico, quod dixi ſaepe quoque ante,
In Terra quojuſque modi rerum eſſe figuras:

Mul-

INTERPRETATIO.

attrahere Mortuorum animas in regiones Acherontis, ut celeres Cervi creduntur naribus ſuis Serpentes è latebris attrahere; Quod quam abſurdum & ab omni ratione alienum eſt, jam intellige, jam enim rem ipſam explicaturus ſum. Primum hoc dico, quod etiam ſæpe ante dixi; In Terra contineri Semina rerum omnis generis diverſimode figurata,

VARIÆ LECTIONES.

764. *inferne.* inferna P. X.
768. *namque ipſa de re nunc dicere.* nam de re nunc ipſa dicere *quidam.* de re tibi P. Q.
770. *In Terra.* Interea Q.

NOTÆ.

poſt Marullum. neque vero dubium eſt, quin ita ſit legendum. *poſta* autem, id eſt *poſita*, *ſita.* quod probavit Zoilus. nam vulgo legitur *poſthinc.* Lamb. Imo illud *poſthinc* haud ita male huic loco convenit, ac Lambinus putat. Sed ne quid diſſimulem, totum locum ex MSS. veſtigiis ita legendum atque interpungendum eſſe cenſeo:

Janua ne puteis Orci regionibus eſſe
Credatur: poſthinc Animas Acheruntis in oras
Ducere forte Deos Manes inferne reamur.

Id eſt, ne exiſtimemus in illis regionibus ſpiraculum, & quaſi veſtibulum (ut loquitur Turneb. cui hæc emendatio etiam in mentem venit Adverſ. 19: 24. & 22: 19.) puteorum Orci eſſe, atque adeo Æſtuarium quoddam; ad quod quum veneris, niſi tibi caveas vide ne (inquit Poëta) ſubito Orcus tibi pedes ducat, atque mirifico ſaltu in regna ſua pertrahat. De Plutoniis autem hiſce locis conſule Strabonem lib. 5. pag. 244. & notas ibi Caſauboni. Hav.

763. *Hinc*] Ex hac Orci janua. Lamb.

764. *Ducere*] Trahere. Lamb.

764. *Inferne*] Sic legendum, non *inferna.* *inferne* autem, id eſt *ex inferis*, ſeu *ex locis infernis.* Lamb.

765. *Naribus alipedes* &c.] Nihil magis ad ridiculum, neque unquam facetius Scomma: Plinius autem lib. 11. Cap. 53. *Elephantorum Anima Serpentes extrahit, Carvorum item urit.* Creech.

765. *Naribus alipedes*] Quemadmodum *cervi alipedes*, hoc eſt quibus pedes alarum ſunt loco, & pedum celeritate præſtantes, naribus ſerpenteis è latebris ducere exiſtimantur. Itaque cervi dicuntur à Græcis ἔλαφοι, παρὰ τὸ ἑλεῖν τοὺς ὄφεις. id eſt, *quia capiunt ſerpenteis*: vel παρὰ τὸ ἐλᾶν τοὺς ὄφεις, id eſt, *quia agitent & abigant ſerpenteis.* Quod hic cervis tribuit Lucretius, hoc idem elephantis attributum eſſe proditum eſt, teſte Plin. lib. 11: cap. 53. *Elephantorum anima ſerpenteis extrahit, cervorum item urit.* Lamb. De mapparum fure Hermogene Martialis 12: 29. agens, ejus dexteritatem cum halitu cervino angues attrahente comparat.

Tu licet obſerves dextram, teneaſque ſiniſtram:
  Inveniet mappam qua ratione trahat.
Cervinus gelidum ſorbet ſic halitus anguem,
  Caſuras alte ſic rapit Iris aquas. Hav.

769. *Quod dixi ſæpe*] Supra libr. 2: 333.
Nunc age jam deinceps cunctarum exordia rerum
Qualia ſint, &c. Lamb.

 771. *Mul-*

Multa, cibo aeque vitalia: multaque morbos
Incutere, & mortem quae poſſint accelerare:
Et magis eſſe aliis alias Animantibus aptas
Res ad vitaï rationem, oſtendimus ante,
Propter diſſimilem naturam, diſſimileiſque
Texturas inter ſeſe, primaſque figuras:
Multa meant inimica per aureis, multa per ipſas
Inſinuant nareis infeſta atque aſpera odore:
Nec ſunt multa parum tactu vitanda, nec autem
Adſpectu fugienda, ſaporeque triſtia quae ſint.
Deinde videre licet quam multae ſint Homini res

Acri-

INTERPRETATIO.

Multa quæ Homini ſunt vitalia, & ſalubria, multa noxia quæ morbos inferrent, & accelerarent mortem: & ante oſtendi alias res eſſe aliis Animalibus magis aptas ad ſuſtentandam vitam, propter diſſimilem naturam, diſſimiles inter ſe texturas & diſſimiles Principiorum figuras: Multa noxia per Aures, multa per ipſas Nares infeſta & tetra odore ingrediuntur, Multa etiam ſunt quæ Tactum lædunt, Multa quæ nocent oculis, & quæ ſunt Guſtui ingrata. Denique licet videre quam multæ res ſunt quæ fœdæ videntur Homini,

VARIÆ LECTIONES.

771. *Multa, cibo æque.* Multa cibos, quæ C. E. N. P. Q. X. cibo æque ſunt V. Y. Z Multa homini æque *Lamb. & alii.*
772. *poſſint.* poſſunt D.
776. *Texturas.* Exuvias *quidam.*
777. *aureis.* auras Y. Z.
778. *aſpera odore.* aſpera tactu A. B. C. E. N. P. Q1. X. Y. Z.
779. *nec.* neque N. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

771. *Multa homini*] Ordo eſt: multa eſſe, quæ homini ſint vitalia: & multa, quæ poſſint morbos incutere, & mortem accelerare. LAMB.

771. *Multa, cibo æque vitalia*] Gryphiana, Nardii Florentina, & Pii Bononienſes, Edd. monentibus Londinenſibus, habent: *Multa cibos quæ.* Forte ita, ut vocem *cibos* parentheſi incluſam voluerint, hoc modo:

Multa (cibos) quæ ſunt &c.

Iſ. Voſſius, ut iidem notant,

Multa cibo æque ſunt.

Sed haud dubie Vir ille Eruditiſſimus legit:

Multa, cibo æque vitalia, &c.

neglecta videlicet eliſione, quod noſtro non inuſitatum. Nam & Annotator marginalis: *cibo æque* tantum notavit, addito: *opt.* PREIG. Rectiſſime, nam *ſunt* in MSS. eſt additum ab illis, qui Lucretianæ elegantiæ minus erant gnari. HAV.

774. *Oſtendimus ante*] Lib. 4: 634.

Nunc aliis alius cur ſit cibus, ut videamus, &c.

& lib. 5: 896.

——— *Neque ſunt eadem jucunda per artus.*

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta, &c.

LAMB.

778. *Atque aſpera odore*] Sic neceſſario legendum, etiam libris omnibus invitis: non *aſpera tactu.* loquitur enim hoc verſu de iis quæ ſunt naribus infeſta: quæ quid aliud ſunt, quam odores? proximo autem de iis quæ tactum lædunt. LAMB.

778. *Atque aſpera tactu*] Ita omnes libri quos viderim. Lambinus: *odore*; quod bonum quidem eſt, ſed libros poſco. GIF.

781. *Deinde videre licet*] Hunc verſum cum eo qui deinceps ſequitur, profert Nonius in nomine *ſpurcus.* LAMB.

782. *Acri-*

Acriter infeſto ſenſu, ſpurcaeque, graveſque.
Arboribus primum certis gravis umbra tributa eſt,
Uſqueadeo, capitis faciant ut ſaepe dolores
Si quis eas ſubter jacuit proſtratus in herbis.
   Eſt etiam in magnis Heliconis montibus arbos
Floris odore hominem tetro conſueta necare.
Scilicet haec ideo Terris ex omnia ſurgunt
Multa modis multis multarum Semina rerum,
Quod permiſta gerit Tellus, diſcretaque tradit.
   Nocturnumque recens exſtinctum Lumen, ubi acri
Ni-

INTERPRETATIO.

& quæ vehementer noxiæ & pernicioſæ ſunt. Primum quibuſdam Arboribus tributa Umbra eſt adeo Homini infeſta, ut ſæpe Capitis dolores faciant, ſiquis ſubtus illas in Herbis jacuit proſtratus. Inſuper, in magnis Heliconis montibus Arbor creſcit, quæ ſæpe Floris ſui tetro odore Homines necat; nempe omnes Noxiæ hæ Arbores è Terra ſurgunt, quia Tellus multa ſemina multarum rerum multis modis permiſta continet, deinde ſeparat, ſinguliſque rebus convenientia & propria attribuit: Lucerna etiam recens exſtincta, cum tetro ſuo

VARIÆ LECTIONES.

782. *infeſto ſenſu.* infeſtæ ſenſu L. corr. *in not.*
783. *tributa eſt.* tributa E. H2. N. X. Y. Z.
786. *in.* Deeſt N. P. X. Y. Z.
788. *Terris.* tetris N. video tris Q. X. in deotris Y. Z.
791. *ubi acri.* ubi acris A. B. X. Y. Z. acreis C. E. N. P.

NOTÆ.

782. *Acriter infeſto ſenſu*] Legendum puto,
Acriter infeſto ſenſu,
tametſi Nonius legat
Acriter infeſtent ſenſum.
ſenſu autem ſi legamus, *infeſtæ* interpretabor *ſenſui*. LAMB. In Nonio: *infeſtent ſenſum*. Forte: *infeſtæ ſenſu*. GIFAN.

782. *Spurcæ*] Fœtidæ: *Nonius*. Et in ſequenti verſu *Infeſtant ſenſum*: Lambinus *Infeſtæ ſenſu*, id eſt, *Senſui*, at nihil mutandum. CREECH.

783. *Arboribus primum certis gravis*] Ut juglandibus: de quibus ſic Plin. lib. 17. cap. 12. *Jam quædam umbrarum proprietas. Juglandium gravis, & noxia, etiam capiti humano, omnibuſque juxta ſatis, &c. & juniperi.* Virgil. Gallo: 76.
Juniperi gravis umbra. LAMB.

786. *Eſt etiam in magnis*] Quæ ſit hæc arbor, & quo nomine appelletur, non legi, aut, ſiquando legi, non memini, niſi forte taxum ſignificet, quod credibile eſt. De taxo lege Plin. lib. 16. cap. 10. LAMB.

786. *Arbos in montibus Heliconis*] Taxum fortaſſe intelligit. GIFAN. Quænam illa ſit divinabunt alii. Quidam exiſtimant eſſe taxum; Sed cur nos ad Heliconem mitteret? taxus enim frequens erat in Italia. Dein verum illud de taxo non eſt, *floris odore necare* FABER.

788. *Terris ex*] Pro *ex terris*, ἀναςροφή. LAMB.

789. *Multa modis multis, &c.*] Ordo eſt: quod tellus gerit multa multarum rerum ſemina multis modis permiſta, & ea diſcreta tradit. Itaque putavi aliquando hos verſus præpoſtere locatos, & converſo ordine legendos, hoc modo,
Quod permiſta gerit, &c.
Multa modis, &c. LAMB.

791. *Nocturnumque recens*] Odor lucernæ modo exſtinctæ conſopit, atque adeo ſpiritum intercludit: denique (ut ſcribit Plin. libr. 7. cap. 7.) ple-

Nidore offendit nareis conſopit ibidem,

De-

INTERPRETATIO.

nidore nares offendit, ſubito gravem ſomnum inducit,

VARIÆ LECTIONES.

792. *conſopit.* cum ſopit V. Y. Z. Poſt hunc inſerit L. quin gravidis hinc nidor abortum immittere ſuevit L.

NOTÆ.

plerumque abortus cauſa eſt. Lamb.

791. *Nocturnumque recens extinctum lumen ubi acri*
Nidore offendit nares, conſopit ibidem,
Concidere ut privos qui morbus mittere ſuevit.

Me imprudente factum eſt, ut tertius in hac noſtra editione verſus omiſſus fuerit, cum ex eo exemplari, quo uti typographum juſſeram, ex auctoritate Lambini ſublatus fuiſſet. Lambinus enim eum minime Lucretianum eſſe exiſtimavit: Turnebus contra. Eos itaque audire non abs re fuerit; idque ubi erit factum, tum quid de hoc verſu ſentiam, quaque arte ſanandus videatur, oſtendam. Primæ in hoc operoſo dramate partes Lambini erunt; ſua enim diligentia effecit, ut dignus videatur, qui tecum primus agat. [*Hujus verſus* (inquit) *ita varia & multiplex ſcriptura eſt*, &c. Hæc ille. Nunc procedit Turnebus ex Adverſar lib. XXVI. cap. 13. [*Lego etiam*,
——— conſopit ibidem
Concidere ut fumos qui morbos mittere ſuevit
antiqua antigrapha pumos *habent*, *unde* fumos *facio. Conſopit autem concidere, eſt ita conſopit ut concidere faciat.*] Quanquam apud me ſemper, uti debet, magna Viri Clariſſimi auctoritas fuit, tamen non poſſum facere, ut ei concedam, cum aſſerit, dici belle poſſe *conſopit concidere*; Deinde, indigna tanto viro ſententia in verſu fuerit; nam *fumus qui morbos mittere ſuevit*, aut, (eſt enim ἀμφιβολία in illa lectione) *morbus qui fumos mittere ſuevit*, non ſatis expreſſe, nec διαῤῥήδην enunciatum fuerit; opus enim eſt exemplo quod familiare & obvium in hac materia ſit. Sed alius quidam in ſcenam venit, qui omnia, ſi fides homini eſt, & plana & deterſa dabit. Audire eſt operæ pretium; σίγα πᾶς:

Ecce Φέναξ, ἅρπαξ, prodit κλυτὸς Ἀεργεόμαξ,
Autolyco proles non infitianda parenti;
Οὐ γὰρ κλεπτοσύνῃ τοῖο πατρὸς ἦε χερείων,
Νύκτωρ ἠδ' ἦμαρ κλέπτων χερσίν τε ποσίν τε.
Ex ſignis hominem noſcitas; Gifanium,
Lavernæ pullum, dico: nunc itaque cave;
Sique potes, manibus pallium tribus tene.

Is, ut ſemper admirabilis fuit, ſic, in editione ſua, legendum contendit:

Dejicere ut privos qui morbus ſæpe ſuevit.

Et quaſi negotium hoc intricatiſſimum, ὦ, Ζεῦ καὶ θεοί, confragoſum & deſperatiſſimum, duobus verbulis tranſigi queat, *Ita*, inquit, *ex veteribus libris* OPTIME A NOBIS RESTITUTUS EST LOCUS; *vide* (hominis verba ſunt) *infra* verſu 3030. Bene hercle, dicebam olim, εὖ, νὴ τὸν Δία, καὶ ὑπέρευ, quod nos monitos voluit, locum hunc *optime à ſe reſtitutum* fuiſſe. Ni enim affirmaſſet ipſe, haud ita facile crederem, qui ſim duriuſculus καὶ ἄθεγκτος; ſed eſt *alius* quidam, κατ' Ἡρακλεῖτον dico, qui mihi nunc æque carus eſt atque egomet ſum mihi, à quo metuo male ut hoc Gifanii judicium reprehendatur. jure ne an ſecus, judex ſedebis, Lector. Primum, (inquit ille noſter, aut pæniſſime ego,) miror quo exemplo ſibi tantum licere poſtulet Gifanius, ut ex *concidere*, quod nihili eſt, immo *minus nihilo*, effingat illud ſuum *deicere* ſeu *dejicere*: neque enim illa Latinitas tantopere bella eſt, *morbus Titium dejecit*. Deinde cum pro *mittere*, uti in omnibus libris legitur, ſcripſit τὸ *ſæpe*, rem audaciæ palmariæ feciſſe videtur. Præterea ex certo quodam morbo, non enim ex omnibus, ſumptum à Lucretio exemplum ut fuerit neceſſe eſt; omnes enim omnino morbi, qui paulo acriores ſunt, *hominem dejicere* ſolent (Gifanii Latinitas eſt) & in lectum tranſdare; ſed omnibus morbis gravis ille ſopor, unde emergi non poteſt, comes non fit. Poſtremo undenam oſtendet, vel ſi univerſum Latium à Numa ad Ciceronem uſque otioſe perluſtrarit, (neminem enim citra Ciceronem veræ & germanæ Latinitatis agnoſco) vocem hanc *privos*, *privas*, &c. ſine aliquo nomine adjecto reperiri? quaſi ſi dicas privos homines, privas feras,

pri-

Dejicere ut pronos qui morbus ſaepe ſuëvit.

Ca-

INTERPRETATIO.

ut Morbus ille qui frequenter Homines pronos dejicit.

VARIÆ LECTIONES.

793. *Dejicere ut pronos qui morbus ſæpe ſuëvit.* Deicere ut privos A. B. Concidere ut pronos qui morbos mittere ſuevit C. E. *item*, L. *ſed deleri* eum *mavult* L. Nidore ut ſomnos qui morbus mittere ſuevit F. Concidere & fumus qui morbum mittere ſuevit V. Cum cinere & fumus qui morbum mittere ſuevit V. Concipere & fumum qui &c. V. Concidere & pumos qui morbo mittere ſuevit Y. Z. Cum cinere & fumo qui morbum mittere V. Concidere & primos qui morbos mittere ſuevit c. P. morbo M. Q1. X. Concidere ut pronos (primos O.) qui morbus mittere ſuevit N.

NOTÆ.

priva veſtigia, &c.) ubi tandem id reperiet? nam illud ipſum exemplum, quod in animo habebat, quodque ab illo deſignatum eſt, illi haud favet. ibi enim 6:1030. legitur, *privas ad* partes *ſubtiliter inſinuatus*, &c. ſed aliud probandum fuerat, quam quod probare inſtitit; nam quod in illo Indice ſuo, qui ex Lambinianis lucubrationibus crevit, tanto conatu oſtendit quid ſit *privus*, operæ potuit parcere; cum nec obſcura nec difficilis res ſit: nec ab interpretibus Horatii negligenter tractata. His itaque omiſſis ad emendationem noſtram aditum moliamur. Ea autem hoc nititur fundamento maxime, (id enim ratio monet) quod ex nulla alia re ſimilitudinem ducere potuerit poëta, niſi (quod haud probandum) ex lethargo, de quo in III. dixerat,

Interdumque gravi lethargo fertur in altum
*Æ*ternumque ſoporem, *&c.*

& inferius paulo,

Adde quod in nigras lethargi mergitur undas.

Cumque ita judicium poſtulet, uti ſuperius innuebam, majorem jam & potiorem hujus verſus partem videri poſſumus hinc conſtituiſſe; legendo ſcilicet ex veſtigiis variantis lectionis,

—— *ut ſomnos qui morbus mittere ſuevit.*

Ille autem morbus eſſe alius non poteſt, κατ' ἐξοχὴν dico, quam lethargus. Sed enim illo *concidere* quid fiet? Id videndum ſcilicet; ſique res erit prolixior paulo, ne te, quæſo, ejus tædeat. Sic igitur exiſtimo; eſſe hic debere palillogiam, qua figura & Catullus, & hic noſter & Ovidius delectantur maxime; ſed Lucretius uſu ſuam fecerat, ut exempla probabunt. In III. 12.

Omnia nos itidem depaſcimur aurea *dicta*,
Aurea, *perpetuâ ſemper digniſſima vitâ.*

In V. 298.

Suppeditare novum lumen, tremere omnibus inſtant;
Inſtant, *nec loca*, &c.

Ibid. 948.

—— *proluvie lavere* humida *ſaxa*,
Humida, *&c.*

In VI. 527.

Et quæ concreſcunt in nubibus omnia, *prorſum*
Omnia, *nix*, *venti*, *grando*, &c.

In II. 158.

Ulla foris, *atque ipſa ſuis è partibus* unum,
Unum, *in quem cœpere locum*, &c.

In II. 953.

Relliquiæ motus vitalis vincere *ſæpe*,
Vincere, *& ingentis plagæ ſedare tumultus.*

Multa alia proferri poſſunt; ſed, ut finem aliquando faciam, hos tres verſus ſic eſſe ſcribendos conjicio:

Nocturnumque recens extinctum lumen ubi acri
Nidore offendit nares, conſopit ibidem
Nidore, *ut* ſomnos *qui morbus mittere ſuevit.*

Videlicet ex *pronos* ſeu [pernos, uti patrum noſtrorum memoria vulgo ſcribebant, feci *ſomnos.* quæ vox ita plerumque exarabatur [ſumnos] cum lineola transverſa ſuper τὸ m, aut etiam, ut hodieque fit, *ſõnos.* Itaque vel minima licentia locus hic aut reſtitutus eſt, aut certe non ſine judicio tentatus. Qui ingenioſiores erunt, ii me plauſorem habebunt. FABER. In Codicibus mira varietas, Tres Hos verſus ita refingit *Faber*,

Nocturnumque recens extinctum Lumen, ubi acri

 Ni-

Caſtoreoque gravi Mulier ſopita recumbit,
Et manibus nitidum teneris opus effluit ei,

Tem-

INTERPRETATIO.

Mulier etiam Caſtoreo graveolenti ſopita recumbit, & è teneris illius manibus nitidum opus cadit, ſi olfecerit Caſtoreum,

NOTÆ.

Nidore offendit nares, conſopit ibidem
Nidore, *ut* ſomnos *qui morbus* mittere *ſuevit.*

Repetitur vox *Nidore*, ut ſæpe alias. Iſte autem Morbus qui Somnos ſuëvit mittere, Lethargus. Giſanius è Codd.

Disjicere, ut privos *qui morbus ſæpe ſuevit:*

Pro *Privos* leg. *Pronos*, & tum ea erit lectio quam *Faber* tam petulanter ſolicitare non debuit: Morbum enim, qui pronos dejicit *Morbum Comitialem* recte interpreteris. Creech. Ariſtarchus noſter verſum *Concidere* &c. inducit, & ſuum ſupponit. Scilicet hoc eſt Lucretium emendare. Legendum autem:

——— ——— *Conſopit ibidem.*
Concidere: ut pronos qui morbus mittere ſuevit.

Deſcribit enim morbum comitialem, qui pronos terræ affligit. Sed fugit Lambinum forma illa, *conſopit concidere*, pro *conſopiendo cogit concidere.* Cornelius Tacitus Hiſtor. lib 2: 10. *Terrore & propria vi Criſpus incubuerat delatorem fratris ſui pervertere.* Incubuerat pervertere, i. e. incubuerat ut perverteret. Idem ibid. 2: 63. *Contantem ſuper tanta re Flavium Sabinum, Triaria L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit e periculo principis famam clementiæ affectare.* Virgilius Culice verſu 204.

---- ---- *Et infeſſos requiem dare comparat artus.*

Item verſu 389.

Rivum propter aquæ viridi ſub fronde latentem,
Conformare locum capit impiger.

Hæc Jan. Mellerus Palmerius in Spicileg. Facis crit. Gruter. Tom. IV. p. 849. Et ſane hæc lectio proxime adhæret optimis MSS. Sed tamen ne & ipſe aſymbolus ſim, non pigebit meam quoque conjecturam aperire. Scribunt conſtanter Lugd. Bat.

Concidere & pumos qui morbo mittere ſuevit.

Neque multum alii inde abeunt. Potuit itaque vetuſtior fuiſſe ſcriptura hæc:

Cum cinere ut prunas κονιορτὸς mittere ſuevit.

vel *ſæpe ſuëvit.* Ut hic ſit ſenſus; nidor ille extincti luminis ita vitales ſpiritus ſuffocat & deprimit, ut ſolet collapſam in cineres ignem obtegere κονιορτὸς, ſive cineris tumulus cadente igne excitatus. Græcas enim voces paſſim interſerit Poëta, & ſimilitudo eſt aptiſſima. Hav.

793. *Quin gravidis nidor*] Ad hunc locum, cum eum ita olim edidiſſem,

Concidere ut pronos qui morbos mittere ſuevit,

hæc quæ ſequuntur, annotaram: Hujus verſus ita varia & multiplex ſcriptura eſt, ita abſurda, atque adeo obſcura ſententia, ut veriſimile ſit, non eſſe Lucretianum. proponam igitur lectori ſcripturæ varietatem: hoc primum: deinde quid de hoc loco ſentiam, dicam. Sic igitur habent quidam lib. manuſcr. in his Tettianus,

Concidere & fumos qui morbo mittere ſuevit:

Vaticanus ſic,

Concidere & primos qui monſtro mittere ſuevit:

Memmianus ſic,

Concidere ut pronos qui morbos mittere ſuevit:

cum quo conſentiunt quidam vulgati: Lugdunenſes & Florentini ſic,

Concidere ut pronos, qui morbus mittere ſuevit:

Pariſienſes ſic,

Concidere & primos qui morbos mittere ſuevit:

Aldini antiq. ſic,

Concidere & primos, qui morbo mittere ſuevit:

Baſilienſes ſic,

Concidere ut pronos qui morbus mittere ſuevit.

Jovian. Pontanus ſic legebat,

Concidere ut primos qui morbo mittere ſuevit.

ad oram codicis Memmiani ſic emendatum eſt;

Concidere ut ſpumas qui morbos mittere ſuevit.

quidam amicus meus ſic;

Conſopit ſpinus qui morbos mittere ſuevit.

Spinus autem lapidis genus eſt apud Teophr. Vides lector nihil eſſe certi, in quo inſiſtere queas.

Nunc,

Tempore eo ſi odorata eſt, quo menſtrua ſolvit.
Multaque praeterea languentia membra per artus

Sol-

INTERPRETATIO.

In eo tempore, quo Menſes iſtius fluunt. Præter hæc multa alia ſolvunt languentia membra per artus,

VARIÆ LECTIONES.

796. *odorata eſt.* odora eſt P. neque corrigit *in not.*

NOTÆ.

Nunc, quid ſentiam de hoc loco, exſpectas ut dicam. delendum. nam neque Lucretianum eſſe arbitror, & auſim affirmare ex aliqua annotatiuncula adſcripta natum. Sed ſi quæras, quam potiſſimum harum ſcripturarum probem: nulla mihi probatur. eſt tamen aliqua ſpecies in hac,

Concidere, ut ſpumas qui morbo mittere ſuevit.

quamquam *agere ſpumas* dicimus, non *mittere.* Hæc igitur ad hunc verſum olim annotaram his ipſis verbis. Nunc, quamvis maneam in ſententia, hunc verſum: quomodocumque legatur, non eſſe Lucretianum: ſic immutandum tamen arbitror, ut aliqua ſit in eo ſpecies Lucretio digna, & ut aliqua ex eo ſententia elici poſſit: denique ut cohæreat cum iis quæ antecedunt, & cum iis quæ ſequuntur:

Quin gravidis hic nidor abortum immittere ſuevit.

cujus verſus ſententia aptiſſima atque apertiſſima eſt. Licet & ita legere,

Quin nidor gravidis hic abortum immittere ſuevit.

Sed ſuperior lectio mihi magis placet. Quamvis autem hunc verſum ita immutatum, itaque edendum curarim, nihilominus vulgatum illum, quantumvis corruptum & ineptum, retinui, ne quis malevolus queratur, eum à me eſſe ſublatum. Retentum tamen veru confodi juſſi. LAMB.

793. *Dejicere ut privos &c.*] Ita ex veteribus libris optime à nobis reſtitutus hic eſt locus. In multis Veteribus:

Concidere ut primos qui morbus mittere ſuevit.

Quidam: *pronos*; ut Marullus, & Vulgati. Quidam: *morbo.* Quidam; &c. Vide infra, verſ. 1030. GIFAN.

794. *Caſtereoque gravi*] *Grave* appellat *caſtoreum* propter odorem gravem. nam gravidæ mulieres caſtorei odore partum abjiciunt. Virgil. 1. Georg. 56. *viroſa caſtorea* dicit ab eo quod eſt virus. dictum autem *caſtoreum* à *caſtore*, qui Latino nomine *fiber* appellatur. quem vulgo aiunt ſcientem, quamobrem expetatur, abſciſſis ſibi teſticulis, effugere è manibus inſectantium. quam opinionem ſecutus etiam Cicero pro Æmilio Scauro, *Redimunt ſe*, inquit, *ea parte corporis, propter quam maxime expetuntur.* Sed negat hoc Sextius medicinæ diligentiſſimus, (ut tradit Plinius libr. 32. cap. 3.) quia parvi ſint teſticuli, & ſubſtricti, & ſpinæ adhærentes, nec adimi ſine vita animalis poſſint. LAMB. Eodem modo *grave caſtoreum* dixit Varro Quinquatribus: *Quid medico mihi eſt opus, nempe tuo abſynthium ut bibam, gravem & caſtoreum, levemque robur.* In quo tamen exemplo nugator Nonius, *gravem*, ad abſynthium refert, & id dici maſculino genere putat. PALMER. *in Spicil. Fac. Crit. Tom.* IV. *p.* 849.

795. *Et manibus nitidum &c.*] Opus muliebre, ut tela, & ſimilia ad lanificium pertinentia. *nitidum* autem puto intelligendum, quod Homerus dicit ἑανόν, aut φαεινόν. LAMB. Tela, & reliqua ad linificium pertinentia. CREECH.

795. *Effluit eji,*] Excidit ei de manibus. LAMB. Et hic & alibi *eli* legi poſſe putat Achilles Statius ad Catulli Epigr. 83. ſed ut *reji*, ita & *eji* Lucretius & Plautus produxerunt, poſterioris exempla profert Voſſ. de Arte Gramm. 1: 22. p. 88. prioris exſtant 2: 1134. 3: 857. 5: 285. 753. & alibi. HAV.

796. *Si odorata eſt*] *Si o* duæ ſyllabæ breves: quæ cum longa antecedente dactylum efficiunt. LAMB.

796. *Quo menſtrua ſolvit*] Vel ex hoc loco refelluntur ii qui in ſuperiore verſu legi volunt, *Caſtoreoque gravis*, & per *gravem* gravidam ſignificari volunt. Nam mulieres gravidæ menſtrua non ſolvunt. Eſt autem hîc *menſtrua ſolvere* aliud, quam apud Salluſtium, *Conventum vitantes ad menſtrua ſolvenda montem aſcendunt.* LAMB.

797. *Multaque præterea*] Id eſt, & multæ res præterea ſolvunt membra, &c. LAMB.

Solvunt, atque Animam labefactant ſedibus intus.
Denique, ſi in calidis etiam cunctere lavabris,
Plenior & ſolio in fueris ferventis aquaï:
Quam facile in medio fit uti des ſaepe ruinas?

Car-

INTERPRETATIO.

& Animam in ipſa ſua ſede labefactant. (*Deliquium inducunt*) *Denique ſi in ferventibus Balneis diu moreris, & cibo diſtentus in Vaſe Aquæ calidæ cuncteris, quam facile ſit, ut in medio iſto vaſe corruas, & Animi deliquium patiaris?*

VARIÆ LECTIONES.

798. *atque.* utque P. *ſedibus intus.* ſedibus ipſis D. *Gaſſ.*

799. *ſi in calidis.* ſi calidis N. Y. Z. *etiam cunctere lavabris.* Ita Y. Z. etiam cum te relavaris c. O. P. Q. lavari C. E. N. condere lavaris Q2. niſi relavaris Q3. cunctæ lavaris X.

800. *Plenior & ſolio in fueris ferventis aquaï:* & fueris ſolio ferventis C. E. Plenior efflueris ſolio ferventis c. O. P. Q. X. Y. Z. *Forſitan rectius.* Plenior aflueris dolio ferventis H2. & fueris ſolio in ferventis A. D. I. & f. ſolio ferv. N. & ſuperis ſolio in B.

NOTÆ.

799. *Denique, ſi in calidis &c.*] Cum in libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſem partim *cuncta relavaris*, partim *contere lavaris*: in Venetis præterea & Pariſienſibus *cum te relevaris*: ego, Mureto approbatore, atque adeo auctore, jam antea cum Romæ eſſem, *cunctere lavacris*, & in meis adverſariis repoſueram, & in meo Lucretio emendaram. quam emendationem multo magis amplexus ſum, cum in codice Bertiniano ita hunc verſum reperi emendatum. docti quidam tamen ex hac antiqua ſcriptura conjiciunt legendum *lavabris. lavabrum* autem dicunt eſſe nomen integrum à *lavando*: à quo ſit diminutum *labrum*, vas in balneo, ubi lavabant. Hanc emendationem probavit Zoilus. LAMB.

799. *Lavacris*] Ita legendum etiam ex Noſtris. GIFAN.

800. *Plenior & ſolio in*] *Solium*, vas, in quo lavabant ſedentes: atque idem fortaſſe quod *labrum.* LAMB. De Deliquio quod Cibo diſtenti in balneo patiuntur, Juvenalis ſæpe, Horatius, Alii: *Solium* autem Vas in quo lavabant ſedentes CREECH.

801. *In medio*] Solio. LAMB.

803. *Præcepimus*] Ante hauſimus, & bibimus. LAMB.

803. *Ante*] Ante quam odor carbonum in cerebrum inſinuari poſſit. LAMB.

804. *Aut niſi membra prius pertexit frigida ſervus*] Ita ex veteribus libris ſcripſimus; rectiſſime, ſententia perſpicua. GIFAN.

804. *At cum membra hominis*] Vide obſecro te, lector, quot & quantas hujus loci corrumpendi anſas præbuerit unius litteræ immutatio. Nam cum pro *febris* imperiti illi librarii ſcripſiſſent *fevris*, *v* pro *b*, deinde ex *fevris* factum eſſet *fervis*: hinc natæ ſunt tot & tam variæ ſcripturæ. alii enim ſic corruperunt,

At cum membra minus pertexit feruida ſervus:

& ita habent codices Pariſienſes, & Veneti antiquiores: alii,

At cum membra domans percepit fervida fervis:

& ita Florent. alii,

At cum membra domus percepit fervidus ignis.

quid multa? longum eſt ceteras ſcripturas referre. Sententia autem ejus quam reſtitui ſcripturæ, hæc eſt. At, cum homo febri affectus & correptus eſt, tum odor vini eſt illi tanquam plaga, ſeu ictus validiſſimus. Confer cum hoc loco, verſus aliquot libr. 4: 668. ab illo:

Quippe ubi cui febris bili ſuperante coorta eſt, &c.

Triumpho primum, hanc emendationem non eſſe à Zoilo probatam: deinde in ejus locum hanc eſſe ab eo ſubſtitutam,

Aut niſi membra prius pertexit fervida ſervus.

Nam vel ex hoc uno cognoſcere licet, quam ſit bar-

Carbonumque gravis vis, atque odor inſinuatur
Quam facile in cerebrum, niſi aquam praecepimus ante?
At quom membra hominis percepit fervida febris,

Tum

INTERPRETATIO.

Quam facile etiam gravis vis & odor Carbonum in cerebrum inſinuatur, niſi Aquæ potionem ante hauſimus. At cum fervida febris Corpus Hominis occupavit,

VARIÆ LECTIONES.

804. *At cum membra hominis percepit fervida febris.* Aut niſi membra prius pertexit frigida ſervus A. B. Aut niſi membra domus percepit fervida muſtum K. At cum membra minus pertexit frigida ſervus C. O. P. membra domus percepit fervidus ignis c. P. domans percepit fervida ſervis H2. dominus pertexit fervida ſervis E. N. Q. X. domnus (vel dominis), percepit fer. fervis Y. Z. domans percepit V.

NOTÆ.

bardus & bllteus, & plane ſuillo ex genere; ut cui cœnum melius oleat quam unguentum. LAMB. Giſanius;

Aut niſi membra prius pertexit frigida Servus,
Aut ſit odós Vini plagæ manabilis mora?

Quaſi hæc omnia eſſent remedia contra vim gravem & odorem Carbonum: Quam lectionem iſte ferat, qui amat tales verſus. CREECH. Hæc quum prodigioſa ſenſu, prodigioſa metro, præterea audaciſſima mutatione ita edidiſſet Giſanius, valde tamen defunctorie: ita (notat) ex v. l. ſcripſi rectiſſime, ſententia perſpicua. Sane, ſed & palam inepta: carbonum illam vim cerebro infeſtam non eſſe, ſi ſervus veſtimenta injecerit, aut vinum ſit odoratus. In Care, mallem, quam in ſeſe fuiſſet hoc expertus vir excellens. Lambinus:

At quum membra hominis percepit fervida febris
Tum ſit odos vini, plagæ mactabilis inſtar.

A verſus utique vitio ſibi cavit & minus licenter à veteri ſcriptura receſſit. Senſus tamen quam bonus? febri correptis odorem vini pro plaga eſſe? Quis hoc dixit? quid deinde ad rem facit? Sane Voſſianus codex: *At cum membra domus percepit fervida fervis Tum fit o. v. p. mactabilis inſtar.* Sic igitur ſcribe:

At cum membra domus percepit fervida muſtum,
Tum fit odos vini plagæ mactabilis inſtar.

Agit de halitibus & odoribus cerebrum afficientibus: & inter eos refert ferventis in apotheca plena muſti vim: quam notum eſt ab homine ſuſtineri non poſſe, ſed velut apoplexia ictos concidere & pro mortuis exportari, qui neſcii intraverint, aut diutius ibi manſerint. Τὸ FER errore librarii repetitum eſt in πρωτοτύπῳ codice. Ex *MUSTUM TUM FIT* reſtitit *USTUM FIT*, litera *M*, evaneſcente & τῷ *TUM* abſorpta ab ea particula, quæ ſequentem verſum orditur. *Membra domus* ex ſuis nonnullis MSS. & Florentino notat & Lambinus, ex Pariſ. & Ven. *membra domans.* Significat non illam tantum apothecam aut cellam, in qua fervit aut ſitum eſt plenis vaſis fervens muſtum, impleri & occupari graviſſimo ſpiritu, ſed & vicinas ædium partes, in quas penetrare poteſt. Et eſt veteris elegantiæ. Cicero ad Quintum fratrem: *nec habere poterat adjuncta cubicula & ejuſmodi membra.* Plinius lib. II. epiſt. XVII. *dormitorium membrum.* Et quos adduxit G. Fornerius I. Select. XXIII. Quod ſi meminiſſet deriſor ille nuper valde direptus & peſſimæ cauſæ patronus, non faſſus eſſet geſtire ſe ſcire, quid eſſet *per aulæ membra duci. Percipere*, ut lib. V. 603.

Eſt etiam quoque, uti non magno ſolis ab igni
Aëra percipiat calidis fervoribus ardor.

Muſtum percipit membra domus fervida, hypallage, muſtum ipſum fervidum percipit membra domus: aut *fervida*, jam fervore illius infeſta & gravia. GRON. *Obſ.* III: V. Recte mihi ſenſum loci tetigiſſe maximus Gronovius videtur, ſed illud *muſtum* non ſatis placet, ad veterem ſcripturam magis accedet, ſi legas

At quum membra domus percepit fervida, ferme,
Tum fit odos vini plagæ mactabilis inſtar.

quorum verborum fere idem ſenſus eſt cum Gronoviano. *Ferme* vero ita Poëta ſæpius uſurpat

Tum fit odor Vini plagae mactabilis inſtar.
Nonne vides etiam terra quoque Sulfur in ipſa
Gignier? & tetro concreſcere odore Bitumen?
Denique ubi Argenti venas, Aurique ſequuntur,
Terraï penitus ſcrutantes abdita ferro:

Qua-

INTERPRETATIO.

tum Odor vini non minus quam gravis ictus proſternit. Nonne etiam vides Sulphur in ipſa Terra naſci, & graveolentis Bituminis concretiones fieri? Denique cum Venas Auri & Argenti ſequuntur, intima Terræ viſcera Ferro ſcrutantes,

VARIÆ LECTIONES.

805. *Tum fit odor Vini plagæ mactabilis inſtar.* Aut fit odos Vini, plagæ manabilis mora A. B. viri (*vel* vini) plagæ manabilis C. D. O. P. *in not.*

NOTÆ.

5: 243.
Hæc eadem ferme mortalia cernimus eſſe.
& 6: 11.
Omnia jam ferme mortalibus eſſe parata.
& ibid. 323.
Et celeri ferme pergunt ſic fulmina lapſu. Hav.

805. *Mactabilis inſtar*] Quæ mactare poſſit. quidam libri in his Pariſienſes, habent *manabilis.* Lamb. Ita omnino legendum neque ſatis mirari poſſum, in utraque Gifanii editione ſcriptum fuiſſe, *plagæ manabilis mora*, contra ſenſum, contra metrum, contra &c. Sed in verſu XIII. longe aliud reperies: Ibi loquitur Poëta de metallariis hominibus, qui *Terraï penitus ſcrutantes abdita ferro*, plerumque odoris tetri appulſu necantur. Quid autem iſto carmine facilius, *ſcrutantur abdita terrai*? [ſcrutantur terræ partes à ſole remotas] tamen Gifanius (hominis judicium!) ait *abdita auri* ſignificare *abditum aurum*; ſed illud *terrai* cum quo jungetur? neque enim poſthac ſtare poterit. Faber. Indicem Gifanii innuit Faber. Contextus enim in neutra editione tale quid agnoſcit.

806. *Nonne vides etiam terra*] Ad hunc locum illuſtrandum multum confert quod ait Vitruvius libro ſecundo, capite ſeptimo, his verbis: *In puteorum autem foſſionibus non eſt contemnenda ratio: ſed acuminibus ſolertiaque magna naturales rerum rationes conſiderandæ, quod habet multa variaque terra in ſe genera. Eſt enim, uti reliquæ res, ex quattuor principiis compoſita: & primum eſt ipſa terrena, habetque ex humore aquæ fonteis: item calores, unde etiam ſulphur, alumen, bitumen naſcitur: aërisque ſpiritus immaneis, qui cum graves per intervenia fiſtuloſa terræ perveniunt ad foſſionem puteorum, & ibi homines offendunt fodienteis, naturali vapore obturant in eorum naribus ſpiritus animaleis. ita qui non celerius inde effugiunt, ibi interimuntur* Lamb.

808. *Denique ubi Argenti*] Si legamus *exſpiret*, ordo verborum & ſententia hujus loci hæc eſt: denique nonne vides, qualeis odores exſpiret ſcapteſula, ubi, ſeu in qua, homines auri atque argenti venas ſequuntur, terræ parteis abditas ac retruſas ferro ſcrutantes? ſin *exſpirat*, nihil repetendum eſt ἀπὸ κοινοῦ. Lamb.

810. *Scaptenſula*] Ita omnes libri, & Feſtus. Male, Lambinus: *ſcapteſula*, Gifan.

810. *Scapteſula*] *Scapteſulam* (ſic enim ſcribi debet) Pompejus Feſtus ait *eſſe locum, unde argentum effoditur, in Macedonia, à fodiendo dictum* nam σκάπτειν Græce *fodere* dicitur: idemque hunc Lucretii verſum profert. Ut autem notior ſit hujus vocabuli origo, *ſcapteſula* dicta eſt, quaſi σκαπτὴ ὕλη, id eſt *foſſilis materia.* mutata eſt enim aſpirationis nota in *ſ*, *ſcapte hula*, *ſcapteſula*, ut in ὗς *ſus*, ὑπὲρ *ſuper*, &c. Cum hæc olim ita edidiſſem, ac vulgaſſem, Zoilus à me diſſenſit, & vero gravis auctor ita pronuntiavit; Male Lambinus. ſententia judice digna. Sed audiamus rationem. quamvis enim contenti eſſe deberemus tanti viri auctoritate, tamen ſenten-

tiam

Qualeis exſpirat Scapteſula ſubter odores?
Quidve mali fit ut exhalent Aurata metalla?
Quas Hominum reddunt facies? qualeiſque colores?
Nonne vides, audiſve perire in tempore parvo
Quam ſoleant, & quam vitaï copia deſit,

Quos

INTERPRETATIO.

quam noxios odores Scapteſula (Foſſilis materia) ſubter expiret, & quam lethalia ſint Auri effluvia? quam pallidas, lividas & exangues Hominum facies reddunt? Nonne vides & audis quam brevi tempore ſolent interire? & quam brevis ſit eorum vita qui damnantur ad metalla,

VARIÆ LECTIONES.

810. *exſpirat.* expiret A. B. C. D. E. N. P. X. *Scapteſula.* Scaptenſula A. B. c. E. P. Q. Y. Z.
811. *fit.* ſit N.
814. *copia deſit.* copia deſiat A. B. deſit C. E. N. P. Q.

NOTÆ.

tiam ſuam ratione confirmat. Ait, *Scapteſuldm eſſe nomen oppidi in Thracia.* O acutum & ingenioſum hominem! quaſi vero non ſint urbes innumerabiles à communibus aliarum rerum nominibus, quæ appellativa appellant Grammatici, nominatæ; verbi gratia, *Carthago*, aut certe ejus urbis arx, *Byrſa* dicta eſt, ut teſtatur Virgil. libro 1. Æn. 371.

Mercatique ſolum, facti de nomine, Byrſam.

At *byrſa* corium ſignificat. *Roma*, nomen eſt urbis, & vireis corporis ſignificat. *Abrotonum*, nomen eſt urbis & herbæ. Ἄγκυρα urbem & ancoram ſignificat: *Antemna*, *Potentia*, *Cingulum*, *Alba*, *Laus Pompeja*, *Parma*, *Pedum*, *Induſtria*, *Corniculum*, *Capitulum*: alia ſexcenta commemorare poſſum, quæ & propria urbium, & appellativa ſunt nomina. Hoc igitur iterum atque iterum dico, Zoilo cum pecudibus ire paſtum juſſo; *ſcapteſula* ſine *n* ſcribendum eſſe. Lamb.

810. *Subter*] *Subter* adverbium eſt, vel ſubintellige *terram.* Sed quod hîc de metallorum & fodinarum odoribus à Lucretio dicitur: ſciendum eſt, non unum eſſe omnium metallorum odorem. nam odor auri igne calefacti, gratus & ſuavis eſt: argenti minus gratus: æris & ferri, ſpurcus & tæter. Taleis igitur & ſingularum fodinarum odores eſſe credibile eſt. Lamb.

Nomen generale eſt, materia foſſilis ſcilicet; vocamus, *terre de mine*; neque hic de Thraciæ loco cogitandum, qui ſic proprie dicebatur; eſt enim, ut dixi, nomen generale τῶν μεταλλείων ſeu fodinarum metallariarum. *σκάπτειν fodere* eſt, *ὕλη materia.* Faber.

812. *Quas hominum reddent*] Quam pallidas, & virideis, & exſangueis? ut videantur mortui ambulare. Lamb.

814. *Vitaï copia deſiat*] Ita conjectura ductus ſcripſi. In libris: *deſit.* In quibuſdam: *deſit.* Gifan.

814. *Deſit, quos, &c.*] Deſit iis quos *vis magna*, i. neceſſitas (durum telum) & ſervitus (erant enim olim ſervi pœnæ, damnati ad opus metalli) cohibet & continet in tali opere. poſt vocem *magna* interpunctionis nota ſcribenda eſt, nam quod vulgo ita legitur,

Cohibet vis magna vacare,

peccatum eſt ab iis, qui non videntes, hanc partem ultimam verſus *neceſſe eſt*, referri & pertinere ad ea quæ ſequuntur, nimium arroganter & confidenter, deleta vera ſcriptura, ſubſtituerunt verbum *vacare.* ſic enim legitur in omnibus libris vulgatis præter Venetos antiq. & Pariſienſeis,

Cohibet vis magna vacare,

plane inepte. Lamb.

815. *Vis*

Quos opere in tali cohibet vis magna? neceſſe eſt
Hos igitur tellus omneis exaeſtuet aeſtus;
Exſpiretque foras in aperta, promptaque Coeli.
Sic & Averna loca Alitibus ſubmittere debent
Mortiferam vim, de terra quae ſurgit in auras,
Ut ſpatium coeli quadam de parte venenet;
Quo ſimul ac primum pennis delata ſit Ales,
Impediatur ibi caeco conrepta veneno,

Ut

INTERPRETATIO

Aurumque effodere coguntur? Neceſſe eſt igitur ut Tellus omnes iſtiuſmodi Halitus exhalet, & in patentem capacemque Aerem exſpiret. Similiter, loca Averna debent ſurſum mittere effluvia Avibus noxia è Terris in Aërem ſurgentia, quæ certam Aëris partem quaſi Veneno repleant; Quo ſimul ac Avis ſuis pennis delata ſit, ibi latenti veneno ſubitè afflata ſiſtitur,

VARIÆ LECTIONES.

815. *opere in.* operire O. *magna? neceſſe eſt.* magna vacare C. E. H2. N. neceſſe eſt H1. e. P.

816. *exæſtuet.* exæſtuat C. E. P.

817. *Exſpiretque.* Expiratque C. E. P. X. Y. Z. *aperta.* apertum V. apertaque Q2.

820. *venenet.* veneni P. Q. V. X. Y. *legi jubet*, Et ſpatium cæl. quadam de parte venenat P. *in not.*

NOTÆ.

815. *Vis magna? neceſſe eſt hos igitur, &c.*] Marullus: *vacare*; peſſime. Gifan.

815. *Neceſſe eſt hos igitur*] Id eſt, neceſſe igitur eſt, ut terra hos odores omneis exſpiret foras, in apertas & promtas cæli parteis. Atque hæc eſt ſola omnium avernorum cauſa. Lamb.

818. *Sic & Averna*] Multis ſimilibus collectis præpoſitis, ex quibus intelligere licet, variis è rebus odores mitti, redit ad averna: & oſtendit, avernorum rationem in aquarum, aut terrarum odoribus, quæ in in auras ſurgunt, eſſe poſitam. Lamb.

823. *Qua dirigit*] Quidam libri manuſcripti habent,

Qua derigit æſtus.

hanc lectionem his verbis à me olim indicatam, arripuit Zoilus, *ſibique more ſuo arrogavit.* Lamb.

823. *Qua derigit æſtus*] Ita ex Veteribus quibuſdam malui. In Aliis: *dirigit.* Gifan. Cum nullum in toto Latio exemplum ſit hujus ſignificationis ut τὸ *dirigere* neutrale ſit, & id, quod ex Feſto deſignavit Gifanius, huic ſignificationi non faveat, ut ex Notula I. Scaligeri conſtare poteſt, aliud eſt quod neceſſario quærendum ſit. Præterea, ſi *derigere*, uti vult Gifanius, eandem ſignificationem habet ac τὸ *deorſum tendere*, nullam cauſam dicere poteſt quin imperitiſſime fecerit, qui huic loco illam convenire poſſe exiſtimarit. Nam de Virgilio quod ait, ubi tandem, (nos certe aliquando Virgilium non indiligenter legimus; an in illo XI. 654. Æneidos?

Spicula converſa fugientia dirigit arcu?

An in X. 140.

Vulnera dirigere & calamos armare veneno!

An, ut plus uno loco (Æn. 1: 405. 5: 162.) legitur:

Huc dirige curſum?

Neminem certe videre me, aut legere, memini, qui in iis locis τὸ *dirigere* acciperet pro *deorſum tendere.* Dein non mediocris oſcitantiæ eſt ita locum hunc Lucretii explicare, cum res ipſa per ſe ſe clariſſime oſtendat, agi de motu ab inferioribus ad ſuperna, non contra, ut ille plane

in

Ut cadat e regione loci, qua dirigit aeſtus:
Quo quom conruit, haec eadem vis illius aeſtus,
Relliquias vitae membris ex omnibus aufert.
Quippe etenim primo quaſi quendam conciet aeſtum:
Poſterius fit, uti quom jam cecidêre veneni
In fonteis ipſos, ibi ſit quoque Vita vomenda,
Propterea quod magna mali ſit copia circum.
Fit quoque ut interdum vis haec, atque aeſtus Averni,
Aëra,

INTERPRETATIO.

& in eum locum, è quo noxii Halitus erumpunt directo cadit; Quo cum deciderit, eadem maligna vis iſtius Halitus vitæ reliquias aufert ex omnibus illius membris. Nam primo Halitus iſte noxius quendam quaſi æſtum excitat. Deinde quando Avis cecidit in illum ipſum locum è quo noxius ille lethiferque halitus ſurgit, ibi vita ipſa eſt evomenda, quoniam ibi copioſior eſt Halitus, & vehementius Venenum, Fieri etiam poteſt, ut hic Halitus ex Averno

VARIÆ LECTIONES.

823. *Ut cadat.* Et cadat D. *Gaſſ. qua dirigit æſtus.* qua ſe erigit æſtus F. derigit A. B.
824. *hæc eadem.* hic eadem C. E. N. Hic verſ. abeſt a Q.
827. *veneni.* venena C. P.
829. *ſit.* fit P

NOTÆ.

ridicule exiſtimavit: Sed mihi credi nolim, Lucretius ipſe paucis ante verſibus verſ. 819. idem quod dico, dixerat:

Sic & averna loca alitibus ſummittere *debent*
Mortiferam vim, de terra quæ ſurgit in auras.

Vides *ſummittere*, quod *in altum tollere* eſt: tum illa mortifera vis *ſurgit in auras*: mirum itaque, ſi, ut voluit Gifanius, *deorſum tenderet*, quæ ſurgat ſcilicet. Quamobrem cum in MS. Cod. legatur *dirigit*, quæ lectio corrupta eſt, cum venia, opinor, ſcribam *ſe erigit*, vel, ut etiam vulgo olim ſcribebant, *s' erigit æſtus.* FABER. Dirigit, *deorſum tendit*, Gifanius, at recte *Faber*, Æſtus non dicitur *deorſum tendere*, ſed *de Terra ſurgere in Auras:* v. 819. Ipſe autem legit, *Se erigit:* Agitur enim de motu ab inferioribus ad ſuperna: Vereor ne hoc ſit nimis inconſiderate dictum; Nam v. 822. *Avis cæco correpta veneno cadit:* leg. igitur *Qua dirigit æſtus*: & tam plana & perſpicua ſunt iſta verba, ut pluribus illuſtrari nequeant. CREECH.

826. *Conciet æſtum*] Strabo lib. 3. de Plutonio, ἐωρῶμεν ἢ ἐκ τῆς ὄψεως ὡς ἂν πνιγώδεις τινὲς πάθους ἔμφασιν. Qualis autem ſit iſte Æſtus conjicias è v. 1017. lib. 4.

Vix ad ſe redeunt permoti Corporis æſtu. CREECH.

827. *Veneni in fonteis*] Sic legendum eſt. *cecidere* autem aves ſcilicet. nam mutat numerum, cum antecedat vox *ales* numeri ſingul. Sic contra apud Homer. Ιλ. ϱ. 76. cum numerus multitudinis præpoſitus eſſet, ſubjunctus eſt ſingularis:

——— οἱ δ' ἀλεγεινοὶ
Ἀνδράσι γε θνητοῖσι δαμήμεναι, ἠδ' ὀχέεσθαι
Ἄλλῳ, ἢ Ἀχιλῆϊ, &c. LAMB.

828. *Vita vomenda*] Vita amittenda, anima efflanda, tralatio eſt. LAMB.

830. *Fit quoque, ut interdum*] Poteſt etiam fieri (inquit Lucretius) ut ſpiritus ex avernis efflatus, aëra inter aveis, & terram interpoſitum dimoveat, ac diſcutiat, & ita totum illud ſpatium inane relinquatur. quo facto aves in eo inani ſpatio volare conantes, non habentes jam ubi nitantur, delabuntur in terram, aut in aquam: eodemque tempore, quia aërem, quem ducant, non habent; exſtinguantur atque intereant. Sed quod efficit terræ æſtus, & ingens hali-

Aëra, qui inter aveis cumque eſt terramque locatus,
Diſcutiat, prope uti locus hinc linquatur inanis:
Quojus ubi e regione loci venêre volantes,
Claudicat extemplo pennarum niſus inanis:
Et conamen utrimque alarum proditur omne.
Hîc ubi nixari nequeunt, inſiſtereque alis,

Sci-

INTERPRETATIO.

erumpens totum Aërem qui eſt inter Aves & Terram ita attenuet, & diſcutiat, ut ſpatium fere Vacuum relinquatur; ſuper quem locum cum ad perpendiculum Aves volantes venerint, ſubito vis pennarum deficit (alas fruſtra movent) & omne conamen Alarum ex utraque parte Corporis nihil efficit: Cum igitur ſe ſuis pennis ſuſtentare nequeant,

VARIÆ LECTIONES.

834. *pennarum.* pinnarum P. X.
835. *proditur omne.* perditur omne c. O. P.
836. *nixari.* Ita A. B. D. E. I. N. P. Y. Z. vexari nequeunt C. Nictari *Alii*, rixari Q. X.

NOTÆ.

litus, idem poteſt efficere etiam multorum hominum vox magnis lateribus profuſa. quod teſtatur Plutarchus in T. Flaminio: ubi narrat, Macedonibus à Flaminio devictis, cum præco Corinthios, Locros, Phocenſeis, Eubœos, Theſſalos, ceteros, liberos & à vectigalibus penſitandis immuneis in ſtadio declaraſſet, tantum clamorem Græcorum, imperatori Rom. gratias agentium, atque inter ſe gratulantium, fuiſſe, ut corvi interea è regione ſtadii volantes in medium theatrum exanimes deciderint. cujus rei cauſam confert Plutarchus vel in aërem diſciſſum: quia, cum multus clamor & magnus profunditur, diſſipatus ac diſtractus aër volantibus avibus, ubi nitantur atque inſiſtant, præbere non poteſt. ita fit, ut decidant: vel in ictum ac plagam à clamore incuſſam: qua quaſi tranſverberatæ exanimantur: vel in aëris circumactionem & quaſi verticem, qualis in aquis & mari exſiſtere ſolet, ſalo quodam vim & impetum deintegro aſſumente, & amplificato. LAMB.

834. *Pennarum niſus inanis*] Nuſquam niti poſſunt, aëre diſcuſſo. inane enim nulli rei ſubſiſtit. al. *pinnarum.* vel, fruſtra nitantur pennis. LAMB.

835. *Conamen*] Conatus. LAMB.

835. *Utrimque*] A dextra & læva. LAMB.

835. *Proditur*] Sic repoſui, quattuor codices manuſcriptos ſecutus: in his Vaticanum & Memmianum. ſic ſupra uſurpavit: verſ. 562.

Inclinata minent in eandem prodita partem:

& paullo poſt, verſ. 635.

—— *rerumque ſequatur prodita ſumma.* LAMB.

Ita (*proditur*) veteres libri. Vulgati: *perditur.* GIFAN.

836. *Hic ubi nictari nequeunt*] Pompeji Feſti teſtimonium atque auctoritatem ſecutus, ſic excudendum curavi: qui in verbo *nictari* profert hunc verſum, docetque *nictare* eſſe oculorum & aliorum membrorum niſu ſæpe aliquid conari, ut jam ante ex eo retulimus ſup. Non celabo lectorem tamen, in omnibus libris manuſcriptis & vulgatis, quos quidem viderim, legi *nixari.* quam ſcripturam ſi quis magis probabit, non valde repugnabo. quin, niſi me moviſſet Feſti auctoritas, *nixari* retinuiſſem. Eſt enim verbum à *nitendo* deductum: quod huic loco magnopere convenit. nam & ſupra tertio abhinc verſu *niſum pennarum* dixit: & Virgilius libro quarto Æneid. 252. ſic locutus eſt,

Hic

Scilicet in terram delabi pondere cogit
Natura; & vacuum prope jam per inane jacentes
Diſpergunt Animas per caulas corporis omneis.
Frigidior porro in puteis Æſtate fit Humor,
Rareſcit quia Terra calore, & ſemina ſiqua
Forte vaporis habet, propere dimittit in auras.

Quo

INTERPRETATIO.

Natura facit, ut proprio ſuo pondere in Terram ferantur, & dum in ſpatio inani jacent, evolat tota Anima per omnes meatus poroſque Corporis diſperſa. Porro, in Æſtate Aqua in Puteis eſt frigidior, quoniam Terra rarefacta eſt Calore, & ſiqua continet Caloris ſemina, ſubito illa in Aërem emittit;

VARIÆ LECTIONES.

837. *in terram.* in terris a. B. P. Q.
838. *Natura.* Naturam P.
841. *Rareſcit.* Areſcit A. C. E. N. P. Q1. V. X. Z.

NOTÆ.

Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Conſtitit.

LAMB. Sic (*Nixari nequeunt*) omnes libri. Feſtus tamen: *nictari*. Vide Indicem; & ſupra, lib. IV. verſ. 509. GIFAN. *Nictari* legerat Feſtus; ſed haud dubie legendum *nixari*, ut alibi paſſim, quod & optime vidit Interpres. FABER.

837. *In terris delabi*] Sic lego ex veteribus libris. Marullus, & Vulgati: *in terram*. GIFAN.

838. *Jacentes*] Quomodo *jacentes* dici poſſunt, ſi feruntur per inane? jacent, quia nictare ſeu nixari membris nequeunt: & quia pennas explicare atque agitare non poſſunt: vel potius, quia, tanquam corpora inanima, deorſum feruntur, neque vel in hanc, vel in illam partem moveri alarum adjumento poſſunt, &, ubi terram nactæ fuerint, jacebunt immobiles. LAMB.

839. *Diſpergunt Animas &c.*] Diſſipant animas per omneis corporis meatus. LAMB.

839. *Per caulas corporis*] Sic libro tertio: 702.
Diſpertitur enim per caulas corporis omnis. LAMB.

840. *Frigidior porro, &c.*] Lucretiana hæc quidem ratio, quamobrem puteorum aquæ æſtate ſint frigidiores, hieme calidiores, valde probabilis & naturalis eſt. Sed Ariſtot. diceret id fieri διὰ τὴν ἀντιπερίστασιν. Alii, quia aër hieme frigidus eſt, æſtate calidus: cum quo aqua comparata, hieme quidem calida, æſtate vero frigida videtur. quemadmodum cum calidiores æquo ſumus, calida tactu, nobis videntur frigida, & contra: itemque in balneo mejentibus urina frigida videtur. M. Tull. eandem fere, atque Lucretius, rationem affert, ut jam dicam. LAMB. Multa videntur adeo humanis uſibus accommodata, ut benignam quandam Providentiam demonſtrent: Ita tempore Æſtivo Aqua in Puteis frigida eſt, unde iſtius tempeſtatis Calor temperetur; Hyberno autem Calida, qua refici pariter & recreari poſſimus: Iſtam vero difficultatem v. 8. amolitur *Lucretius*, nam in Æſtate Terræ ſuperficie à Solis rarefacta Semina Ignis quæ in Terra continentur in Aërem erumpunt, Hyberno autem frigore conſtricta, in Puteos exprimuntur, atque inde Tepor Aquæ. CREECH.

841. *Rareſcit quia*] Ita legendum ex veteribus, & infra: *Et rarefecit*, &c. GIFAN. Sic eſſe legendum, non *areſcit*, declarat verſus ille infra: 870.
Et rarefecit calido miſcente vapore.
hanc quoque emendationem ſibi adſcripſit Zoilus. LAMB. Ita & inf. verſ. 861.
——— ——— *Nimirum terra magis quod*
Rara tenet &c. HAV.

842. *Vaporis*] Caloris. LAMB.

 843. *Æſ-*

Quo magis eſt igitur Tellus adfecta calore.
Hoc fit frigidior, qui in terra eſt abditus, Humor.
Frigore quom premitur porro omnis terra, coitque,
Et quaſi concreſcit: fit ſcilicet, ut coëundo

Ex-

INTERPRETATIO.

Ideoque, quo magis Terra calore afficitur, eo magis frigida eſt, quæ in puteis continetur, Aqua: Cum Terra à frigore comprimitur, cum coëunt illius meatus, cum ſolida denſaque fit illius ſuperficies, tum fit,

VARIÆ LECTIONES.

843. *affecta calore.* effecta calore X. effæta calore C. E. *Gaſſ.* N. Q. Y. Z. effæta vapore Hi. 2. P.

844 *Hoc fit frigidior*, Fit quoque frigidior C. E. N. P. Q. X. Y. Z. *forſan rectius.* Hoc quoque *quidam. qui in terra eſt.* qui terra eſt D.

846. *ſcilicet, ut coëundo.* ſcilicet in coëundo C. E. N. P. X. Y. Z. *quomodo* ut *ſubintelligitur.*

NOTÆ.

843. *Affecta calore*] Sic repoſui, ſecutus fidem trium libr. manuſcript. neque dubium eſt, quin ita legi debeat, & vulgata ſcriptura *effæta calore*, ſit rejicienda: quam ita interpretantur, *ſpoliata & orbata calore*, cum hæc ſententia pugnet cum Lucretii verbis & ſenſu, quippe qui paullo ante dixit,

Rareſcit quia terra calore.

affecta autem *calore.* id eſt à ſole calefacta. Lamb. Ita recte Lambinus, ex Veteribus; agit enim de æſtate. In Aliis: *effæta.* Ita variatum ſupra. Gifan. Viz. Solis radiis calefacta: *Lambinus*; Addit *Fayus*, Ideo aqua in puteis hyeme fit calida, quia Terra affecta calore calefacit eam ſubter: Qua explicatione nihil unquam ſtupidius. Creech.

845. *Frigore quom premitur, &c.*] Id eſt, cum autem terra frigore comprimitur & contrahitur, & quaſi concreſcit, fit ſcilicet, ut coëundo & *concreſcendo exprimat*, id eſt, per compreſſionem emittat in puteos ſemina caloris quæ in ſe continet. M. Tull. lib. 2. de nat. Deor. ex ſententia Stoicorum, eandem fere quam Lucretius, rationem affert his verbis: *Omnes igitur mundi partes (tangam autem maximas) calore fultæ ſuſtinentur: quod primum in terræ natura perſpici poteſt. Nam & lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus: & recenti foſſione terram fumare calentem: atque etiam ex puteis jugibus aquam calidam trahi, & id maxime hibernis fieri temporibus, quod magna vis, terræ cavernis, contineatur caloris, eaque hieme ſit denſior, ob eamque cauſam calorem inſitum in terris contineat arctius.* Atque hujus loci facta mentio me admonet eorum, quæ ibidem paucis poſt verbis ſequuntur, ibi: *Ipſe vero aër, qui natura eſt maxime frigidus, &c.* In eo igitur loco memini me reponere, in ea editione Ciceronis, cui præfui anno CIↃ. IↃ. LXV. *qui natura eſt maxime humidus, &c.* Quod non oportuit. nam tametſi hoc verum ſit, aërem eſſe maxime humidum, præſertim ex ſententia Ariſtotelis, tamen, cum hic tractet Cicero Stoicorum ſententiam & Stoici dicant, aërem eſſe frigidiſſimum, ut refert Diogenes Laërtius, nihil eſt in Cicerone mutandum. Fefellit me, ut dixi, quod Ariſtoteles à Zenone diſſentit ac diſcrepat. Lamb.

847. *Exprimat in puteos &c.*] Servius ad Virg. Georg. 4: 51.

Quod ſupereſt, ubi pulſam hyemem ſol aureus egit
Sub terras, cœlumque æſtiva luce recluſit.

ita ſcribit: *Secundum Phyſicos, qui dicunt, quo tempore hic hyems eſt, æſtatem eſſe ſub terris: & verſa vice, cum hic æſtas, illic hyemem. Quod etiam Lucretius exequitur, & trahit in argumentum putealem aquam, quæ æſtate frigidiſſima eſt: hyeme vero calidiſſima.* De Carino Imperatore agens Vopiſcus, in vita ejuſdem, argutum quoddam ejus dictum refert. *Quum hyemis tempore ad quendam locum veniſſet, in quo fons erat aqua pertepida, ut ſolet per hyemem naturaliter, eaque in piſcina uſus eſſet, dixiſſe balneatoribus fertur: Aquam mihi muliebrem*

Exprimat in puteos, ſi quem gerit ipſa, Calorem.
Eſſe apud Ammonis fanum fons luce diurna
Frigidus, at calidus nocturno tempore fertur:
Hunc homines fontem nimis admirantur, & acri
So-

INTERPRETATIO.

ut dum contrahitur moles, exprimat in Puteos quæcunque continet caloris Semina. Dicitur, Fontem eſſe apud Jovis Ammonis templum qui diurno tempore frigidus eſt, tempore nocturno calidus: Homines nimis admirantur hunc fontem, & putant

VARIÆ LECTIONES.

848. *Eſſe apud.* Ita D. I. *Lamb.* Y. Z. Eſt apud *Reliqui.*
849. *at.* & P. X. Y. Z.

NOTÆ.

brem præparatis. HAV.

848. *Eſſe apud Ammonis fanum*] In quibuſdam libris: *Eſt*; ut ſubintelligatur, *qui*, ibid. *luce.* GIFAN. Sic habent libri manuſcripti, Teit. & Memm. & Bertin. alii, *Eſt apud*, &c. mendoſe. *Jupiter Ammon* autem, qui cornutus pingebatur & fingebatur, ab arena dictus eſt, quam ἄμμον Græci vocant, quia locus, in quo colitur, undique deſertus, & aridus, & arenis coopertus eſt. de quo, & de hoc fonte lege Arrianum lib. 3. & Q. Curtium lib. 4. Sic autem de fonte Curtius: *Eſt etiam alind Hammonis nemus: in medio habet fontem, aquam ſolis vocant. ſub lucis ortum tepida manat: medio die, cum vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem fluit, inclinato in veſperam, caleſcit: media nocte fervida exæſtuat, quoque propius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decreſcit, donec ſub ipſum diei ortum aſſumto tempore langueſcat.* de eodem ſic Arrianus: Καὶ πηγὴ ἐξ αὐτοῦ ἀνίσχει οὐδέν τι ἐοικυῖα ταῖς πηγαῖς, ὅσαι ἄλλαι ἐκ γῆς ἀνίσχουσιν. ἐν μὲν γὰρ μεσημβρίᾳ ψυχρὸν ὕδωρ γευσαμένῳ τε καὶ ἔτι μᾶλλον ἁψαμένῳ οἷον ψυχρότατον· ἐγκλίναντος δὲ τοῦ ἡλίου ἐς ἑσπέραν, θερμότερον· καὶ ἀπὸ τῆς ἑσπέρας ἔτι θερμότερον ἐστὶ ἐπὶ μέσας τὰς νύκτας· μέσων δὲ νυκτῶν ἑαυτοῦ θερμότατον· ἀπὸ δὲ μέσων νυκτῶν ψύχεται ἐν τάξει· καὶ ἕωθεν ψυχρὸν ἤδη ἐστὶ, ψυχρότατον δὲ κατὰ μεσημβρίαν. id eſt, *Et fons ex eo oritur nulla in re ceteris fontibus qui ex terra exſiſtunt, ſimilis. nam meridie aqua frigida eſt, ſi quis eam guſtaverit, & multo magis, ſi quis attigerit, ita ut frigidior eſſe non poſſit: inclinante autem in veſperam ſole, caleſcit: à veſpera porro calidior fit in horas uſque ad mediam noctem: quo tempore calidiſſima eſt: à media nocte autem ſenſim refrigeſcit magis ac magis: & mane jam frigida eſt, meridie porro frigidiſſima.* De eodem Antigonus hiſtoriarum admirabil. συναγωγῇ, his verbis: τῶν δ' ἐν Ἄμμωνι κρηνῶν, λέγειν Ἀριστοτέλη, τὴν μὲν ἡλίου γε νομιζομένην, μέσων μὲν νυκτῶν καὶ μεσημβρίας γίγνεσθαι θερμήν. ἕωθεν δὲ καὶ δείλης καθαπερεὶ κρύσταλλον. id eſt, *Eorum fontium, qui ſunt apud Hammonem, dicere Ariſtotelem, fontem eum, qui ſolis eſſe exiſtimatur, mediis noctibus & meridie calidum fieri: matutino autem & ſerotino tempore frigidum, tanquam glaciem.* De hoc eodem ſic Plin. libr. 2. cap. 103. *Jovis Hammonis fons interdiu frigidus, noctibus fervet.* de eodem Mela lib. 1. cap. 8. LAMB. Quod ſi in omnibus puteis non ſit divina Virtus, at præſens eſt in Fonte apud Jovis Ammonis fanum, de quo Curtius lib. 4. Sect. 7. *Ammonis nemus* &c. At hoc quoque fruſtra dictum, Quamvis enim iſti errant, qui cauſam referunt ad Solem ſubter terras poſitum, & per totius Telluris craſſæ corpus calefacientem iſtas Aquas v. 11. dici tamen poteſt v. 13. Quod Terra frigore nocturno compreſſa veluti elidat, ſive exprimat, tranſmittatque in Aquam Ignis ſemina, unde & Aqua incaleſcat; Calore vero diurno laxata eadem ſemina veluti reſorbeat, unde multum ex nocturno calore decreſcit. Præterea, iſta Aqua, quæ ex Ignis Seminibus propter Aërem tempore nocturno frigidum repreſſis, efficitur calida, evadat deinceps frigida diurno tempore, radiis Solis ita Aquam pervadentibus, & rarefacientibus, ut liberum iis ſeminibus exitum in Aërem faciant: Quippe Radii Solis ita

Sole putant ſubter terras ferveſcere raptim,
Nox ubi terribili terras caligine texit:
Quod nimis a vera eſt longe ratione remotum:
Quippe ubi Sol nudum contrectans corpus aquaï,
Non quierit calidum ſupera de reddere parte,
Quom ſuperum lumen tanto fervore fruatur:
Quî queat hic, ſubter tam craſſo corpore terram,
Percoquere humorem, & calido ſociare vapori?
Praeſertim quom vix poſſit per ſepta domorum

In-

INTERPRETATIO.

eum ſubito caleſieri à vehemente Sole ſubter terras poſito, cum Horrenda caligine Nox terras texit; quæ opinio eſt nimis abſurda. Quippe cum Sol mittens ſuos radios deſuper è cœlo in nudam ſuoque calori expoſitam ſuperficiem Aquæ, illam calefacere non valeat, etſi tantus ſit ille Solis deſuper fulgentis Calor, Quomodo poteſt idem Sol ſubter terram tam craſſam poſitus Aquam percoquere, & calefacere, præcipue, cum domorum parietes penetrare,

VARIÆ LECTIONES.

851. *ferveſcere raptim.* ferveſcere partim C. E. P. X. & *Magius Miſcell.* 1: 7.
854. *Sol nudum.* ſol udum C. E. O. *contrectans.* contractans C. P. V. Y. Z.
855. *parte.* parti N.
857. *Quî queat* &c. Quique adhuc ſuper tam Q. ſupera Q1. ſupra Q2. *hic.* hunc P. *craſſo corpore.* craſſi corporis C. E. N. *terram.* terra, *legendum cenſet* P. *in not.* X.
858. *ſociare.* ſol dare Q. X. *vapori.* vapore C. D. E. N. vaporem P. X. calido ſatiare vapore? *legendum pronunciat* P. *in not.*

NOTÆ.

ta Glaciem diſſolvunt, ut dimittantur leves ſtipulæ, & ejuſmodi alia quæ conſtricta tenebantur. v. 5. Creech.

851. *Raptim*] Celeriter, ut ſæpe alias. Lamb.

852. *Terribili*] Noctis caliginem *terribilem* dixit, quia tenebræ terrorem incutiunt. vide ſupra, quæ annotata ſunt ad illum locum 2: 54.

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris, &c. Lamb.

854. *Quippe ubi ſol nudum*] Quidam Vulgati: *udum*; male. Gifan. Argumentum eſt à majori. ſi ſol non potuit nudum & apertum aquæ corpus ſuis radiis ſuperne calefacere: quanto minus queat, terra oppoſita, inferne calidum reddere? *nudum* autem legi debet, non, ut in quibuſdam vulgatis, *udum.* quod arripuit Zoilus, ſibique arrogavit. Lamb.

857. *Tam craſſo corpore*] Ita etiam in noſtris libris. In Aliis: *craſſi corporis.* Gifan. Sic habent duo libri manuſcripti, & nonnulli vulgati: in his Pariſienſes. ceteri *tam craſſi corpori'.* utraque lectio probabilis eſt. Lamb.

857. *Terram*] Subter *terram tam craſſo corpore* id eſt tam denſam & ſpiſſam. Lamb.

858. *Calido ſociare vapori*] Id eſt, calore temperare, & calefacere. tralatio. alii libri habent *calido ſatiare vapore.* quam lectionem non probo. verumtamen judicet lector. Lamb. Veteres quidam libri: *ſatiare vapore*; &: *vaporem.* Gif.

860. *Inſinuare*] Ἐνεργητικῶς, intromittere. Lamb.

861. *Nimirum terra magis quod Rara tenet*] Sic Lambinus; præclare: quod & libris noſtris confirmatur. Gifan. Hunc etiam locum valde ἀϲτόχως (niſi me animus fallit) reſtitui. Nam cum ex libris alii haberent *Parva tenet*, ut Pariſienſes: alii *Pura*, ut Veneti recentiores, & Florent. & Baſil. alii *Par tenet*, ut cod. Memmianus: alii *Para tenet*, ut Vatic. & Bertin. mihique ex

Inſinuare ſuum radiis ardentibus aeſtum?
 Quae ratio eſt igitur? nimirum terra magis quod
Rara tenet circum hunc Fontem, quam caetera tellus.
Multaque ſunt ignis prope ſemina corpus aquaï.
Hinc ubi roriferis terram nox obruit umbris:
Extemplo ſubtus frigeſcit terra, coitque.
Hac ratione fit, ut, tanquam compreſſa manu ſit,
Exprimat in Fontem, quae Semina cumque habet ignis,
Quae calidum faciunt laticis tactum atque ſaporem.

In-

INTERPRETATIO.

& fervidis ſuis radiis calorem inferre vix valeat. Quænam ergo cauſa eſt? Nimirum, quia Terra rarior quam reliqua Tellus hunc fontem circum amplectitur, & ſunt multa Ignis ſemina juxta ipſam Aquam; Hinc, cum Nox obruit Terram umbris roriferis, ſubito Terra ſubtus frigeſcit, & contrahitur; Inde fit ut Terra iſta, tanquam manu compreſſa eſſet, exprimat in Fontem omnia, quæ continet, Ignis ſemina: Quæ ſemina iſtam Aquam calidam reddunt,

VARIÆ LECTIONES.

862. *Rara tenet circum hunc fontem.* Pura tenet circum fontem C. E. N. P. Pura. t. certum f. O. Parthenice circum fontem V. Para tenet circum fontem Y. Partene circum fontem. Z. Parva tenet certum fontem P. X. *circum.* certum Q.

864. *Hinc ubi.* Hoc ubi c. P. Y. Z. Hoc tibi Q. X. *obruit umbris.* obruit undis c. H1, 2. O. P. X. *recte tamen corrigi jubet* umbris P. *in not.*

865. *ſubtus frigeſcit.* ſolito frigeſcit H2.

868. *faciunt laticis tactum.* faciunt aquæ tactum A. *Ita legendum ex Beda cenſet* P. *in not.* laticis tactum a. *atque ſaporem.* atque vaporem C. E. N. P. V. X. Y. Z. uſque vapore H2.

869. *radiis terram dimovit.* radiis umbram dimovit *Creech. obortis.* obortus A. E. N. abortis Q1. X.

NOTÆ.

ex hac varietate ſcripturæ mendi ſuſpicio eſſet injecta, & jam antea hujus loci ſententia non ſatis explicata videretur: ex antiqua ſcriptura *Para tenet*, feci *Rara tenet:* cujus ſententia eſt in promptu. hoc enim dicit, eam terram, quæ hunc fontem circumplectitur, eſſe rariorem cetera terra, multaque ignis ſemina in ſe continere: atque hæc ignis ſemina idcirco aquæ corpori eſſe vicina. Itaque nocturno frigore hanc terram compreſſam & contractam, quæ alioqui ſua natura rara eſt, ignis ſemina in ſe incluſa; in fontem exprimere, quibus fons concaleſcat. Hanc emendationem probat Zoilus, mihique quod ab eo raro admodum fit, & invite, reddit, ac reſcribit. Debuerat potius ſibi adſcribere, ut ſibi conſtaret. LAMB. Aliquid in Indice monet Giſanius quod prætermitti haud deceat; *tenere*, inquit, *ſumitur pro* eſſe, habitare, incolere, *abſolute.* Papæ! unde iſthæc? Quis unquam in Latio ita locutus eſt; nemo. Interim quid erat facilius quam locum hunc recte exponere, & ita recte ut nunquam eo confugiendum eſſet? Ipſa enim verborum ſeries rem expeditam dabat, quæ ſic habet: *Nimirum quod terra magis rara tenet hunc fontem circum*, ſeu, circum amplectitur. Vides, Lector, quo cum homine tibi res ſit. Ceterum hujus loci emendati gloria Lambino debetur. FABER. *Parthenice* Voſſii, *terram virginem*, quaſi raro & tenui corpore ſignificaret. Sed *terra virgo* Lat. nondum arata. Vide ſup. vs. 841. HAV.

868. *Quæ calidum faciunt aquæ tactum*] Ita ex Beda ſcripſi, libris repugnantibus. In Quibuſdam eſt:

la-

Inde ubi Sol radiis terram dimovit obortis,
Et rarefecit calido miſcente vapore:
Rurſus in antiquas redeunt primordia ſedeis
Ignis, & in terram cedit calor omnis aquaï:
Frigidus hanc ob rem ſit Fons in luce diurna.

Prae-

INTERPRETATIO.

Deinde quando Sol radiis ſuis Terræ meatus aperuit, & calore ſuo Terram penetrante rarefecit, tum Semina Ignis in priſtinas ſedes redeunt, & totus Aquæ Calor in Terram recedit: & hanc ob cauſam diurno tempore fons frigidus evadit.

VARIÆ LECTIONES.

872. *cedit.* redit N. Q. X.

NOTÆ.

laticis. Sed hoc non dubito, quin ex ignoratione numerorum irrepſerit. GIFAN. *in edit. priori.*

868. *Quæ calidum faciunt laticis tactum atque ſaporem*] Id eſt, quæ faciunt, ut hujus fontis aqua ſit tactu & guſtatu calida: quod eſt conſentaneum cum iis quæ paullo ante ex Arriano retuli. Cum initio ſecutus eſſem lectionem vulgatam, quæ talis eſt.

Quæ calidum faciunt laticis tactum atque ſaporem

(quam & nunc retineo) hæc annotaram. Sic habent libri omnes, quos quidem viderim: ſed Beda legit hoc loco,

Quæ calidum faciunt aquæ tactum, &c.

docens, vocalem, alioqui brevem, quæ littera *q* juncta cum vocali *u*, & deinceps qualibet alia vocali exciperetur produci licere, ut hìc à Lucretio producitur. Hæc igitur olim adſcripſeram: quæ arripuit Zoilus, neque mihi indicii præmium aut gratiam perſolvit, ut nec aliarum innumerabilium emendationum & ſcripturarum veterum. Nunc igitur ego hanc ſcripturam vindico ac repeto. hoc primum. deinde, quod Beda dicit *a* in hac voce *aquæ* eſſe longum, ignoſcant mihi Bedæ manes: non eſt ita. ſed vox *aquæ*, quæ natura ſua diſſyllaba eſt, per διαίρεσιν trium ſit ſyllabarum, ita ut *aqüæ* ſit anapæſtus: quemadmodum *relliqüo* ſupra lib. 1. & libr. 4. *relliqüas*, facta ſunt quattuor ſyllabarum. Sed quid ſi dicamus, *laticis* ſcriptum eſſe à Lucretio, & *aquæ* natum eſſe ex annotatione? Judicet igitur lector. LAMB. Ita omnes Veteres. Bedas: *aquæ.* Vide *Aqua*, in Indice. GIFAN. *in edit. poſteriore.*

868. *Atque ſaporem*] Multi codd. legunt *vaporem*, quod ex verſu 858.

Percoquere humorem & calido ſociare vapori.

videtur eſſe natum; at vero calidum laticis vaporem ſine tactu deprehendere non poſſumus, præfero itaque *ſaporem.* HAV.

869. *Terram dimovit*] Melius *Umbram dimovit*, Ita enim ſæpe Poëtæ: Virgilius Æn. 4. v. 6.

Humantemque Aurora polo dimoverat Umbram:

Supra v. 864. *Terram Nox obruit Umbris*: In v. 870. *Et rarefecit.* ſubintell. *Terram.* CREECH.

869. *Obortus*] Hoc malui cum Marullo, conſentientibus libris quibuſdam. In Aliis: *obortis.* GIFAN. *in edit. priore.*

869. *Obortis*] Ita Veteres omnes. Marullus: *obortus*, ut Vulgati. Cui bono? GIFAN. *in edit. poſt.* Cod. Florent. habent *obortus*, manuſcripti autem nonnulli *abortus*: quæ vitioſa ſcriptura fortaſſe confirmat Florentinam. LAMB.

871. *Rurſus in antiquas* &c.] Ordo eſt: primordia ignis redeunt in antiquas ſedeis, nempe in terram. LAMB.

874. *Præterea ſolis*] Aliam rationem affert. LAMB.

875. *In luci*] In luce. LAMB.

875. *In luce*] Ita conjectura ductus ſcripſi. In Aliis: *lucem.* GIFAN. At ego omnibus conjecturis probam MSS. & Macrobii 6: 4. præfero lectionem. Vide quæ ſup. ad verſ. 712. *Nilus in æſtatem creſcit* &c. HAV.

875. *Ab æſtu*] Solis, quem *æſtum tremulum* dicit, ex eo quod in aqua tremula tremere ipſe quoque videatur. LAMB.

876. *Propterea ſit uti quæ*] Profert hunc verſum

Praeterea, Solis radiis jactatur aquaï
Humor, & in lucem tremulo rareſcit ab aeſtu:
Propterea fit uti quae ſemina cunque habet ignis,
Dimittat: quaſi ſaepe gelum, quod continet in ſe,
Mittit, & exſolvit glaciem, nodoſque relaxat.

Fri-

INTERPRETATIO.

Praeterea, Aqua radiis Solis diſcutitur, & diurno tempore à tremulo calore rareſit; Inde fit, ut dimittat omnia, quæcunque continet, Ignis ſemina; ut ſæpe Aqua frigore concreta dimittit ea quæ continebat, rigorem ſuum, & vincula quibus retinebantur ſolvens,

VARIÆ LECTIONES.

875. *in lucem.* Ita C. E. N. P. Q. X. Y. Z. & *Macrob.* in luce A. B. D. in luci *Alii.*

877. *Dimittat: quaſi ſæpe.* Demittat cum ſæpe C. E. H2. N. Demittat &c. P. Y. Z. quaſi ſæpe c. H1. O.

878. *Mittit.* Mutat, & C. E. N. Nutat c. O. *nodoſque relaxat.* nervoſque relaxat a. B. V. venaſque relaxat H2. Q1. niveſque Q2.

NOTÆ.

ſum cum duobus deinceps ſequentibus Priſcianus, ſed duos proximos paullo aliter, quam vulgo leguntur, ut jam dicemus. LAMB.

877. *Quaſi ſæpe gelum,*] Libri vulg. fere omnes præter Pariſienſeis & Venetos antiq. habent *cum ſæpe gelum:* manuſcr. tres, *quaſi ſæpe gelum*, quibuſcum congruunt Pariſ. & Veneti antiq. quo modo legit & Priſcian. alii ſcripti, partim *quia ſæpe gelum*, partim *quin ſæpe gelum:* quod poſtremum, ut omnium optimum, olim ſecutus eram: quamquam illud *cum ſæpe gelum*, non improbaram. nunc ſcripturam antiquam omnibus antepono. *quaſi* autem, id eſt *quemadmodum.* Sic ſupra libr. 2: 552.

Sed quaſi naufragiis, &c.

Jam *gelum* perſpicue hîc neutrius generis eſt: quamvis Nonius Marcel. in ordine vocum, quæ initium capiunt à littera G, ponat *gelu* neutrum monoptoton, & *gelus*, *li*, *lo*, maſculinum. quemadmodum ſupra retulimus hoc eod. lib. verſ. 206.

Adſiduuſque geli caſus, &c.

non commemorans etiam *gelum*, *li*, neutrum. Idem in capite de mutata declinatione, ubi verſum illum profert,

Aſſiduuſque geli, &c.

nihilo magis. Sic enim ille: *Gelu ars monoptoton eſſe vult: contra ſentit auctoritas. Lucretius libro* 6: 206.

Adſiduuſque geli caſus mortalibus aufert.

Idem lib. 6: 155.

Denique ſæpe geli multus fragor, atque ruina.

LAMB. Sic ex veteribus libris reſtitui. *Quaſi*, id eſt, quemadmodum. Quidam libri: *cum.* Alii: *quin.* Alii: *quia.* Omnia mendoſe; ut etiam alio loco. GIFAN. Recte Lamb. *gelum* neutrius dicit eſſe generis; ut enim pro *cornu* veteres *cornus* non tantum, ſed & *cornum* dixerunt; ita pro *gelu* quoque reperitur *gelus* & *gelum*, de quibus vide docte (pro more) diſputantem Ger. Joh. Voſſ. de Arte Gramm. 2: 17. pag. 330. 331. qui ibidem pro *relaxat* habet *remittit.* quod tamen alibi non invenio. HAV.

878. *Mittit*] Sic legitur apud Priſcianum, & ita habent codices Veneti antiquiores, & Pariſienſes, & tres manuſcripti. Memmianus autem *Mutit*, quod depravatum eſſe ex recto *mittit*, vel cæcus videat. *mittit* autem poſitum pro *dimittit*, ſeu *omittit.* nam ceteri libri vulgati habent *Mutat*, mendoſe. LAMB.

878. *Nervoſque relaxat*] Ita reſtitui ex veſtigiis veterum codicum. Vulgati: *nodos.* GIFAN.

878. *Nodoſque relaxat.*] Sic legitur etiam apud Priſc. & ita habent omnes fere lib. vulgati, præter Ald. antiq. in quib. legitur *nervoſque relaxat* & ita ſcriptum eſt in membrana Vaticana: in duobus aliis libris manuſcriptis, *venaſque*, quibuſcum conſentiunt libri Florentini: in Mem-

Frigidus eſt etiam Fons, ſupra quem ſita ſaepe
Stupa jacit flammas concepto protinus igni:
Tedaque conſimili ratione accenſa per undas
Conlucet, quocunque natans impellitur auris:
Nimirum quia ſunt in Aqua permulta vaporis
Semina, de Terraque neceſſe eſt funditus ipſa

Ignis

INTERPRETATIO.

Eſt etiam Fons frigidus, ſupra quem Stupa poſita ſæpe flammas emittit, Igne ſubito concepto: Similiter Teda accenſa per undam lucet, quocunque aqua innatans à leni vento impellente fertur: Nimirum quoniam ſunt in Aqua multa caloris ſemina; & quoniam neceſſe eſt ex ipſis Terræ viſceribus

VARIÆ LECTIONES.

880. *flammas.* flammam Y. Z.

NOTÆ.

miano, *nuboſque.* quæ ſcripturæ omnes ſine dubio ſunt corruptæ. niſi forte probanda ſit ſcriptura, *venaſque relaxat.* Nam quod Thraſo legendum cenſet *nervoſque relaxat*, minus placet. Lamb. Giſan. in Ind. animum alibi habebat, cum hoc loco *nervos* legebat. Faber. Horatius lib. 1. Epiſt. 3: 3.

Hebruſque nivali compede *vinctus.* Creech.

879. *Frigidus eſt etiam Fons*,] Talis fons eſt in Epiro, non longe à Dodonæi Jovis templo, ut teſtatur Mela libro ſecundo, his verbis: *Et fons ideo ſacer, quod, cum ſit frigidus, & immerſas faceis, ſicut ceteri, exſtinguat, ubi ſine igne procul admoventur, accendit.* de eodem fonte Plin. lib 2. cap. 103. *In Dodone Jovis fons cum ſit gelidus, & immerſas faceis exſtinguat: ſi exſtinctæ admoveantur, accendit. Idem meridie ſemper deficit: qua de cauſa anapauomenon vocant.* Antigonus hiſtoriarum admirabilium collectione, Περὶ δὲ τὴν Ἀθαμανίαν ἱερὸν εἶναι νυμφῶν, ἐν ᾧ τὴν κρήνην τὸ μὲν ὕδωρ ἔχειν ἄγαν ὡς ψυχρόν· ὃ δ' ἂν ὑπερθῇς αὐτοῦ, θερμαίνειν· ἐὰν δέ τις φρύγανον, ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων προσενέγκῃ, μετὰ φλογὸς καίεσθαι. id eſt, *Circa Athamaniam autem* (id eſt Theſſaliam) *templum eſſe nympharum, in quo fontem eſſe, cujus aqua cum ſit frigidiſſima, quicquid tamen ſuper eam aquam poſueris, calefieri: quod ſi quis ſtipulam, aut lignum aridum, aut aliud quippiam tale admoverit, id flamma concepta ſtatim accendi.* Lamb. In Epiro. Plin. Vide omnino Phyſiologiam p. 1059. & quod alibi dixit Vir Maximus de fonte Gratianopolitano. Faber. Poſtquam oſtendit in Jovis Ammonis fonte nihil admirabile eſſe aut divinum, jam v. 27. Jovis Dodonæi fontem, Jovi ubique infeſtus, attingit. *In Dodone autem Fons, cum ſit gelidus, & immerſas faces extinguat, ſi extinctæ admoveantur, accendit.* Plinius lib. 2. c. 103. Nimirum quoniam ſunt in ipſa Aqua, vel Terra iſti Aquæ ſubjecta multa Ignis ſemina, quæ ex Aqua erumpentia Corpori inflammabili viz. Stuppæ aut Tedæ recenter extinctæ adhærent, & accendunt: Neque magis incredibile Semina ignis per Fontem erumpere, quam Aquæ dulcis Scaturiginem per medium Maris oriri, Et ſæpiſſime videmus Tedas recenter extinctas accendi, antequam ipſum ignem, ad quem admoventur, attigerint. Creech.

884. *De Terraque neceſſe eſt*] Etiam Ariſt. l. 2. μετεωρ. teſtatur in terra vim ignis ineſſe, his verbis: Εἰσὶ δὲ πολλαχοῦ κρῆναι καὶ ῥεύματα ποταμῶν παντοδαποὺς ἔχοντα χυμούς. ὧν πάντων αἰτιατέον τὴν ἐνοῦσαν, ἢ ἐγγινομένην δύναμιν πυρός· καιομένη γὰρ ἡ γῆ, τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον παντοδαπὰς λαμβάνει μορφὰς καὶ χροιῶν καὶ χυμῶν. id eſt, *Sunt autem multis locis fontes & fluvii omnis generis ſaporibus præditi. quorum omnium cauſa, ei quæ ineſt aut innaſcitur in terra, ignis poteſtati adſcribenda eſt. terra enim dum uritur, magis & minus omnis generis formas & colorum & ſaporum ſumit.* Lamb.

885. *Per totum conſurgere fontem*] Sic habent omnes

Ignis corpora per totum conſurgere Fontem,
Et ſimul exſpirare foras, exireque in auras,
Non tam viva tamen, calidus queat ut fieri Fons.
Praeterea, diſperſa foras erumpere cogit
Vis per Aquam ſubito, ſurſumque ea' conciliari:
Quod genus endo mari Aradio Fons, dulcis aquaï
Qui

INTERPRETATIO.

multa Ignis ſemina per totum fontem aſcendere; foras expirare, & in Aërem exire, quæ tamen Semina non adeo vigent, ut ab illis Fons calidus fiat; Præterea, Vis quædam cogit iſta Ignis ſemina per Aquam diſperſa ſurgere, & juxta iſtius Aquæ ſuperficiem convenire, & conſtipari: Ut in medio Maris Fons Aquæ dulcis

VARIÆ LECTIONES.

887. *Non tam viva tamen.* Non ita multa tamen V.
889. *conciliari.* conciliáre C. E. N. P. V. X. Y. Z.
890. *endo mari Aradio.* Ita *Voſſ.* genus Aradius ſpirat *Creech.* inde mari ſpirat C. E. P. i. m. ſparat Q. Y. Z. endo mari ſpirat *Reliqui.*

NOTÆ.

omnes lib. & manuſc. & vulg. præter Lugdunenſeis in quibus legitur *conſiſtere fontem.* LAMB.
889. *Conciliari*] Cogi, congregari. LAMB.
890. *Quod genus*] Cujus generis. LAMB.
890. *Endo mari*] i. e. in mari. ſecutus autem ſum codicem Memm. Licet etiam legere *Indu mari*: ut ſup. lib. 2: 1095,

——— *Quis habere profundi*
Indu manu validas potis eſt moderanter habenas?

ad quem locum de præpoſitione *endo* & *indu* plura. Non enim iis aſſentimur, qui *indu* ejiciunt è civitate Romana. ſic ſup. lib. 3: 710.

Quippe ubi prima perit, alioque eſt altera nata
Endo ſtatu, &c.

vulgata autem lectio *Inde mari*, corrupta & vitioſa eſt. LAMB. Ita (*endo mari*) Veteres quidam; recte Vulgati: *inde.* Supra, lib. IV. verſ. 776. GIF.
890. *Fons, dulcis aquaï*] Fortaſſe ut Arethuſa: quæ tamen non in mari, ſed in inſula eſt. M. Tull. de ſignis: *In hac inſula extrema eſt fons aquæ dulcis, cui nomen Arethuſa eſt.* Plinius lib. 2. cap. 103. *Quidam fontes odio maris ipſa ſubeunt vada, ſicut Arethuſa, fons Syracuſanus, in quo redduntur jacta in Alpheum.* Cum his Plinianis congruunt illa quæ refert Antigonus ἱστορ. παραδόξ. συναγωγῇ his verbis: Ἀρέθουσαν δὲ τὴν ἐν Συρακούσαις, ὥσπερ οἱ λοιποί φασι, καὶ Πίνδαρος, τὴν πηγὴν ἔχειν ἐκ τοῦ κατὰ τὴν Ἠλίαν Ἀλφειοῦ. Διὸ καὶ ταῖς Ὀλυμπικαῖς ἡμέραις, ὅταν ἐν τῷ ποταμῷ ἀποπλυνῶσι τῶν θυμάτων τὰς κοιλίας, οὐ καθαρὰν εἶναι τὴν ἐν Σικελίᾳ κρήνην, ἀλλὰ ῥεῖν ὄνθῳ. φησὶ δὲ καὶ φιάλην ποτ᾽ εἰς τὸν Ἀλφειὸν ἐμβληθεῖσαν, ἐν ἐκείνῃ φανῆναι. id eſt, *Arethuſam autem, quæ eſt Syracuſis, fontem ſuum habere ex Alpheo, ut & alii, & Pindarus ait. Quocirca & diebus Olympicis, cum in fluvio lavant hoſtiarum immolatarum ventres, non eſſe ſincerum fontem qui eſt in Sicilia, ſed fimo & ſtercore manare. Ait autem & phialam aliquando in Alpheum jactam, in Arethuſa viſam eſſe.* Huc pertinet illud Virgil. Gallo, ſeu Eccl. 10: 4.

Sic tibi, cum fluctus ſubter labêre Sicanos,
Doris amara ſuam non intermiſceat undam. LAMB.

890. *Quod genus endo mari ſpirat fons dulcis aquai;*
Qui ſcatit, &c.]

Mala diſtinctio eſt, quæ ita reſtituenda:

Quod genus endo mari ſpirat fons; dulcis aquai
Qui ſcatit . . . . .

ut alibi, *Terra ſcatit ferarum.* FABER. *in Emend.* Sic enim diſtinguendum omnino eſſe, alibi monui. Illud autem *ſpirat* de fonte audacius videri queat, & pæne dithyrambicum: Sed tamen dicimus, *vivas lucernas, aquam vivam, aqua currit, aquas ſalientes, mare mortuum, vivum fontem, vivum ſaxum,* ζώπυρον, &c. Cumque interdum

Qui ſcatit, & ſalſas circum ſe dimovet undas.
Et multis aliis praebet regionibus aequor
Utilitatem opportunam ſitientibus Nautis,
Quod dulceis inter ſalſas intervomit undas.
Sic igitur per eum poſſunt erumpere Fontem,
Et ſcatere illa foras in ſtupam Semina: quo quom

Con-

INTERPRETATIO.

quando erumpit, omneſque circumſtantes ſalſas Aquas dimovet; (Et quidem fatendum eſt Mare multis aliis in partibus opportunum beneficium Nautis ſitientibus præbere, cum in medio ſalſarum Aquarum dulces aliquando emittit. Similiter iſta Ignis ſemina poſſunt erumpere per iſtum fontem, & foras exire in Stupam, quo cum

VARIÆ LECTIONES.

891. *Qui.* quod P.
892. *præbet regionibus.* pariter regionibus c. P. *ſed ex priſca lectione* præbet *emendari jubet* P. *in not.* præter regionibus Y. Z. præter religionis Q.
894. *dulceis.* dulcit Y. Z.
896. *quo quom.* quæ cum C. E. N. P. Y. Z.

NOTÆ.

ſpirare pro *vivere* ponatur, hinc factum ut Lucretius dixerit, *fons ſpirat.* Faber. *in Notis.* Ita omnes ediderunt, quaſi ſanus foret iſte verſus, neque medico egeret: At ſi *Endo Mari* legatur, quo referendæ ſunt iſtæ voces v. 892. *Multis aliis regionibus?* Nam & *multæ iſtæ* aliæ *regiones* ſunt *Endo Mari.* Legatur igitur *Aradius Fons*, de quo Strabo in libro Geogr. 16. Ita enim ſcripſit *Lucretius*, & voces iſtæ *In Mari*, ſive *Endo Mari*, ad marginem Codicis adnotatæ tandem in verſum ipſum irrepſerunt. Creech. Plus æquo doctiſſimus Creechius faviſſe videtur verbo iſti: *ſpirat*, quo utique poſt indicatam à Claiiſſ, Iſ. Voſſio veram lectionem, carere poſſumus. Omnino voces: *endo mari* retinendæ ſunt; ne tamen de mari univerſo, aut de quibuſvis maris regionibus loqui videatur, addendum non *Aradius*, ut ad fontem hoc adjectivum, ſed *Aradio*, ut ad mare, de quo ſermo eſt, referatur, hoc modo:

Quod genus endo mari Aradio fons dulcis aquai

ſc. eſt, reperitur, &c. *Aradium* autem *mare* potuit appellare fretum illud, quod *Aradium*, ſcopulum, ſeu Inſulam à continente diſterminat, & à Strabone deſcribitur, qui videndus omnino eſt. Suppeditavit hanc emendationem, præclaram ſane atque pulcherrimam Iſ. Voſſio Lemma, quod ad hunc locum ita Annotator noſter expreſſit. De Fonte Aradi in mare V. Preig. De miranda iſta ſcaturigine agens Strabo, ita loquitur lib. 16. p. 754. poſtquam aquarum in continenti copiam deſcripſit: Ἐν δὲ τοῖς πολέμοις ἐκ τοῦ πόρου μικρὸν πρὸ τῆς πόλεως ὑδρεύονται, πηγὴν ἔχοντες ἀφθόνου ὕδατος· εἰς ἣν περικαταστρέφεται κλίβανος, καθέτεις ἀπὸ τῆς ὑδρευομένης σκάφης μολυβδοῦς, εὐρύστομος, εἰς πυθμένα συνηγμένος στενὸν, ἔχοντα τρῆμα μέτριον· τῷ δὲ πυθμένι περισφίγγεται σωλὴν σκύτινος, εἴτε ἄσκωμα δεῖ λέγειν, ὁ δεχόμενος τὸ ἀναθλιβόμενον ἐκ τῆς πηγῆς διὰ τοῦ κλιβάνου ὕδωρ· τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἀναθλιβὲν τὸ τῆς θαλάττης ἐστί. περιμείναντες δὲ τὴν τοῦ καθαροῦ καὶ ποτίμου ὕδατος ῥύσιν, ὑπολαμβάνουσιν εἰς ἀγγεῖα παρεσκευασμένα ὅσον ἂν δέῃ, καὶ πορθμεύουσιν εἰς τὴν πόλιν. i.e. *In bello autem è freto paulo ante urbem aquam petunt: abundantem id ipſum aqua habet fontem; in quam clibanus inverſus e ſcapha aquaria demittitur, plumbeus, ore lato, in anguſtum fundo coacto: is fundus mediocre foramen habet, cui fiſtula ex corio (ſive utriculum dicere malumus) adſtricta eſt, quæ aquam è fonte per clibanum eliſam excipit. Primo quæ exhauritur aqua, ſalſa eſt: exſpectantes vero puræ & dulcis aquæ curſum, in vaſis ad id paratis excipiunt, atque in urbem deferunt.* Lib. vero 6. p. 172. ſimilem fontem Gadibus in Herculis templo commemorat ex Polybio, deficientem ma-

Conveniunt, aut quom tedaï corpori adhaerent,
Ardeſcunt facile extemplo: quia multa quoque in ſe
Semina habent ignis ſtupae tedaeque tenentes.
* Nonne vides etiam, nocturna ad lumina Lychnum
Nuper ubi exſtinctum admoveas, accendier ante
Quam tetigit flammam? tedamque pari ratione?

Mul-

INTERPRETATIO.

conveniunt, aut adhærent Tedæ corpori, tum ſubito in Flammas erumpunt, quoniam Stupa iſta aut Tedæ multa ſemina Ignis in ſe continent. Nonne etiam vides cum candelam recenter extinctam ad aliam accenſam admoveas, illam extinctam iterum accendi antequam Flammam tetigit? Nonne etiam idem fieri in Teda vides?

VARIÆ LECTIONES.

897. *aut quom tedaï corpori.* aut in teda cum corpora C. E. N. P. indu tedaï corpore V. aut in tedaï corpore V. in tæda corpori Q1. inde ad corpora Z.
898. *quia.* quod Y. Z. quæ Q. *multa.* abeſt N.
900. *ad.* ut Q1. *lumina Lychnum.* lumina linum C. E. N. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

mari exundante, afflüentem vero, ubi mare defluxerit. Ad utrumque locum Caſauboni notæ debent conſuli. *Aradium* vero fontem nomine deſignatum à Lucretio fuiſſe apparet ex ſequentibus, qui non nominantur. HAV.

891. *Scatit*] A verbo *ſcato*, *is*: ut lib. 5: 950.
Et partim plano ſcatere atque erumpere campo, &c. LAMB.

897. *Quo cum conveniunt*] Ad quam ſtupam cum ſemina ignis conveniunt, &c. LAMB.

897. *Aut cum tædaï corpori adhærent*] Sic reſtitui, librorum manuſcript. veſtigia ſecutus. Nam ceteri fere libri habent *corpora.* Atque hanc emendationem prætermiſit ſilentio Zoilus, cum eam tamen ſecutus ſit: & in hoc ſibi conſtitit. Nam ſuperiorem illam *endo mari*, & eam quæ ſequitur,
——— ——— *Nocturna ad lumina lychnum*,
ait eſſe rectiſſimas, ſed à quibus acceperit, non commemorat. Ita uſquequaque ſui ſimilis eſt, hoc eſt, injuſtus, malignus, invidus, impudens, ingratus. LAMB.

898. *Ardeſcunt*] Stupa & tæda. LAMB.

899. *Tedæque tenentes*] *Tædæ habent tenentes* ſic dictum, ut illud ſup. lib. 1: 1068.
Amplexi quod habent perverſe prima viaï.
ad quem locum lege, ſi tibi commodum eſt, quæ annotavi. LAMB. Imitatio Græci ſermonis, ut antea notatum fuit, *habent tenentes*, pro tenent, ut ἔχω δράσας, id eſt, ἔδρασα, λέξας ἔχω, pro ἔλεξα, ſæpe apud Tragicos & Ariſtophanem. FABER.

900. *Nonne vides etiam*,] Argumentum à ſimili, quo utitur & Ariſtot. libro 1. meteor. ut mox dicemus. LAMB.

900. *Nocturna ad lumina lychnum*] Omnes libri vulgati habent *nocturna ad lumina*, *linum*, præter Pariſienſeis: in quibus impreſſum eſt *lychnum.* quæ ſcriptura reperitur & in codice Memmiano: reperitur & in libris Baſilienſibus ad marginem adſcripta. in Tettiano autem & Faërn. manuſcriptis, *licnum.* ex qua ſcriptura legendum aliquando putavi *lignum.* Nam etiam lignum, paullo ante extinctum, ſi ad lumen nocturnum admoveatur, continuo denuo accenditur. Cum alias autem ob cauſas, *lignum* mihi magis placet, quam *linum*, tum propterea, quia etiam ſupra lib. 2. ignem è ligno & tæda factum, ſeu ortum, conjuncte poſuit, verſ. 387.
Noſter hic e lignis ortus tædaque creatus.
de illa autem, quam dixi reperiri in libris Pariſienſibus, quid dicam, neſcio. Nam ut eam improbem, facit, quod lychnus, & nocturnum lumen, ſi quid inter ſe differunt, differunt ut ſpecies, & genus. Propemodum igitur ſimile eſt, ac ſi ita lo-

Multaque praeterea, prius ipſo tacta vapore
Eminus ardeſcunt, quam cominus imbuat ignis.
Hoc igitur fieri quoque in illo Fonte putandum eſt.
  Quod ſupereſt, agere incipiam quo foedere fiat
Naturae, Lapis hic ut ferrum ducere poſſit,
Quem Magneta vocant patrio de nomine Graji,
Ma-

INTERPRETATIO.

Et præter hæc ſunt multa quæ à Calore eminus tacta accenduntur; priusquam ab ipſo Igne cominus tanguntur: Idem igitur in hoc Fonte fieri putandum eſt: Quod ſupereſt, incipiam docere qua lege Naturæ fiat, ut ferrum attrahat Lapis ille, quem Græci: patrio de nomine vocant Magneta,

VARIÆ LECTIONES.

905. *putandum eſt.* fatendum eſt *Gaſſ.*

NOTÆ.

loqueretur: Nonne vides, ubi lychnum nuper extinctum ad lychnum admoveas, illum ante accendi, quam flammam tetigit? Rurſum ut eam probem, facit Ariſtoteles, qui lib. I. meteor. eo loco, ubi diſputat de ſtellis cælum percurrentibus, tali utitur ſimilitudine: Ἀπορήσειε δ' ἄν τις, πότερον, ὥσπερ ἡ ὑπὸ τοὺς λύχνους τιθεμένη ἀναθυμίασις ἀπὸ τῆς ἄνωθεν φλογὸς ἅπτει τὸν κάτωθεν λύχνον, &c. id eſt, *Dubitare autem poſſit quiſpiam, utrum, quemadmodum exhalatio ſicca lychnis ſubjecta, à ſuperna flamma lychnum inferiorem accendit*, &c. has igitur ſcripturas conſideret lector eruditus, &, quam judicarit optimam, eam ſequatur. Lamb. In Veteribus noſtris ita (*lychnum*) rectiſſime. Vulgati fere: *linum.* Quidam: *lignum*; ex mala pronunciatione creato mendo. Sententia eſt perſpicua & popularis. Gifan.

904. *Imbuat ignis*] Tralatio eſt à ſuccis & odoribus ad ignem. Lamb.

906. *Quod ſupereſt, agere incipiunt*] Nunc diſſerere incipit de lapidis ejus, quem & *Magnetem*, & *Heraclium*, & *Sideritin* appellant, natura. *Magnes* autem appellatus eſt vel ab inventore, quod à Nicandro traditum eſt, ut auctor eſt Plinius; vel à Magneſia terra, in qua primum inventus eſt; quam ſententiam ſequitur noſter Lucretius. Gerit hic lapis ferri impoliti ſimilitudinem, & in metallis ferrariis plerunque invenitur: non tamen in omnibus, immo ne in multis quidem, ſed in valde paucis. Cum ſit autem hujus lapidis hæc natura, ut ferrum attrahat: multi philoſophi rationem quæſiverunt. Thales (ut ſcribit Atiſtot. lib. I. de animo) eo putavit Magnetem anima quadam eſſe præditum, quod vim movendi & alliciendi ferri haberet. Plato in Timæo ait vim ineſſe in Magnete non attrahendi ferri, ſed propellendi aëris: ineſſe & in ferro, ſed imbecilliorem. ita, ne ſpatium inane relinquatur, ferrum, propulſo à Magnete aëre, continuo in locum ab aëre vacuum ſuccedere. quæ ratio congrueret cum ratione Lucretii, niſi de inani Plato & Epicurus inter ſe diſcreparent. Clemens Alexandrinus Magnetem vim ferri attrahendi habere putat propter cognationem quandam, quæ ſit ei cum ferro. Nonnulli Magnetem ferrum attrahere dicunt, tanquam cibum. Sed hoc eſt præterea in Magnete mirabile. quod interdiu quidem hanc ferri trahendi vim habet, noctu vero, aut imbecillam, aut potius nullam. Lamb. V. 182. præclara diſputatio inſtituitur de *Magnete*, Hujus autem idem eſt, quod & reliquarum diſputationum conſilium, quod nemo olim obſervavit. Nam hic Lapis Herculi attribuitur & vim ſuam illius Numini acceptam referre creditur: Jam Fontes ſuos amiſit Jupiter, & quid Filio parcat Lucretius, qui Patri non pepercit? Ut virtutem attractricem Magnetis rectius explicet Lucretius, quatuor capita præmittit, quæ tametſi alias comprobata fuerint, hic tamen inculcata vult ob inſignem difficultatem; Unum caput eſt, effluere continuo corpuſcula quædam ex omnibus rebus, v. 15. Alterum, nullum eſſe Corpus adeo Solidum, quod non inania ſpatiola intercepta contineat
v. 23.

Magnetum quia ſit patriis in finibus ortus.
Hunc homines Lapidem mirantur, quippe catenam
Saepe ex annellis reddit pendentibus ex ſe.
Quinque etenim licet interdum, plureiſque videre
Ordine demiſſos levibus jactarier auris,

Unus

INTERPRETATIO.

quia natus & inventus eſt in regionibus Magnetum: Homines admirantur hunc lapidem, quoniam ſæpe ex Annulis ferreis nullo quidem vinculo connexis, ſed ex ſeipſo tantum pendentibus catenam efficit; Interdum enim videre licet plures Annulos ex illo pendentes levibus ventis agitari,

VARIÆ LECTIONES.

913. *demiſſos.* demiſſo C. E. N. P. *jactarier auris.* jactarier hamis C. E. N. P. Q. X. auris H2.

NOTÆ.

v. 23. Tertium, emiſſa corpuſcula non omnibus rebus eadem ratione congruere v. 20. Quartum, inania ſpatiola non uniuſmodi circumſcriptionis in rebus omnibus eſſe, quare nec eadem quibuslibet corpuſculis accommodari v. 17. His ita præmiſſis dicere aggreditur cauſam ſeu modum quo Magnes Ferrum attrahit, Ferrumve ad Magnetem fertur. Is autem in eo conſiſtit, ut effluant ex Magnete corpuſcula, ex quo fiat, ut Aër circa Magnetem diſcutiatur, atque idcirco multa inania Spatiola creentur; Et quia, cum Ferrum collocatur intra diſcuſſi Aëris Sphæram, multum Inanis inter ipſum & Magnetem eſt interceptum, tunc evenit, ut in eam partem corpuſcula Ferri liberius proſiliant, (nam omnium Corporum ſemina in vacuum ſpatium ſubito prorumpunt) ac verſus Magnetem proinde ferantur, non poſſunt vero eo contendere, quin pelliciant ſimul cohærentia, (Ferri autem ſemina ſunt maxime implicita) atque idcirco totam Ferri Maſſam: v. 19. Iterea vero, quia Ferrum tendit indiſcriminatim ſurſum, deorſum, tranſverſum, & in quamcunque obliquitatem, prout ad Magnetem appoſitum fuerit, docet non poſſe id fieri, niſi ratione inducti Vacui, in quod Corpora, alioquin deorſum ſolum prolabentia, indiſcriminatim ab ictibus aliorum corporum protrudantur v. 5. CREECH.

907. *Ut ferrum ducere poſſit*] De quo præter alios conſuli poſſunt Proſper Aquitan. de Promiſſ. & Prædict. Dei Parte III. Prom. 38. ubi agit de quadriga ferrea Alexandriæ in Templo Serapidis ſuſpenſa & quaſi in aëre pendente. Tertull. adv. Hermog. c. 44. qui lapidi huic Dei in materia operationem adſimilabat. Theodoret. Gr. Aff. Cur. Serm. V. p. 69. qui cum eodem Divinarum Scripturarum vim comparat. Ferrum denique ſurſum attrahere monuit & Nazianz. in Præcept. ad Virg. verſu 779. HAV.

908. *Quem Magneta vocant* &c.] Vid. Bochartis Geog. Sa. par. Poſt. lib. I. cap. 38. CREECH.

910. *Quippe catenam ſæpe ex annellis, &c.*] Totus hic locus, non admodum obſcurus, illuſtrabitur tamen verbis Platonis in Ione non longe à principio. Videtur enim Lucretius cum hos verſus ſcriberet, verba illa Platonis ſpectaſſe. ſic autem ille: Θεία δὲ δύναμις ἥ σε κινεῖ, ὥσπερ ἐν τῇ λίθῳ, ἣν Εὐριπίδης μὲν μαγνῆτιν ὠνόμασεν, οἱ δὲ πολλοὶ Ἡρακλείαν. καὶ γὰρ αὕτη ἡ λίθος οὐ μόνον αὐτοὺς τοὺς δακτυλίους ἄγει, τοὺς σιδηροῦς, ἀλλὰ καὶ δύναμιν ἐντίθησι τοῖς δακτυλίοις, ὥς τι δύνασθαι τοῦτο ποιεῖν, ὅπερ ἡ λίθος, ἄλλους ἄγειν δακτυλίους· ὥστ᾽ ἐνίοτε ὁρμαθὸς μακρὸς πάνυ σιδηρείων δακτυλίων ἐξ ἀλλήλων ἤρτηται· πᾶσι δὲ τούτοις ἐξ ἐκείνης τῆς λίθου ἡ δύναμις ἀνήρτηται. id eſt, *Divina autem vis eſt quæ te movet, qualis eſt in eo lapide, quem Euripides quidem Magneſium nominavit, plerique autem Heracleum. hic enim lapis non ſolum ipſos annulos ferreos attrahit, verum etiam eam vim inſerit annulis, per quam idem, quod lapis ipſe, poſſint efficere, nempe alios annulos ducere: ita, ut interdum longa admodum ſeries, longaque catena annulorum ferreorum inter ſe apta & connexa ſit: his autem omnibus ex illo lapide vis ac poteſtas inſita pendeat.* LAMB.

913. *Ordine demiſſos*] Sic legi debet, non *ordine demiſſo.* LAMB.

913. *Le-*

Unus ubi ex uno dependet ſubter adhaerens;
Ex alioque alius Lapidis vim, vinclaque noſcit:
Uſque adeo permananter vis pervalet ejus.
Hoc genus in rebus firmandum eſt multa prius, quam
Ipſius reji rationem reddere poſſis:
Et nimium longis ambagibus eſt adeundum:
Quo magis attentas aureis, animumque repoſco.
Principio, omnibus à rebus, quaſcunque videmus,
Perpetuo fluere, ac mitti, ſpargique neceſſe eſt
Corpora, quae feriant oculos, viſumque laceſſant:
Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores,
Frigus ut à fluviis, Calor à ſole, Aeſtus ab undis
Aequo-

INTERPRETATIO.

cum Unus Annulus ex uno, cui ſubter adhæret, pendet; Aliuſque ex alio vim Lapidis attractricem ſentit, tam longe lateque diffunditur penetratque ſubtilis illius & potens virtus. Cum vero de hujuſmodi rebus inquiramus, multa ponenda ſunt, & probanda, antequam rei ipſius rationem poſſis reddere; Per longas ambages procedendum eſt, & hanc præſertim ob cauſam aures attentas & animum attentum poſco. Principio, neceſſe eſt perpetuo fluere, ſpargi, ac mitti ex omnibus rebus, quaſcunque videmus, quædam Corpora, quæ in oculos incurrunt, & laceſſunt viſum; A quibuſdam rebus Odores perpetuo fluunt, ut Frigus à Fluviis, Calor à Sole, Æſtus (Salſus Vapor) à Mari,

VARIÆ LECTIONES.

914. *Unus* &c. Unus ubi corvo (Q1. & X. corno) dependet ſuper ad hærtas Q. X. *ſubter.* ſuper Y.
915 *Ex alioque.* Ex altoque Q. Y.
916. *permananter vis.* permanant; & vis P. *aliam etiam lectionem agnoſcit* P. *in not.*
921. *à rebus.* ab rebus E. *quaſcunque.* quæ cunque P.
922. *mitti ſpargique neceſſe eſt.* mitti fateare neceſſe eſt. A. D. I. L. *Gaſſ.* P. micis parcique Q.
924. *fluunt.* fluant P. *rebus odores.* rebus obortu M.
925 *à fluviis.* è fluviis P.

NOTÆ.

913. *Levibus jactarier auris,*] Secutus ſum libros manuſcriptos; in his Tettianum, & Memmianum: quibuſcum congruunt vulgati Florentini. ceteri habent *levibus jactarier hamis.* quam ſcripturam probare, an improbare debeam, neſcio. Lamb. Quidam libri veteres: *hamis*; etiam recte. ut mox: *vinclaque noſcit.* Gifan. Alii: *Hamis:* Iſti vero fruſtra, Neque enim iſta voce hoc in loco uteretur Lucretius, qua ante verſum 1087. uti non debuit: neque hamis jactantur Annuli, at levibus auris Agitari quis neſcit, qui vidit Annulos ſuſpenſos? Creech.

915. *Noſcit*] Sentit. Faber.

916. *Permananter*] Id eſt, eo modo, ut permanet & perveniat ad multas res ferreas. Lamb.

917. *Hoc genus in rebus*] In rebus hujus generis. Lamb. Προθεωρημάτωσις. Gifan.

917. *Firmandum eſt multa*] Id eſt, multa firmanda ſunt, vel multa firmare oportet, ut ſupra lib. primo, verſ. 112.

Æternas quoniam pœnas in morte timendum. Lamb.

919. *Longis ambagibus*] Longis circuitionibus rerum ac verborum. Virg. Georg. 2: 45.

— *non*

Aequoris exeſor moerorum littora propter:
Nec varii ceſſant ſonitus manare per Aures.
Denique in Os ſalſi venit humor ſaepe ſaporis,
Quom mare verſamur propter; dilutaque contra
Quom tuimur miſceri Abſinthia, tangit Amaror.
Uſqueadeo omnibus ab rebus res quaeque fluenter
Fertur, & in cunctas dimittitur undique parteis:
Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi,
Perpetuo quoniam ſentimus, & omnia ſemper
Cernere, Odorari licet, & ſentire Sonorem.
Nunc omnes repetam quam raro corpore ſint res,
Commemorare, quod in primo quoque carmine claret.
Quip-

INTERPRETATIO.

qui exedit mœnia juxta oras maritimas poſita: Varii etiam ſoni perpetuo volitant per Aures, denique, cum juxta Mare ambulemus, ſalſus ſapor in ora noſtra ſæpe venit, & cum videamus tetra Abſynthia conteri & miſceri, Sapor amarus linguam afficit. Ita res aliquæ ab omnibus rebus perpetuo fluunt, & in omnes undique partes dimittuntur; Nec ullo temporis momento ceſſant a fluendo, quippe perpetuo ſentimus, & ſemper poſſumus videre rem quamlibet, Odores etiam & Sonos ſentire. Nunc quod olim in primo libro docui, repetam quam raro corpore res ſint, Nam quamvis illud recte percipere ſit utile

VARIÆ LECTIONES.

927. *per Aures.* per auras C. E. N. P. Q. Y. Z.
930. 931. Hic abſunt, ſed collocantur poſt verſ. 935. Q. Y. Z.
935. *Sonorem.* ſonare A. B. C. H1. 2. P. X. Y. Z. ſanare O.

NOTÆ.

——— *non hic te carmine ficto,*
Atque per ambages, & longa exorſa tenebo. LAMB.

921. *Principio, omnibus a rebus,* &c.] Sic fere ſupra libr. 4: 217.

——— *Quare etiam atque etiam mitti hæc fateare neceſſe eſt*
Corpora, quæ feriant oculos, viſumque laceſſant, &c. ibi enim duodecim verſus, qui hic deinceps ſequuntur, ſine ulla fere varietate poſiti ſunt. LAMB.

924. *Certis ab rebus odores*] Marullus, & Lambinus: *obortu*, contra omnes libros; male. Vide ſupra, lib. IV. verſ. 219. GIFAN. In tertia tamen edit. Lambinus, *odores*, reſtituit.

926. *Exeſor mœrorum*] Sic legi debet: & ita ſcriptum reperitur in quattuor libris manuſcriptis, & aliquot vulgatis. *mœrorum* autem poſitum pro *murorum*, *œ* pro *u*: ut a *pœna pœniri*, ſeu *puniri*; à *Pœnis*, *Punicus*, *a*, *um*. de quo ſup. l. 4: 229. ubi hi verſus jam ante poſiti ſunt, ut dixi. LAMB. Ita (*mœrorem*) veteres libri. GIFAN.

927. *Per auras*] Legendum *per aureis*. LAMB.

927. *Aures*] In libris: *auras*. Sed vide ſupra, lib. IV. verſ. 222. GIFAN.

930. *Cum tuimur miſceri*] Hunc verſum profert Priſcianus lib. 8. LAMB.

935. *Cernere, &c*] Vide ſupra, lib. IV. verſ. 230. GIFAN.

936. *Nunc omnes repetam*] Nunc, inquit, denuo commemorabo, quam raro corpore ſint præditæ res genitæ. nihil eſt enim omni ex parte ſolidum, præter primordia rerum: & rebus omnibus genitis admiſtum eſt inane, ut docuit lib. I. LAMB.

937. *Quod in primo quoque carmine*] Primo libro. ibi enim de inani diſputavit. LAMB. & FAB.

937. *Claret*] Declaratur, oſtenditur. LAMB.

 941. *Niſi*

Quippe etenim, quamquam multas hoc pertinet ad res
Noſcere, cum primis hanc ad rem protinus ipſam,
Qua de diſſerere adgredior, firmare neceſſe eſt,
Nil eſſe in promptu, niſi miſtum Corpus Inani.
Principio fit, ut in ſpeluncis ſaxa ſuperna
Sudent humore, & guttis manantibus ſtillent:
Manat item nobis è toto corpore Sudor,
Creſcit barba, pilique per omnia membra, per artus:
Diditur in venas cibus omneis, auget, alitque
Cor-

INTERPRETATIO.

ad explicanda multa Naturæ Phœnomena, tamen ad hanc rem, de qua jam diſputo, declarandam imprimis neceſſarium eſt probare, Nihil in rerum Natura eſſe niſi Corpus Inani mixtum. Primum in cavernis ſaxa ſuperna ſudant humore, & guttulis fluentibus diſtillant; è toto etiam noſtro Corpore Sudor manat. Barba creſcit, & Pili per omnia noſtra membra & Artus, Alimentum omne in venas diſtribuitur, alit, atque auget

VARIÆ LECTIONES.

938. *claret*, dixi Q1. dare Y. Z.
941. *miſtum Corpus Inani.* niſi Corpus mixtum Inani A. B. D. Y. Z.
946. *Diditur in.* Ita A. B. C. D. E. N. P. Q1. Y. Z. Diditus in L. & *alii.*

NOTÆ.

941. *Niſi corpus mixtum inani*] Ita ex quibuſdam Veteribus ſcripſi, poſcente etiam cum ordinem ſententia. In Aliis: *miſtum corpus.* Gifan.

943. *Sudent humore*] Tralatio eſt à rebus animatis. Sic ſupra tranſlate dixit, lib. 5: 1128.

——— *ſanguine ſudent.*

ſed infra verſ. 1145. proprie:

Sudabant etiam fauces intrinſecus atro
Sanguine. Lamb.

946. *Diditus in venas*] Si *diditur* legamus, interpretandum erit *diſſipatur*, *diſpergitur*, *ac diſtribuitur*, à verbo *dido*, *is*, *dididi*, *diditum.* malim autem legi *Diditus*, ut ſit hæc ſententia: cibus in venas omneis diditus, auget alitque etiam extremas parteis corporis. quanquam ſi *diditur* legas, eadem fere ſententia erit. cum hoc loco congruit ille lib. 1: 351.

Diſſupat in corpus ſeſe cibus omne animantum. Lamb.

946. *Diditur*] Forte legendum: *Diditus.* Gif. Sive *Diditus*, ſive *Diditur* legas, perinde eſt. Creech. Neque ego pugnarem, niſi pro poſteriori MSS. codd. ſtarent. Hav.

950. *Quom pocula plena tenemus*] Sic ſupra libr. 1: 495.

Permanat calor argentum, penetraleque frigus,
Quando utrumque, manu retinentes pocula rite,
Senſimus infuſo lympharum rore ſuperne. Lamb.

951. *Per diſſæpta domorum*] Id eſt, per parteis domorum diſſæptas. *diſſæptas* autem, hoc eſt, in diverſis partibus ſæptas. lib. 1: 490.

Tranſit enim fulmen cæli per ſæpta domorum,
Clamor ut, ac voces. Lamb.

952. *Permanat odos, friguſque, vapoſque*] Sic legendum, & ita legit Nonius Marcellus, neque aliter habent libri manuſcripti. Lamb. Ita in Veteribus noſtris; & Nonius. Gifan.

952. *Vapoſque ignis*] Et calor ignis. Lamb.

953. *Quin ferri quoque vim*] Id eſt, ferrum. Lamb.

953. *Suëvit, undique qua*] Sic & diſtinguendum, & legendum. *ſuëvit* autem nempe morbida vis. Lamb.

954. *Qua circum corii lorica coërcet*] Cum olim hanc lectionem ſecutus eſſem,

Qua circum corpus lorica coërcet,

hæc quæ ſequuntur, his fere ipſis verbis ad hunc lo-

Corporis extremas quoque parteis, unguiculoſque.
Frigus item tranſire per aes, calidumque vaporem
Sentimus: ſentimus item tranſire per aurum,
Atque per argentum, quom pocula plena tenemus.
Denique per diſſepta domorum ſaxea Voces
Pervolitant, permanat Odos, Friguſque, Vapoſque
Ignis: quin Ferri quoque vim penetrare ſuëvit,
Undique qua circum corpus lorica coërcet;

Mor-

INTERPRETATIO.

extremas partes Corporis, *imo Ungues: Sentimus etiam Frigus*, *& Calorem tranſire per Æs*, *per Aurum*, *atque Argentum*, *cum Ærea*, *aut Argentea pocula liquore calido vel frigido plena manibus tenemus. Denique Voces penetrant ſaxea diſſepta (parietes) domorum*, *Odor permanat*, *Friguſque*, *Calorque Ignis*, *quinetiam vis Morbi quæ extrinſecus inſinuatur tranſire ſolet per ipſum Ferrum*, *qua Lorica circum coërcet corpus.*

VARIÆ LECTIONES.

947. *unguiculoſque.* unguiculaſque P. *utramvis lectionem probat* P. *in not.*
950. *plena.* piana Q. X.
952. *Odos.* Odor Y. Z.
953. *quin Ferri.* qui ferri K. P. Q. Y. Z. *ſuëvit.* ſuerit P.
954. *Undique qua circum corpus lorica coërcet.* Denique qua C. E. K. N. P. Q1. V. X. corii L. quam circum corii F. coli A. B. colli C. E. N. Q. X. cœli Y. Z. colli lorica cohæret c. P.

NOTÆ.

locum annotaram: Penetrare (inquam) ſuevit vis morbida ferrum ea parte, qua parte lorica corpus undique circum coërcet: id eſt, morbus etiam loricatum tentat & corripit: neque lorica, quæ totum hominis corpus tegit & circundat, arcere vim & cauſam morbi externam poteſt, quominus in corpus penetret. Secutus autem ſum codices Florentinos. Nam ceteri vulgati partim habent

Qua circum colli lorica cohæret:

partim,

Qua circum colli lorica coërcet.

manuſcripti autem partim,

Qua circum corii lorica coërcet,

ut Tettianus: partim,

Qua circum coli lorica coërcet,

ut Vaticanus; partim,

Qua circum cœli lorica coërcet,

ut Memmianus: partim,

Qua circum corpus lorica coërcet,

ut Faërn. Neque vero mihi placet cujuſdam amici mei, quamvis doctiſſ. ſententia, qui cenſet legendum,

Qua circum collo lorica cohæret:

vel:

Qua circum colli lorica coërcet.

nam lorica non ſolet collum tegere, neque undique & *omni ex parte* (id eſt enim *circum*) collo cohærere, neque *circum* (id eſt circuitum) colli coërcere, ſeu ambire, ſed pectus, ventrem, & latera operire. M. Tull. orat. pro Mur. *Deſcendi in campum cum fortiſſimo præſidio fortiſſimorum virorum, & cum illa lata inſignique lorica, non quæ me tegeret: etenim ſciebam Catilinam non latus, aut ventrem, ſed caput & collum ſolere petere, &c.* Hæc (inquam) olim annotaram. Nunc attentis antiquis ſcripturis, multumque ac diu conſideratis, *coli*, *cœli*, *colli*, *corii*, neque tamen dijudicatis, eam tandem, quam mihi fors obtulit, ſumſi, & in contextum Lucretii conjeci, non

 hanc

Morbida vis quaecunque extrinſecus inſinuatur.
Et tempeſtates terra coeloque coörtae

E

INTERPRETATIO.

Denique Tempeſtates in Cœlo vel Terra ortæ ſubito è Cœlo aut Terra erumpentes penetrant omnia, & permanant,

VARIÆ LECTIONES.

955. *Morbida vis quæcunque extrinſecus inſinuatur.* Fervida vis *Creech.* vi quacunque K. viſque ſimul cum extrinſecus C. E. N. P. Y. Z. vis ſimulacrum extrinſecus V. vis ſimul cum extrinſecus Q. vis que ſimul cum excuſſeris H2.

956. *Et tempeſtates terra cœloque coörtæ.* Nam F. tempeſtatem coörtam F. H2. tempeſtate in terra coörta Q. X. Y. tempeſtatem Z.

NOTÆ.

hanc cæteris anteponens, ſed rem totam in medio relinquens, & judicio ingenioque lectoris permittens. Omnino ulcus eſt in voce *colli*, aut *cæli*, &c. *circum* integra vox eſt: accuſandi enim caſus eſt à recto *circus*: ita ut hæc ex his verbis ſententia elici poſſit, qua parte lorica circulum & ambitum corii, quod loricæ ſupponitur & ſubjicitur, coërcet, ea parte vis morbi penetrare poteſt, aut conſuevit. licet etiam per *corii circum* pellem, quæ totum hominis corpus ambit, intelligere. neque vero novum eſt, aut inuſitatum, *corium* poni pro *pelle*, quæ corpus hominis ambit. Nam vel Plaut. unus hujus ſignificationis locuples auctor eſſe poteſt. Quod autem nonnulli legunt, *coli circum*, ſeu *colobi:* amplius deliberandum cenſeo. *colobi* mihi placeret; ſi libri veteres adjuvarent. LAMB. *Qua circum celi lorica* fere Veteres. In quibuſdam Veteribus: *cæli.* Quidam: *corii.* Vulgati: *colli.* Mihi aqua hæret. Lambinus: *corpus.* GIFAN. Quanto ego hos verſus antentius conſidero, tanto illos magis inquinatos judico, & fere deperditos. Quid enim dicam aliud? Videlicet eorum ſententia eſſe nulla alia poteſt, quam hæc: [*Quin etiam morbida vis* vulgo *penetrat ferrum; & tempeſtates cœlo terrave coortæ, in cœlum & terram faceſſunt repente.*] Orationem vero mire περιπλεκτὴν ſcilicet! Turnebus quidem ſecundum verſum ita exponit, ut *per loricam cæli*, ambitum cœli, cœli tegmen, & cœli amictum, ut alibi locutus eſt Lucretius, interpretetur; quam expoſitionem Salmaſius, immemor ſcilicet, quaſi ſuam attulit. Itaque ex ſententia virorum doctiſſimorum, *qua circum cæli lorica coërcet*, nil aliud ſignificabit, quam *ubique*, ſeu *per univerſum mundum*; De qua interpretatione aliorum judicium erit. Ipſe autem conjecturam meam aperiam, quæ ab ingenio quidem eſt, ſed & veſtigiis librorum Florentinorum nititur.

——— *quin ferri quoque vim penetrare ſuëvit,*
Undique quam *circum* corii *lorica coërcet,*
Morbida vis, quæcumque extrinſecus inſinuatur;
(NAM *tempeſtatem cælo terrave coortam*
Vel ferri natura timet, circumque fatiſcit.)

Senſus erit, vi tempeſtatis ferrum ipſum diſcuti & diffringi, non itaque debere tantopere mirum videri, ſi per poros & meatus loricæ corio munitæ morbida vis, ſeu peſtilens, acrior & noxius aër quandoque inſinuetur. Librorum autem Florentinorum lectio, cujus ductu hæc ſcribo, talis eſt:

Nam tempeſtatem terra cæloque coörtam
In cœlum terraſque timet, circumque fatiſcit.

In conjectura noſtra, *vel ferri natura*, &c. eſt, *vel ferrum ipſum*; neque aliter Lucretius. Cetera in Notis; ſeu quæ ad variantes lectiones, ſeu quæ ad interpretationem, pertinebunt. FAB. Ita aliquando *Lambinus*, viz. Penetrare ſuëvit vis morbida Ferrum ea parte, qua parte Lorica corpus undique circum coërcet: id eſt, Morbus etiam Loricatum tentat, & corripit; neque Lorica, quæ totum Hominis corpus tegit & circumdat, arcere vim & cauſam Morbi externam poteſt, quo minus in Corpus penetret: In iterata editione legit, *qua circum Corii lorica*, id eſt; qua parte circulum & ambitum corii, quod Loricæ ſupponitur, & ſubjicitur, coërcet. Giſanius, *Coli circum*: Coli autem circus ſive circulus:

E caelo emotae terraque repente faceſſunt,

Quan-

INTERPRETATIO.

quoniam in rerum Natura nullum eſt Corpus,

VARIÆ LECTIONES.

957. *E cœlo emotæ terraque repente faceſſunt*. In cœlum terraſque remotæ jure faceſſunt A. B. C. E. I. N. P. Q. X. Y. Z. In cœlum terraſque remota è jure faceſſunt V. Vel ferri natura timet circumque fatiſcit F. In cœlum terraſque timet arcumque fatiſcit H2.

NOTÆ.

lus; eſt Pectus, Venter; & latera; vel potius *Colobi circum*, Nam *colobium* ambiebat Pectus, cui *Colobio* inducebatur inſuper Lorica. Salmaſius Epiſt. 52. ita conſtituit:

Permanat odos, friguſque, vapoſque
Ignis, qui *Ferri quoque vim penetrare ſuëvit.*
Denique, qua circum cœli *lorica coërcet,*
Morbida vis quacunque extrinſecus inſinuatur.

Poſtremo inquit, quacunque, qua circum Cœli lorica coërcet, id eſt ſub Cœli tegmine, vel, ut alibi, qua nos Cœli ambit amictus, morbida vis Corporibus inſinuatur. Faber tandem,

Quin ferri quoque vim penetrare ſuëvit
Undique quam *circum* corii *lorica coërcet*,
Morbida vis quæcunque extrinſecus inſinuatur.
Nam tempeſtatem *Cœlo*, *Terrave* coörtam
Vel Ferri natura timet, circumque fatiſcit.

Senſus erit, vi tempeſtatis Ferrum ipſum diſcuti & diffringi, non itaque debere tantopere mirum videri ſi per poros & meatus Loricæ corio munitæ Morbida vis, ſive peſtilens & noxius Aër quandoque inſinuetur. Nihil placet, at quid addam vix habeo: Quid enim de *Loricato* Lucretius, quis enim unquam crediderit vim Morbidam militis loricati loricam penetrare? Quid inſuper de Cœli ambitu? Nugæ, imo Nihil. Igitur pro Morbida Vis in v. 955. legatur *Fervida Vis*, & tum plana erunt omnia & perſpicua; ſæpe enim loricati milites, dum urbem expugnant, Pice, Sulphure, ſeu Aqua fervente aſperſi vim fervidam loricas ſuas penetrantem ſenſerunt. Hæc optime conveniunt præcedentibus, & ſequentes verſus mihi videor recte explicare. CREECH. Adde Fl. Joſephum de Bello Jud. l. 3. c. 7. §. 28. ubi agit de defenſione Jotapatana. *Morbidam* vero videtur vocaſſe vim fervoris pice vel oleo ferventi illatam, quod omni morbo ſit intolerabilior. HAV.

955. *Morbida vis, quæcumque extrinſecus*] Cum à duob. lib. manuſcript. abeſſe animadvertiſſem vocem, *ſimul*, atque in eis ita ſcriptum reperiſſem,

Morbida vis quæcumque extrinſecus.

orta mihi continuo ſuſpicio eſt, eam particulam eſſe inculcatam ad verſum mutilatum ſupplendum, cum à Lucretio ſcriptum eſſet,

Morbida vis, quæcunque extrinſ. inſin.

Ideo autem addidit,

——— ——— *Quæcumque extrinſ. inſinuatur*;

ut quæ ex cælo corrupto naſcitur: quia interdum morbi oriuntur intrinſecus, ut ex vitioſo corporis habitu, aut immoderatis animi affectibus. Vulgata autem lectio,

Morbida viſque ſimul cum extrinſ. &c.

incepta & inconcinna eſt. LAMB.

955. *Vis, quæcumque extrinſecus*] Ita in libris noſtris. Vulgati, & in quibuſdam Veteribus: *viſque ſimul cum..* Lambinus fecit *quæcunque*; etiam recte. GIFAN. Sic ille, in utraque editione. Aliud quidpiam in contextum videtur voluiſſe referre, quod tamen divinare non poſſum. PREIG.

957. *In cælum terraſque remotæ jure faceſſunt*] Ita fere omnes libri, manu formiſque deſcripti. Lambinus hæc mutavit; non recte. GIFAN.

957. *E cælo emotæ, terraque repente faceſſunt*] Sic hunc verſum reſtitui, cum in codic. Tettiano ita ſcriptum reperiſſem,

In cælo, terraque remotæ faceſſunt.

facile enim ſuſpicatus ſum primum à librario factum eſſe ex *emotæ*, *remotæ*, deinde propter vocum ſimilitudinem, omiſſam eſſe vocem *repente*: atque ita ordinem & caſum vocabulorum eſſe immutatum: poſtremo additam vocem *jure* ad verſum perficiendum. Nam libri vulgati ſic habent,

Nam

Quandoquidem nihil eſt, non raro corpore nexum.
Huc accedit, uti non omnia, quae jaciuntur
Corpora cunque ab rebus, eodem praedita ſenſu,
Atque eodem pacto rebus ſint omnibus apta.
Principio, Terram, Sol excoquit, & facit are:
At glaciem diſſolvit, & altis montibus alte
Exſtructas ningueis radiis tabeſcere cogit,
Denique cera liqueſcit in ejus poſta vapore,

Ignis

INTERPRETATIO.

quod non eſt rarum, ſeu quod poros & meatus non habet. His adde, quod omnia Corpora quæ è rebus emittuntur non ſunt ejuſdem conditionis & figuræ; neque pariter rebus omnibus conveniunt, aut eodem modo in res omnes agunt: Primum Sol urit, & arefacit Terram, at diſſolvit glaciem, & nives altis montibus alte exſtructas radiis ſuis cogit tabeſcere; Denique cera ab illius colore liqueſit,

VARIÆ LECTIONES.

958. *non raro.* niſi raro C. E. N. P. V. Z.
963. *montibus alte.* montibus altas H2. P. X. Y. Z.
964. *Exſtructas ningueis.* Extructaſque niveis radiis c. H2. O. P. Q1. Extructas ningues, *alii codd.* P. *in not.* Exſtinctas &c. Q. X. Exſtructas nives Y.
965. *liqueſcit in.* liquefit in V. Y. *in ejus poſta.* in ignis poſta c. O. P.

NOTÆ.

Nam tempeſtates terra, cæloque coörtæ,
In cælum, terraſque remotæ jure faceſſunt:
præter Florentinos, in quibus impreſſum eſt,
Nam tempeſtatem terra, cæloque coörtam,
In cælum, terraſque timet, circumque fatiſcit.
emovere autem, eſt *extra movere, & ejicere, atque expellere.* Virgil. libr. 6: 382.
His dictis curæ emotæ.
Horat. od. 15. lib. 4: 11.
——— *emovitque culpas,*
Et veteres revocavit arteis.
Zoilus hanc emendationem non probavit. At probatur tribus viris totius noſtræ Galliæ doctiſſimis & optimis, & utroque nomine Zoili diſſimillimis. Lamb.

957. *Faceſſunt*] Diſcedunt. M. Tull. 1. de legibus, *Paullisper faceſſant, rogemus.* idem in Hortenſ. *Faceſſant igitur omnes, qui docere nihil poſſunt, quo melius ſapientiuſque vivamus.* Plautus Rud. 4: 4: 18.
Siquidem ſis pudicus, hinc faceſſas.
Lamb. Diſcedunt, Lambinus; Mallem, Penetrant, & pervadunt omnia. Creech.

958. *Quandoquidem nil eſt, non raro corpore*] Hæc ratio valet ad ea omnia quæ proxime dixit, nihil eſſe factum aut genitum, quod non ſit raro corpore connexum. quod docuit libro primo 330:
Nec tamen undique corporea ſtipata tenentur
Omnia natura: namque eſt in rebus inane.
& 369.
Eſt igitur nimirum id, quod ratione ſagaci
Quærimus, admiſtum rebus, quod inane vocamus.
Lamb.

959. *Huc accedit, uti non*] Adde (inquit) quod non æque omnia corpora, quæ ex rebus omnibus fluunt, rebus omnibus apta ſunt, neque res omnes peræque in res omneis vim ſuam expromunt atque explicant.

962. *Et facit are*] Ἀναξηραίνει, *facit are*, pro *arefacit.* Lamb. Ita fere Tibullus, lib. 1. Eleg. 1: 18. *ponitur ante*, pro: *anteponitur.* Gif. Id eſt *arefacit.* exempla ad I. lib. congeſta ſunt. Fab.

963. *Et alte exſtructas*] Id eſt, & exaggeratas, & ita confertas, denſas, ut ſæpe alibi. Lamb.

964. *Nin-*

Ignis item liquidum facit aes, aurumque reſolvit:
At coria, & carnem trahit, & conducit in unum.
Humor aquae porro ferrum condurat ab igni,
At coria, & carnem mollit durata calore:
Barbigeras oleaſter eo juvat uſque Capellas,
Diffluat ambroſia quaſi vero, & nectare tinctus:
At nihil eſt, Homini frunde hac quod amarius exſtet.

De-

INTERPRETATIO.

Ignis item liquefacit Æs, & reſolvit Aurum, at contrahit Coria & Carnem, & in unum conducit: Deinde Aqua indurat Ferrum, quod ab Igne cœpit molleſcere, at Coria & Carnem ab Igne conduratā emollit: Oleaſter Capris Barbatis adeo gratus eſt, ut Nectaris & Ambroſiæ ſuccos continere videatur, Homini vero nihil eſt frondibus iſtius arboris amarius;

VARIÆ LECTIONES.

966. *liquidum facit æs.* liquidum facile æs P. *in not.* Q1. liq. favilies Q.

970. *oleaſter eo.* celaſter eo Y.

971. *Diffluat ambroſia.* Effluat C. E. X. Effluat ambroſiam P. Effluat ambroſias V. X. Effluat ambroſia Y. Z. *tinctus.* intus Q1.

972. *At nihil eſt, Homini frunde hac quod amarius exſtet.* Qua nihil eſt homini, quod amarum frondeat æque C. E. N. ex ſe H2. Qua n. e. h. quod marius fronde ac extet Q1. Qua nih. e. h. quod in arvis frondeat extet Q2. Y. Z. Qua nihil, &c. quod amarius fronde exiſtat V. Qua, &c. amarius fronde hac extet V. At nihil eſt homini, fronde hac quod amarius extet c. *Sic* & O. *ſed* hac *abeſt.* At nihil eſt homini, quod amarius fronde hac extet A. B. D.

NOTÆ.

964. *Ningueis*] Niveis. ſupr. eodem lib. 736.
——— *albas deſcendere ningueis*
Tabificis ſubigit radiis. LAMB.

964. *Tabeſcere*] Liqueſcere, τήκεσθ. ſic ſup. radios ſolis *tabificos* dixit, quia niveis liquefaciant. LAMB.

965. *Denique cera*] Hac tota de re lege Ariſtot. lib. 4. meteor. LAMB.

965. *Liqueſcit*] Quidam libri manuſcripti habent *liqueſit.* LAMB. Veteres quidam: *liqueſit.* Ita & inf. verſ. 1003. variatum. GIFAN.

965. *In ejus*] Alii, *In Ignis.* CREECH.

965. *In ejus poſta*] Quidam libri habent *in ignis poſta vapore.* LAMB.

967. *Conducit in unum.*] Συνάγει εἰς ἕν. ſic ſupra lib. 1: 398.
——— *& parteis conducere in unum.* LAMB.

968. *Ferrum condurat ab igni,*] Ferrum candens & igni calefactum aqua condurat. Ita fit στόμωμα, id eſt acies (inquit Ariſtot. lib. 4. meteor. cap. 6.) ſubſidit enim, & expurgatur fæx, & ſcoria. Quo ſæpius autem ferrum igni mollitum, in aquam frigidam conjicitur, & refrigeratur, eo fit purius, ac ſolidius; atque ex tali ferro fit acies. LAMB.

970. *Barbigeras oleaſter eo juvat*] Capræ enim delectantur frondibus amaris, ut ſalicibus. Virgilius Tityro, ſeu Ecl. 1: 79.
Florentem cythiſum, & ſalices carpetis amaras.
Oleaſtri autem frondes, amaræ ſunt. idem Virgilius Georg. 2: 314.
Infelix ſuperat foliis oleaſter amaris.
cum hoc loco conferre proderit eum qui eſt libr. 4: 644.
Præterea nobis veratrum eſt acre venenum:
At capris adipes, & coturnicibus auget. LAMB.

971. *Diffluat*] Sic legendum, non *effluat.* LAMB.

972. *At nihil eſt homini, quod amarius fronde hac exſtet*] Ita ex Veteribus noſtris ſcripſi. Vulgati:

——— ho-

Denique Amaracinum fugitat Sus, & timet omne
Unguentum; nam, ſetigeris ſubus acre venenum eſt,
Quod nos interdum tanquam recreare videtur.
At contra Nobis Coenum teterrima quom ſit
Spurcities, eadem Subus haec res munda videtur,
Inſatiabiliter toti ut volvantur ibidem.

Hoc

INTERPRETATIO.

Denique Sus fugit Amaracinum, & timet omne Unguentum, Illud enim eſt Subus vehementer ingratum, quod Nos Homines interdum juvat, & recreat: At è contra, cum Cænum ſit nobis ingratiſſima ſpurcities. Subus tamen adeo jucunda eſt, ut in illa inſatiabiliter toti volvantur.

VARIÆ LECTIONES.

977. *Subus hæc res munda.* ſuibus hæc munda C. E. N. ſubus hæc jucunda D. I. H2. P. Subus hæc munda Z. Sub. h. civunda Y.
978. *toti ut.* tuti ut c. O. P.

NOTÆ.

—— *homini, quod amarum frondeat æque.* Gif.

972. *At nihil eſt homini fronde hac quod amarius exſtet*] Secutus ſum ſcripturæ veteris, quamvis corruptæ, veſtigia. ſic enim habent lib. manuſcripti nonnulli,

At nihil eſt homini quod majus fronteat exſtet:
alii ſic,

Quo nihil eſt homini quod amarius frondeat exſtet:
Memmianus ſic,

At nihil eſt homini quod mari frondeat, ac exſtet.
Vulgati autem aliquot hoc modo,

Qua nihil eſt homini quod amarum frondeat æque.
Pariſienſ. & Veneti antiq. & Lugdunenſ. ſic habent: plane ut nos excudendum curavimus. quidam hunc verſum non putant eſſe Lucretianum. Zoilus pro hoc verſu illum ſubſtituit plane ſe dignum: ita ut liceat mihi hoc loco vetus illud verbum uſurpare, ſimileis habent labra lactucas: verumtamen illum ſubſtituit,

At nihil eſt homini, quod amarius frunde hac exſtet.
Et, O Lucreti, ſub terram abdite, non refers gratiam homini tam bene de te merito, qui taleis verſus tibi largitur? Lamb.

673. *Amaracinum*] Unguentum ex amaraco. Lamb.

973. *Et timet omne unguentum;*] Itaque ſic dici ſolet, ſui gratius eſſe & ſuavius olere cœnum, quam unguentum. Lamb.

974. *Nam, ſetigeris*] Sic lib. 5: 968.

Setigeriſque pares ſuibus.
& Virg. libr. 7: 17.

Setigerique ſues atque in præſepibus urſi. Lamb.

975. *Tamquam recreare*] Εἰκῶν, quaſi reficere. Lamb.

976. *At contra cœnum*] Hunc verſum cum ejus qui deinceps ſequitur principio, profert Nonius, in nomine *ſpurcities.* Lamb.

977. *Eadem ſubus hæc jucunda videtur*] Ita in libris noſtris; & Marullus. Vulgati: *quibus hæc munda.* Lambinus: *ſubus hæc res munda*; contra veteres libros. Gifan.

977. *Eadem ſubus hæc res munda videtur*] Magna eſt etiam hoc loco librorum manuſcript. varietas ac diſſenſio. alii enim ſic habent,

Eadem ſubus hæc munda videtur.
cui ſcripturæ deëſt ſyllaba ad verſus perfectionem. ſic,

Eadem ſubus hæc immunda videtur.
ex qua facta eſt hæc vulgata, quæ reperitur in libris Pariſienſib. & Florent.

Eadem ſubus jucunda videtur.
nam alii vulgati habent,

Eadem ſuibus hæc munda videtur.
ego vel ſic ut excudendum curavi, à Lucretio ſcriptum eſſe arbitror: vel ſic,

Eadem ſubus res hæc munda videtur:
vel ſic,

Eadem ſuibus res munda videtur.

Scri-

Hoc etiam ſupereſt, ipſa quam dicere de re
Adgredior, quod dicendum prius eſſe videtur.
Multa foramina quom variis ſint reddita rebus,
Diſſimili inter ſe natura praedita debent
Eſſe, & habere ſuam naturam quaeque, viaſque,
Quippe etenim varii ſenſus Animantibus inſunt,

Quo-

INTERPRETATIO.

Sed priuſquam de ipſa re diſputo, Hoc videtur declarandum; Nempe cum multi ſint in diverſis rebus meatus, iſti meatus debent eſſe inter ſe diſſimiles, & ſinguli debent habere propriam figuram, propriamque circumſcriptionem. Nam in Animalibus ſunt varii ſenſus,

VARIÆ LECTIONES.

979. *quam dicere.* quia dicere c. P.
984. *varii.* variis P.

NOTÆ.

Scripturam vero, quam reponit Zoilus,

Eadem ſubus hæc jucunda videtur,

appingat ipſe ſuis chartis. Nam quid ſibi vult *hæc jucunda*, monſtrum hominis? quo pertinet pronomen *hæc*? ad *cœnum* ne? an ad *ſpurcities*? ſi ad *cœnum*, convenit: ſi ad *ſpurcities*, abſurdum. Poſtremo, quid ſibi vult hic ſermo, *jucunda videtur*? Nam diceret potius *jucunda eſt*. Quod autem ad hujus loci ſententiam attinet, *Suum generi* (inquit Plin. lib. 8. cap. 51.) *in luto volutatio grata. Animalium* (inquit idem ille) *hoc maxime brutum.* Itaque *animam ei pro ſale datam* non illepide exſtimabant. quod & M. Tull. retulit lib. 5. de finibus, & Varro lib. 2. de re ruſt. Idem Plin. *In luto ſuum requies eſt, ut in lavacro hominum.* eodem pertinet illud Horat. epiſt. 2. lib. 1: 26.

Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus. LAMB. Alii: *Hæc jucunda*, viz. Spurcities, quæ lectio, quicquid ſentit *Lambinus*, ferri poteſt. CREECH. Vel ſcribendum cenſeo

——— *eadem Suibus hæc munda videtur,*

ut ſubintelligatur *ita*, *tam*, vel *ſic*; vel reponendum

——— *eadem Subus hæc ſic munda* &c.

nam in altero Lugd. Bat. legitur, tantum *Subus munda*, in altero *Subus hæc cinunda*, quibus poſterioribus illud *ſic* includi videtur. Lambini certe *res* nullam MSS. habet auctoritatem. HAV.

978. *Volvantur*] Ex quo *volutabrum.* Virgil. Georgic. 3: 411.

Sæpe volutabris pulſos ſilveſtribus apros
Latratu turbabis agens.

Itaque ſues appellantur à Latinis *volutares*, à Græcis χαμαιευνάδες. LAMB.

979. *Hoc etiam ſupereſt*] Aliud poſtremo præponit, antequam de magnetis natura diſputet, & prius quam, quamobrem ferrum attrahit, rationem afferat, nempe de variis variarum rerum viis ac foraminibus: quorum foraminum varietas & diſſimilitudo oritur ex primorum corporum diſſimilitudine, ut docet lib. 4: 634.

Nunc aliis alius cur ſit cibus, ut videamus,
Expediam, &c.

cui loco adjunge & ea quæ diſputantur lib. 2: 381.

Perfacile eſt jam animi ratione exſolvere nobis,
Quare fulmineus multo penetralior ignis, &c. LAMB.

984. *Quippe etenim varii ſenſus, &c.*] Cum hoc loco confer eum qui eſt lib. 2: 682.

Hæc igitur variis debent conſtare figuris.
Nidor enim penetrat, qua ſuccus non it in artus:
Succus item ſeorſum, & rerum ſapor inſinuatur
Senſibus, ut noſcas primis differre figuris, &c.

& eum qui eſt libr. 4: 677.

Nunc age, quo pacto nareis adjectus odoris
Tangat, agam, &c. LAMB.

986. *Nam*

Quorum quiſque ſuam proprie rem percipit in ſe.
Nam penetrare alià ſonitus, aliàque ſaporem
Cernimus è ſuccis; alià Nidoris odores,
Propter diſſimilem naturam, textaque rerum:
Praeterea manare aliud per Saxa videtur:
Atque aliud per Ligna: aliud tranſire per Aurum:
Argentoque foras aliud, Vitroque meare.
Nam fluere hac Species, illac Calor ire videtur:
Atque aliis aliud citius tranſmittere eâdem.
Scilicet id fieri cogit Natura viarum,

Mul-

INTERPRETATIO.

& unuſquiſque iſtorum ſenſuum proprium ſuum objectum proprio modo receptum in ſe percipit, Cernimus enim Sonos per alios meatus tranſire, Sapores per alios, & per alios Odores. Praeterea aliud videtur tranſire per Saxa, aliud per Ligna, aliud per Aurum, & Argentum, per Vitrum aliud: Nam Per Vitrum Species & Imagines rerum, per Aurum &c. Calor tranſit; Aliud quoque citius & facilius alio per eandem rem & eoſdem meatus videtur tranſire, illud enim facit meatuum natura, quæ varia & diverſa eſt, ut paulo ante docui,

VARIÆ LECTIONES.

986. *alià aliàque.* alio alioque A. B. C. D. E. I. N. P. Y. Z.

987. Poſt hunc leguntur verſ. 994. 995. C. E. P. Q. *atque ibid. in* Q. *repetuntur. alià.* alio A. B. C. D. E. I. N. P. X. Y. Z.

988. Hic poſt verſ. 995. collocatur A. B. D. L. I. *Gaſſ.* N. Y. Z. *Præterea.* Propterea P. Q. X.

989. *aliud per Ligna.* aliud tignis, aliud C. E. N. P. Q1. lignis Y. Z.

991. *ire videtur.* ille videtur *Gaſſ.*

993. *eadem.* eandem C. P.

NOTÆ.

986. *Nam penetrare alia ſonitus*] Sic libro 2: 388.

Præterea lumen per cornu (ſeu *cornum*) *Tranſit: at imber*
Reſpuitur. quare? &c.

& lib. 4: 599.

Quod ſupereſt, non eſt mirandum, qua ratione, &c. totumque adeo locum legito, ubi de vocis, ſuccorum, & odoris ratione differit. legendum autem ut edidi,

——— ——— *Alia ſonitus, aliaque ſapores,*
Cernimus è ſucc. alia nidoris odores:

non, ut vulgo, *alio ſon.* &c. Hoc enim ſignificat Lucr. quod & lib. 4. docuit, per alias vias odores, per alias ſapores, per alias ſonitus meare & penetrare. At adverbium *alia* hoc valet: *alio* vero, *in alium locum.* Argumento eſt præterea id quod ſequitur,

Nam fluere hac ſpecies, &c.

Nam *hac*, id eſt *per hanc viam.* Lamb. Sine omni judicio Giſan. in utraque editione ſcripſit *alio*, *alioque*; cum agatur de meando, penetrando, ſubeundo; unde mox legas, *per ſaxa*, *per ligna*, *per aurum*, & *meare vitro*, id eſt, per vitrum. Faber.

992. *Nam fluere hac ſpecies*] Nam per vitrum ſimulacra tranſeunt, per aurum & argentum calor. quanquam ne Lucretius quidem negaverit, etiam per vitrum calorem permanare. Lamb.

996. *Quapropter bone ubi hæc*] Ita quidam Veteres. Gifan.

997. *Præpoſita*] Præpoſita, & (ut vulgus loquitur) præmiſſa. Lamb.

1000. *Principio fluere*] Nunc orditur rationem reddere, quamobrem magnes ferrum attrahat. Lamb. Vide Phyſiologiam p. ccclxvi. & ccclxx.

un-

Multimodis varians, ut paullo oſtendimus ante.
Quapropter bene ubi haec confirmata atque locata
Omnia conſtiterint nobis praepôſta, parata:
Quod ſupereſt, facile hinc ratio reddetur, & omnis
Cauſa patefiet, quae Ferri pelliciat vim.
  Principio, fluere è Lapide hoc permulta neceſſe eſt
Semina, ſive Aeſtum, qui diſcutit Aëra plagis:
Inter qui Lapidem, Ferrumque eſt cunque locatus.
Hoc ubi inanitur ſpatium, multuſque vacuefit
In medio locus: extemplo primordia Ferri
In vacuum prolapſa cadunt conjuncta, fit utque

An-

INTERPRETATIO.

propter diſſimilem naturam, & diverſam texturam rerum in quibus iſta foramina & meatus ſunt, Quapropter cum hæc omnia modo propoſita bene probata, & confirmata ſint, deinde facile ratio reddetur, & manifeſta fiet Cauſa quæ Ferrum attrahit. Primum neceſſe eſt multa Semina, ſive Halitum quendam fluere ex hoc Lapide, qui halitus impetu ſuo diſcutiat & dimoveat omnem Aërem, qui inter Lapidem Ferrumque eſt collocatus. Cum vero hoc ſpatium inanitur, & inter Ferrum Lapidemque locus ſit vacuus, tum ſubito Ferri Semina quædam, non quidem à reliquo Ferri corpore ſoluta in Vacuum prorumpunt.

VARIÆ LECTIONES.

995. Poſt hunc ponitur verſ. 998. A. B. D. I. L. *Gaſſ.*

998. *hinc.* huic P. Q.

999. *patefiet.* palam fiet P. *in not. pelliciat vim.* pellicit arcum *codd.* P. *in not.* perlicit arcum Q1. perilitratum X. perliceatum Y, Z.

1001. *diſcutit.* deſtinet Q. deſtinat X.

1003. *multuſque.* multiſque P. *vacuefit.* Ita cum *Carrione*, vaceſcit Q. X. rareſcit Q1. Q2 vacefit *Reliqui.*

1005. *In vacuum.* in vanum D. *cadunt.* cadant A. B. H. M. *conjuncta.* commenta Q. X. prolapſa Z. *Sed vulg. lectio in Marg. adſcribitur. utque.* ut qui P. ut quin *legendum cenſet in not.* P.

NOTÆ.

unde aliquid à Lucretio in hac diſputatione omiſſum eſſe diſcas, aut ex illius carmine excidiſſe. FABER. Duobus modis vim Magneticam expoſuit Epicurus, mirum vero alterum prætermiſiſſe *Lucretium*, niſi forte ille excidit è textu, ac potiſſimum cum verſus ſequatur, quibus non male cohæret; cumque ea, quæ Lucretius magno apparatu præmittit, videantur eſſe illi, quam ſuperſtiti accommodatiora; Si plura requiras, vid. Gaſſendi Tom. 2. pag. 125. ubi multa invenies quæ Epicuri doctrinam illuſtrant. CREECH.

1001. *Diſcutit aëra plagis*] Quidam libri vulgati: *deſtinat.* GIFAN.

1002. *Inter qui lapidem, &c.*] Ordo: quicunque inter lapidem & ferrum locatus eſt. LAMB.

1003. *Vacefit*] i. e. vacuus ſit. ſic autem habent omnes lib. vulgati, quos quidem viderim, & manuſcripti, præter Vaticanum, in quo ſcriptum eſt *vaceſcit.* LAMB. Quidam vetus codex, & Vulgati: *vaceſcit.* Vide & ſupra verſ. 965. At vero *vacuefit* & hic & inferius verſ. 1015. eſſe ſcribendum pluribus exemplis docuit Carrion Ant. Lect. lib. 1. cap. 18. HAV.

1005. *In vacuum prolapſa &c.*] Secutus ſum codices aliquot manuſcript. & vulgatos. ordo

 au-

Annulus ipſe ſequatur, eatque ita corpore toto.
Nec res ulla magis primoribus ex elementis
Indupedita ſuis arcte connexa cohaeret,
Quam validi Ferri naturae frigidus horror.
Quo minus eſt mirum, quod paullo diximus ante,
Corpora ſi nequeunt de Ferro plura coörta
In vacuum ferri, quin Annulus ipſe ſequatur:
Quod facit, & ſequitur donec pervênit ad ipſum

Jam

INTERPRETATIO.

atque inde fit ut totum Annuli corpus ſequatur: Neque enim ulla res conſtat ex Seminibus quæ arctius conjunguntur aut magis implicantur, quam frigidum rigidumque Ferrum: Ideoque minus eſt mirum, quod modo dixi, ſi plura Semina Ferri non poſſint in Vacuum prorumpere, quin totus Annulus ſequatur, quod quidem facit, & ſequitur prorumpentia Semina,

VARIÆ LECTIONES.

1007. *ex.* abeſt Y. Z.
1008. *arcte.* arte Z.
1010. *quod paullo diximus ante.* quod dicitur, ex elementis C. E. N. P. Q. V. X. Y. Z.
1011. *de Ferro.* è ferro P. V. referre Q. X. referri Q1.

NOTÆ.

autem & ſententia verborum hæc eſt. extemplo primordia inter ſe conjuncta, in locum vacuum prolapſa cadunt: & fit, ut & ipſe annulus ſequatur, & eat totus. alii libri habent,

In vas prolapſa cadant conjuncta, fit, utque, &c. plane mendoſe. Licet etiam ſic fortaſſe legere, ut habent alii libri,

In vacuum prolapſa cadant conjuncta fit, utque, &c. ut ſit hic ordo: fit extemplo, ut primordia ferri conjuncta, prolapſa cadant in vacuum, & ut, &c. Lamb.

1005. *Cadant*] Ita ex quibuſdam libris, & cum Marullo malim. In aliis libris: *cadunt*: etiam bene. Gifan

1007. *Nec res ulla*] Hunc locum ſic explico: Nec ulla res eſt, cujus partes ita ſint inter ſe colligatæ atque connexæ, ut ſunt primordia ferri. Cum igitur omnibus ex rebus minutiſſima corpora fluant, ut antea demonſtratum eſt: non eſt mirum, ſi, poſteaquam ſemel ex annulo ferreo plura ferri corpora prima per ſpatium illud, quod eſt inter magnetem & annulum interjectum, à magnetis ſeminibus exinanitum, ad magnetem affluere cœperunt, totus continuo annulus, totoque corpore ſubſequatur. Sed videtur legendum,

Nam res nulla magis, &c. Lamb.

1008. *Indopedita*] Impedita, implicata. Lamb.

1009. *Quam validi ferri*] Id eſt, quam ferrum. Lamb.

1013. *Quod facit*] Nempe ſequitur ſua corpuſcula, ex ſe exeuntia in vacuum, &c. Lamb.

1014. *Compagibus*] Vinculis, ſeu commiſſuris, ſeu juncturis. Virgil. lib. 1. Æneid. 297.

——— *diræ ferro & compagibus arctis*
Claudentur belli portæ. Lamb.

1015. *Hoc fit item*] Duo libri manuſcripti habent, *Hoc fit idem.* quam lectionem æque probo. Lamb. Veteres quidam; *idem*, & *vaceſcit.* Gif. Quinque verſus qui ſequuntur ad explicationem modo propoſitam, quamvis id ſentiat Gaſſendus, pertinere non exiſtimo: ibi enim per ſemina è Ferro in locum vacuum ab effluviis Magnetis factum exſilientia tota res agitur; In his autem verſibus Corpora ictibus in Vacuum protruduntur: Ideoque cum ſequentibus rectius conjungi poſſunt. Creech.

1016. *Sive ſuperne*] Sive ex loco ſuperno magnes locum vacuum reddat: aëre plagis diſcuſſo. Lamb.

1017. *Corpora continuo*] Statim prima ferri corpora feruntur in locum vacuum, & ita ſurſum ſe-

Jam Lapidem, caeciſque in eo compagibus haeſit.
Hoc fit item cunctas in parteis, unde vacuefit
Cunque locus, ſive ex tranſverſo, ſive ſuperne:
Corpora continuo in vacuum vicina feruntur.
Quippe agitantur enim plagis aliunde, nec ipſa
Sponte ſua ſurſum poſſunt conſurgere in auras.
Huc accedit item, quare queat id magis eſſe:
" Haec quoque res adjumento, motuque juvatur:
Quod ſimul à fronte eſt Annelli rarior Aër

Fa-

INTERPRETATIO.

donec ad ipſum Lapidem pervenit, illique latentibus quibuſdam vinculis conjunctus adhæret. Hoc autem fit in cunctas partes, undecunque locus ſit vacuus, ſive à latere, ſive ſuperne, corpora ſpatio inanito vicina in illud ſubito prorumpunt; quippe Corporum aliorum ictibus agitantur, neque ſponte ſua poſſunt ſurſum in Auras conſurgere. His conjunge alias cauſas quæ hanc rem (motum Annuli ad Lapidem) juvent, Namque hæc res aliorum corporum impulſu promovetur; Quoniam ſimul ac Aër qui eſt à fronte Annuli (qui eſt inter Annulum & Lapidem) rarior fit,

VARIÆ LECTIONES.

1014. *cæciſque in eo.* cæcis in eo H2. cæciſque in eis P. cæciſque in eo, *priſci codd* P. *in not.* cæcis qui nec X. *hæſit.* hæret *Gaſſ.*

1015 *vacuefit.* bareſcit Q. X. rareſcit Q1. 2. vaceſcit *vel* vacefit *alii.* vid. verſ. 1003.

1016. *ex tranſverſo.* e tranſverſo H2.

1017. *vicina.* nativa Q1.

1020. *Huc accedit.* Hoc accedit E.

1021. Hic verſus eſt ſuſpectus L. Collocatur inſuper poſt 1031. Q. Y. Z. *adjumento:* molimento *Palmer.*

1022. *ſimul à fronte.* ſimul ac fronte C. E. N.

NOTÆ.

feruntur: quod fit præter corporum naturam, cum ſit eorum proprium deorſum moveri. LAMB.

1017. *Vicina*] Vicina ferri corpora dixit fortaſſe, ut ferrum magneti vicinum intelligamus. LAMB.

1018. *Nec ipſa ſponte ſua ſurſum*, &c.] Nam contra ſponte ſua corpora omnia deorſum feruntur. LAMB.

1020. *Huc accedit item* &c.] Contendit motum Ferri adjuvari ab Aëre, ob continuam quandam iſtius motionem agitationemque: Et primum quidem v. 12. ab Aëre exteriore, qui cum ſemper urgeat & urgeat vehementius quá ex parte copioſior eſt, non poſſit non impellere Ferrum in quam partem eſt parcior ſeu inanior, utpote verſus ipſum Magnetem. Deinde v. 8. etiam ab interiore, qui pari ratione, cum ſemper agitet, commoveat, compellat, non poſſit non indere motum in quam partem ſpatium eſt inanius redditum. CREECH.

1021. *Hæc quoque res*] Hic verſus mihi ſuſpectus eſt. abeſt enim longe ab elegantia Lucretiana. quid eſt enim hoc, *juvatur adjuvamento*? Adde quod eo detracto nihil de ſententia decedet. LAMB.

1022. *Quod ſimul à fronte*] Sic habet cod. Vatic. quocum congruunt vulgati, Veneti antiq. & Pariſienſ. quæ lectio perſpicue recta eſt. *ſimul* autem, id eſt *ſimul atque*, vel *ſimul ut*. LAMB. Sic & Veteres noſtri. Vulgati: *ac fronte*. GIF.

Dd dd 3 1026. *Sem-*

Factus, inanituſque locus magis ac vacuatus.
Continuo fit, uti qui poſt eſt cunque locatus
Aër, à tergo quaſi provehat atque propellat.
Semper enim circum poſitus res verberat Aër.
Sed tali fit uti propellat tempore Ferrum,
Parte quod ex una ſpatium vacat, & capit in ſe.
Hic, tibi, quem memoro, per crebra foramina Ferri
Parvas ad parteis ſubtiliter inſinuatus:
Trudit & impellit, quaſi Navim velaque Ventus.

De-

INTERPRETATIO.

locuſque ex illa parte inanitus magis ac vacuatus, Continuo fit ut Aër, qui eſt à tergo illius Annuli, promoveat ipſum & propellat: Nam Aër qui circa res eſt iſtas res verberat: tum vero propellit Ferrum quoniam ex una parte vacuus fit locus qui illud Ferrum extemplo recipit: Cum, vero hic ſubtilis Aër, cujus mentionem feci, per crebros ferri meatus intrans ad ſingulas iſtius Ferri partes ſe applicuit, tum trudit & propellit Ferrum, ut Ventus navim & vela.

VARIÆ LECTIONES.

1024. Abeſt hic verſus ab hoc loco, ſed ponitur inf. poſt. verſ. 1031. Y. Z.

1025. *provehat atque propellat.* provehit atque propellit H2. Q1.

1029. *Hic, tibi.* Ita c. P. Y. Z. Hic ubi *Reliqui.* *Ferri.* Ita C. E. N. P. Y. Z. ferri eſt *Reliqui.*

1030. *Parvas ad parteis.* Pronas ad partes C. E. M. N. P. Q. Privas ad partis A. B. D. Primas ad L. *Gaſſ.*

1031. *Ventus.* ventis C. E. N. Poſt hunc ſequitur verſ. 1024. Q. Q1. Y. Z.

NOTÆ.

1026. *Semper enim circum poſitus*] Supra lib. 4: 930.

Principio externa corpus de parte neceſſum eſt,
Aëriis quoniam vicinum tangitur auris,
Tundier, atque ejus crebro pulſarier ictu. Lamb.

1028. *Et capit in ſe*] Et ſpatium vacuum, ſeu locus ille à magnete vacuatus, capit, id eſt recipit, in ſe ferrum Lamb.

1029. *Hic ubi quem memoro*, &c.] Ordo verborum, & ſententia eſt: ubi hic aër, quem tibi commemoro, inſinuatus eſt per crebra foramina ferri *in pronas* & jam inclinatas ejus parteis, vel (ut habent alii libri, in his Memmianus) *in parvas ejus parteis*, vel (ut alii) *in primas*, id eſt in ejus primordia: trudit & impellit ferrum, tanquam *ventus navim & vela*: vel, ut quibuſdam videtur legendum,

——— ——— *Quaſi ventus, velaque navim,*

ſubintell. *impellunt.* Lamb. Revocavi ex MSS. veram lectionem, elegantiæ enim cauſa *tibi* hic ponitur, ut 2: 1036.

Quam tibi jam nemo feſſus ſatiate videndi.

& 4: 3.

Nunc agere incipiam tibi, quod v. a. h. r.

Qui hæc & ſimilia non attenderant, auctorem nobis corruperunt. Hav.

1030. *Primas ad parteis*] *Pronas* habent omnes, quos quidem viderim, vulgati cod. nonnulli manuſcr. *pravas*, plane mendoſe: Memmian. autem, *parvas*: alii, *primas*: ex quibus quidam faciunt *privas*. Lamb.

1030. *Privas ad partis*] Ita ſcripſi, cum in libris eſſet: *prevas*, *pravas*, *parvas*. Marullus: *pronas*, & ita Vulgati. Vide ſupra, verſ. 26. & 793. Gifan.

1031. *Quaſi navim, velaque*] Uſus eſt eodem ſimili ſup. lib. 4. ubi quærit, qui paſſus proferre poſſimus, verſ. 895,

Cor-

Denique res omnes debent in corpore habere
Aëra, quandoquidem raro ſunt corpore, & Aër
Omnibus eſt rebus circumdatus adpoſituſque.
Hic igitur, penitus qui in Ferro eſt abditus Aër,
Sollicito motu ſemper jactatur, eoque
Verberat Annellum dubio procul: & ciet intus
Scilicet: atque eôdem fertur, quo praecipitavit
Jam ſemel, & quamquam in partem conamina ſumſit.
Fit quoque ut à Lapide hoc Ferri natura recedat

In-

INTERPRETATIO.

Denique omnes res debent in ſe continere Aërem, quoniam poros & meatus habent; & Aër omnes res cingit, illarumque lateribus eſt adpoſitus: Hic autem Aër qui eſt in intimis Ferri partibus, irrequieto motu ſemper agitatur, atque ita proculdubio verberat Annulum, atque intus ciet, atque in eam partem (vacuum viz. ſpatium) fertur, in quam ſemel cœpit tendere, & Annulum movere: Aliquando etiam accidit, ut Ferrum ab hoc Lapide recedat,

VARIÆ LECTIONES.

1033. *raro ſunt corpore, & Aër.* quandoquidem rareſcunt corpora; ut Aër c. P. Q1.
1034. 1035. abſunt ab Y.
1038. *atque.* deeſt P.
1039. *& quamquam in partem conamina.* & vacuam in C. E. N. & partem in vacuam conamina A. B. D. I. *Gaſſ.* P. Q1. Y. Z. vacuum Q. X.

NOTÆ.

Corpus uti, ut navis velis ventoque feratur. ex quo loco, ſi quis eum attente conſideret, videtur hîc legendum,

Quaſi ventus velaque navim. LAMB.

1036. *Sollicito motu*] Sic & ſup. lib. 1: 344. motum *ſollicitum* appellavit,

Non tam ſollicito motu privata carerent, &c. vel, ut legebat Adr. Turnebus, *prognata carerent.* a quo tamen diſſentio. LAMB.

1037. *Verberat*] Verberat, quia ſemper movetur, ut dixit, ab aëre ſcilicet circumpoſito jactatus. LAMB.

1038. *Atque eodem*] Id eſt, & in eundem locum. in voce *eodem e* & *o* pro una ſyllaba habentur. quidam tamen legunt *atque illo fertur.* LAMB.

1039. *Et quamquam in partem, &c.*] Id eſt, & in quamcumque partem conatum eundi ſumſit. Sic autem reſtitui tum lectionis varietate commotus, tum vulgata lectione offenſus. Nam alii habent *vacuam in partem*, alii *partem in vacuam*, alii *parte in vacue*, alii *parte in cacue*, plane mendoſe. LAMB.

1039. *Et partem in vacuam conamina ſumpſit.*] Ita omnes fere libri, manu formiſque deſcripti. Quidam: *cacue*, *vacue*. Forte: *quamque in partem.* Lambinus: *quamquam in partem.* GIFAN.

1040. *Fit quoque ut à lapide*] Fit etiam (inquit) ut ferrum ab hoc lapide refugiat, conſuetum modo ſequi, modo fugere: ſequi quidem, nulla re inter lapidem & ferrum interpoſita: fugere autem, ære interpoſito. LAMB. Adnotat *Gaſſendus*, videri *Lucretio* perſpectum fuiſſe id experimentum, quo Magnes Ferrum interdum manifeſte repellit, videturve repellere: Scilicet, deprehenſum eſt eſſe in Magnete duas quaſdam oppoſitas partes (Polos jam vulgo dicimus, alterum Boreum, alterum Auſtrinum) quarum uni ſi admoveatur unum Ferreæ acûs extremum, trahatur ab illa, & ſi idem extremum poſtea admoveatur alteri, ab illa refugiat, repellique appareat; cum & aliunde oppoſitum ab iſta trahatur,

Interdum, fugere, atque ſequi conſueta viciſſim.
Exſultare etiam Samothracia ferrea vidi:
Et ramenta ſimul Ferri furere intus ahenis
In Scaphiis, lapis hic Magnes quom ſubditus eſſet:
Uſqueadeo fugere à Saxo geſtire videtur
Aere interpoſito; diſcordia tanta creatur,

Propterea

INTERPRETATIO.

nempe conſuetum modo fugere, modo ſequi hunc lapidem; Etiam vidi Ferrea Samothracia exultare, & ramenta Ferri in Vaſis æreis poſita exſilire, cum Magnes eſſet iſtis Vaſis ſubditus. Iam vehementer Ferrum conatur recedere à Saxo cum Æs interponitur, & tanta inter Ferrum & Magnetem diſcordia creatur:

VARIÆ LECTIONES.

1046. *interpoſito; diſcordia.* interpoſito; & diſcordia D. *Gaſſ.*

NOTÆ.

tur, ab illa refugiat: At nimis ſibi indulget vir ille magnus, nihil enim in his verſibus proponitur de Fuga Ferri, quod per ſequentia exempla non ſatis declaratur. Sæpe autem vidit *Lucretius* minutos annulos, & ramenta Ferri in vaſe æneo poſita ſubſultare, cum Magnes vas iſtud æneum ſubtus contingeret; & perſuaſus cauſam eſſe in Corpore æris interpoſito, (cum interpoſito tamen vitreo, ligneo, lapideo, quovis alio, haud ſecus contingat) ita cauſam exinde reddit, quod emiſſis quoque ex ære in fruſtula & ramenta Ferri corpuſculis, ſpatiola Ferri iis ſic compleantur, ut accedentia deinceps corpuſcula Magnetica per æs trajecta ubi ea occupata comperiunt, ſubagitent, & quo poſſunt niſu propellant. v. 14. CREECH.

1041. *Interdum, fugere, atque &c.*] Quæ conſuevit modo fugere, modo ſequi, *conſueta* participium junctum cum infinitivo. De quo lege quæ annotavimus ibi,

At conſueta domi catulorum, &c.

lib. 4: 995. LAMB.

1042. *Samothracia ferrea*] Ferreos annulos, à Samothracia, ubi primum fieri cœpti ſunt, dictos: qui erant pervii, & caſſi, eoque gerebantur, quod aliquid haberent ἀλεξίφθονον καὶ ἀλεξίκακον. quaſi amuleta quædam, & *proëbia*, ſeu (ut alii appellant) *proëbra*. LAMB. Annuli Ferrei, pervii, & caſſi; Olim Flamen Dialis geſtabat, *Annulo niſi pervio caſſoque ne utitor:* Demum Servi, & Plinii ætate *Servitia jam ferrum auro cingunt, alia per ſeſe mero auro decorant, cujus licentiæ origo, nomine ipſo in* Samothrace *id inſtitutum declarat*: Plin. Nat. Hiſt. lib. 33. cap. 1. CREECH. Aliquando τὰ *Samothracia* pro myſteriis deorum Samothracum, ſeu Cabirorum ſumuntur, ut apud Tertullianum c. VIII. Apol. ſed hoc loco annulos ferreos ἀλεξιτηρίους, qui ex Samothracia afferebantur, ea vox ſignificat. Tales fuiſſe illos Eudami annulos arbitror, de quibus Comicorum Princeps in Pluto. FABER. Omnino de annulis intelligendum eſt. Plinii & aliorum loca qui deſideret, adeat Turneb. Adv. 20: 20. HAV.

1044. *In ſcaphiis*] In vaſis amplis. LAMB. Vaſis, à forma ſcaphæ: forte de ſcaphiis horologicis in quibus ſtyli ferrei extremitas horarum auctus notabat. De iis Martianus Capella. Cur autem hoc exemplo potius uti maluerit Lucretius quam alio, nil neceſſe habeo reſpondere, quia nec interrogare neceſſe fuit. Hoc enim factum eſt ἐκ τοῦ ἐπελθόντος, ut loquuntur magiſtri, id eſt, cum temere, & nullo delectu, quolibet exemplo utimur. At Giſanius (naſum comprime, Lector, οὐ γὰρ λιβανωτὸν βδέει) hunc locum de *ſella familiarica*, ſic enim vocat Varro, accipit: *Vas eſt*, inquit, *ex ære, ad retrimenta alvi, muliebre fere, ut laſanum virile. Qui pro matula accipiunt, verbo abutuntur.* Fœtidam vero explicationem, Mephitim alteram! Hanc itaque à naſo moleſtiam amoliamur. Vide omnino ſuper

Propterea, qua nimirum prius aeſtus ubi Aeris
Praecepit, Ferrique vias poſſedit apertas;
Poſterior Lapidis venit aeſtus, & omnia plena
Invenit in Ferro: neque habet qua tranet, ut ante.
Cogitur offenſare igitur, pulſareque fluctu
Ferrea texta ſuo; quo pacto reſpuit ab ſe,

At-

INTERPRETATIO.

Nempe quoniam poſtquam effluvia ab Ære ingreſſa ſunt apertos meatus Ferri, illoſque impleverunt, tum effluvia à Lapide veniunt, & meatus Ferri plenos invenientia, neque viam per quam, uti ſolebant, tranſeant habentia, in ipſum Ferri corpus impingunt, illudque fluctu ſuo pulſant; Quo pacto Magnes à ſe Ferrum rejicit, & per Æs interpoſitum repellit,

VARIÆ LECTIONES.

1048. *Præcepit.* Percepit C. E. N. P. X. præcipit Q. percipit Q1.
1051. *fluctu.* fluctus E.
1052. *Ferrea texta.* Terrea teſta P. *ſcribi tamen jubet ex antiqua lectione*, Ferrea texta P. *in not.* Ferrea teſta O. terreat exta Q. *reſpuit.* & expuit Q.

NOTÆ.

per ea re notas in Vitruvium. Faber.

1045. *Videtur*] Ferrum. Lamb. Mutavi hic diſtinctionem; male enim (ut opinor) ita interpungebatur

Uſque adeo fugere a Saxo geſtire videtur;
Ære interpoſito diſcordia tanta creatur. Hav.

1046. *Diſcordia tanta creatur,*] Inter ferrum & magnetem. Lamb.

1048. *Præcepit*] *Percepit* habent libri omnes vulgati. *percepit* autem interpretor *occuparit*, *invaſit*, nempe vias apertas: quo verbo ſæpe alibi utitur, ut libr. 3: 28.

His tibi me rebus quædam divina voluptas
Percipit, atque horror.

ibid. paullo poſt:

——— vitæ
Percipit humanos odium.

Sed ſcripturam veterem, quæ reperitur in tribus lib. manuſcriptis, huic anteponendam eſſe puto, *Præcepit*. *Præcepit* autem, id eſt *præoccupavit*. neque iccirco minus probanda eſt, quod antecedat adverbium *prius*. ſæpe enim hoc pleonaſmo utuntur ſcriptores. Lamb. Ita fere omnes Veteres. Vulgati fere: *Percepit*. Gifan.

1049. *Plena*] Ab æris æſtu occupata. Lamb.

1050. *Neque habet qua*] Neque habet viam, qua tranſeat. *tranet*, tralatio eſt. Lamb.

1051. *Offenſare*] Crebro offendere, crebris offenſionibus laborare. Lamb.

1051. *Pulſareque fluctu*] Id eſt, & ſuo motu, ſuaque agitatione, ſeu ſuo æſtu, verberare. tralatio eſt. Sed videtur nonnullis legendum *flictu*, non *fluctu*. *flictus* autem à verbo *fligo*, quo & ante uſus eſt l. 2: 85.

Obvia cum flixere, fit ut diverſa repente, &c.

Virgil. libr. 9: 667.

——— cavæque
Dant ſonitum flictu galeæ. Lamb.

1052. *Ferrea texta*] Id eſt ferreos textus, & ferrum ipſum arctiſſime contextum. Idem lib. 5: 95.

Propter diſſimilem naturam, textaque rerum.

Virgil. 8. Æneid. 625.

——— & clypei non enarrabile textum.

Catull. Epithalam. Pelei & Thet.

Pinea conjungens inflexæ texta carinæ. Lamb.

1052. *Quo pacto*] Id eſt, qua ratione magnes reſpuit à ſe *ferrea texta*, ſeu ferrum: vel, quo fit, ut magnes ferrum à ſe rejiciat ac repellat. Lamb.

1052. *Reſpuit*] Rejicit. tralatio eſt. Lamb.

Atque per Aes agitat, ſine eo quae ſaepe reſorbet.
  Illud in his rebus mirari mitte, quod aeſtus
Non valet è Lapide hoc alias impellere item res:
Pondere enim fretae partim ſtant, quod genus Aurum:
Ac partim Raro quia ſunt cum corpore, ut aeſtus
Pervolet intactus, nequeunt impellier uſquam;
Lignea materies in quo genere eſſe videtur.
Inter utraſque igitur Ferri natura locata,

Aeris

INTERPRETATIO.

quod tamen cum nullum Æs interponatur attrahit. Ne vero mireris quod hujus Lapidis effluvia alias item res non valent impellere: Quædam enim res adeo ponderoſæ ſunt, ut moveri non poſſunt, ex. gr. Aurum: Quædam autem res tot & tam laxos habent meatus, ut effluvia per illos tranſeant, neque unquam offendant, ita ut nunquam impelli poſſint iſtæ res; atque inter iſtiuſmodi res Lignum præcipue enumerari poteſt, At vero Ferrum, cum ſit res medii generis, (cum ſit minus grave quam Aurum, & minus rarum quam Lignum)

VARIÆ LECTIONES.

1053. *eo quæ.* eo quod A. B. C. D. E. I. N. P. Y. Z.
1055. *è Lapide.* à Lapide D.

NOTÆ.

1053. *Atque per æs agitat*] Id eſt per vas æreum texta ferrea agitat. Lamb.

1053. *Sine eo quæ ſæpe reſorbet.*] Quæ texta ferri magnes ſæpe reſorbet ſine eo ære: id eſt, quando id æs non interponitur. *reſorbet*, tralatio eſt, quæ reſpondet illi ſuperiori, *reſpuit.* Lamb.

1054. *Mitte*]. Omitte. Lamb.

1055. *Alias item res*] Alias quam ferrum. Lamb.

1056. *Quod genus*] Cujus generis. Lamb.

1057. *Ut æſtus*] Magnetis. Lamb.

1058. *Pervolet intactus*] Per eas res, quæ ſunt raro corpore, intactus eat. tralatio eſt. Lamb.

1062. *Magneſii flumina ſaxi*] Sic ex Veteribus libris ſcripſi. *Flumina* dicit, quod modo *æſtum*, & *fluctum*. In quibuſdam Veteribus: *ſemina*. Vide ſupra, lib. IV. verſ. 1030. Hoc Lambinus Vulgati: *Magneſia flumine ſaxa*; etiam non male. Quidam libri *flamine*. Gifan.

1062. *Impellant ut eam &c.*] Mire etiam hic locus depravatus eſt in omnibus libris. Nam manuſcripti quidem habent partim,

Magneſiâ flamine ſaxa:

partim,

Magneſiâ flumina ſaxa:

partim,

Magnetis ſemina ſaxit.

vulgati partim cum aliquibus ex manuſcriptis conſentiunt, partim habent

Magneſia flumine ſaxa.

ego probabilem ſcripturam repoſui. licet & legere,

Magneſii flumina ſaxi.

ut *flumina* intelligamus *primordia à magnete fluentia.* Zoilus hanc ſecutus eſt, neque addidit, eam mihi quoque valde probari. Sed quid mea? mihi diſplicere incipio, cum aliquid meum iſti placet. Lamb. Si *Flumina*, quod in probat. MSS. invenitur, eligas, præſto Lucretii locus eſt 4: 1030.

Fluminis ingentes fluctus veſtemque cruentent.

ubi pariter Flumen de ſeminis profluentis vi uſurpatur. Hav.

1063. *Nec tamen hæc*] Quæ de magnetis & ferri conjunctione & quaſi cognatione diximus. Lamb.

1063. *Aliarum rerum aliena*] *Aliena* junxit cum generandi caſu, ut ſup. lib. 3: 832.

Aut

Aeris ubi accepit quaedam corpuſcula: tum fit,
Impellant ut eam Magneſî ſemina ſaxi.
Nec tamen haec ita ſunt aliarum rerum aliena,
Ut mihi multa parum genere ex hoc ſuppeditentur,
Quae memorare queam inter ſe ſingulariter apta.
Saxa vides primum ſola coölеſcere Calce:
Glutine materies Taurino ita jungitur una,
Ut vitio venae tabularum ſaepius hiſcant,

Quam

INTERPRETATIO.

quando quædam Æris corpuſcula intra ſuos meatus recepit, tum demum fit, ut illud impellant effluvia Magnetis. Neque quidem harum rerum tam admiranda eſt & ſingularis conditio, multa enim enumerare poſſum, quæ eodem modo ſibi invicem unice conveniunt. Primum vides Saxa calce Sola coaleſcere, (compingi) Ligneæ tabulæ à Glutine taurino ita conjunguntur, ut ſæpe in ipſo ſolido ligno fiſſuræ & hiatus facilius fiant,

VARIÆ LECTIONES.

1061. *corpuſcula: tum fit.* corpuſcula, cum ſic c. P. corp. cum fit Q. X.

1062. *Impellant ut eam Magneſii ſemina ſaxi.* Impellantur eo Magneſia ſaxa *quidam.* Magneſia flamine (flumine X.) ſaxa C. E. N. X. Magnetis ſemina ſaxi c. P. *in not.* Magnetis, ſemina faxit N. P. flumina A. B. D. magno ſub flumine ſaxa Q1. impellant ut cum (eum Q1.) magne (magneti Q1.) ſi a flumine ſaxa Q. Magneſia flumina ſaxa Y. Z.

1066. *ſola Calce:* ſolo Calcis H2. *coölеſcere.* coäleſcere A. B. C. D. E. N. P.

1067. *Taurino ita jungitur.* Taurino jungitur A. B. C. E. N. P. materies ſi arenæ jungitur H2.

NOTÆ.

Aut quia non veniunt omnino aliena ſalutis.
& ſupra hoc eodem lib. verſ. 68.
——— *alienaque pacis eorum.*

LAMB. Hactenus de ferri motu ad Magnetem, aut ejuſdem à Magnete fuga; quod ad ipſam adhæſionem attinet, par eſt quoque inter alias res conſenſus, quippe quæ una tantum certaque re copulari, & connecti poſſunt. Si vero ipſum modum adhæſionis requiras, in extremis partibus Magnetis Hamos, in extremis partibus Ferri Annulos concipe, & nihil amplius inquires v. 25. CREECH.

1065. *Singulariter*] Ita ex veteribus libris ſcribo; ut & ſupra lib. IV. verſ. 263. & infra, hoc lib. verſ. 1086. GIFAN.

1065. *Singlariter*] Singulariter, unice, eximie. LAMB. Pro *ſingulariter.* Ita Lucilius dixit *monſtrificable*, pro *monſtrificabile.*

Nunc his nobilitas mirum eſt ac monſtrificable.
Apud Nonium, & fortaſſe jam alibi notaveram. FABER.

1066. *Coaleſcere*] Ita omnes libri. Cur ergo Lambinus: *coöleſcere?* GIFAN.

1066. *Coöleſcere*] Concreſcere, & conglutinari. *coöleſcere* autem legendum, non, ut vulgus putat, *coaleſcere.* Zoilus hoc non probat. non probet. Quin, ut rumpatur, dico amplius, *coalitum*, quod reperitur apud A. Gellium, Arnobium & alios, eſſe mendoſum, & pro eo reponendum *coölitum.* Sic enim *coölitum* à *coöleſcendo*, ut *concretum* à *concreſcendo* figuratur. Eſt autem etiam hæc una ex ducentis vocibus Latinis, quas ſe unum ſcire, vere gloriari ſolebat vir Latine doctiſſimus, Gulielmus Pelliſſerius, Epiſcopus Mompeſſ. cujus unius judicium pluris mihi eſt, quam ſexcentorum mei Zoili ſimilium. LAMB.

1067. *Materies*] Lignum. LAMB.

1067. *Taurino*] Ex auribus & genitalibus tauri: quod tradidit Plin. lib. 28. cap. 17. LAMB.

1068. *Hiſcant*] Hient, laxentur, disjungantur. LAMB.

Quam laxare queant compages taurea vincla.
Vitigeni latices in Aquaï fontibus audent
Miſceri, quom Pix nequeat gravis, & leve Olivom:
Purpureuſque colos Conchyli mergitur una
Corpore cum Lanae, dirimi qui non queat uſquam:
Non

INTERPRETATIO.

quam Glutinis iſtius vincula diſſolvi poſſunt: Vinum cum Aqua miſcetur, non item grave Pix, & leve Oleum: Et Purpureus Conchyliorum color ita totum Lanæ corpus imbuit, ut nunquam ſeparari poſſit,

VARIÆ LECTIONES.

1069. *Quàm.* ſcribi jubet P. *in not. Quas. compages taurea vincla.* compage (compages Q) ſlamina munda Q. X.

1072. *colos.* colus H2. X. *mergitur una.* jungitur una C. N. Y. Z. *quædam exemplaria* P. mergitur c. mergitur uno P.

1073. *queat uſquam.* queat unquam D.

NOTÆ.

1069. *Quam laxare queant compages*] *Compages*, id eſt, commiſſuras, & conjunctiones. Virg. libr. 1. Æneid. 126.

——— *laxis laterum compagibus omnes*
Accipiunt inimicum imbrem. Lamb.

1069. *Taurea vincla*] Vincula ex glutine taurino. Lamb. & Faber.

1070. *Vitigeni latices*] Vina. Sic lib. 5: 15.

——— *Liberque liquoris*
Vitigeni laticem mortalibus inſtituiſſe. Lamb.

1070. *Audent*] Id eſt poſſunt, ὑπομένουσι. tralatio. ſic infr. 1189.

A pedibuſque minutatim ſuccedere frigus
Non dubitabat.

ubi tamen Aurat. legit *Endobitabat*, ut ſuo loco dicemus. Lamb.

1071. *Et leve Olivom*] *Leve* dixit *oleum*, quia non ſubſidit, immo exſtat, & ſuper inſidet humoribus omnibus: quod iccirco fit, quia plurimum habet aëris. Contra *picem gravem*, quia ſubſidit. Lamb.

1072. *Mergitur una Corpore cum Lanæ*] Sic habent nonnulli libri manuſcripti, quibuſcum conſentiunt vulgati, Pariſienſes, & Veneti antiq. niſi quod habent,

——— *uno*
Corpore cum lanæ:

alii,

——— ——— *Jungitur una*
Corpore c. l.

Lamb. Ita (*mergitur*) Veteres noſtri. In Aliis quibuſdam, & Vulgatis: *jungitur.* In quibuſdam: *uno.* Gifan.

1074. *Renovare*] Lanam ad ſuum candorem revocare, ac reſtituere. Lamb.

1075. *Omnibus undis*] Virgil. Georg. 1: 31.

Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis.

Catull. in Gell.

Suſcipit, ô Gelli, quantum non ultima Tethys
Non genitor Nympharum abluat Oceanus.

Lamb.

1075. *Mare velit*] Hoc loco mare προσωποποιεῖ. Faber.

1076. *Denique res Auro &c.*] Secutus ſum treis lib. manuſcriptos, Vatican. Tettian. Faërn. Nam Memmianus habet,

Denique non auro arum copulat una:

vulgati autem alii,

Denique res auro argentum copulat una:

alii,

Denique res auro fit ut aurum copulet una:

quam poſtremam ſcripturam factam eſſe puto ex alia item corrupta,

Denique res auro aurum copulat una.

Plane in hoc verſu hæreo: nec quam potiſſimum ſcripturam ſequar, video, niſi eam quam ex-

Non ſi Neptuni fluctu renovare operam des:
Non, mare ſi totum velit eluere omnibus undis.
Denique res Auro Argentum concopulat una,
Aerique aes Plumbo fit uti jungatur ab albo.

Cae-

INTERPRETATIO.

imo nunquam, licet omnibus Neptuni fluctibus priſtinum colorem revocare, totoque mari purpureum eluere coneris. Denique una res Aurum Argento copulat, Æs quoque ab albo Plumbo Æri jungitur.

VARIÆ LECTIONES.

1074. *fluctu renovare operam des.* fluctus renovare E. X. operam det H2. fluctus r. o. des N.

1075. *velit.* juvet Q1. *eluere omnibus.* ebibere omnibus *quidam.*

1076. *Denique res Auro Argentum concopulat una.* Denique non Auro res aurum copulat F. Denique res auro aurum concopulat *quidam.* Auro fit uti aurum copulat c. O. auro fit uti aurum copulet P. argentum copulat A. B. C. E. auro aurum Q. X. Y.

1077. *Ærique æs Plumbo fit uti jungatur.* Æraque, nec Plumbo fit C. E. N. Æs æque nec plumbo E. Æs æque Plumbo P. Aureaque res Plumbo A. B. Æreaque Plumbo fit uti jungatur V. Æraque &c. X. Y. Z. Æreaque res Plumbo I. Aër aquæ Plumbo Q. Ærea res P. *in not.* tangatur ab E. *jungatur.* rigatur Q1.

NOTÆ.

excudendem curavi. Licet tamen per me & illam recipere,

Denique res auro argentum copulat una,

ut dicamus talem fieri hiatum, qualis apud Virgil. in Alex. ſeu Eccl. 2: 24.

Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

& Æneid: 1: 621.

Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchiſe, &c.

Licet etiam ſic legere, ſine hiatu, ut ſit ἀναστροφὴ,

Denique res argentum auro cum copulat una.

Si quis autem quærat, quæ ſit ea res, qua aurum argento aut alii metallo agglutinetur, puto eſſe *chryſocollam*, id eſt, auri gluten: quod quomodo fiat, diſce ex Plin. lib. 33. cap. 5. Lamb. Sic (*auro*) Veteres fere. In Quibuſdam *aurum.* Lambinus, & Marullus, pro: *copulat*; *concopulat.* Gifan. Ex codice Memmiano, in quo hic verſus ita ſcriptus eſt,

Denique non aurum ARUM *copulat una.*

Legendum arbitror,

Denique non auro res aurum *copulat una?*

Agit enim planiſſime de Chryſocolla, quæ ferrumen eſt, ſi ita loqui licebit, ſeu gluten auri. cumque in verſu proxime ſequenti dicat æs æri jungi ſolere, ſi *plumbo albo* utaris; ſic in hoc ſcribit Chryſocollæ ope aurum cum auro conjungi. Faber. Faber.

Denique res auro non Aurum copulat *una?* recte quidem, Aurum Auro conjungitur, ut Æs Æri verſu ſequenti: Non tamen rejicienda eſt vulgata Lectio, nam ſupra Aqua miſcetur Vino &c. Vid. Plin. Nat. Hiſt. lib. 33. cap. 5. Creech.

1077. *Ærique æs plumbo fit*] Sic reſtitui, cum reperiſſem ſcriptum in libris manuſcriptis, partim, *Æreaque res:* partim, *Æra quæ:* in vulgatis autem partim, *Æs æque plumbo:* partim, *Æraque nec plumbo.* Æs autem æri conferruminari plumbo candido, quod vulgo ſtannum eſſe putant, & ita appellant, notum eſt. Verumtamen ſi cui dubium eſt, Plutarchi teſtimonio atque auctoritate probari & confirmari poteſt. Sic igitur ille lib. περὶ φιλαδελφ. Ὡς γὰρ ὁ κασσίτερος ῥαγέντα τὸν χαλκὸν συναρμόττει, καὶ συγκεραννῦσι τῷ ψαύειν ἑκατέρου πέρατος οἰκείως ὁμοπαθὴς γινόμενος· οὕτω δεῖ τὸν φίλον εὐάρμοστον ὄντα καὶ κοινὸν ἀμφοτέροις τοῖς ἀδελφοῖς προσκαταπυκνοῦν τὴν εὔνοιαν. id eſt, *Ut enim plumbum candidum æs fractum conjungit & conferruminat, quia utrumque æris extremum apte & accommodate tangit, dum ſimilitudine* per-

Caetera jam quam multa licet reperire? quid ergo?
Nec tibi tam longis opus eſt ambagibus uſquam,
Nec me tam multam hîc operam conſumere par eſt:
Sed breviter paucis praeſtat comprendere multa.
Quorum ita texturae ceciderunt mutua contra,
Ut cava conveniant plenis haec illius, illa
Hujuſque: inter ſe junctura horum optima conſtat.
Eſt etiam, quaſi ut Annellis, Hamiſque plicata
In-

INTERPRETATIO.

Quam multa ejuſmodi invenire licet? Quid igitur? Nec tibi opus eſt tam longis ambagibus, nec mihi fas eſt tam multam operam in illis enumerandis conſumere, ſed paucis verbis ego multa breviter complectar: Res iſtæ quarum Texturæ ita mutuo reſpondent, ut hujus rei Cava illius Plenis, & illius Cava hujus Plenis conveniant, facillime atque arctiſſime copulari poſſunt: Quædam etiam res quaſi Hamis

VARIÆ LECTIONES.

1081. *præſtat.* Ita P. Z. reſtat *Alii.*
1082. *mutua contra.* mutua cuncta H2.
1083. *conveniant.* conveniunt H2.
1084. *horum optima.* hæc optima C. E. P. Y. Z. per optima H2.

NOTÆ.

perpetiendi cum eo convenit: ſic oportet amicum ſeſe aptum & commodum, & communem duobus fratribus efficiendo, eorum inter ſe benevolentiam condenſare & confirmare. Plumbum candidum commemorat & Cæſar. libr. 5. de bello Gallico: *Utuntur autem Britanni nummo æreo, aut annulis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. Naſcitur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus: in maritimis ferrum: ſed ejus exigua eſt copia.* Lamb.

1077. *Æreaque res plumbo fit uti jungatur*] Sic veteres libri fere. Vulgati: *Æraque nec.* Quidam: *Æs Æque.* Lambinus. *Ærique æs.* Gifan.

1078. *Quid ergo?*] Quaſi dicat, num me idcirco hoc loco ea omnia referre oportet. Lamb.

1081. *Præſtat*] Poſt Pium (cujus lectionem neglexerant Interpretes) ita emendavi ex Cod. *Lugd. Bat.* Vulgati *reſtat.* Hav.

1082. *Mutua*] Mutuo, ut ſæpe alias? Lamb.

1083. *Hæc illius illa, hujuſque*] Hæc plena illius cavis, illaque cava hujus plenis conveniant. Lamb. *Hujus Cava illius plenis.* Id eſt, Hujus corporis cavitates, ſolidis illius corporis & prominentibus corpuſculis. Creech.

1084. *Inter ſe junctura horum optima*] Sic legendum. ordo enim eſt: Horum inter ſe junctura eſt optima, quorum ita texturæ mutuo ceciderunt, ut & illius cava hujus plenis, & illius plena hujus cavis conveniant. Lamb.

1085. *Eſt etiam*] Alia ratio, quamobrem quædam magis inter ſe cohærere poſſint. Fieri enim poteſt (inquit) ut quædam poſſint inter ſe compacta cohæreſcere, quaſi quibuſdam *annellis*, id eſt parvis annulis, hamiſque implicita, atque inflexa. *anellis* autem, ſeu *annellis*, etiam in ſuperioribus editionibus ſcripſi. *angellis* vero, quod ſcriptum eſt in commentariis, fuit erratum typographi, qui admonitus à me fuerat, ut illa præteriret ac prætermitteret: nam in contextu Lucr. *annellis* impreſſum eſt. Lamb.

1085. *Quaſi ut anellis*] Ita Veteres noſtri, & Vulgati omnes. Male Lambinus; *angellis.* In quibuſdam Veteribus: *ancillis*, quod depravatum eſt ex *anellis.* Vide ſupra, verſ. 911. Gif.

1086. *Coplata*] Sic legendum puto: quam ſcripturam quidam vel non intelligentes, vel inſolentem judicantes *compacta* repoſuerunt. *coplata* au-

Inter ſe quaedam poſſint coplâta teneri:
Quod magis in Lapide hoc fieri Ferroque videtur.
  Nunc, ratio quae ſit Morbis, aut unde repente
Mortiferam poſſit cladem conflare coörta
Morbida vis Hominum generi, Pecudumque catervis,
Expediam. Primum multarum ſemina rerum
Eſſe ſupra docui, quae ſint vitalia nobis:
Et contra, quae ſint morbo, mortique, neceſſe eſt

Mul-

INTERPRETATIO.

& Annulis copulatæ conjungantur, & hoc modo Magnes Ferro videtur connecti. Nunc, quæ ſit Morborum cauſa, atque unde Peſtis orta humano generi, pecudumque gregibus cladem letiferam conflare poſſit, docebo: Primum ſupra docui multarum rerum eſſe Semina, quæ nobis ſunt ſalubria, è contra etiam neceſſe eſt multa eſſe noxia & pernicioſa;

VARIÆ LECTIONES.

1086. *coplâta teneri.* compacta teneri C. E. N. coplata c. completa O. copulata Z. *ſed a manu ſecunda.*
1087. *Quod magis.* Quo magis Z.
1089. *cladem.* cratem Q1. Y.

NOTÆ.

autem dictum pro *copulata*, ut *vinclum*, *ſæclum*, *periclum*, &c. pro *vinculum*, *ſæculum*, *periculum*, Lamb. Veteres libri *copulata.* Supra, verſ. 1065. Vulgati: *compacta.* Gifan. Coplâta, ut *gubernâclum*, &c. Faber. & Creech.

1088. *Nunc, ratio quæ*] Nunc rationem morborum explicare incipit. deinde pulcherrimam peſtis illius, quæ temporibus belli Peloponneſiaci Athenis acerrime ſæviit, deſcriptionem ex Thucydidis lib. 2. expreſſam proponet. Lamb. Unica remanent irati Numinis indicia. Morbi Epidemii & Peſtes; Si vero nihil in his admirabile & divinum, actum erit de Providentia: Ut Peſtis ratio explicetur non longis ambagibus opus eſt, Quippe ut in Univerſo multa ſunt corpuſcula Hominibus reliquiſque Animalibus ſalubria, ita plurima noxia & lethifera: quandocunque hæc noxia corpuſcula, ſive per Cœlum intromiſſa, ſive è Terris ſurgentia Aërem replerunt: morbidus fit iſte Aër, & inde Peſtis in viſcera Hominum ingreſſus v. 13. Si peregrina hæc corpuſcula rejicias, Aërem ipſum excute; atque in illo tanti mali cladiſque originem invenies: Nam diverſarum regionum diverſus Aër, inde qui ſanus Indigenis, Advenis ipſiſque inaſſuetis inſaluber. v. 11. Inde etiam Morbi quibuſdam regionibus peculiares v. 5. Jam vero alterius regionis Aër in alteram feratur: ſequatur, neceſſe eſt, totius Cœli corruptio v. 6. Inde Fontes, Herbæ inficiuntur, vel demum ipſe Aër corruptus enecat v. 13. Hanc diſputationem demum confirmat *Lucretius* exemplo memorabilis illius peſtis, quæ vigente bello Peloponneſiaco Athenis contigit, & quam fuſe deſcribit v. 149. Creech.

1092. *Supra docui*] Lib. 4: 634.

Nunc aliis alius cur ſit cibus, &c.

& lib. 5: 897.

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta, &c.

& hoc eodem lib. 769.

Principio hoc dico, quod dixi ſæpe quoque ante,
In terra, &c. Lamb.

1093. *Et contra*, *quæ ſint*, &c.] Ordo eſt: Et contra, neceſſe eſt multa ſemina volare, quæ ſint morbo & morti, id eſt, quæ ſint morbida & mortifera ſemina. *volare* autem tranſlate dictum, ut illud lib. 6: 29.

Quod

Multa volare; ea quom caſu ſunt forte coörta,
Et perturbarunt coelum, fit morbidus Aër.
Atque ea vis omnis Morborum, peſtilitaſque,
Aut extrinſecus, ut nubes nebulaeque ſuperne
Per coelum veniunt, aut ipſa ſaepe coörta
De terra ſurgunt, ubi putrorem humida nacta eſt,

In-

INTERPRETATIO

Illa autem cum caſu coörta infecerint Cœlum, tum Aër fit Peſtilens; Omnis autem vis & peſtilitas morborum aut extrinſecus, ut Nubes & Nebulæ, ſuperne per Cœlum veniunt, aut ſæpe ſurgunt ex ipſa Terra, cum ſemel humida computruit,

VARIÆ LECTIONES.

1096. *omnis Morborum.* omnium morborum *quidam.*
1097. *Aut extrinſecus.* Aut intrinſecus H2. Y. intus ſecus Q.
1099. *putrorem.* putorem A. B. I. P. Q. V. X. Y. Z.

NOTÆ.

Quod flueret, naturæ vi, varieque volaret. LAMB.

1095. *Morbidus aër*] Νοσώδης ἀήρ. LAMB. Virgilium ordinem, quem Lucretius quoque tenet, eſſe ſecutum; docet Servius ad Georg. 3: 480. 481. ad priorem verſum ſcribens: *Hanc autem peſtilentiam ordine quo diximus pleniſſime Lucretius eſt executus.* Ad poſteriorem hæc: *Ordinem ſecutus eſt, quem & Lucretius tenuit & Salluſtius; primo aërem, inde aquam, poſt pabula eſſe corrupta.* HAV.

1096. *Peſtilitas*] Id eſt, peſtilentia, ut interpretatur Nonius: qui profert verſum ſequentem infra non longe,

Hæc igitur ſubito clades nova, peſtilitaſque, &c. LAMB.

1097. *Aut extrinſecus, ut nubes*] Morbus (inquit) aut extrinſecus oritur, verbi gratia, ex terris loginquis ac remotis, ventis inſalubribus, qui per loca morboſa ſpirantes, cælum noſtrum, unde animam ducimus, corrumpunt: aut ex iis terris, in quibus commoramur. Sed videtur hæc partitio valde anguſta & jejuna eſſe. Quid enim dicemus de iis morbis qui naſcuntur ex copia, luxu, & cruditate? ex intemperantia? ex cibis inſalubribus? ex immoderatis animorum affectibus? ex animi ægritudine ac mærore? LAMB.

1099. *Ubi putrorem*] Sic legendum, non *putorem.* nam *putor* aliud eſt, quam *putror*, quemadmodum aliud eſt *putere*, aliud *putrere*, ſeu *putreſcere.* ſic libr. 2: 870.

Quippe videre licet vivos exſiſtere vermeis
Stercore de tetro, putrorem cum ſibi nacta eſt
Intempeſtivis ex imbribus humida tellus. LAMB.

1099. *Putorem*] Ita in veteribus libris, & vulgatis. Lambinus: *putrorem*, ut ſupra, lib. II. verſ. 871. Sed ibi, *putror*, hic, *putor* magis quadrare videtur. GIFAN.

1103. *Quia longe diſcrepitat res*] Veteres: *diſcrepit acres.* In quibuſdam: *diſcrepat acres.* Vulgati: *diſcrepitant res.* Pius: *diſcrepat aër*; ut mox: *varius concinnat id aër.* Ego à libris non auſim recedere. Ita & ſupra uſus eſt *rei* verbo, ἀορίστως. Lib. II. verſ. 1017. GIFAN. Adde & Lib. IV. verſ. 779. PREIG.

1103. *Quia longe diſcrepat aër.*] Hanc lectionem potius ſecutus ſum, quam illam alteram,

Quia longe diſcrepitant res,

non eo ſolum, quod magis cum ſententia hujus loci conſentanea eſt, verum etiam quod nata videtur eſſe ex antiqua ſcriptura depravata. ſic enim habent libri aliquot manuſcripti, in his Vaticanus,

Quia longe diſcrepat acres.

atque hanc lectionem confirmant cum alia multa, tum id quod ſtatim ſequitur,

Varius concinnat id aër.

Quod autem eam non probat Thraſo, tanto magis mihi probatur. LAMB. Alii, *Diſcrepitant res,*

Intempeſtivis Pluviiſque, & Solibus icta.
Nonne vides etiam coeli novitate, & aquarum
Tentari, procul à patria quicunque domoque
Adveniunt? ideo quia longe diſcrepat Aër.
Nam quid Brittanidis coelum differre putamus,

Et

INTERPRETATIO.

intempeſtivis pluviis, & Solibus afflicta. Nonne etiam vides illos qui à patria ſua domoque procul adveniunt, (peregrinos Hoſpites) novo inſolitoque Aëre & Aqua affici & affligi? nempe quia Aër plurimum differt ab illo quo antea utebantur. Nam quantum putamus Aerem Britannicum differre

VARIÆ LECTIONES.

1103. *longe diſcrepat Aër.* longe diſcrepitant res C. E. Y. Z. longe diſcrepitat res A. B. longe diſcrepitantque res O. I. diſcrepat aër c.

1104. *Nam quid Brittanidis.* Ita F. Britanis A. B. E. Britannis C. D. N. P. Q. Y. Z. Brittannis Q1. X. Brittannum cœlum L. & *alii.* Brittanno cœlo L.. Namque Britannis quid cœlum H2.

NOTÆ.

res, inepte. CREECH.

1104. *Nam quid Britannum*] Britanni, omnium mortalium proximi ſunt Septentrionibus, iis tamen exceptis, qui Thulen incolunt. Virg. Tityr. ſeu Eccl. 1: 67.

Et penitus toto diviſos orbe Britannos.

Idem Georg. 1: 30.

——— *tibi ſerviat ultima Thule.*

docti quidam, in his Petrus Paſchalius, hiſtoricus Regius, amicus meus, hoc loco legendum cenſent *Britannum cælum*, quo modo edendum curavi: non ut habent lib. vulgati, *Britannis cælum.* Sic autem dictum *Britannum cælum*, ut *Mauris jaculis*, & *Sulpiciis horreis* apud Horat. ſententia porro hujus loci hæc eſt. quid, aut quantum (inquit) putamus differre *cælum Britannum*, id eſt Britannicum, à cælo Ægyptio? quid cælum, quod eſt in Ponto Euxino, & ad illam orbis terrarum partem, à cœlo Gaditano? ſumſit Lucretius, quattuor orbis terrarum loca maxime nota & inſignia, quæ temporibus illis maxime inter ſe diſtare putabantur: duo à Septentrionibus ad Auſtrum, Britanniam, & Ægyptum: quæ eſt diſtantia latitudinis: duo ab ortu ſolis ad occaſum, Pontum & Gadeis, quæ diſtantia eſt longitudinis. Sed videtur legendum,

Nam quid Britanno cælo differre putamus
Id quod in Ægypto, &c. LAMB.

1104. *Nam quid Britanis cælum*] Ita in veteribus libris repperi. Male ergo alii: *Britannum.* Marullus; *Namque Britannis quid cælum*; contra veteres libros. Forte, pro: *Et quod in Ægypto eſt*, verſ. ſeq. legendum: *Id quod in Ægypto eſt.* GIFAN.

1104. *Nam quid* Britannum *cælum differre putamus*
Et quod in Ægypto eſt?]

Hæc conjectura eſt Paſchalii viri clariſſimi, ut monuit Lambinus, qui aliud exemplum ad illius confirmationem proferre poterat quam quod protulit: Ita enim *Britannum cœlum* dixerit Lucretius, ut Horatius *Italum cælum.* 2 Od. 7: 4. *Diis patriis, Italoque cœlo.* Gifanius autem legit,

Nam quid Britanis cœlum differre putamus
Et quod in Ægypto eſt?

Scio quidem perinde eſſe ſi *Britanis* legas, ſeu Britannis, qui norim in fine carminis hexametri Dionyſium Periegeten ita uſum fuiſſe. Primam quoque ſyllabam produci poſſe, mihi ignotum non eſt; itaque nil in Gifanio circa eam rem reprehendi poſtulem. Sed quod addit, verſum hunc à Paſchalio male emendatum fuiſſe; id metuo ut probet; quid enim mali ea emendatio habeat? Fortaſſe vera non eſt, ſed non continuo pro mala haberi debeat. At lectio Gifanii, ea vero peſſima eſt; quo enim alio nomine vocetur; cum ejus ſententia tantopere in-

 epta

Et quod in Aegypto eſt, qua mundi claudicat Axis?
Quidve quod in Ponto eſt differre à Gadibus, atque
Uſque ad nigra virûm, percoctaque ſaecla calore.
Quae quom quatuor inter ſe diverſa videmus,
Quatuor à ventis, & coeli partibus eſſe,
Tum color & facies hominum diſtare videntur
Largiter, & morbi generatim ſaecla tenere.

Eſt

INTERPRETATIO.

ab eo Aëre qui eſt in Ægypto, qua Mundi Axis claudicat: quantum illum qui in Ponto eſt differre ab eo qui eſt in Gadibus, & uſque ad nigras, & radiis Solis percoctas Hominum Gentes (Æthiopum populos) extenditur. Quos quatuor Aëris tractus conjicere poſſimus eſſe inter ſe diverſos, quoniam ſunt ad diverſas & oppoſitas Mundi quatuor partes, præterea Color vultuſque Hominum illis quatuor tractibus ſubjectorum, plurimum diſcrepant, & peculiares morbi homines in ſingulis iſtis regionibus affligunt:

VARIÆ LECTIONES.

1105. *Et quod.* Id quod L. Et quid N.
1106. *à Gadibus.* & Gadibus E. H1. 2.
1107. *percoctaque ſæcla calore.* percocto ſecla calore H2. P. Q. V. X. Y. Z. perc. ſecla colore? c. H2. O. P. calore P. *in not.*
1108. *Quæ quom.* Quæ quæ P. *antiqui codd.* Quæ cum P. *in not.*
1110. *videntur.* videtur C. E. N. P.
1111. Deeſt hic verſus E.

NOTÆ.

epta ſit? [*Cælum Ægypti differt Britannis*] Quæ Latinitas? quæ ratio id probet? Quamobrem cum in MSS. legatur, & quidem conſtanter,

Nam quid Britannis cœlum,

Scribendum putem,

Nam quid Brittanidis *cælum* . . . .

Græci enim illas omnes inſulas Βρεττανίδας vocabant, ut ex Dione, & excerptis ἐθνικῶν Stephani conſtat. Ita autem Brittanidem pro Brittannia dixerit Lucretiùs, ut in hoc ipſo libro Atthidem pro Attica. Faber. Codices conſtanter *Britanis*, unde Faber *Brittanidis:* Græci enim inſulas illas omnes Βρεττανίδας vocant. Creech.

1105. *Qua mundi claudicat*] Id eſt, qua parte axis, ſive polus Arcticus, qui nobis ſublimis ſemper apparet, illis eſt depreſſus: ſeu qua parte mundus inclinatus eſt ad oram nobis ignotam, quam Græci ἀνθ́ζονα vocant, axi noſtro contrariam. Eſt autem hæc pars meridionalis, ſeu Auſtralis. Lamb.

1106. *Quidve quod in Ponto eſt*] Aut quid putamus differre cælum Ponti, qui ad orientem ſpectat, à Gadium cælo? quæ diſtantia longitudinis eſt. *Gades*, inſula & oppidum, quæ ab Oceano alluuntur: à quibus *fretum Gaditanum* dictum eſt: quo Libya ab Europa dividitur. M. Tull. lib. 3. de nat. deor. *Quid Oceani fervore illis in locis conſtantius.*

Europam, Libyamque rapax ubi dividit unda? Lamb.

1106. *Atque uſque ad nigra*] A Gadibus, atque ab ea ora, quæ porrigitur & pertinet ad Mauritaniam, ſeu potius ad Æthiopiam uſque. Sunt enim Æthiopes nonnnlli Oceano finitimi, ut teſtatur & Homer. lib. 1. Iliad. 423.

Ζεὺς γὰρ ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα· θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.

i. e. *Jupiter enim ad ſtrenuos & forteis Æthiopas heſterno die profectus eſt, ad epulas: Dii autem omnes eum una conſecuti ſunt.* Lamb.

1107. *Percoctaque*] Quidam libri: *percocto.* Gifan. Vide quæ diximus ad 6: 722. Hay.

1109. *Quat-*

Eſt Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Aegypto in media, neque praeterea uſquam.
Atthide tentantur Greſſus, Oculique in Achaeis
Finibus, inde aliis alius locus eſt inimicus
Partibus, ac membris: varius concinnat id Aër.
Proinde ubi ſe Coelum, quod nobis forte venenum,
Commovet, atque Aër inimicus ſerpere coepit:

Ut

INTERPRETATIO.

Morbus qui dicitur Elephantiaſis in media Ægypto juxta Nili flumina gignitur, neque alibi præterea: In Attica Pedes, & in Achaia Oculi morbo tentantur, ſic aliæ regiones aliis partibus & membris Hominum inimicæ ſunt; Diverſi vero hi morbi ex Aëris diverſitate oriuntur; Proinde, quando alterius regionis Aër, qui nobis noxius eſt, ſedes ſuas deſerit, & in noſtrum Cœlum ſerpere incipit,

VARIÆ LECTIONES.

1113. *Ægypto in media.* Ægypti in medio C. E. P.
1114. *Atthide tentantur Greſſus, Oculique in Achæis.* Hac lue tentantur Greſſus, Oculique micantes H2.
1115. *alius locus eſt inimicus.* aliis eſt morbus iniquus H2.
1116. *varius.* variis P. vanus Q1. *id Aër.* ad Aër E.
1117. *venenum.* Ita Z. alienum A. C. E. N. P. Y. alienum eſt *Vulgati.*

NOTÆ.

1109. *Quattuor à ventis & cæli partibus*] Britanni ab Aquilone, & à Septentrionibus: Ægyptii à Meridie & Auſtro: Pontici à Subſolano, ſeu Euro, & Oriente: Gaditani à Favonio & Occidente. LAMB.

1111. *Et morbi generatim*] Et morbi videntur generatim nationes ipſas infeſtas habere. LAMB.

1112. *Eſt elephas morbus*] Hunc morbum ἐλεφαντίαζιν vocant Græci: de quo lege Cornel. Celſum lib. 3. cap. 25. LAMB. Vulgo *Eleephantiaſin* vocant. aliquando & *Elephantiam*; ſed & nonnullis dictus eſt λεοντίασις; eo enim morbo vetuli leones, qui feras conſequi haud poſſunt, fere plerumque tentantur, & inedia facit ut exareſcant. FABER. *Elephantia* & *Elephantiaſis* dicitur, & alii aſſerunt, hunc Morbum infeſtare tantum incolas Ægypti qui de Nilo bibunt: At Celſus lib. 3. cap. 25. *Ignotus pene in Italia: in quibuſdam regionibus frequentiſſimus eſt morbus*; vide plura. CREECH.

1114. *Atthide tentantur*] In Attica tentantur pedes. Athenienſes podagra magna ex parte laborant. LAMB. Caſaub. ad Teophraſti Charact. cap. 20. p. 316. putat de tibiarum ulceribus agi, quem morbum non infrequentem fuiſſe Athenis Ariſtophanis ibidem allata loca ex Pluto 3: 3: 14. & Equit. 2: 4: 71. ut & ipſius Theophr. qui ἕλκη ἔχειν ἐν τοῖς ἀντικνημίοις appellat. Quod tamen minus probo, quum vel ſic affecti ambulare poſſimus, greſſus autem merito tentantur podagra laborantibus. HAV.

1114. *Oculique in Achæis finibus,*] Achivi ſolent oculorum dolore affici, ſeu ex oculis laborare. LAMB.

1116. *Concinnat*] Efficit, ut ſæpe alibi. LAMB. Efficit. FABER.

1117. *Forte venenum*] Sic emendavi ex opt. Lugd. Bat. ſic & Lucretius 4: 641.
Ut quod aliis cibus eſt, aliis fuat acre venenum.
& ibid. verſu 644.
Præterea nobis Veratrum eſt acre venenum.
Nam quod vulgati habent *forte alienum*, de omni aëre dici poteſt cui non aſſuevimus, licet minus noxio. HAV.

 1120. *Co-*

Ut nebula, ac nubes paullatim repit, & omne
Qua graditur, conturbat, & immutare coactat.
Fit quoque, ut in noſtrum quom vênit denique coelum,
Corrumpat, reddatque ſui ſimile atque alienum.
  Haec igitur ſubito clades nova, peſtilitaſque,
Aut in aquas cadit, aut fruges perſidit in ipſas,
Aut alios hominum paſtus, pecudumque cibatus:
Aut etiam ſuſpenſa manet vis Aëre in ipſo:

Et

INTERPRETATIO.

ut nebula & nubes paulatim progreditur, omne Cœlum qua prorepit conturbat, & mutat; denique cum in noſtrum Cœlum venerit corrumpit illud, reddit ſui ſimile, ideoque alienum nobis & noxium. Hæc autem malignitas & Peſtilentia in noſtrum Cœlum ſubito irrepens vel in Aquas cadit, vel in Fruges & Herbas, aut alia Hominum alimenta, & Pecudum pabula deſcendit; aut Malignitas in ipſo Aëre ſuſpenſa manet,

VARIÆ LECTIONES.

1123. *ſubito.* ſubita P.
1124. *perſidit.* perſedit E. N.

NOTÆ.

1120. *Coactat*] Cogit. Lamb.

1123. *Peſtilitaſque*] Et peſtilentia : ut ſupra. Hunc verſum profert Nonius, ut diximus. Lamb.

1124. *Perſidit*] Sic legendum, non *præſidit.* Lamb.

1125. *Hominum*] Quidam libri: *homini.* Gif.

1129. *Conſimili ratione venit bubus*] Virgil. lib. 3. Georg. 470.

Nec tam creber agens hiemem ruit æquore turbo,
Quam multæ pecudum peſtes: nec ſingula morbi
Corpora corripiunt, ſed tota æſtiva repente, &c.

Lamb.

1130. *Etiam pecubus balantibus ægror*] Cum in libris manuſcriptis ita ſcriptum reperiſſem,

Etiam pigris balatibus ægror:

in vulgatis autem pleriſque,

Pecudum balatibus ægris:

in nonnullis,

Pecudum talaribus ægre:

primum facile ſenſi in hoc loco mendum ſubeſſe: deinde continuo conjeci ſic eſſe legendum, *pecudis*, ſeu *pecubus* potius, *balantibus ægror. Pecua* autem & *pecuda* dixerunt antiqui pro *pecora*: unde *res pecuaria*, teſte Nonio: qui rurſus præter alios teſtem citat Ciceronem lib. 4. de rep. *Cum adhibent in pecuda paſtores*, citat & Cæcilium Umbris: *Et homini, & pecubus omnibus.* Jam *ægror* etiam morbum corporis interdum ſignificat. Lamb. Ita (*Pecubus balantibus ægror*) ex veteribus libris hunc locum reſtitui. Vulgati: *pecudum balatibus ægris.* Hoc Marullus novavit contra veteres libros. Vide Indicem. Gifan.

1132. *Nobis adverſa*] Id eſt, nobis inimica & infeſta. *adverſa* autem eſſe legendum, non *diverſa*, evincunt libri veteres, in quibus partim plane hoc modo ſcriptum eſt, partim *ad diverſa.* quamquam defendi fortaſſe poteſt lectio vulgata, *Nobis diverſa*, pro *à nobis diverſa*; id eſt, in quibus non conſuevimus commorari. Lamb. Ita veteres libri. Vulgati: *diverſa.* Gifan.

1132. *Et cæli mutemus amictum*] Id eſt cælum mutemus. *cælum* autem, id eſt aërem, quo videmur *amiciri*, quia nos ambit undique. Jovianus Pontanus hunc verſum ſic legebat,

Nobis adverſa, & cælum mutemus amicum.

ego lectionem receptam retinendam cenſeo. Lamb. Alii, *Cælum amicum*: Et in ſequenti verſu *Inimicum* aut *corruptum* pro *Cruentum*, ſed jam occupatus ſum, nec ſequar. Creech.

1133. *An cælum nobis ultro natura cruentum deferat*] Sic olim in prima editione edideram, *natura corruptum.* ad quem locum hæc quæ ſequuntur,

Et quom ſpiranteis miſtas hinc ducimus auras,
Illa quoque in corpus pariter ſorbere neceſſe eſt.
Conſimili ratione venit Bubus quoque ſaepe
Peſtilitas, etiam pecubus balantibus aegror.
Nec refert utrum nos in loca deveniamus
Nobis adverſa, & coeli mutemus amictum:
An coelum nobis ultro natura cruentum

De-

INTERPRETATIO.

& cum (reſpiremus) ſpirantes auras ex Aëre ducimus, neceſſe eſt ut noxia, quæ cum Aëre miſcentur corpuſcula in corpus noſtrum ducamus: Eodem modo Boves Oveſque Peſtis frequenter corripit: Neque intereſt, utrum Nos veniamus in loca nobis infeſta, Aëriſque ambitum mutemus, an Natura ſponte ſua noxium nobis Aërem

VARIÆ LECTIONES.

1130. *Peſtilitas, etiam pecubus balantibus ægror.* Peſtilitas & jam pigris calantibus. ægror Y. Z. & Lanigeris balantibus V. etiam pecudum, balatibus ægris C. E. M. pigris talaribus ægre c. P. halatibus, *nonnulla exemplaria* P. *in not.* Q1. balatibus N.

1132. *Nobis adverſa.* nobis diverſa C. E. nobis ab diverſa P.

1133. *nobis ultro natura cruentum.* nobis intro natura corruptum C. E. natura ultro C. O. P. V. naturam intro H2. N. Q. natura vitio Q1. Z. corruptum C. D. E. I. N. P. V. X. corrumptum Y. Z.

NOTÆ.

tur, annotaram: Secutus ſum veſtigia veteris ſcripturæ. ſic enim habet codex Vaticanus,

An cælum nobis vitro natura coruptum,

unico *r*: Tettianus autem, & Memmianus, & Faërn.

An cæl. nobis vitio (aut *Vitro*) *natura corruptum,*

gemino *rr*. ex *vitro* igitur feci *ultro*, quod reperitur tamen in codicibus Vicet. & Pariſien. Veneti antiqui porro habent,

Intro natura corruptum.

ultro autem interpretor *ſine aliqua manifeſta cauſa.* jam *coruptum* uno *r*, aut ſine *n* ſcriptum eſt, propter verſum, pro *corruptum*, aut *conruptum*. atque ita legit Pierius ad illum Virgil. verſum lib. I. Æneid. 615.

——— ——— *Lævaque Sereſtum.*

Non celabo lectorem tamen, Joanni Colobino populari meo, viro docto videri hoc loco legendum,

An cælum nobis ultro natura inimicum
Deferat.

putat enim ille primo *inimicum* ſcriptum eſſe a Lucretio: deinde ſtudioſum aliquem Lucretii lectorem, hujus vocis interpretandæ cauſa, adſcripſiſſe ad oram libri *corruptum*: poſtremo imperitum librarium, qui ex illo exemplari Lucretium deſcripſerit, ejecta vera voce *inimicum*, ſubſtituiſſe *corruptum*. Si cui igitur hæc amici mei conjectura, erudita præſertim atque ingenioſa, placebit, gaudebo. Interea hoc quoque lectorem ſcire velim, hanc, quam excudendam curavi, ſcripturam, ordine tantum duarum vocum; & numero litterarum in voce *corruptum*, à Pariſienſi diſcrepare. ſic enim habent codices Pariſienſes.

An cælum nobis natura ultro corruptum.

quam lectionem nonnulli probant, ut ſit verſus totus ex ſpondeis conſtans: quibuſcum non pugnabo. Cum hæc ſcripſiſſem in prima editione, non longo poſt tempore venit in mentem Adriano Turnebo, & Joan. Aurato, mihique cum una eſſemus, neque *corruptum*, neque *coruptum* legi poſſe, quia ſit novum & inuſitatum; neque *inimicum*, quia ab antiquæ ſcripturæ veſtigiis ni-

 mis

Deferat, aut aliquid, quo non conſuevimus uti:
Quod nos adventu poſſit tentare recenti.
Haec ratio quondam morborum, & mortifer Aër
Finibus Cecropiis funeſtos reddidit agros,
Vaſtavitque vias, exhauſit civibus urbem.
Nam penitus veniens Aegypti è finibus ortus,
Aë-

INTERPRETATIO.

deferat, aut aliquid aliud cui non aſſueti ſumus.. Quodque recenter in noſtrum Cœlum delatum inſolita vi nos tentare poſſit & afficere. Hujuſmodi Peſtis & Vis lethifera Athenienſium Agros aliquando reddidit funeſtos, vias vaſtavit, Urbemque civibus exhauſit: nam à remotiſſimis Ægypti finibus orta veniens,

VARIÆ LECTIONES.

1134. *quo non.* quod non A. B. D. P.
1136. *mortifer Aër.* Ita Voſſ. Mortiferai Q1. Y. Z. mortifer æſtus. *Vulgati.*
1137. *Finibus Cecropiis.* Finibus in Cecropis C. E. N. P. Y. Z..
1139. *Ægypti è finibus.* Ægypti finibus C. E. P. Q1. Y. Z. Ægypti è finibus P. *in not.* finibus Orcus c. O. Q1.

NOTÆ.

mis remotum: *ſed cruentum*, quod valet hoc loco *impurum & inquinatum.* cruor enim inquinat & contaminat. Itaque qui cruentas manus habent, & qui hominem occiderunt, dicuntur *habere manus impuras:* & contra qui neminem occiderunt, *puras.* LAMB.

1133. *Ultro natura corruptum*] Ita omnes libri veteres, ut ſit Creticus, in quinto loco. Vide Indicem: *Verſus.* GIFAN.

1133. *Cruentum*] Fædum, tetrum, inquinatum. Eſt autem conjectura Turnebi, aut I. Aurati. In vulgatis editionibus legebatur *corruptum*, contra legem carminis. FABER. Turnebi emendatio exſtat Adv. 22: 19. ubi pro confirmatione addit hunc verſum ex lib. 4: 1030.

Fluminis ingentes fluctus, veſtemque cruentent.

Cui alterum addo 5: 1137.

Et capitis ſummi præclarum inſigne cruentum
Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem.

Ubi *cruentum* pariter eſt inquinatum, fœdatum, non ſanguine tantum, ſed & pulvere, ut ſub pedibus projectum & conculcatum. HAV.

1134. *Quod non conſuevimus uti*] Sic libri veteres. Marullus mutavit in, *quo.* GIFAN.

1136. *Hæc ratio quondam*] Nunc incipit peſtem illam Athenienſem deſcribere. Videtur autem Virgilius libro tertio Georgic. 478. hunc locum adumbraſſe, teſte Macrob. lib. 6. Saturn. his verſib.

Hic quondam morbo cæli miſeranda coöorta eſt
Tempeſtas, totoque auctumni incanduit æſtu;
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat ſimplex: ſed ubi ignea venis
Omnibus acta ſitis miſeros adduxerat artus,
Rurſus abundabat fluidus liquor, &c.

LAMB. Deſcriptio peſtilentiæ Athenienſium, expreſſa ad verbum è Thucydide, lib. II. Videat hic lector admirabilem Poëtæ doctrinam, & orationis copiam. Imitatus eſt Virgilius, III. Georg. & alii. GIFAN. Sequitur Peſtis, quæ Athenas olim vaſtavit, deſcriptio, è ſecundo Thucydidis libro, & tertio Hippocratis de Morbis Popul. deſumpta, Quam adeo feliciter expreſſit, ut, Macrobio judice Sat. lib. 6. Cap. 2. Virgilius Georg. 3. certe Ovidius Met. 7. habuerit quem imitaretur. Dicit vero *Hæc ratio morborum* &c. Peſtis viz. ab. Aëre alieno ortus, *Mortifer æſtus*, Alii, *Aër*, ſed *Æſtus* olim *Macrobius.* CREECH.

1136. *Mortifer æſtus*] Sic habent omnes libri vulgati: ſed tres manuſcripti, *mortifer ae.* ex quo le-

Aëra permenſus multum, campoſque natanteis,
Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
Inde catervatim morbo mortique dabantur.
  Principio, caput incenſum fervore gerebant:
Et dupliceis oculos ſuffuſa luce rubenteis:

Su-

INTERPRETATIO.

magnum Aëris ſpatium, multumque Æquor permenſa, tandem Athenienſibus incubuit, inde Homines morbo mortique catervatim dabantur. Principio, caput Fervore incenſum gerebant, geminoſque oculos rubentes ſuffuſa luce;

VARIÆ LECTIONES.

1141. *omnes.* omni c. P. omnes, *codd.* P. *in not.* oinon Q1. omnem Y. Z.

NOTÆ.

legendum videtur, *mortifer aer.* verumtamen nihil ſum mutare auſus. ſatis eſt mihi hoc indicaſſe lectori. LAMB. Ita Macrobius, & Marullus & Veteres quidam. In pleriſque: *æ.* Forte legendum: *aër.* GIFAN. At nimis forſan religioſi & Gifan. & Lambin. quod enim verſ 1117. *cælum* quibuſdam dixit eſſe *venenum*, id nunc *mortiferum aërem* vocat. HAV.

1137. *Finibus Cecropiis*] Finibus Atticis. ſic autem eſſe legendum, non *Finibus in Cecropis*, probant libri veteres. Jam Cecrops Athenienſium rex fuit. LAMB. Hæc deſcriptio à Thucydide eſt; cui tamen nonnulla ex Hippocratis obſervationibus poëta admiſcuit. Sed hæc ab aliis examinata fuere, ut & imitationes Virgilianæ. Evenit autem hæc clades paulo poſt exortum bellum Peloponneſiacum. FABER.

1139. *Nam penitus veniens, Ægypti è finibus*] Ab hoc loco Thucydidis verba cum Lucretianis conferre incipiamus. Sic igitur ille libro ſecundo: Ἤρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον, ὡς λέγεται, ἐξ Αἰθιοπίας τῆς ὑπὲρ Αἰγύπτου· ἔπειτα δὲ καὶ ἐς Αἴγυπτον καὶ Λιβύην κατέβη, καὶ ἐς τὴν βασιλέως γῆν τὴν πολλήν. ἐς δὲ τὴν Ἀθηναίων πόλιν ἐξαπιναίως ἐνέπεσε. id eſt, *Initium autem fecit primum, ut ajunt, ex Æthiopia ea quæ eſt ſupra Ægyptum: deinde etiam in Ægyptum & Libyam deſcendit, atque in magnam regis Perſarum ditionis partem. tum autem in Athenienſium urbem repente invaſit.* LAMB.

1139. *Ægypti è finibus ortus*] In prima & ſecunda editione, ego pleroſque libros vulgatos ſecutus, edideram, *Ægypti è finibus Orcus.* Sed neſcio quo modo fugerat me, lectorem admonere, ut conſuevi, libros fere omneis veteres, quibuſcum congruunt aliquot vulgati, in his Baſilienſes & Vicetini, habere *ortus.* quam ſcripturam nunc magis probo. neque quemquam movere debet participium *veniens*, quod antecedit, quaſi quædam ταυτολογία ſit, *veniens, ortus.* Nam *veniens* cohæret cum adverbio *penitus*, *ortus* cum his *Ægypti è finibus.* Et vero cum hanc ſcripturam confirment verba ipſa Thucydidis, ἤρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον, &c. tum maxime illa, quæ ſunt apud Tyrium Maximum in oratione 41. Ἀθήνησιν ἐν δημοκρατουμένῃ πόλει, &c. λοιμὸς ἐμπεσὼν, ἐξ Αἰθιοπίας ἀρξάμενος, καὶ καταβὰς διὰ τῆς βασιλέως γῆς, καὶ τελευτήσας ἐκεῖ, καὶ ἱδρυθεὶς αὐτόθι, ἔφθειρε τὴν πόλιν. id eſt, *Athenis autem in urbe, in qua populus ſummam rempublicam tenebat*, &c. *peſtis invecta, ex Æthiopia orta, cum per fineis regis Perſarum deſcendiſſet, & illuc erupiſſet, & ibidem conſtitiſſet, civitatem perdidit.* LAMB. Sic ex veteribus libris reſtitui. Vulgati: *orcus.* quidam libri: *Ægypti finibus ortus.* Scil. æſtus mortifer. GIFAN.

1140. *Campoſque natanteis*] maria & lacus. ſupra eodem libro 404.

——— *& liquidam molem, campoſque natanteis.* LAMB.

1141. *Incubuit tandem*] Thucydid. ἐνέπεσε, id eſt *incidit*, ſeu potius *incurrit atque irruit.* LAMB.

1141. *Pandionis*] Pandion Athenarum rex, Philomenæ & Procnæ pater. LAMB.

1143. *Principio caput incenſum fervore*] Thucyd. πρῶτον μὲν τῆς κεφαλῆς θέρμαι ἰσχυραὶ, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα, καὶ φλόγωσις ἐλάμβανε: id eſt, *primum quidem capitis fervores acres & validi, & oculorum rubores, & inflammatio eos corripiebat.* LAMB.

1145. *Su-*

Sudabant etiam fauces intrinſecus atro
Sanguine, & ulceribus vocis via ſepta coibat;
Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu gravis, aſpera tactu:
Inde, ubi per fauceis pectus complerat, & ipſum
Morbida vis in cor moeſtum confluxerat aegris:
Omnia tum vero vitaï clauſtra lababant.
Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.

At-

INTERPRETATIO.

Fauces intrinſecus ſudabant atro ſanguine, vocis via ulceribus ſepta coïbat, & Lingua Animi interpres manabat ſanie, ulceribus langueſcens; facile moveri non potuit, & tactu aſpera: Inde ubi vis morbida per fauces deſcendens pectus compleverat, & in ipſa Ægrorum corda confluxerat, tum quidem labefactata erant omnia Vitæ munimina; Spiritus foras volvebat ex ore tetrum odorem, haud abſimilem illi qui è putridis cadaveribus oritur;

VARIÆ LECTIONES.

1145. *intrinſecus atro.* intrinſecus atræ C. E. Y. Z. atro c. Q.
1149. Huic ſubjungi verſus 1152. & 1153. vult *Creech. per* jam Q1.
1152. *tetrum.* rerum O.

NOTÆ.

1145. *Sudabant etiam fauces*] Thucyd. ϗ τὰ ἐντὸς, ἥ τε φάρυγξ, ϗ ἡ γλῶσσα, εὐθὺς αἱματώδη ἦν. id eſt, *& interna, & fauces, & lingua, continuo cruenta erant*, ſeu *cruore manabant.* Lamb.

1149. *Inde, ubi per fauceis, &c.*] Hic locus non ita prope accedit ad Thucydidis verba: non tamen à ſententia ipſa longe admodum diſcedit. ſic enim ille: Καὶ ἐν οὐ πολλῷ χρόνῳ κατέβαινεν ἐς τὰ στήθη ὁ πόνος μετὰ βηχὸς ἰσχυροῦ· ϗ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν στηρίξειε, ἀνέστρεφέ τε αὐτὴν, ϗ ἀποκαθάρσεις χολῆς πᾶσαι, ὅσαι ὑπὸ ἰατρῶν ὠνομασμέναι εἰσιν, ἐπῄεσαν. id eſt, *Et non longo poſt temporis intervallo dolor in pectora deſcendebat cum tuſſi vehementi: & ubi in corde, ſeu potius ſtomacho, hæſerat, cum ipſum torquebat, tum purgationes bilis omnes, quæ à medicis nominatæ ſunt, conſequebantur.* Perſpicue Lucretius hoc loco Græcos imitatus, *cor* pro *ſtomacho* poſuit. Ex quo *cardiaci* dicti ſunt, qua de re plura in commentariis Horat. ad illud,

——— ut ſolet in cor
Trajecto lateris miſeri, capitiſque dolore,

Sat. 3. lib. 2: 28. Lamb. E quibus intelligere poſſumus, quid velint iſta, *Omnia Vitaï clauſtra lababant*, &c. Sequebatur viz. omnium Inteſtinorum convulſio, atque inde excretiones cum torminibus. Creech.

1150. *In cor*] Stomachum: Schol. ad Thucyd. Οἱ παλαιοὶ ἰατροὶ τὸν στόμαχον καρδίαν ἐκάλουν, ϗ καρδιωγμὸν τὸν πόνον τοῦ στομάχου. Creech.

1151. *Vitaï clauſtra*] Nihil muto. verumtamen cod. Vaticanus habet,

Vitalia clauſtra lababant. Lamb.

Ita & ſupra, libro 1: 416. Quidam codex: *vitalia.* Vide & ſupra, lib. v. verſ. 225. Gifan.

1152. *Spiritus ore foras*] Thucyd. ϗ πνεῦμα ἄτοπον ϗ δυσῶδες ἠφίει. i. e. *& ſpiritus abſurdus, & tæter, & gravis odoris edebatur.* Lamb. Duos hos verſus ſuo loco emotos verſui 1149. ſubjungendos eſſe cenſeo; Ita enim Thucydides, ϗ πνεῦμα ἄτοπον, ϗ δυσῶδες ἠφίει: Et deinde melius conveniunt omnia, preſſiuſque declaratur Thucydidis narratio. Creech. Hinc apud Plautum in Milite 3: 1: 53.

Minime ſputator, ſcreator ſum, itidem minime muccidus.

Poſt

Atque animi prorſum vires totius, & omne
Languebat corpus, lethi jam limine in ipſo.
Intolerabilibuſque malis erat anxius angor
Adſidue comes, & gemitu commiſta querela,
Singultuſque frequens noctem perſaepe, diemque,
Conripere adſidue nervos & membra coactans,
Diſſolvebat eos, defeſſos ante, fatigans.
Nec nimio quoiquam poſſes ardore tueri
Corporis in ſummo ſummam ferveſcere partem:

Sed

INTERPRETATIO.

Animi totius vires, omniaque Corporis membra penitus languebant in ipſo mortis limine conſtituta: Hiſque malis intolerabilibus perpetuo adjuncta erat triſtis Animi anxietas, & querela gemitu commixta; & frequens ſingultus per noctem diemque crebris convulſionibus nervos & membra contorquens, diſſolvebat miſeros homines vi morbi ante fatigatos vehementer exercens: Nec tamen ſentire potuiſti ſummas Corporis alicujus partes nimio fervore incendi,

VARIÆ LECTIONES.

1154. *&.* abeſt Y. Z.
1162. *partem.* partim *Magius Miſc.*

NOTÆ.

Poſt Epheſi natus ſum, non in Apulis, non ſum in Umbria.
pro *in Umbria* reponit *anima tabida*, Rutgerſius V. L. lib. 5. cap. 17. Hav.

1156. *Intolerabilibuſque malis, &c.*] Videtur plurib. verbis expreſſiſſe quod dixit Thuc. brevius: καὶ αὐταὶ μετὰ ταλαιπωρίας μεγάλης, id eſt, *& ex magno cum cruciatu corporis, animique afflictatione.* Lamb. Thucyd. καὶ αὐταὶ (viz. ἀποκαθάρσεις memoratæ) μετὰ ταλαιπωρίας μεγάλης: Schol. ταλαιπωρίας μεγάλης, τῆς δυσεντερίας δηλονότι. Atque ita forſan ipſe Thucydides, ſed latior vocis iſtius apud *Lucretium* acceptatio, & tam Animi anxietatem quam inteſtinorum tormina ſignificat. Creech.

1158. *Singultuſque frequens*] Thucyd. λύγξ τε τοῖς πλείοσιν ἐνέπιπτε κενή, σπασμὸν ἐνδιδοῦσα ἰσχυρόν: id eſt, *& ſingultus pluribus accidebat inanis, convulſionem membrorum validam afferens.* verum, ut ne ſoli Lucretio, ſed etiam Thucydidi ipſi medeamur & conſulamus, legendum videtur apud Thucyd. non κενή, ſed πυκνή, idque ex verbis Lucretii,

Singultuſque frequens.
Lamb. Lambinus legit λύγξ πυκνή, propter vocem *Frequens*: At vero λύγξ ipſa eſt ſingultus frequens, Iſtum autem Singultum, qui κενὸς dicitur, (alius autem πλήρης) Convulſiones maxime ſequuntur. Creech.

1159. *Coactans*] Cogens: ut ſupr. 1120.
——— *& immutare coactat.* Lamb.

1160. *Defeſſos ante, fatigans*] Fatigans eos, qui jam ante vi ipſius morbi defeſſi erant. Lamb.

1161. *Nec nimio quoiquam*] Thucyd. καὶ τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπτομένῳ σῶμα, οὐκ ἄγαν θερμὸν ἦν, οὔτε χλωρὸν, ἀλλ' ὑπέρυθρον, &c. id eſt, *& corporis quidem extremitas non erat admodum tactu calida, neque pallida, aut viridis, ſed ſubrubra.* Lamb.

1162. *Corporis in ſummo*] Forte: *Corpore*, ut ſit hiatus Lucretianus, & Ennianus. Gifan. Ordo eſt: nec poſſes *tueri*, hoc eſt videre, cuiquam ſummam corporis partem in ſummo, ſubintell. corpore, nimio ardore ferviſcere. Quod autem Zoilus legi poſſe exiſtimat,

Corpore in ſummo, &c.
ut ſit hiatus, faceſſat hinc cum ſuis hiatibus.

Sed potius tepidum manibus proponere tactum,
Et ſimul ulceribus quaſi inuſtis omne rubere
Corpus, ut eſt per membra Sacer quom diditur ignis.
Intima pars homini vero flagrabat ad oſſa:
"Flagrabat ſtomacho flamma, ut fornacibus intus.

Nil

INTERPRETATIO.

ſed potius tepidas & moderate calentes tactus expertus es ; & omne Corpus ulceribus quaſi inuſtis rubebat, ut fit, cum Sacer Ignis per membra ſerpit; Interiores autem partes & viſcera uſque ad oſſa flagrabant, Flamma intus in Stomacho tanquam in fornacibus flagrabat;

VARIÆ LECTIONES.

1163. *potius.* totius Q. Y. totis Q1. muſcis Q2.
1166. *homini.* hominum E. H2. Y. Z.
1167 *Flagrabat od oſſa.* flagrabat adeſa A. B. C. D. O. P.
1167. *Flagrabat ſtomacho.* rejicit L. Flagravit *Cr. ut & ſuperiore verſu.*

NOTÆ.

Quod ſi tantopere hiatibus delectatur, adhibeat eos in ſuis verſibus, non in Lucretianis, præſertim ubi nihil eſt neceſſe, ut hîc non eſt, neque item ſup. non longe à principio lib 5: 248.

Illud in his rebus ne me arripuiſſe rearis, &c.

in quo verſu, ſublato provocabulo *me*, vult legi *ne arripuiſſe rearis*, &c. Nec ſat habet hos præclaros hiatus Lucretio allinere, ſed etiam in Virgilio hac abutitur hiatuum licentia. Cenſet enim, aut certe aſſentitur cuidam, qui non longe à principio lib. 3: 95. Georg. in altero horum verſuum,

Hunc quoque ubi aut morbo gravis, aut jam ſegnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignoſce ſenectæ,

ſic legendum cenſet,

Abde domo, & turpi ignoſce ſenectæ:

non intelligens, negationem *nec* non eſſe conjungendam cum verbo *ignoſce*, ſed cum voce *turpi*, hoc modo: *& non turpi ignoſce ſenectæ.* Quod cum ego, & Simeo Boſius, vir doctiſſimus, acerrimique ingenii, una legeremus, riſum continere non poteramus. Nam quod ille Aurato auctore ſe ita reſtituiſſe ſcriptum reliquit: defugit Auratus auctoritatem, atque adeo negat ſibi hoc umquam ex ore excidiſſe, aut ſi etiam forte ſibi aliquando exciderit, negat ſe eo animo protuliſſe, ut vulgaretur. queritur de illo alia quædam, quæ in præſenti reticebo, ne quid de amicitia noſtra detrahere videar. illum enim, qui auctoritate Aurati nititur, amavi, & vero etiam nunc amo: quamquam ab officio aliquando diſceſſit, & ſe gratiam meam parvi facere oſtendit. Verum lubet hoc diſſimulare, ſive potius obliviſci. Volo enim conſtantior eſſe in amicis retinendis, quam video vulgus hominum ſolere. LAMB.

1164. *Et ſimul ulceribus, &c.*] Thucyd. *φλυκταίναις μικραῖς καὶ ἕλκεσιν ἐξηνθηκός*: i. e. *puſtulis parvis & ulcerib. effloreſcens.* LAMB.

1165 *Sacer Ignis*] Ejus viz. generis, quod eſt ſubrubicundum, aut miſtum ex pallore & rubore; exaſperatumque per puſtulas continuas, quarum nulla altera major eſt, ſed plurimæ perexiguæ: Celſus lib. 5. cap. 28. CREECH.

1165. *Intima pars homini*] Τὰ δὲ ἐντὸς οὕτως ἐκαίετο, ὥστε, &c. *internæ autem partes ita flagrabant*, &c. Quidam lib. habent *hominum.* LAMB.

1166. *Ad oſſa*] Alii libri habent *adeſa.* quod minus probo. veruntamen judicet lector eruditus. LAMB.

1166. *Adeſa*] Ex veteribus libris ita ſcripſi. Habet & Pius. In Aliis: *ad oſſa.* Quidam, pro *homini*; *hominum*; contra veteres libros. GIF.

1167. *Flagrabat ſtomacho*] Hunc abjicit Lambinus, male, contra omnes libros. GIFAN.

1167. *Flagrabat ſtomacho flamma*] Delendus. FABER.

1168. *Nil adeo poſſet quicquam, &c.*] Sic flagrabat (inquit) pars hominum, ſeu hominis inti-

Nil adeo poſſet quoiquam leve, tenueque membris
Vertere in utilitatem: ad ventum & frigora ſemper
In fluvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum jacientes corpus in undas.
Multi praecipites lymphis putealibus alte

In-

INTERPRETATIO.

ita ut nullam veſtem, utcunque levem tenuemque, pati potuerunt, Frigus ſemper ventumque captabant: Alii membra ſua morbo ardentia in gelidos fluvios mittebant, nuda corpora in undas jacientes. Multi in puteos ſeſe præcipites egerunt,

VARIÆ LECTIONES.

1168. *poſſet.* poſſes C. E. P. V. Y. Z. poſitis cuiquam H2.

1169. *Vertere in utilitatem.* Verteret utilitatem C. E. N. Y. Vertere in utilitatem c. O. Vertere ad utilitatem V. Vertere & utilitatem ad Z. Huic ſubjungit verſ. 1172. H2. & ad L.

1172. Deeſt P. *venientes.* vehementes Q1. *lymphis.* Nymphis putealibus V. Y. Z.

NOTÆ.

tima, ut nullum quantumvis leve ac tenue veſtimentum poſſet membris vertere in utilitatem, id eſt afferre utilitatem, ſeu eſſe utilitati. hanc eſſe hujus loci ſententiam licet ex Thucydide intelligere. ſic enim ille: τὰ δὲ ἐντὸς οὕτως ἐκαίετο, ὥστε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολὰς, μήτε ἄλλο τι, ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι. id eſt, *intimæ autem partes ita flagrabant, ut neque tenuiſſimarum veſtium & linteorum injectiones, neque aliud quicquam, præter nuditatem, ſuſtinere poſſent. Vertere in utilitatem* ſic dictum, ut à T. Livio *vertere in perniciem.* ſic enim loquuntur Latini, *hæc res tibi male vertat, & bene vertat: & in perniciem,* ſeu *in utilitatem vertat:* in quibus generibus verbum *vertat* eſt abſolutum. Plautus Trucul. 1: 2: 44.

——— male vertit
Res pecuaria mihi apud vos: nunc viciſſim volo habere
Aratiunculam pro copia hîc apud vos.

ſic ab Ennio dictum eſt:

Hæc bene verruncent populo,

id eſt bene vertant. Quod ſi quis tamen hoc *vertere* ſic abſolute poſitum non poterit concoquere, & ægre feret, licebit ei per me legere,

Verti in utilitatem,

ut hic recipiamus hiatum, tolerabiliter, & uſitate, quia *i* vocalis longa eſt. Sed videtur legendum,

Nil adeo ut poſſet quidque &c.

ut pendeat ex iis quæ antecedunt. LAMB. Emendat Lambiuus,

Nil adeo ut poſſet quidquam leve, tenueque membris
Vertere in utilitatem: ad ventum, &c.

Ita enim fiet ut hic verſus cum ceteris cohæreat. Intellige autem ita æſtuaſſe intima corporum, ut nullum iis veſtimentum, quantumvis leve & tenue, utile eſſe & commodum poſſet. Ita τὸ *vertere* abſolutum erit, ut alias ſæpe. FABER.

1168. *Poſſet*] In quibuſdam libris: *poſſes.* In quibuſdam: *poſſis.* GIFAN.

1169. *Vertere*] Forte: *Vertier,* aut *Verti.* vide ſupra, lib. 1. verſ. 210. GIFAN. Τὸ *Vertere* eſt abſolutum, ut ſæpe alias; Alii, *Verti in utilitatem.* CREECH.

1169. *Ad ventum, ad frigora ſemper*] Hujus loci hæc ſententia eſt: ad ventum & ad frigora ſemper membra dabant: atque, dum frigus captabant, partim ſe in fluvios conjiciebant, partim in puteos præcipites cadebant. LAMB.

1170. *In fluvios partim gelidos*] i. e. alii in fluvios gelidos ſe conjiciebant. Thucyd. ἥδιστά τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτειν, *& libentiſſime in aquam frigidam ſe ipſos conjiciebant.* LAMB.

1172. *Lymphis putealibus*] Thucyd. καὶ πολλοὶ εἰς φρέατα, τῇ δίψῃ ἀπαύστῳ ξυνεχόμενοι. i. e. *& in puteos multi ſe præcipites egerunt inexplebili ſiti cruciati.* quidam libri vulgati habent, *Nymphis putealibus.* LAMB.

1174. *In-*

Inciderunt, ipſo venientes ore patente.
Inſedabiliter ſitis arida corpora merſans
Aequabat multum parvis humoribus imbrem.
Nec requies erat ulla mali, defeſſa jacebant
Corpora, muſſabat tacito Medicina timore,
Quippe patentia quom totas ardentia noɛteis
Lumina verſarent oculorum expertia ſomno,

Muſ-

INTERPRETATIO.

victu patente inſilientes: Et ſitis arida quæ ſemper torrebat neque ſatiari potuit, effecit ut largiſſimus Aquæ hauſtus exiguus videretur. Neque unquam ceſſabant dolores, nulla quies, aut Somnus, corpora jacebant continuo morbo fatigata, Medicina tacito timore muſſabat; quippe ardentia Oculorum lumina totas noctes patentia verſabant ſomno expertia.

VARIÆ LECTIONES.

1174. *corpora merſans.* corpora vexans F. inerrans Y. Z.

1175. *parvis humoribus.* pernix humoribus P. *in not.* Q. parvis, *codd.* P. *in not.* pravis humoribus E.

1176. *jacebant.* jaciebant Multi præcipites lymphis putealibus alte Corpora P. *in not. tamen* P. *hunc verſum inſeri jubet poſt* 1170. *atque ita exſtat in* Q. Y. Z.

1178. *totas ardentia noctels.* toties ardentia morbis C. E. N. totiens ardentia morbis. P. X. Y. Z.

NOTÆ.

1174. *Inſedabiliter ſitis arida corpora merſans æquabat multum parvis humoribus*] i. e. tanta erat eorum ſitis, ut multa aquæ & humoris copia epota, nihilo plus valeret ad ſitim ſedandam, quam aqua pauca. vel ſic: ſitis ingens & inſedabilis efficiebat, ut magna aquæ copia, aqua pauca videretur. Atque hanc eſſe hujus loci ſententiam, verba Thucyd. oſtendunt: καὶ ἐν τῷ ὁμοίῳ καθειστήκει τότε πλέον καὶ ἔλασσον ποτόν: id eſt, *tantundem eis proderat liberalior & parcior potus ad ſitim ſedandam.* Lamb. Legendum videtur,

Inſedabiliter ſitis arida corpora vexans.

Ita certe ratio ſuadet, & illud *inſedabiliter*, quod cum *merſans* non belle concinit. Faber. Vereor ut id probet *Faber*, & hæc quidem ſcripſit verſuum præcedentium immemor, quod ſi conſideraſſet Ægros in undas inſilientes, vocem *Merſans* probâſſet. Creech.

1175. *Æquabat multum parvis*] Efficiebat ut quatumvis larga aquæ copia præ nimio ardore æſtuantium corporum exigua videretur. Faber.

1176. *Nec requies erat ulla mali*] Thucyd. καὶ ἡ ἀπορία τοῦ μὴ ἡσυχάζειν, id eſt, *& quietis ademta facultas.* Omnino non videntur hîc idem dicere Thucydides & Lucret. primo adſpectu: ſed ſi attente conſiderabis, nihil inter ſe diſcrepare reperientur. quid enim eſt aliud *non eſſe requiem mali*, quam *non dari conquieſcendi facultatem?* Macrobius libr. 6. Saturn. hunc verſum profert cum eo qui deinceps ſequitur, & confert cum Virgilianis, ut diximus. Lamb.

1177. *Muſſabat*] *Muſſare* (inquit Nonius) *eſt depreſſa voce loqui; quod celari velis.* Varro putat *muſſare* dictum à littera μῦ, quia muti ne μῦ quidem pronuntiare poſſunt. Virgil. lib. 12: 657.

——— *muſſat rex ipſe Latinus.*

De hoc verbo plura ſupra ad illum locum,

Sed quia multa ſibi cernunt contraria, muſſant, &c.

libro 1: 658. quibus adde quæ ſcribit Soſipater lib. 2. Inſtit. gramm. *Mu facere, pro mutire*, Lucil. Satyr. lib.

Non laudare hominem quemquam, neque mu facere umqam.

ſignificat igitur Lucretius ita novum & inuſitatum morbi genus fuiſſe, ut medici nihil excogitare poſſent, quod ad eum levandum valeret.

quod

Multaque praeterea mortis tum ſigna dabantur,
Perturbata Animi mens in moerore, metuque,
Triſte ſupercilium, furioſus voltus, & acer,
Sollicitae porro plenaeque ſonoribus aures,
Creber ſpiritus, aut ingens, raroque coörtus,
Sudoriſque madens per collum ſplendidus humos,
Tenuia ſputa, minuta, croci contincta colore:

Sal-

INTERPRETATIO.

Tum etiam multa alia apparebant Mortis indicia; Mens viz. dejecta, triſtitia metuque perturbata, Frons mæſta, Vultus acer, & Furioſus; Porro Aures ſollicitæ, & ſonoribus plenæ, modo creber Spiritus, modo ingens, & raro ductus; & humor albus ſudoris per collum ſtillans, Sputa tenuia, minuta, & croceo colore tincta,

VARIÆ LECTIONES.

1184. *aut ingens.* ac ingens A. B. D. haud ingens C. E.
1186. *contincta colore.* contacta colore A. B. C. E. N. Y. Z. *Macrob.* contracta O. P. Q.

NOTÆ.

quod dicetur planius infra 1224.

Nec ratio remedi communis certa dabatur. Lamb.. Ita novum & inuſitatum Morbi genus fuit, ut Medici incerti quid agerent, dubia quædam ſed plena timoris murmura mittebant, Thucyd. οὐ γὰρ ἰατροὶ ἤρκουν τὸ πρῶτον θεραπεύοντες ἀνοίᾳ. Creech.

1178. *Quippe patentia cum &c.*] Quippe cum, inquit, nocteis totas inſomneis ducerent. Lamb. Hujuſcemodi autem inſomniam inter peſſimi eventus prognoſtica referri conſtat. Faber.

1179. *Lumina verſarent oculorum expertia*] Thucyd. καὶ ἡ ἀγρυπνία ἐπέκειτο διὰ παντὸς, *& perpetuæ vigiliæ urgebant. expertia ſomno* dixit, ut ſupra lib. 2: 1091.

Ipſa ſua per ſe ſponte omnia Diis agere expers. Lamb.

1180. *Multaque præterea*] Hæc quæ deinceps ſequuntur ab hoc verſu uſque ad eum cujus principium eſt *Octavoque fere*, &c. non ſunt apud Thucyd. ſed probabile eſt, ea Lucretium ſumſiſſe à medicis, ut ab Hippocrate in Prognoſt. Lamb. Verſus 14. inſeruntur, non à Thucydide deſumpti, quos præclaros licet & inſignes ſi ideo rejiceremus, (nam Poëta Hiſtorici fidiſſimus Interpres) non eſt quod aliquis iraſcatur: ſed quoniam ſunt digni *Lucretio* admittantur. Creech.

1181. *Animi mens*] Libro quarto: 762. *Mens animi vigilat.* Lamb.

1183. *Sollicitæ porro*] Aures ſonoribus, ut Mentes curis plenæ *ſollicitæ* dicuntur. Creech.

1183. *Plenæque ſonoribus*] Tinnitus aurium. Lamb.

1184. *Creber ſpiritus, aut ingens raroque*] Hippocr. Progn. πνεῦμα πυκνὸν μὲν ἐὸν, πόνον σημαίνει, ἢ φλεγμονὴν ἐν τοῖσιν ὑπὲρ τῶν φρενῶν χωρίοισι· μέγα δὲ ἀναπνεόμενον, καὶ διὰ πολλοῦ χρόνου, παραφροσύνην δηλοῖ, &c. id eſt, *ſpiritus creber dolorem, aut inflammationem in locis ſupra præcordia ſignificat: magnus autem, & longo intervallo coörtus, dementiam declarat.* Lamb.

1184. *Ac ingens*] Ita Macrobius. In Veteribus quibuſdam: *aut*; etiam recte. Vulgati: *haud*, peſſime; ut ex Hippocrate, Progn. liquet, unde pauculos hos verſus Poëta ſumpſit. Gifan. *Aut Ingens.* Alii, *Ac Ingens*, fruſtra. Creech.

1185. *Sudoriſque madens, &c.*] Sudores frigidi per caput & collum ſunt letales, ut licet ex Hip. intelligere in Prognoſt. Lamb.

1186. *Tenuia ſputa, minuta, croci contincta*] Hipp. ibid. πτύελον ξανθὸν ἐὸν, ἢ πυῤῥὸν, ἢ πολλὴν βῆχα παρέχον, καὶ μὴ ἰσχυρῶς συμμεμιγμένον κάκιον γίνεται. id eſt, *ſputum flavum, aut rufum, aut quod multam tuſſim præbeat, & minutum, neque admodum*

Salſaque, per fauceis raucas vix edita, tuſſis:
In manibus vero nervi trahier, tremere artus:
A pedibuſque minutatim ſuccedere frigus
Non dubitabat, item ad ſupremum denique tempus

Com-

INTERPRETATIO.

ſalſa, & per fauces aſperas vix vehementi tuſſi ejecta. In manibus Nervorum contractio, & membrorum Tremor, Friguſque à pedibus paulatim ſerpens: Denique cum Mors appropinquaret,

VARIÆ LECTIONES.

1187. *raucas vix edita, tuſſis.* rauca vix edita tuſſe N. V. X. vix edita tuſſis P. *Macrob.* tuſſi *Alii.*
1188. *In manibus vero nervi trahier, tremere.* trahere & tremere C. N. P. Q. X. Y. Z. vero trahier nervi, & tremere A. B. D. L. trahere nervi & tremere E.

NOTÆ.

concretum deterius eſt. LAMB.

1186. *Croci contacta colore*] Ita omnes libri, & Macrobius. In Quibuſdam tamen: *contracta.* Sed in iis variatum eſt ſæpiſſime. Lambinus: *contincta;* ut ſupra, lib. II. verſ. 735. 742. & alibi. Forte: *contecta;* ut: *velata*, ſupra lib. IV. verſ. 354. GIFAN. Putaram olim legendum *contincta*, non *contacta*, ex illo verſu libr. 2: 742.

Ex ineunte ævo nullo contincta colore.

Nunc utrobique, atque adeo ubique, *contacta*, & *contingere*, non *contincta*, neque *continguere*, legendum arbitror. quamquam de omnibus non affirmo: de hoc loco, & nonnullis aliis non dubito. *contacta* autem *croci colore*, id eſt crocei coloris. ex contactu enim coloris alicujus, contrahitur color. ſic ſupra lib. 4: 12.

——— *prius oras pocula circum*
Contingunt mellis dulci, flavoque colore. LAMB.

Neque ego Lambino admodum repugnare velim; id tamen ſcio, paſſim apud Lucretium id quod aliqua re *contactum* dicitur, ut 2: 852. & 4. 642. aliquam vim ab ipſa pati, quod hic dici non poteſt, ubi ſimilitudo tantum locum habet, unde *contincta* edere cum Creechio malui. Præterea *cruore* apud Macrobium legitur, forſan non inepte, quum cruorem quaſi referat Corycii preſſura croci. Mox quoque *tuſſis* ex Macrobio ſcripſi, non *tuſſi*, quod caruiſſet adjectivo ſuo. HAV.

1188. *In manibus trahier nervi, &c.*] Id eſt, in manibus vero nervi contrahebantur, & tremebant artus: ſeu nervi contrahi, & artus tremere non dubitabant. Licet etiam ſic legere, *nervi trahier, tremere artus*, ἀσυνδέτως. LAMB.

1188. *Trahier nervi*] *Nervi trahi.* GIFAN.

1189. *Succedere*] Surſum ire, ut ſupra eod. lib. 401.

An ſimulac nubes ſucceſſêre, ipſe in eas tum
Deſcendit, &c. LAMB.

1190. *Non dubitabat*] Audebat, ἐτόλμα. tralatio eſt. ſic ſup. eod. lib. 1070.

Vitigeni latices in aquaï fontibus audent
Miſceri, &c.

& lib. 4: 189.

Non dubitant tranſire ſequenti concita plaga.

Sed Jo. Auratus, collega meus, vir ingenio & doctrina præſtans, exiſtimat hoc loco legendum, *Endobitabat*, id eſt, *incipiebat. endoitium* enim *initium & ingreſſum* ſignificat: vel *imbititabat*, à verbo *imbitito, as.* Porro autem *endobitabat*, non à verbo antiquo *betere*, quod ire ſignificat, & *endo*, præpoſitione item antiqua, ſed ab *endo* & *ito, as*, interpoſito *b*, oritur. Ego nihil muto. LAMB.

1190. *Ad ſupremum denique tempus*] Uſque ad diem mortis. LAMB.

1191. *Naſi primoris acumen tenue,*] Hippocr. ibidem, ῥὶς ὀξεῖα, id eſt *naſus acutus.* Corn. Celſus lib. 2. cap. 6. *nares acutæ.* LAMB. Tacitus, *In primori Acie:* & Aulus Gellius lib. 1. Cap. 18. *Varro in primore libro ſcripſit de ratione vocabulorum ſcitiſſime.* CREECH.

1192. *Cavati oculi*] Hippocr. ὀφθαλμοὶ κοῖλοι. Celſus ibid. *oculi concavi.* LAMB.

1192. *Cava tempora*] Hippocr. κρόταφοι συμπεπτωκότες, id eſt *tempora contracta*, aut *coëuntia.* LAMB.

1192. *Frigida pellis, duraque &c.*] Hippoc. καὶ τὸ δέρμα τὸ περὶ τὸ μέτωπον, σκληρόν τε καὶ περι-

τε-

Compreſſae nares, naſi primoris acumen
Tenue, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis,
Duraque; in ore patens rictum, frons tenta meabat;
Nec nimio rigida poſt ſtrati morte jacebant:

Octa-

INTERPRETATIO.

Nares erant compreſſæ, Naſi acumen attenuatum, cavati Oculi, cava Tempora, Pellis frigida & dura, rictus inhorruit, & Frons tenta erat: Nec multo poſt primum morbi acceſſum rigida morte ſtrati jacebant,

VARIÆ LECTIONES.

1193. *Duraque; in ore patens rictum, frons tenta meabat.* Duraque, in ore jacens rectum frons tenta meabat C. E. N. Duraque, &c. —— rictum —— manebat H2. Duraque inhorrebat facies frons tecta meabat c. O. P. Duraque in ore jacens nictu, (rictu,) frons tenta meabat. Duraque inhorreſcens rictum, frons tenta minebat K. inhorreſcens, in ore jacens, inhorrificans, inhorrefacens rictu —— minabat V. Duraque in ore jacet rectum frons V. Duraque in ore jacens rictu frons tenta manebat, *priſci codd.* P. *in not.* micabat, minabat, manebat *Cr.* meabat D. I. inhorret jacet (jacent X.) frons tecta meabat Q. X. Duraque inhorret jacet rectum &c. Q1. Y. Z. inhorrebat rictum L. *& alii. minabat.* meabat Y. mebat Z.

1194. *poſt ſtrati morte.* proſtrati morte C. E. poſt artus c. H1. 2. O. P. Q. X. Y. Z.

NOTÆ.

τεταμένον, καὶ καρφαλέον ἐόν. id eſt, *& pellis fronti circumdata, dura & extenta, & arida.* Celſus ibid. *Cutis circa frontem dura & acuta.* LAMB.

1193. *Inhorrebat rictum*] Sic excudendum curavi, veteris ſcripturæ veſtigia ſecutus. *rictum* autem uſurpatum eſſe à veteribus in neutro genere teſtatur Nonius Marcellus. & ſupra idem Lucretius uſurpavit lib. 5: 1062.

—— *cum primum magna Moloſsûm*
Mollia ricta fremunt, &c.

& M. Tull. l. accuſ. 4. *Uſque eo, judices, ut rictum ejus ac mentum paullo ſit attritius.* LAMB. Hæc Lambinus. Idem mox legit: *tenta minebat*, contra veteres libros. *Tenta*, & Nonius. Sed veteres libri fere: *in ore jacens rictu.* Forte: *tenta manebat.* GIFAN. Neque feliciter Lamb. & illum ſecuti *inhorreſcebat rictum*; neque felicius Rutgerſ. V. L. lib. 4. cap. 1. *inhorreſcens rictum*, quamvis ſibi plaudeat aliiſque inſultet. Omnino legendum, ut edidi, *in ore patens rictum*, cujus veræ ſcripturæ veſtigia latent in corruptis *jacet* & *jacens rectum* vel *rictu.* Quin & Thucydides firmare videtur hiſce verbis, Καὶ τὰ ἐντὸς ἥτε φάρυγξ καὶ ἡ γλῶσσα, εὐθὺς αἱματώδη ἦν, i. e. *Introrſum vero ſtatim lingua cum faucibus ſanguinolenta erat.* ex quo ſcilicet malo patens rictum & terribilis illa oris ſpecies oriebatur. HAV.

1193. *Frons tenta minebat*] Sic eſſe legendum, evincunt verba illa Hippocratis, & Celſi, quæ paullo ante protuli: δέρμα τὸ περὶ τὸ μέτωπον, σκληρόν τε καὶ περιτεταμένον, καὶ καρφαλέον ἐόν. id eſt, *pellis fronti circumjecta, dura, & tenta, & ſicca. minebat* autem, id eſt *imminebat*, ſimplex pro compoſito: ut ſup. eod. lib. 562.

Inclinata minent in eandem prodita partem. LAMB. Id eſt, *Imminebat*, Lambinus, ut ſupra, *Inclinata minent* &c. Alii *Meabat:* id eſt *Fluebat*: abſurde. Nam res tentæ non *fluunt.* Leg. igitur: *Micabat.* Hippocrates, δέρμα περὶ τὸ μέτωπον σκληρόν τε, καὶ περιτεταμένον: Celſus lib. 2. cap. 6. *Cutis circa frontem dura, & intenta.* Forſan etiam Legi poteſt *Minabat:* Ut enim Veteres *Minito*, ita forſan *Mino*: Niſi alicui placeat *Manebat*, id eſt, *Erat.* Rutgerſius denique, *Inhorreſcens rictum Frons tenta minabat.* CREECH. Lege *meabat.* i. e. abibat, minor quaſi fiebat & peribat. *Meare* hic dixit, ut *ire* 3: 525. 6: 563. & 568. atque nares quoque & naſi acumen tenuiora & preſſiora modo occurrebant. HAV.

1194. *Nec nimio rigida poſt ſtrati morte*] Secutus ſum veſtigia ſcripturæ veteris, tametſi corruptæ: atque iis ducibus ad veræ lectionis cubile:

Octavoque fere candenti lumine ſolis,
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.
  Quorum ſiquis (ut eſt) vitârat funera lethi,
Ulceribus tetris, & nigra proluvie alvi;
Poſterius tamen hunc tabes lethumque manebat:
Aut etiam multus capitis cum ſaepe dolore

Con-

INTERPRETATIO.

(moriebantur,) nam octavo aut novo die reddebant Animam. At ſi quis Ægrotorum mortem ipſam vitavit, (quidam autem vitabant) ruptis tetris ulceribus, & nigro alvi profluvio adjutus, Ille tamen demum Tabe languebat & interiit: Aut multus corruptus Sanguis cum dolore Capitis

VARIÆ LECTIONES.

1195. *candenti.* candente E. candentis H2.
1197. *vitârat.* vitaret Z.
1198. *Ulceribus.* Viſceribus C. E. N. Q. Y. Z.

NOTÆ.

le (niſi fallor) perveni. habent autem libri veteres partim,

Poſt artus morte jacebant:

& ita cod. Veneti antiqui, & Pariſ. partim, *poſt arti.* alii vulgati, *proſtrati.* ſententia autem plana eſt: nec nimio, id eſt nec multo admodum poſt, rigida morte ſtrati jacebant. Jampridem me piget admonere lectorem, hanc & illam emendationem à Zoilo eſſe compilatam, & averſam. Sed tamen venit mihi in mentem non tacere, etiam hanc ab illo impudentiſſime & palam mihi eſſe ereptam. LAMB. Veteres libri: *poſt artus*, &: *poſt arti.* Vulgati: *proſtrati*; male. Vide ſimile ſupra, lib. IV. verſ. 1246. GIFAN.

1195. *Octavoque fere*] Id eſt, & octavo fere, aut nono poſt quam ægrotare cœperant, die moriebantur. Thucyd. ὥστε ἢ διεφθείροντο οἱ πλεῖστοι ἐναταῖοι, καὶ ἑβδομαῖοι, &c. id eſt, *Itaque aut interibant plurimi nono, & ſeptimo die, &c.* LAMB. Lucretius autem *octavo* aut *nono* die. CREECH.

1196. *Aut etiam nona &c.*] Amicus quidam ſcribendum cenſet

Aut etiam nono reddebant lampada vitæ.

Ego vulgatam ſequor. HAV.

1197. *Quorum ſiquis (ut eſt) vitarat*] Thucyd. ἢ εἰ διαφύγοιεν, ἐπικατιόντος τοῦ νοσήματος ἐς τὴν κοιλίαν, καὶ ἑλκώσεώς τε αὐτῇ ἰσχυρᾶς ἐγγιγνομένης, καὶ διαῤῥοίας ἅμα ἀκράτου ἐπιπιπτούσης, οἱ πολλοὶ ὕστερον διὰ τὴν ἀσθένειαν διεφθείροντο. id eſt, *aut ſi effugiſſent, multi, cum deſcendiſſet morbus in alvum, & ulcera tætra ei ingenerata fuiſſent, ſimulque profluvium immoderatum acceſſiſſet, poſterius propter infirmitatem interibant.* LAMB.

1197. *Ut eſt*] Ut eſt aliquis, vel ut ſunt aliqui, qui effugerunt: vel, ut verum eſt aliquos effugiſſe. LAMB.

1198. *Ulceribus tætris*] Sic reſtitui, Thucydidem ſecutus. ſic enim ille, ἑλκώσεώς τε ἰσχυρᾶς ἐγγινομένης, &c. quæ verba ſupra interpretati ſumus. LAMB.

1198. *Nigra proluvie Alvi:*] V. 1203. *Tetri ſanguinis acre profluvium.* Thucyd. διαῤῥοίας ἀκράτου (ſive ἀκράτους legas perinde eſt, at διάῤῥοιαν ἄκρατον non ſincerum & purum, ſed vehemens, & immoderatum Alvi profluvium interpreteris) ἐπιπιπτούσης. CREECH.

1200. *Aut etiam multus*] Hæc obſcurius videntur ex Thucyd. expreſſa. ſic enim ille: καὶ διεξῄει γὰρ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἄνωθεν ἀρξάμενον τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ πρῶτον ἱδρυθὲν κακόν. id eſt, *peragrabat enim hujus mali vis totum corpus, ſuperne exorſa, & in capite primum ſedem nacta.* LAMB. Tres ſequentes verſus in Thucydide neque enim obſcure, quod vult *Lambinus*, exprimuntur: atque ideo additos crediderim, ut *Acre profluvium tetri Sanguinis* explicetur. CREECH.

1201. *Plenis ex naribus*] Ita ex veteribus libris ſcripſi, ut & ſupra, lib. II. verſ. 631. Vulgati: ex-

Conruptus ſanguis plenis ex naribus ibat:
Huc hominis totae vires corpuſque fluebat.
Profluvium porro qui tetri ſanguinis acre
Exierat, tamen in nervos huic morbus & artus,
Ibat, & in parteis genitaleis corporis ipſas.

Et

INTERPRETATIO.

e plenis ipſius naribus effluxit; & eadem via omnes Hominis vires, totumque Corpus emanabat: At vero qui lethali iſto Sanguinis profluvio non laborabat, illi tamen in nervos atque Artus ibat Morbus, imo in ipſas partes genitales Corporis,

VARIÆ LECTIONES.

1201. *plenis ex.* pletis ex A. B. expletis naribus C. E. N. P. X.
1202. *Huc hominis.* Hac hominis F. *fluebat.* fluebant H2.
1203. *qui tetri.* cui tetri C. E. P. cui tetris Y. Z.

NOTÆ.

expletis. In quibuſdam libris: *plenis.* Forte etiam: *pletis.* GIFAN.

1201. *Plenis ex naribus*] Sic legi debet, non, ut eſt in codicibus vulgatis, *expletis.* niſi quis malit legi *pletis ex naribus*, ut intelligamus pletas nareis, completas, à verbo *pleo es.* hanc conjecturam arripuit Zoilus. LAMB.

1202. *Huc hominis totæ vires corpuſque fluebant.*] Legendum neceſſario,

Hâc *hominis totæ vires*, &c.

hâc, id eſt eâ parte, per nares ſcilicet, fluebat humani corporis ſubſtantia. Quod cum perſpicuum ſit & τομώτερον ἢ ἀπὸ δάφνης, deſinam. FAB.

1203. *Profluvium porro qui*] Ordo eſt: qui porro *exierat*, id eſt effugerat, & vitaverat profluvium acre ſeu vehemens ſanguinis, huic tamen morbus ibat atque erumpebat in nervos, & artus, & parteis ipſas genitaleis, id eſt gignendi vim habenteis. verbum *exierat* junxit cum accuſandi caſu, ut paucis verſibus poſt,

Aut procul abſiliebat, ut acrem exiret odorem:

& lib. 5: 1329.

Nam tranſverſa feros exibant dentis adactus
Jumenta.

Sic Virgil. lib. 5: 438.

Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.

Idem lib. 11: 750.

Suſtinet à jugulo dextram & vim viribus exit.

vide quæ ſupra annotata ſunt ad illum verſum libro 5: 1329.

Nam tranſverſa feros exibant d. adact.

ſic Horatius junxit cum eodem caſu verbum *evagari*, od. 15. lib. 4: 9.

——— *& ordinem*
Rectum evaganti frena licentiæ
Injecit.

Nunc ad Thucyd. ſic igitur ille: καὶ εἴτις ἐκ τῶν μεγίστων περιγένοιτο, τῶν γε ἀκρωτηρίων ἀντίληψις αὐτοῦ ἐπεσήμαινε, &c. id eſt, *& ſi quis ex maximis illis morbi doloribus incolumis & victor diſceſſiſſet: at extremorum ipſius membrorum obſeſſio magnas ſupereſſe morbi reliquias ſignificabat, &c.* LAMB. Διεξῄει δὲ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἄνωθεν ἀρξάμενον τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ πρῶτον ἱδρυθὲν κακόν: v. 1143. *Principio, caput incenſum* &c. καὶ εἴτις ἐκ τῶν μεγίστων (κινδύνων δηλονότι Schol.) περιγένοιτο, τῶν γε ἀκρωτηρίων ἀντίληψις αὐτοῦ ἐπεσήμαινε, κατέσκηπτε γὰρ καὶ εἰς τὰ αἰδοῖα, καὶ εἰς ἄκρας χεῖρας, καὶ πόδας: καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων διέφυγον, εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν: Thucyd. CREECH.

1204. *Exierat*] I. e. vitaverat, evaſerat, ut & mox 1215.

Aut procul abſiliebat, ut acrem exiret odorem.

HAV.

1204. *Tamen in nervos huic morbus*] Thucyd. κατέσκηπτε γὰρ καὶ ἐς αἰδοῖα, καὶ ἐς χεῖρας, καὶ πόδας. id eſt, *impetum enim faciebat in parteis genitaleis, & manus, & pedes.* LAMB.

Et graviter partim metuentes limina lethi
Vivebant ferro privati parte virili:
Et manibus ſine nonnulli pedibuſque manebant
In vita tamen, & perdebant lumina partim:
Uſque adeo mortis metus his incuſſerat acer.
Atque etiam quoſdam cepêre oblivia rerum

Cun-

INTERPRETATIO.

& multi mortem vehementer timentes vivebant ferro privati membro virili; Multi manus, pedeſque amittebant, tamen manebant in vita; Multi denique oculos perdebant. Acer metus Mortis miſeros hoſce Homines tam penitus occupaverat: Quidam denique ita cunctarum rerum obliviſcebantur,

VARIÆ LECTIONES.

1206. *partim.* ſpartim P. *limina.* lumina Q1.

1210. *incuſſerat.* Ita A. C. E. K. Y. Z. iis incuſſerat P. Y. invaſerat A. B. D. incoſſerat L. & *Reliqui.* *acer.* ater Q1.

NOTÆ.

1206. *Et graviter partim, &c.*] Id eſt, & metuentes mortem, partim vivebant ſine parte virili, partim ſine manibus, partim ſine pedibus. Thucyd. καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων διέφευγον id eſt, *& multi his corporis partibus privati mortem effugiebant.* Sed exiſtimat Petrus Victorius libr. 35. Variar. lect. cap. 8. Thucyd. ſententiam non ſatis eſſe aſſecutum Lucretium, neque recte interpretatum: quia (inquit) dicat Lucretius, quoſdam hoc morbo correptos, cum mortem valde metuerent, vixiſſe, & mortem effugiſſe, poſteaquam ferro privati fuiſſent parte virili, aut manibus, aut aliis membris, in quæ membra vis illius morbi forte irrupiſſet atque invaſiſſet: adhibito videlicet chirurgo, qui parteis illas affectas exſecaret: de qua re tota nullum à Thucydide verbum fieri. ſic ille. Ego vero arbitror & Lucretium Thucydidis ſenſum acutiſſime perſpexiſſe, & P. Victorium, cui aliter viſum eſt, hic vehementer erraſſe: quod item alibi ei ut homini, ſæpe uſu veniſſe alias oſtendam. Sed nunc hoc quod eſt in manib. videamus: illa alias. Verba igitur Thucyd. hæc ſunt, καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων διέφευγον, &c. Ego autem dico, horum verborum eam ipſam ſententiam eſſe, quam Lucretius expreſſit, niſi quod id, quod brevius à Thucydide dictum eſt, & idcirco fortaſſe obſcurius, Lucretius uberius, & ita planius explicavit. Nam cum dicit Thucydides, multos, dum his membris privantur, mortem effugiſſe: nihil aliud ſignificat, quam eos mortem metuenteis, adhibito chirurgo; qui ſcalpello parteis illas affectas præcideret, periculum effugiſſe, & vixiſſe. participium enim στερισκόμενοι hoc valet, *patientes ſe privari à medico, ſeu chirurgo,* &c. & διέφευγον, id eſt *effugiebant*; metum includit. nam qui periculum effugit, intelligitur fugiſſe. Quiſquis fugit autem, metuit. LAMB.

1208. *Nonnulli*] Partim. LAMB.

1209. *Et perdebant lumina partim*] Thucyd. εἰσὶ δ' οἳ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, id eſt, *ſunt & qui oculis privati manebant in vita.* LAMB.

1210. *Metus his incuſſerat acer*] Ita omnes libri, manu, formiſque deſcripti. Lambinus tamen: *inceſſerat.* GIFAN. *in edit. priori.*

1210. *Uſque adeo mortis &c.*] Sic videtur hic verſus reſtitui poſſe, levi immutatione facta, nempe ex *incuſſerat* (quo modo habent libri omnes & manuſcr. & typis excuſi) facto *inceſſerat*: quod probabat Auratus. ſic ſup. eod. lib. 28.

——— *vel gravis ignis*
Impetus inceſſit.

Sed, ſi liceret, mallem ita reponi, nimirum ver-

Cunctarum, neque ſe poſſent cognoſcere ut ipſi.
Multaque humi quom inhumata jacerent corpora ſupra
Corporibus, tamen alituum genus atque ferarum
Aut procul abſiliebat, ut acrem exiret odorem:
Aut, ubi guſtârat, languebat morte propinqua.

Nec

INTERPRETATIO.

ut ſeipſos non cognoſcerent. Et cum multa Cadavera acervatim humi jacebant inhumata, tamen Volucres & Feræ longe ab iis recedebant lethalem odorem vitantes, vel ſtatim atque deguſtaverant agebant Animam.

VARIÆ LECTIONES.

1215. *exiret odorem.* exciret C. O. P. ut acrem exciſſet, *corrigit* P. *in not.*

NOTÆ.

verbis in ſuum ordinem reſtitutis,

Uſque adeo incuſſus mortis metus his erat acer.

uſque adeo acer (inquit ἐπιφωνηματικῶς) his erat *incuſſus*, id eſt, injectus mortis metus: uſque adeo acriter mortem extimeſcebant. Cum ita jam bis edidiſſem, dico,

——— ——— *His inceſſerat acer.*

Zoilus maluit legi,

Uſque adeo mortis metus his invaſerat acer,

nimis longo ab antiqua ſcriptura intervallo. Lamb.

1210. *Metus his invaſerat acer*] Sic reſtitui; cum in veteribus libris, ſit; vel: *incuſſerat*, vel: *incuſerat.* Vide Indicem. Vulgati: *incuſſerat*, ut veteres libri. Lambinus: *inceſſerat* Gifan. *edit. altera.* At vero, quum conſtanter Libri Optimi retineant *incuſſerat*, mirum Interpretes non vidiſſe poſitum pro *incuſſerat ſe*, vel *incuſſa erat*, cujus locutionis plura paſſim apud Lucretium exempla ſunt; ſic itaque lego cum Doctiſſ. Gronov. Obſ. 2: 7. metus autem mortis *incuſſerat ſe*, uti *incutere amorem* 1: 20. & 923. *tremorem* 6: 592. *morbos* 6: 772. Hav.

1211. *Atque etiam quoſdam cepere oblivia*] Thucyd. τοὺς δὲ καὶ λήθη ἐλάμβανε παραυτίκα ἀναστάντας (ὑγιαίναντας ex Scol. *Creechius* addit.) τῶν πάντων ὁμοίως, καὶ ἠγνόησαν σφᾶς τε αὐτοὺς, καὶ τοὺς ἐπιτηδείους. id eſt, *nonnullos autem cum è morbo convaluiſſent, & è lecto ſurrexiſſent, ſtatim omnium peræque rerum oblivio capiebat, necnon & ſe ipſos, & familiareis, ac neceſſarios ſuos ignorabant.* Lamb. Inquirit cauſam ejus rei Camerarius Problemate VII. Parte IV. Facis Crit. pag. 11.

1213 *Inhumata*] ἄταφα, ſeu ἄθαπτα, *inſepulta.* Lamb.

1213. *Jacerent ſupra corporibus*] Id eſt, cum multa corpora ſuperjacerent corporibus, ut intelligamus, verbum compoſitum eſſe diviſum. Lamb.

1213. *Jacerent corpora ſupra corporibus*] Id eſt, *Superiacerent corpora.* Vide inf. 1254.

Exanimis pueris ſuper exanimata parentum, &c. Fab.

1214. *Tamen alituum genus*] Thucyd. τὰ γὰρ ὄρνεα, καὶ τετράποδα, ὅσα ἀνθρώπων ἅπτεται, πολλῶν ἀτάφων γιγνομένων, ἢ οὐ προσῄει, ἢ γευσάμενα διεφθείρετο, &c. i. *aves enim & quadrupedes, quæ carnem humanam tangunt, cum multa corpora jacerent inſepulta, aut ad ea non accedebant, aut ſi guſtarant, interibant.* Lamb.

1215. *Ut acrem exiret odorem*:] Sic reſtitui, reclamantibus libris omnibus, in quibus legitur *exciret odorem. exiret odorem* enim dixit, pro *declinaret*, *effugeret*, ut ſupra docuimus, verſ. 1203.

Profluvium porro qui tætri ſanguinis acre
Exierat, &c.

ſic & Propertius hoc verbum cum accuſandi caſu conjunxit, lib. 3. eleg. 3: 59.

Curve ſuos fineis altum non exeat æquor.

quamquam non videtur Propertius in eandem ſignificationem uſurpaſſe, neque ab eadem re tranſtuliſſe. Lamb. Ita hunc locum reſtitueram, ut & alia multa, cum in eadem ſententia poſterius Lambinum etiam comperi. Vulgati: *exciret.* Gifan. *in utraque ed.*

Hh hh 2 1217. *li-*

Nec tamen omnino temere illis ſolibus ulla
Comparebat avis, nec noctibus ſaecla ferarum
Exibant ſylvis: languebant pleraque morbo,
Et moriebantur: quom primis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus aegre;
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.
Incomitata rapi certabant funera vaſta:

Nec

INTERPRETATIO

Tum vero interdiu vix ulla apparuit Avis, neque noctu Feræ Sylvis exibant, Nam peſte plerumque afficiebantur & perierunt: Præcipue fidi Canes in omni platea ſtrati animam reddebant languidam, nam Peſtis vitam membris extorſit; Funera ſine ulla pompa ulliſque amicis proſequentibus rapiebantur.

VARIÆ LECTIONES.

1217. *ſolibus ulla.* ſedibus ulla C. E. M. H2. N. P. *in not.* ex *Macrobio* Q1. ſolibus c. H1. O.

1218. *noctibus ſæcla.* nocti ſecla a. D. triſtia ſæcla C. E. M. N. P. Q1. nec fortia, *quidam codd.* P. *in not.* Q2. noxia K. V. noctia *Vet.* L. Z. nectia Y.

1219. *Exibant.* Exuperant ſylvis H2.

1221. *omnibus ægrè.* Ita P. Q1. V. Y. Z. omn. ægram *Alii.*

NOTÆ.

1217. *Illis ſolibus*] Sic habent quattuor libri manuſcripti, quibuſcum congruunt Vulgati, Veneti antiqui & Pariſienſ. *ſolibus* autem interpretor *diebus.* ſic Perſius ſat. 5:41. *multos conſumere ſoles.* fuit tamen cum putarem legendum,

Temere illis ulla diebus.

ſed hæc certior ac tutior lectio eſt. ceteri tamen vulgati habent *ſedibus*, & ita videtur legiſſe Macrobius lib. 6. Saturn. ſed ego exempla Macrobii corrupta eſſe puto. Thucyd. τῶν μὲν τοιούτων ὀρνίθων ἐπίλειψις σαφὴς ἐγένετο, καὶ οὐχ ἑωρῶντο οὔτε ἄλλως οὔτε περὶ τοιοῦτον οὐδέν. id eſt, *talium quidem avium penuria manifeſta erat, neque alibi comparebant, neque circa ulla talia cadavera.* LAMB. Sic veteres omnes libri. Marullus, & Vulgati, fere, ut & in Macrobio: *ſedibus.* GIFAN. Viz. Diebus: Macrobius olim *Sedibus*, at voci *Noctibus* in ſequenti verſu melius reſpondet vox *Solibus*, quamvis Alii legant *Noxia ſecla ferarum.* CREECH.

1218. *Nec noctibus*] Sic reſtitui, ſecutus obſcura antiquæ ſcripturæ veſtigia. Nam libri manuſcripti habent, partim *nec noctia*, partim *nec noctis*, quibuſcum conſentiunt nonnulli vulgati. Sententia autem hujus loci plana eſt. *Nec temere* (inquit) id eſt, non fere, ſeu raro admodum *illis ſolibus*, id eſt illis diebus, & ſole lucente, avis ulla comparebat, nec *illis noctibus* feræ exibant è ſilvis. LAMB.

1218. *Nec nocti ſæcla ferarum*] Ita reſtitui. In Veteribus, fere: *noctis.* Lambinus: *noctibus.* Marullus, & Vulgati, *nec triſtia ſæcla.* GIFAN. *Noxia.* quoque magis amat Rutgerſ. V. L. lib. 4. cap. 1. venuſtior tamen illa Lambini eſt oppoſitio, cujus lectionis veſtigia MSS. ſervant. HAV.

1220. *Cum primis fida canum*] Thucyd. οἱ δὲ κύνες μᾶλλον αἴσθησιν παρεῖχον τοῦ ἀποβαίνοντος διὰ τὸ συνδιαιτᾶσθαι. id eſt, *canes autem propter contubernii & victus ſocietatem ſenſum mali ingruentis magis præbebant.* Lucret. libr. 5: 862.

Et levi-ſomna canum fido cum pectore corda. LAMB.

1221. *Ægrè*] Ita correxi ex MSS. extorquebatur enim vi morbi, ut verſu ſeq. dicit. Virg. 12:952.

Vitaque cum genitu fugit indignata ſub umbras. HAV.

1223. *Incomitata rapi*] Rapiebantur funera; non ſolemni more & pompa ducebantur. non enim propinqui, neque amici, ſuorum corpora ad rogum proſequebantur: ſed aut paſſim inſepulta jacère patiebantur, aut in alienum rogum temere conjiciebant. *incomitata*, id eſt *non comitata*, παθητικῶς. LAMB. Non agnoſcit Thucyd. CREECH.

1224. *Nec ratio remedi communis*] Thucyd. E-

εὐγ—

Nec ratio remedî communis certa dabatur.
Nam quod alîs dederat vitaleis Aëris auras
Volvere in ore licere, & coeli templa tueri:
Hoc aliis erat exitio, lethumque parabat.
Illud in his rebus miſerandum & magnopere unum
Aerumnabile erat, quod, ubi ſe quiſque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus ut eſſet,

De-

INTERPRETATIO.

Neque ullum erat commune ægris omnibus remedium; nam quod (recreavit alios) aliis dederat licere volvere in ore vitales auras Aëris, & intueri Cœlum, illud erat exitio aliis, & mortem accelerabat. In his autem malis hoc unum erat maxime miſerandum & luctuoſum, quod quam primum aliquis ſe Morbo affectum ſentiebat, tanquam eſſet ad mortem damnatus,

VARIÆ LECTIONES.

1225. *alîs dederat.* ali dederat C. E. N. Q1. Y. Z. alii P. Q. X. aliis c. O.
1228. *miſerandum & magnopere.* miſerandum magnopere C. E. P.
1230. *morbo, morti.* morbi, morti E.

NOTÆ.

ἔθνησκον δὲ οἱ μὲν ἀμελείᾳ, οἱ δὲ καὶ πάνυ θεραπευόμενοι· ἕν τε οὐδὲ ἓν κατέστη ἴαμα, ὡς εἰπεῖν, ὅτι χρὴν προσφέροντας ὠφελεῖν. id eſt, *Moriebantur autem alii incuria, alii etiam cum ſtudioſe curarentur, nullumque fere certum fuit remedium, quod adhibitum profuerit.* LAMB.

1225. *Nam, quod aliis dederat*] Thucyd. τὸ γάρ τῳ ξυνενεγκὸν, ἄλλον τοῦτο ἔβλαπτε. id eſt, *nam quod alicui profuerat, hoc alii nocebat.* in voce *aliis*, quæ eſt in hoc verſu, duæ vocales *ii* habentur pro una ſyllaba. quidam libri tamen habent *ali*, in numero ſingulari, unico *i*, à recto *alis.* Quod igitur aliis, aut alii dederat licere, τὸ ἐξεῖναι, id eſt licentiam, ſeu ut liceret volvere in ore vitaleis auras, hoc eſt animam è cælo ducere, & ſpirare, & cælum adſpicere; hoc erat aliis exitio. LAMB.

1126, *Et cæli templa tueri*] Id eſt, & lucem intueri: ὁρᾶν φάος ἠελίοιο. ——— ſupra libro 3: 64.

Et ſæpe uſque adeo mortis formidine vitæ
Percipit humanos odium, luciſque videndæ, &c.

Virgil. libro 4. Æneid. 451.

——— *tædet cæli convexa tueri.* LAMB.

1227. *Aëris auras volvere*] Uno verbo, *vivere* eſt. FABER.

1228. *Illud in his rebus miſerandum &c.*] Δεινότατον δὲ παντὸς ἦν τοῦ κακοῦ ἥ τε ἀθυμία, ὁπότε τις αἴσθοιτο κάμνων (πρὸς γὰρ τὸ ἀνέλπιστον εὐθὺς τραπόμενοι τῇ γνώμῃ, πολλῷ μᾶλλον προΐεντο σφᾶς αὐτοὺς, καὶ οὐκ ἀντεῖχον) καὶ ὅτι ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνησκον· καὶ τὸν πλεῖστον φθόρον τοῦτο ἐνεποίει. id eſt, *Omnium autem malorum hoc erat graviſſimum, & maxime horrendum, & quod, ſimul atque aliquis ſe à morbo correptum eſſe ſentiebat, de ſua ſalute deſperabat, animumque deſpondebat: (omni enim ſpe ſalutis orbati, multo magis ſeſe proiiciebant, ac negligebant, neque durabant, aut reſiſtebant) & quod alter ab alterius curatione malum contrahentes, tanquam pecudes, moriebantur: atque hoc quam plurimis interitum afferebat.* hanc Thucydidis ſententiam octo verſibus expreſſit Lucret. quod oſtendemus minutatim. LAMB.

1229. *Ærumnabile*] Ærumnoſum. LAMB.

1229. *Quod ſe quiſque videbat implicitum morbo*] Thucyd. ὁπότε τις αἴσθοιτο κάμνων, *ubi ſe morbo implicitum atque impeditum ſentiret.* LAMB.

1230. *Morti damnatus ut eſſet*] Ut ſi jam Orco addictus eſſet. Itaque *ut* pro *quaſi.* non temere alibi. FABER. Apud Horatium quoque (indice Rugerſio V. L. 4: 1. juxta quem locum interpunximus) Serm. 1: 3: 15.

——— ——— *Decies centena dediſſes.*

i. e. ſi dediſſes. HAV.

 1231. *De-*

Deficiens animo, moeſto cum corde jacebat
Funera reſpectans, animam & mittebat ibidem.
Quippe etenim nullo ceſſabant tempore apiſci
Ex aliis alios avidi contagia morbi:
Idque vel in primis cumulabat funere funus.

Nam

INTERPRETATIO.

triſtis moeſtuſque jacebat, vitam deſperans, expectans mortem, miſere Animam expirabat. Ideo autem crebriora erant funera, & catervatim moriebantur Homines, quoniam ex aliis in alios ſerpebat Peſtis neque contagia vitari potuerunt.

VARIÆ LECTIONES.

1232. *&.* Deeſt P. *mittebat.* immittebat Q1. Y. amittebat Z. *ibidem.* & idem Q1.
1234. *Ex aliis alios avidi.* Ex aliis alii pavidi P. *in not.*
1235. *Idque vel* Atque, vel c. P. Idque vel, *quidam codd.* P. *in not. cumulabat.* cumulabant E. *Hunc verſum hoc loco collocant* E. N. Q. Y. Z. *Reliqui collocaverant poſt* 1232.

NOTÆ.

1231. *Deficiens animo mæſto cum corde*] Thucyd. *ἀθυμία, animi contractio, & deſperatio.* LAMB.

1233. *Quippe etenim*, &c.] Ordo eſt: Quippe etenim contagia morbi avidi non ceſſabant alios ex aliis *apiſci*, id id adipiſci, & corripere. Thucyd. *ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, alter ab alterius curatione morbum contrahentes.* LAMB.

1235. *Idque vel in primis*,] Thucyd. καὶ τὸ πλεῖστον φθορὸν τοῦτο ἐνεποίει, id eſt, *atque hoc plurimam ſtragem edebat.* LAMB. Octo ſequentes verſus obſcurius *Thucyd.* Ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνησκον· καὶ τὸ πλεῖστον φθορὸν τοῦτο ἐνεποίει. Εἴτε γὰρ μὴ θέλοιεν δεδιότες ἀλλήλοις προσιέναι, ἀπώλλυντο ἔρημοι, καὶ οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύσοντος. Rectius autem mutetur horum verſuum ordo.

Quippe etenim nullo &c.
Ex aliis alios avidi &c.
Idque vel imprimis cumulabat &c. CREECH.

Mutavimus itaque auctoritate Codd. Lugd. Bat. & ante Creechium idem judicium fuit Jani Rutgerſii V. L. lib. 4. cap. 1. HAV.

1236. *Nam, quicumque ſuos fugitabant*] Hunc locum (præfiſcine præfatus dixerim) feliciſſime reſtitui. nam, cum in duobus libris manuſcriptis ita ſcriptum reperiſſem, *fugitabant, ut ſe redat ægros*: in aliis, *viſ ere ad ægros*; in uno *viſe re ad ægros. viſere ad ægros* repoſui, conjecturam meam approbantibus Adriano Turnebo, Joan. Aurato; & multis aliis viris doctiſſ. Ne cui autem inſolens videatur ita loqui *viſere ad ægros*, proferam aliquot ex bonis ſcriptoribus exempla. Lucretius libro ſecundo: 360.

——— *& crebra reviſit*
Ad ſtabulum, deſiderio perfixa juvenci.

& libro quinto: 634.

Propterea fit, ut hæc ad ſignum quodque reverti
Mobilius videatur, ad hanc quia ſigna reviſunt.

Terent. Adelph. 5: 6: 1.

Hera, ego hinc ad hos proviſam.

Idem Hecyra 1: 2: 114.

——— *noſtra illico it viſere ad eam.*

Idem ibid. 2: 1: 40.

Quod heri nemo voluit te viſentem ad eam intromittere.

quanquam hîc licet ita diſtinguere, *te viſentem, ad eam intromittere.* Plaut. Cap. 4. 2: 113.

Poſtremo, Hegio, ſi parva jurijurando eſt fides,
Viſe ad portum,

A. Gell. cap. ult. libri decimitertii: *Cum valebo ab oculis, reviſe ad me.* Idem libri ſecundi capite vigeſimo ſexto: *Phavorinus philoſophus cum ad M. Frontonem conſularem pedibus ægrum viſeret, &c.* Hujus autem loci hæc ſententia, & hic ordo verborum eſt: Nam, quicumque fugitabat viſere ad amicos, & propinquos ſuos ægros, dum nimium ſunt vitæ cupidi, mortiſque timentes,

hos

Nam quicunque ſuos fugitabant viſere ad aegros,
Vitaï nimium cupidi, mortiſque timentes,
Poenibat paullo poſt turpi morte malaque
Deſertos, opis experteis, incuria, mactans
Lanigeras tanquam pecudes, & bucera ſaecla.

Qui

INTERPRETATIO.

Nam quicunque vitæ nimis cupidi Amicos ſuos ægros viſere noluerunt, illos deſertos omniſque opis expertes paulo poſt turpi malaque morte par negligentia punibat : & tanquam Boves aut Oves neglecti moriebantur.

VARIÆ LECTIONES.

1236. *ſuos fugitabant viſere ad ægros* ſuis fugitabant, ut fit, ab ægris C. E. N. V. ſuos ad ægros c. O. P. *ex antiquis tamen codd. reponi jubet in not.* P. ad agros. ut fere Q1. ut ſe redeat. Y. Z.

1237. *cupidi.* cupidos C. P. Q1. V. Y. Z. cupidis E.

1238. *Pœnibat paullo.* Pœnitet, & paullo C. E. M. Pœnas & paulo c. P. Pœnis P. *in not.* Penibus Q. Pœna ibus at V. Pœnibus & X. Y. Pœnibus at Z.

1239. *incuria.* in cura Y. Z. *mactans.* mactat C. E. N. mactans c. Diſtinctio noſtra eſt, antea legeb. *incuria mactans*, *L. t. p.* Inſeras 1242, 1243. P. Y. Z.

1240. legitur poſt verſ. 1243.

NOTÆ.

hos incuria mactans paullo poſt *pænibat*, id eſt puniebat, ſeu punibat turpi morte, malaque, deſertos atque opis experteis. Thucyd. εἴτε γὰρ μὴ θέλοιεν δεδιότες ἀλλήλοις προσιέναι, ἀπώλλυντο ἔρημοι, καὶ οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύσοντος, &c. id eſt, *nam ſive noluiſſent metu deterriti ſe mutuo inviſere, deſerti peribant, multæque domus exinanitæ atque exhauſtæ ſunt inopia hominum qui curarent*, &c. LAMB.

1236. *Viſere ad ægros*] Ita rectiſſime Lambinus. Quod & noſtris libris comfirmatur expreſſe. Vulgati: *ut fit ad ægros.* GIFAN.

1238. *Pœnibat*] i. e. punibat. hujus loci reſtitutionem debemus Adriano Turnebo: qui cum animadvertiſſet in lib. manuſcr. eſſe ſcriptum *pænibus at*, valde ἀστόχως *pænibat* legendum eſſe vidit. *pænibat* autem dictum pro *punibat*, *æ* pro *u*, more veteribus uſitato. ſic à *Pœnis* Afris, *Punicus, a, um : pæna, pùnio : mœri, muri.* de quibus ſupra 926. *exeſor mœrorum.* LAMB. Sic Turnebus, ἀστοχώτατα: Marullus, & Vulgati: *Pænitet*, &c. In Veteribus, fere: *Pœnibus at.* GIFAN.

1240. *Lanigeras tanquam pecudes*,] Thucyd. ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνησκον, id eſt, *tanquam pecudes moriebantur.* Admonet me hic locus, ut eruditi cujuſdam juvenis conjecturam, quam mecum nuper communicavit, de Plinii verbis, quæ leguntur lib. 7. cap. 2. referam. Sic autem Plin. *In eadem Africa familias quaſdam effaſcinantium Iſigonus & Nymphodorus eſſe tradunt : quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes.* Quod igitur alii quidam docti viri putant, *probata* Græcam vocem eſſe, pro *pecudibus* aut *ovibus* à Plin. poſitam, juvenis ille acerrimo ingenio præditus, arbitratur hæc Plinii verba eſſe corrupta, legendumque hoc modo, *interea probatæ areſcant arbores.* probatas autem arbores intelligit, quæ in aquis non putruerint. Sic enim Theophraſt. δένδρα, ἃ οὐ διασήπεται ἐν ὕδασι. Sed Adrianus Turnebus apud Plin. nihil mutandum putat : ſicque Plinii verba explicat, *intereant probâta*, id eſt, ea quæ laudata ab illis familiis fuerint, quaſi faſcinata : profertque in hanc ſententiam Virgilii verſus ex Melibæo, ſeu Ecl. 7: 26.

Aut ſi ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro. LAMB.

1241. *Qui*

Qui fuerant autem praeſto, contagibus ibant,
Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,
Blandaque laſſorum vox miſta voce querelae.
Optimus hoc lethi genus ergo quiſque ſubibat:
Inque aliis alium populum ſepelire ſuorum
Certantes, lacrymis laſſi luctuque redibant.
Inde bonam partem in lectum moerore dabantur:
Nec poterat quiſquam reperiri, quem neque morbus,
Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.

Prae-

INTERPRETATIO.

Qui autem viſebant Amicos ſuos ægros, illi contagio affecti, aut fagitati labore quem Pudor, blandæque preces languentium cum gemitu commixtæ cogebant obire, perierunt. Optimus autem quiſque Vir hoc genus Mortis ſubibat: Et alium ſuorum populum in aliis ſepelire certantes, lachrymis luctuque fatigati redibant, Inde plurimi mœrore confecti decumbebant; Neque quiſquam reperiri potuit, quem tali in tempore neque Morbus, neque Mors, neque Luctus tentaverat.

VARIÆ LECTIONES.

1242. *pudor quem tum cogebat.* pudoreque omni cogebat c. P. Q.
1244. Inſeritur poſt 1247. P.
1245. *aliis alium.* aliis alius F.
1247. *bonam partem in lectum.* bona ex parte C. E. bona ex parti H2. N. bonam partem c. in letum C. E. Q1.

NOTÆ.

1241. *Qui fuerant autem præſto*] Thucyd. εἴτε προσίοιεν, διεφθείροντο, id eſt, *ſive ad ſuos accederent, interibant.* Lamb.

1241. *Contagibus ibant*] Id eſt contagiis obibant, ſeu interibant. ibant, ᾤχοντο. ſic ſupra lib. 3: 525.

——— *cernimus ire.* Lamb.

1242. *Pudor quem tum*] Quem *laborem* tum cogebat *obire*, id eſt adire, ſeu ſubire pudor. Thucyd. αἰσχύνῃ γὰρ ἠφείδουν σφῶν αὐτῶν, εἰσιόντες παρὰ τοὺς φίλους, id eſt, *pudore enim affecti ſibi haudquaquam parcebant, ad amicos ſuos adeuntes.* Lamb.

1243. *Blandaque laſſorum, &c.*] Et quem laborem cogebat ſubire vox blanda ægrorum cum quærela conjuncta, &c. Thucyd. ἐπεὶ καὶ τὰς ὀλοφύρσεις τῶν ἀπογιγνομένων τελευτῶντες καὶ οἱ οἰκεῖοι ἐξέκαμνον, ὑπὸ τοῦ πολλοῦ κακοῦ νικώμενοι. id eſt, *nam & querelis pereuntium tandem etiam propinqui & domeſtici ſuccumbebant, ac cedebant, mali magnitudine victi.* Lamb.

1244. *Optimus hoc leti genus*] Καὶ μάλιστα οἱ ἀρετῆς μεταποιούμενοι, id eſt, *maximeque peribant viri boni, & virtutis ſtudio dediti.* Lamb.

1245. *Inque aliis alium populum*] Id eſt, & cum certarent ac contenderent ſuorum mortuorum turbam in alia familia, vel inter diſſimileis tribus, aut municipii homines ſepelire, &c. *populum* fortaſſe dixit, quem Græci δῆμον appellant. Lamb.

1245. *Inde aliis alium populum ſepelire ſuorum Certantes*, &c.]

Legendum omnino eſt,

Inque aliis alius *populum ſepelire*, &c.

Verborum enim conſecutio hæc eſſe debuit: *alius in aliis, alius porro in aliis populum*, ſeu *ingentem multitudinem, ſuorum neceſſariorum, familiarium, ſepelire certantes; lacrymis laſſi luctuque redibant.* Faber. Faber, *Inque aliis alius* &c. Verborum enim conſecutio hæc eſſe debuit. *Alius in aliis, Alius porro in aliis populum, ſeu ingentem multitudinem ſuorum neceſſariorum, familiarium ſepelire certantes, lachrymis laſſi luctuque redibant.* Breviter Thucyd. Ἐπεὶ καὶ τὰς (πρὸς τὰς Schol.) ὀλοφύρσεις τῶν ἀπογιγνομένων τελευτῶντες καὶ

Praeterea, jam paſtor, & Armentarius omnis,
Et robuſtus item curvi moderator aratri,
Languebant, penituſque caſis contruſa jacebant
Corpora, paupertate & morbo dedita morti.
Exanimis pueris ſuper exanimata parentum
Corpora nonnunquam poſſes, retroque videre
Matribus, & patribus natos ſuper edere vitam:
Nec minimam partem ex agris aegror is in urbem
Con-

INTERPRETATIO.

Præterea, jam Paſtor, & omnis Bubulcus, & curvi Aratri moderator (Agricola) languebant, & Homines rure abditi, & caſas incolentes jacebant Morbo ſimul & paupertate oppreſſi: Nonnunquam etiam videre poſſes Mortuos parentes ſuper Mortuos pueros jacentes, & è contra Pueros ſuper Matres patreſque morientes. Nec minima pars illius Peſtis in Urbem

VARIÆ LECTIONES.

1252. *Languebant.* Languebat Q1. *caſis contruſa.* caſa contruſa C. E. P. V. Y. Z.
1253. *dedita morti.* tradita morti c. P. Q.
1254. *Exanimis pueris.* Exanimi pueri Y. Z.
1257. *Nec minimam partem.* Ita A. B. C. E. F. N. V. *Creech.* P. Y. Z. nec minimum partim *Lamb.* Nec minima pars ex H2. *ægror is.* Ita Cr. F. V. mæroris in C. E. N. P. Y. Z. ægror is in *Creech*, V.

NOTÆ.

οἱ οἰκεῖοι ἐξέκαμνον, ὑπὸ τοῦ πολλοῦ κακοῦ νικώμενοι. Creech.

1247. *Inde bonam partem*] Cum in libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſem, *Inde bonam partem*, & ita habeant cod. Pariſienſes: hanc lectionem potius, quam vulgatam *bona ex parte*, ſecutus ſum. quæ ſubſtituta videtur ab iis, qui veram non intelligerent. Atqui ſic loquuntur boni ſcriptores. Lucret. ſupra lib. 3: 64.

Non minimam partem mortis formidine aluntur:

& infra 1257.

Nec minimam partem ex ægris ægror is in urbem
Confluxit, &c.

ut quidem legendum cenſet Boſius. & M. Tull. offic. 1. *Maximam partem ad injuriam faciendam aggrediuntur nonnulli*, &c. Lamb. Ita veteres libri, rectiſſime, Vulgati: *bona ex parte in letum.* Gifan.

1247. *In lectum*] Quidam libri manuſcripti habent *in lectum*, quidam *inſectum*: quod videtur depravatum ex vera lectione *in lectum*; vulgati, *in letum*: quos non ſum ſecutus. *dabantur in lectum* autem, id eſt (ut loquitur Horat. 1. Sat. 1. 81.) *affligebantur lecto*, quod eſt *decumbere in lecto cogebantur* Lamb.

1250. *Armentarius*] qui armentis præeſt, ut bubulcus. Lamb.

1251. *Et robuſtus item curvi*] Supr. libr. 1251.

Nec robuſtus erat curvi moderator aratri.

Virgil. Pollione, ſeu Eccl. 4: 41.

Robuſtus quoque jam tauris juga ſolvet arator.

Lamb.

1252. *Caſis contruſa*] In caſis conjecta & coarctata, Thucyd. ἐν καλύβαις διαιτωμένων, &c. Lamb. Rure viz. ſupra, 1137. *funeſtos reddidit agros:* Et Lambinus fruſtra adducit iſta Thucyd. verba ἐν καλύβαις διαιτωμένων. Creech.

1253. *Dedita morti*] Nonnulli libr. vulgati habent *tradita morti.* Lamb.

1254. *Exanimata pueris ſuper*] Super exanimis pueris, ἀναστροφὴ, ut tertio ab hinc verſu

Matribus & patribus natos ſuper edere vitam. Lamb.

1255. *Retroque*] Et contra. Lamb.

1257. *Nec minimam partem ex agris ægroris in urbem Confluxit*] Ita veteres libri; ut ſit antiptoſis. Male Marullus: *minima pars*, & Lambinus:

Confluxit, languens quem contulit Agricolarum
Copia, conveniens ex omni morbida parti.

Omnia

INTERPRETATIO.

fluxit ex Agris, quam turba Ruſticorum morbo infecta conveniens ex omni parte contulit;

VARIÆ LECTIONES.

1259. *parti.* parte C. D. E. P. X. Y. Z.
1258. *Confluxit.* Conduxit Q1. *languens.* lugens Q.

NOTÆ.

minimum partim. In quibuſdam libris, etiam: *mœroris.* Quod ex Gloſſa irrepſit. GIFAN.

1257. *Nec mininum partim*] Thucyd. Ἐπίεσε δ' αὐτοὺς μᾶλλον πρὸς τῷ ὑπάρχοντι πόνῳ, καὶ ἡ συγκομιδὴ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὸ ἄστυ, καὶ οὐχ ἧσσον τοὺς ἐπελθόντας. id eſt, *præter malum autem, quo in præſens tempus laborabant Athenienſes, magis eos preſſit agricolarum multitudo ex agris in urbem conveniens: eaque ipſa collecta multitudo iis qui in urbem advenerant, non minus erat infeſta atque exitialis.* Cum in omnibus libris manuſcriptis ſcriptum reperiſſem,

Nec minimam partem ex agris, &c.

& ita in nonnullis vulg. pro eo, quod eſt in aliis vulgatis,

Nec minima pars ex agris, &c.

ego quod ad hanc priorem verſus partem attinet, repoſui,

Nec minimum partim, &c.

quod autem ad poſteriorem, quæ ſic legitur in vulgatis,

Ex agris mœroris in urbem, &c.

in manuſcriptis vero,

Ex agris ægroris in urbem, &c.

ego libros manuſcriptos ſecutus ſum, quamvis ne hanc quidem lectionem admodum probem. Sed ea tamen, qualiſcumque ſit, tolerabilior eſt, quam vel illa altera vulgata,

Nec minimam partem ex agris mœroris in urbem, &c.

vel antiqua,

Nec minimam partem ex agris ægroris in urbem, &c.

nam *ægroris minimum*, Latine & uſitate dictum eſt. cetera in hoc verſu, quo modo eum edidimus, tolerabilia ſunt. *minimam partim ægroris* autem, ſeu *mœroris* vero, non poteſt cohærere cum verbo *confluxit*, quod ſequitur proximo verſu. Nihilo magis ea ſcriptura, quæ eſt in codicib. Florentinis,

Nec minima pars ex agris mœroris in urbem,

ferri poteſt, primum, quia pes ſecundus, jambus eſt, cum dactylus aut ſpondeus eſſe debeat: deinde quia perſpicue contra omnium veterum librorum auctoritatem factum eſt, ſive à Navagerio, ſive à Marullo, ſive à Pontano, ſive ab aliquo alio, quiſquis ſit ejus auctor, *minima pars*, ex *minimam partem*, idque nimis remote ab antiqua ſcriptura, apte quidem ad ſententiam & elocutionem, ſed inepte ad verſum, ut diximus. Jam vero neminem movere debet, quod *partim* ſemel ponatur. hoc enim uſitatum eſt tum bonis ſcriptoribus, tum ipſi T. Lucretio, & M. Tull. Lucret. libr. 5: 950.

Et partim plano ſcatere atque erumpere campo.

M. Tull. Verr. Statuæ in locis publicis poſitæ, partim etiam in ædibus ſacris. *partim* enim idem valet quod *ex aliqua parte.* Præterea cum in duob. lib. manuſcr. offendiſſem ita ſcriptum,

Nec minimam partem ex agris ægroris in urbem, &c.

pro eo, quod eſt in aliis,

Nec minimam partem ex agris mœroris in urbem, &c.

ortaque mihi eſſet ex ea varietate mendi ſuſpicio, venit mihi continuo in mentem, vocem *mœroris* non ſatis quadrare, & legendum potius *ægroris*: qua voce etiam ſupra uſus eſt, verſ. 1130.

Etiam pecubus balantibus ægror.

Sic igitur mihi & olim in duabus editionib. hic verſus legendus viſus eſt, & nunc item in hac tertia videtur. Non celabo lectorem tamen Simeonis Boſii, amici mei, ſententiam, quæ talis eſt: nihil hîc eſſe mutandum, niſi quod ex voce una *ægroris*, duæ ſunt faciendæ, ut ſic legatur,

Nec minimam partem ex agris ægror is in urbem Confluxit, &c.

Nec minimam partem autem, id eſt *nec minima ex parte*: de quo genere alibi diximus, & infra mox dicemus. Sic igitur Boſius. à quo difficile eſt,

Omnia complebant loca tectaque, quo magis aeſtu

Cor-

INTERPRETATIO.

Iſti enim Ruſtici complebant omnia loca, & tecta, unde evenit

VARIÆ LECTIONES.

1260. *Omnia complebant.* Omnia condebant. A. B. C. E. N. P. Q1. X. Y. condiebant Z. *tectaque.* tectis, quo c. P. *quo magis æſtu.* Ita D. K. *Rutg.* quo magis æſtus C. E. N. M. P. Q. æſtum X. quo mage eos tum L. & *alii.*

NOTÆ.

eſt, in re tam aperta, diſſentire. Unum me ſuboffendit, harum vocum *agris ægror is*, concurſus, aliquanto meis quidem auribus aſperior ac durior. Quod ſi cetera Boſio aſſentientes dicamus legendum *ægros* pro *ægror*, qualia ſunt *colos*, *vapos*, *labos*, &c. pro *color*, *vapor*, *labor*, &c. vel *ægror hic in urbem?* Ego nihil affirmo. ſed judicet lector. Zoilus legit *algoris*, in patrio caſu, ut ſit vox integra: & *minimam partem* retinet, ut poſitum intelligamus pro *minima pars*, per antiptoſin, inquit, feſtivum grammaticum. Et audes, cœnum, tuis inquinatiſſimis & furaciſſimis manibus Lucretium & ſimileis ſcriptores tractare? LAMB. Ita edit. Lamb. ut ſit *minimum ægroris*, minima pars morbi; ſed Gifanius ex veter. lib.

Nec minimam partem ex agris ægroris in urbem
Confluxit.

Verum non animadvertit eſſe in oratione ſolœciſmum ἀναπολόγητον; non quidem in [*minimam partem*] eſt enim elegantiſſime dictum, κτ', &c. ſed quia, ſi legas *ægroris*, τὸ *confluxit* caſum ſuum non habebit. Itaque Simeonis Boſii V. Clariſſ. conjecturam unice probo, qui legit, *ægror is in urbem confluxit.* is morbus, &c. Notum enim eſt τὸ R producere ſyllabam ſolere; cujus rei apud utriuſque linguæ ſcriptores exempla ſunt. FAB. Melius

Nec minimam partem *ex agris* ægror is *in urbem;*

Ita v. 1130. *Pecubus balantibus ægror.* Ἐπίεσε δ' αὐτοὺς μᾶλλον πρὸς τῷ ὑπάρχοντι πόνῳ καὶ ἡ συγκομιδὴ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὸ ἄστυ, καὶ οὐχ ἧσσον τοὺς ἐπελθόντας, οἰκιῶν γὰρ οὐχ ὑπαρχουσῶν, ἀλλ' ἐν καλύβαις πνιγηραῖς ὥρᾳ ἔτους διαιτωμένων ὁ φθόρος ἐγίγνετο οὐδενὶ κόσμῳ ἀλλὰ καὶ νεκροὶ ἐπ' ἀλλήλοις ἔκειντο. Thucyd. CREECH.

1257. *Nec minimam partem ex agris ægror is in urbem Confluxit*] Ita Boſius monente Fabro. *Ægroris* voce quoque utitur Serenus Sammonicus. Hinc explicandus Suetonii locus in Tiberio cum dicit [cap. XI. nempe] voluiſſe eum *inviſere*, *ſiquid ægrorum in civitate eſſet Rhodiorum*, i. e. ægritudinum. Dicuntur enim & urbes ægrotare. Hoc vocabulum non intellectum fecit, ut in quibuſdam libris ſubſtitutum ſit *mæroris* pro *ægroris*. Ita quoque *vanor* pro vanitudine. Seneca epiſt. LXXXV. [Reſpicit verba, credo, quæ in aliis ita ſe habent: *Dicam quid ſit, ex quo veniat hic error.*] Pari ratione *tetror* pro *tetritate*, ſeu *tetritudine*, dixit Horat. 1. ep. Penult. 13.

Exiguæque togæ ſimulet tetrore Catonem.

Tetror, à *tetrando.* Nonius: *Tetret*, *fœdet*, *polluat.* *Pacuv. Peribœa:*

Belluarum ac ferarum adventus ne tetret loca.

Is. Vos.

1260. *Omnia condebant loca*] Ita libri veteres, & vulgati. Lambinus: *complebant.* Vide Indicem. GIFAN.

1260. *Omnia complebant*] Sic legendum, non *condebant.* atque, ut magis credas hoc mendum natum eſſe ex errato librariorum ſcriptorum, in uno libro manu ſcripto reperi ſcriptum *condiebant.* *i* enim pro *l* ſæpe ponebant ſcriptores illi indocti, & contra *l* pro *i.* Thucyd. Οἰκιῶν γὰρ οὐχ ὑπαρχουσῶν, ἀλλ' ἐν καλύβαις πνιγηραῖς ὥρᾳ ἔτους διαιτωμένων, ὁ φθόρος ἐγίνετο οὐδενὶ κόσμῳ, ἀλλὰ καὶ νεκροὶ ἐπ' ἀλλήλοις ἀποθνήσκοντες ἔκειντο, καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκαλινδοῦντο. id eſt, *Cum enim domus eis non ſuppeterent, ſed in tuguriis aëre & vento carentibus propter anni tempus habitarent, fœda hominum ſtrages ſine ullo ordine edebatur, moribundique moribundis acervatim accumulati jacebant.* reperitur etiam hæc lectio in quibuſdam libris vulgatis, *Omnia complebant loca tectis.* de qua ſcriptura judicet lector. ego quidem mendoſam eſſe arbitror. Quod autem ὁ κυνώπης *condebant* retinet, digna patrono lectio.

1260. *Quo mage eos tum*] Ita Lambinus. In veteribus libris; *magis æſtus.* Vulgati, & Marullus; *æſtus.* Sic & ſupra, verſ. 401. GIFAN. Cum omnes libros & manuſcriptos, & typis excuſos animadverterem ita habere, *quo magis*

Confectos ita acervatim mors adcumulabat.
Multa ſiti proſtrata viam per, proque voluta
Corpora ſilanos ad aquarum ſtrata jacebant,
Interclusa anima nimia ab dulcedine aquaï.
Multaque per populi paſſim loca prompta, viaſque

Lan-

INTERPRETATIO.

ut æſtu confecti plures interierunt. Multos videres proſtratos & jacentes juxta publicos Aquarum fontes, ab aqua, quam nimis avide hauriebant, ſuffocatos, Multos etiam videres per publicas vias

VARIÆ LECTIONES.

1261. *Confectos ita.* Sic D. K. Infertos c. O. P. Conferto ſitu Q. Confectos ita *Alii.*
1262. *per, proque.* præterque Q1.
1263. *ſilanos ad aquarum.* ſola amneis ad c. O. P. ſic amnis ad H2.
1264. *aquaï.* aquarum C. E. N. P. Q1. V. Y. Z.

NOTÆ.

æſtus, præter Florentinos, in quibus legitur *quo magis æſtu:* ego ſic repoſui, Adriano Turnebo approbatore, atque adeo auctore. depravavit autem principio hunc locum ſcriptor librarius, cum ſcripſit *eos tuz*, *z* pro *m*. deinde alius ex *z* fecit *s*, & ſcripſit *eos tus:* ex quo factum eſt poſtea *æſtus:* quemadmodum ſupra hoc eodem libr. ex duabus vocibus *eas tum*, oſtendimus factum eſſe *æſtum*. ſententia autem hujus loci reſtituti plana eſt. quo magis (inquit) id eſt, propter quam cauſam magis eos ſive agricolas, ſive urbanos, ſive utroſque tunc ita confertos, vel (ut alii libri habent) *infertos*, mors acervatim accumulabat. quæ ſententia cum verbis Thucyd. conſentanea eſt. Sic enim ille: ἀλλὰ καὶ νεκροὶ ἐπ' ἀλλήλοις ἀποθνήσκοντες ἔκειντο, id eſt, *ſed etiam mortui alii aliis accumulati morientes jacebant.* hanc quoque emendationem tacitus probat ὁ κυνὸς ὄμματ' ἔχων, καὶ βάσκανος. LAMB.

1260. *Quo mage eos tum confertos*] Ita Lambinus. Alii, *Quo magis æſtu confectos:* Utraque lectio ex ipſis Thucyd. verbis modo adductis probari poteſt. CREECH. Quum igitur utrumque ex Thucydide probari poſſit, tutius MSS. ſequi veſtigia preſſa. *æſtu* quoque maluit *Rutgerſius* V. L 4: 1. Quin imo mihi integer locus ita ut edi juſſi legendus videtur:

Omnia complebant loca tectaque, quo magis æſtu
Confectos ita acervatim &c. HAV.

Turnebus tamen, idem ille, cujus auctoritatem Lambinus hoc loco pro ſe commemorat, veterem ſcripturam: *quo magis æſtus*, aliquando prætulit, locus enim me effugit; nimirum ut hæc ſit credo, conſtructio: *Quo magis æſtus* h. e. aër peſtilens, *complebat omnia, ita mors accumulabat, &c.* Quo certe nihil ſimplicius. PREIG.

1262. *Multa ſiti proſtrata* &c.] Καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκαλινδοῦντο, καὶ περὶ τὰς κρήνας ἁπάσας ἡμιθνῆτες, τῇ τοῦ ὕδατος ἐπιθυμίᾳ: Thucyd. CREECH.

1262. *Viam per*] Per viam, ἀναστροφή Thucyd. ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκαλινδοῦντο, id eſt *in viis volutabantur.* LAMB.

1262. *Proque voluta*] Et provoluta, tmeſis: ut *ſeque gregari, inque pediti, perque plicatis, diſque ſupatis*, & ſexcenta ſimilia. *provolvere* autem eſt *palam & in loco publico volvere*, vel *porrotenus volvere.* Terent. Andr. 4: 5: 37.

Ni puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam
Provolvam.

Lucretius lib. 2: 469.

Provolvi ſimul ut poſſint, & lædere ſenſus. LAMB.

1263. *Silanos ad aquarum*] Ad fonteis, ad aquarum tubos, ſive ſalienteis, ſive ſcatebras, ſive fiſtulas, è quibus erumpit aqua: κρουνὰς appellant Græci. Atque ita hanc vocem Latinam interpretatam reperi in vocabulario Latinogræco, cujus mihi copiam fecit Cl. Puteanus: Silanus (inquit) κρουνός. Feſtus: *Tullios alii dixerunt eſſe ſilanos, alii rivos, alii vehementeis projectiones ſanguinis arcuatim fluentis: quales ſunt Tiburi in Aniene,*

Languida ſemianimo tum corpore membra videres,
Horrida paedore, & pannis coöperta perire
Corporis inluvie: pellis ſuper oſſibus una,
Ulceribus tetris prope jam, ſordique ſepulta.

Omnia

INTERPRETATIO.

paſſim jacentes ſemianimo corpore, pœdore horridos, & pannis coopertos defluentibus membris putreſcere: Sola pellis erat ſuper oſſa, iſtaque tetris Ulceribus, & ſordi cooperta.

VARIÆ LECTIONES.

1266. *tum corpore:* cum corpore E. N. Q1. Y. Z.
1268. *una.* ima Q1.
1269 *Ulceribus tetris.* Viſceribus tetris C. E. N. P. Y. Z. viſci cæcis A. B. Q. X. *ſordique ſepulta.* ſordeque ſepultis A. B. C. E. N. ſordetque ſepultis H2. ſordique ſepulta c. cordique ſepulta D. O. ſordeque ſepulta V.

NOTÆ.

Aniene. Cornel. Celſus libr. 3. cap. 18. *Confert etiam aliquid ad ſomnum ſilanus juxta cadens.* Thucyd. καὶ περὶ τὰς κρήνας ἁπάσας. i. e. *& ad omneis fonteis,* &c. LAMB. Tubos, aquarum canales, ſalientes. Qui linguas orientales callent, vocem eſſe mere Arabicam ajunt. FABER. Κρήνας Thucyd. Hyginus fab. 169. *Neptunus compreſſit Amymonem, pro quo beneficium ei tribuit, juſſitque ejus fuſcinam de petra educere, quam cum eduxiſſet, tres* Silani *ſequuti ſunt, qui ex Amymones nomine Amymonius fons appellatus eſt.* Celſus lib. 3. cap. 18. *Confert etiam alquid ad Somnum* Silanus *juxta cadens.* CREECH.

1264. *Interclуſa anima*] Spiritu intercluſo, atque extincto. LAMB.

1264. *Nimia ab dulcedine aquaï*] Thucyd. τῇ τοῦ ὕδατος ἐπιθυμίᾳ, id eſt, *aquæ cupiditate.* LAMB.

1265. *Per populi paſſim loca*] *Per loca poplica*, ſeu publica. LAMB.

1265. *Prompta*] Aperta, & in promptu poſita. LAMB.

1267. *Pædore*] Putore ac fætore ex illuvie, & anguſtiis locorum, & mærore, & ægritudine contracto. M. Tull. Tuſcul. 3. *Deteſtabilia genera lugendi, pædores, muliebres lacerationes genarum,* &c. LAMB.

1267. *Pannis cooperta*] Non veſtibus nitidis amicta, ſed pannis laceris ac ſordidis obſita. ῥάκια appellant Græci. Terent. Eunuch. 2. 2. 5.

Video ſenium, ſqualidum, ægrum, pannis, annisque obſitum. LAMB.

Nam pauperrimi Ruſtici ſeſe in urbem receperant. CREECH.

1268. *Pellis ſuper oſſibus*] Sic Virgil. Menalca 3: 102.

——— *Vix oſſibus hærent.*

pellis (inquit) ſola ſuper oſſibus, ſubintell. erat. vel *ſuper* pro *ſuperat* Græcorum more, qui utuntur interdum præpoſitionibus pro verbis, ut περὶ, παρὰ, ἔπι, ἔνι, pro περίεστι, πάρεστι, ἔπεστι, ἔνεστι. quidam vir doctus legendum cenſet *pelli*, in ſexto caſu. LAMB.

1268. *Super una*] Sola reſtans. FABER.

1269. *Viſceribus cæcis*] Hanc puto eſſe veriſſimam ſcripturam, ex veteribus quibuſdam libris. In quibuſdam libris: *Viceribus*; mendoſe, ex mala pronunciatione. Ait abſumpta viſcera omnia, ſolam pellem & oſſa reſtare. *Ulceribus tetris*, Lambinus, ut ſupra, IV. 926. GIFAN.

1269. *Ulceribus tætris, &c.*] Ordo & ſententia eſt: propemodum jam ſepulta, nempe pellis, tætris ulceribus, & ſorde, ſeu ſordi. *ſepulta*, id eſt *cooperta, & obducta.* ſic autem excudendum curavi, non *ſepultis*, ſecutus codicum manuſcriptorum auctoritatem. præterea *ulceribus* repoſui, admonitus a duobus codicibus item manuſcriptis, in quibus ſcriptum reperi *viceribus*, ſuſpicatus à librariis ita ſcriptum eſſe pro *ulceribus*, *i* pro *l*. ſed non diſplicet mihi tamen Adriani Turnebi conjectura & ſententia, qui ſervata vulgata ſcriptura in voce *ſepultis*, reliqua ſic legit,

Ulceribus cæcis prope jam, ſordique ſepultis:

atque hunc verſum ſic explicat; Ulceribus jam *prope cæcis*, id eſt adſpectum fugientibus, & non apparentibus propter ſqualorem, & ſordem, & illu-

Omnia denique ſancta Deûm delubra replêrat
Corporibus mors exanimis, onerataque paſſim
Cuncta cadaveribus Coeleſtum templa manebant:
Hoſpitibus loca quae complerant Aedituentes.
Nec jam relligio Divûm, nec Numina magni
Pendebantur: Enim praeſens Dolor exſuperabat.

Nec

INTERPRETATIO.

Denique Mors impleverat exanimis corporibus omnia ſancta Deorum delubra, & cuncta Numinum Templa erant Cadaveribus paſſim onerata, quæ loca Æditui compleverant Hoſpitibus: Neque enim jam ulla erat Deorum reverentia, neque metus Numinum, Præſentis Morbi vis erat omnibus major.

VARIÆ LECTIONES.

1270. *Divûm.* Divis Q1.
1275. *Pendebantur: enim.* Pendebatur; enim E. X. Y. Pendebant etenim H2.

NOTÆ.

illuviem. verba enim quæ ſubſequuntur, *ſordique ſepultis*, declarant vocem *cæcis. cæcis* (inquit) id eſt ſorde & ſqualore ſepultis & coopertis. conjecturam Turnebi adjuvant codices Veneti antiq. in quibus legitur,

Viſceribus cæcus, &c.

Hanc lectionem arripuit, ſibique arrogavit Zoilus, quam tamen ei non invideo. ſed ingenium & ἦθος Zoili demonſtro, quamvis ſatis jam perſpectum & cognitum. Lamb.

1270. *Omnia denique ſancta*] Thucyd. τά τε ἱερὰ, ἐν οἷς ἐσκήνηντο, νεκρῶν πλέα ἦν αὐτοῦ ἐναποθνησκόντων, id eſt, *& templa Deorum, in quibus tabernacula collocarant, cadaveribus erant referta, cum ibi immorerentur.* Lamb. Convenerant videlicet ibi, vel ut incubarent ſolo pro recipienda ſanitate, vel quia alibi tam patens locus non eſſet. Hav.

1272. *Manebant*] Διετέλουν, ut ſupra. Lamb.

1273. *Hoſpitibus loca quæ*] Quæ loca æditeuntes, id eſt æditui ſeu æditimi, complerant hoſpitibus, id eſt ruſticis, & agricolis, & τῶν ἐκ τῶν δήμων, id eſt *hominibus vicanis*, ſeu *ex oppidis Atticis.* A. Gellius lib. 12. cap. 10. profert hunc locum, his verbis: *Titus autem Lucretius in carmine ſuo pro æditiuis æditueunteis appellat:*

—— onerataque paſſim
Cuncta cadaveribus cæleſtum templa manebant,
Hoſpitibus loca quæ complerant æditueuntes. Lamb.

1273. *Hoſpitibus*] Intellige ruſticos qui in urbem ſe ſe receperant. *æditueuntes* autem ſunt *æditui*, νεωκόροι. Faber.

1274. *Nec jam relligio Divûm*] Thucyd. ὑπερβιαζομένου γὰρ τοῦ κακοῦ, οἱ ἄνθρωποι οὐκ ἔχοντες ὅτι γένωνται, ἐς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων ὁμοίως. id eſt, *nam, cum vis mali eſſet immoderata, & vim intolerabilem afferret, homines non habentes quid agerent, aut quo ſe verterent, templa Deorum & pietatem peræque negligere cœperunt.* Lamb.

1275. *Pendebantur: enim &c.*] Ita interpungendum. Vide Indicem: *Enim.* Gifan.

1275. *Nec jam relligio divûm, nec Numina magni pendebantur: enim præſens dolor, &c.*] Ita omnino diſtinguendum, ut in edit. Giſanii; ſic quippe ratio incipiet ab *enim*; quod Plautus & Terentius factitarunt. Eſt autem hæc ratio, qua fiebat ut *numina magni non penderentur*; Nil mirum, inquit, *Enim dolor omnia exuperabat.* Exempla apud Comicos crebra ſunt, ut dixi. Fab.

1276. *Nec mos ille ſepulturæ, &c.*] Thucyd. νόμοι τε πάντες συνεταράχθησαν, οἷς ἐχρῶντο πρότερον περὶ τὰς ταφάς. id eſt, *& leges omnes, quibus antea in ſepulturis utebantur, perturbatæ fuerunt.* Lamb.

1272. *Quo prius hic populus*] Cod. Memmianus habet, *Quo prius hic populus*, &c. quam ſcripturam probo. Ceteri partim, *Quo pius;* partim, *Ut prius. prius* autem videtur legendum, non, ut in vulgatis, *pius*: idque Thucydidis verbis intelligere licet, οἷς πρότερον ἐχρῶντο, id eſt, *quibus prius utebantur.* verumtamen licet etiam

le-

Nec mos ille Sepulturae remanebat in urbe,
Ut prius hic populus ſemper conſuêrat humari.
Perturbatus enim totus trepidabat, & unus
Quiſque ſuum pro re conſortem moeſtus humabat.
Multaque vis ſubita, & paupertas horrida ſuaſit.
Namque ſuos conſanguineos aliena rogorum

In-

INTERPRETATIO.

Nec iſte ritus ſepulturæ, quo hic Populus ſemper olim conſueverat mortuos humare, in Urbe remanebat: Nam totus Populus amens trepidabat, incertus quid faceret, & unuſquiſque prout potuit Amicum ſuum inhumabat; Et ipſa neceſſitas, omniumque rerum neceſſariarum penuria coëgit multa contra fas juſque committere; Nam ingenti cum clamore locabant conſanguineos ſuos

VARIÆ LECTIONES.

1277. *Ut prius hic.* Ut pius hic A. B. C. E. N. P. Q. Quo prius D. Z. Quo pius V. Huc pius X. Y.
1278. *totus trepidabat.* totus repedabat C. E. P. Q. Y. repedebat X.
1279. *conſortem mœſtus.* cognatum mæſtus c. P.
1280. *vis.* res Q1. *&.* abeſt Y. Z.

NOTÆ.

legere *pius*, ut referamus ad religionem & pietatem populi Athenienſis antiquam atque avitam. Judicet lector eruditus. Omnino *prius* magis conſentaneum eſt cum verbis Thucydidis. LAMB.

1277. *Ut pius hic populus*] Ita ex veteribus quibuſdam & noſtris, & etiam vulgatis malim; quam, quod in aliis: *prius.* Multus eſt Lucretius, in Athenis laudandis. GIFAN. In al. *pius hic populus.* Fortaſſe melius. ſi enim de *pietate* in deos intelligendum, notum eſt quid in Act. Apoſt. & apud Xenoph. de Athenienſibus ſcriptum ſit: ſi de cura ſepulturæ (nam ea apud veteres pars pietatis erat) in eo populo ad ſuperſtitionem uſque inſignis erat. Memineris modo quid Athenienſium Imperatoribus evenerit ob corpora eorum inſepulta, qui ad Arginuſas perierant; & his exemplis plenæ hiſtoriæ. FABER. Alii, *Quo pius:* Fruſtra, nam Thucyd. Οἷς πρότερον ἐχρῶντο. CREECH. Quod tamen in *ſemper* ſatis includitur. HAV.

1278. *Perturbatus enim totus trepidabat*] Sic habent libri manuſcript. non, ut vulgati, *repedabat.* LAMB.

1278. *Trepidabat*] Vulgati: *repedabat.* GIFAN.

1279. *Conſortem*] Alias *cognatum.* LAMB.

1280. *Et paupertas horrida*] Thucyd. καὶ πολλοὶ ἐς ἀναισχύντους θήκας ἐτράποντο σπάνει τῶν ἐπιτηδείων, id eſt, *& multi ad ſepulchra impudentia converſi ſunt, facultatum penuria.* LAMB.

1280. *Suaſit*] Tralatio eſt. ſic libr. 1: 141.

Sed tua me virtus tamen, & ſperata voluptas
Suavis amicitiæ, quemvis efferre laborem
Suadet, &c.

ibid. 176.

Viteis auctumno fundi ſuadente videmus.

ad quem locum plura. Sic Virgil. Æneid. 6: 276. dixit;

——— *maleſuada fames.* LAMB.

1281. *Namque ſuos conſanguineos* &c.] Hujus loci ſententia hæc eſt: nam ſuos conſanguineos locabant cum ingenti clamore *ſuper aliena rogorum exſtructa:* id eſt ſuper eos rogos exſtructos; *qui erant alieni:* id eſt non ſui. *exſtructa rogorum* autem ſic dictum, ut illa *ſæpta domorum, ſtrata viarum, aperta viarum, ſtructa ſaxorum,* & ſimilia apud eundem: & illa, *vana rerum, amara curarum,* & ſimilia apud Horatium: quæ notavimus in commentar. Horat. Hujus loci ſententiam paullo quidem aliam, ſed tamen his verbis exprimit Thucyd. ἐπὶ πυρᾶς γὰρ ἀλλοτρίας φθάσαντες τοὺς νήσαντας, οἱ μὲν ἐπιθέντες τὸν ἑαυτῶν νεκρὸν, ὑφῆπτον· οἱ δὲ καιομένου ἄλλου ἄνωθεν ἐπιβαλόντες ἀπήεσαν. id eſt, *Nam in rogum alienum eos antevertentes, qui exſtruxerant, alii ſuum mortuum*

im-

Inſuper exſtructa ingenti clamore locabant,
Subdebantque faceis, multo cum ſanguine ſaepe

Rixan

INTERPRETATIO.

ſuper rogos propter alios exſtructos, acriter, multoque ſanguine ſæpiſſime

VARIÆ LECTIONES.

1282. *Inſuper exſtructa.* Ita D. E. N. L. P. Y. Z. inſuper inſtructa *Creech.*

NOTÆ.

imponebant, faceiſque ſubdebant.: alii, cum alius mortuus combureretur, ſuo inſuper injecto diſcedebant. Quidam tamen hunc Lucretii locum ſic explicant: namque ſuper ſuos conſanguineos (rogis ſcilicet impoſitos) locabant *aliena rogorum*, id eſt res à rogis alienas, id eſt, quæ non ſolent in rogum conjici. ego priorem explicationem magis probo, quia cum verbis & ſententia Thucydidis magis mihi congruere videtur. LAMB.

1281. *Namque ſuos conſanguineos aliena rogorum Inſuper exſtructa ingenti clamore locabant.*] Id eſt, cum familiaria ſepulcra, ſeu buſta, non habebant, corpora ſuorum imponebant alienis rogis. *Exſtructa rogorum*, id eſt rogi, ut alibi; itaque *aliena exſtructa rogorum*, erunt exſtructiones rogorum alienorum. Sed τὸ *inſuper* pro ſimplici *ſuper*; quod aliis quoque præpoſitionibus evenit. FABER.

1283. *Subdebantque faces*] Subjiciebant faceis rogis. Thucyd. ὑφάπτον. LAMB.

1284. *Quam corpora deſererentur*] Quidam legendum cenſent,

Quam ut corpora deſererentur. LAMB. & FAB.

Ventum eſt ſupremæ præſcripta ad candida calcis; Mi Lector, & Notulas noſtras abſolvimus; quibus tamen pauxillulum quid addere etiam viſum eſt, quod tibi non ingratum fore ſperamus. Emenda itaque Manilium in extremo I. lib. ubi de hac clade loquitur.

Qualis Erechtheos peſtis populata colonos
Extulit antiquas per funera pacis Athenas.

Cætera omitto quæ ex Lucretio adumbrata ſunt, id quod ſtudioſi facile advertent; ſed in ſecundo verſu neminem vidi qui intelligeret illa *funera pacis.* Neque vero mirum. Sic itaque legendus uterque eſt:

Qualis Erechtheos olim *populata colonos*
Extulit antiquas per funera peſtis *Athenas.*

Sed juvat excurrere, neque hanc, ut ſpero, veniam denegabis. Sic ſcribit Giſanius in PESTIS: *Qui hac voce pro morbo, quem veteres conſtanter peſtilentiam vocant, utuntur, barbariſſant.* Edictiones vero baſilicas! Hem! barbariſſant qui *peſtem* pro *peſtilentia* uſurpant. Bene ſane; jam Manilium barbariſmi manifeſtum habemus; ſed fortaſſe ſæculum Theodoſianum à puritate Latini ſermonis longius aberat, quam ut inde auctoritas peti debeat. Eſto ſane. At Juſtinus tamen Manilio antiquior, in morte Agathoclis deſcribenda (jube afferri librum) ita quoque locutus eſt. Verum alium auctorem magis idoneum poſtulent Giſaniani; Satis igitur erit Horatius! annuunt. Sic itaque ille 1. Od. 21: 13.

Hic bellum lacrymoſum, hic miſeram famem,
Peſtemque à populo & principe Cæſare in
Perſas atque Britannos
Veſtra motus aget prece.

Hîc certe peſtis tam peſtilentia eſt, quam fames fames eſt, opinor, neque tamen barbariſſat Horatius, ſi nobis ita ſentire per Giſanium licebit. Et hæc quidem ad calamitatem illam, quam ſibi deſcribendam ſuſcepit Lucretius pertinere videbuntur; ſed, quæ jam dicam, ad *Cecropios* ſeu Atticos tantum. Videlicet, ne emendatio pereat, adſcribam quod ego in Epiſtola quadam ad Guidonem Patinum Virum Clariſſimum, & Regium Medicinæ Profeſſorem nuper ſcripſi. Apud Heſychium hæc leguntur: ΚΕΚΡΟΠΙΔΑΣ, Ἀθηναίους τοὺς ἀποικίδας, *CECROPIDAS*, *Athenienſes apocidas.* Hem! Apocides iſti unde terrarum advecti ſunt? Sed non eſt cur in ea re quærenda quidquam operæ ponatur, locus non corruptus modo eſt, ſed & mutilus. Lege & ſupple ΚΕΚΡΟΠΙΔΑΣ, Ἀθηναίους [ἀπὸ Κέκροπος] Ἤ ΑΠΑΤΕΩΝΑΣ. *Cecropidas* ſcilicet, ſignificare *Athenienſes*, *à Cecrope*, *vel etiam* ſignificare *fallaces*; alluſione facta ad *Cercopas* qui δόλιοι & πανοῦργοι, notiſſimo proverbio, habebantur, Κερκώπων ἀγορά. Ac ne quis de emendatione dubitet, ipſemet Heſychius plane & diſerte alibi

ſcripſit

Rixantes potius, quam corpora deſererentur.

INTERPRETATIO.

contendentes potius quam cadavera deſererentur.

VARIÆ LECTIONES.

1284. *corpora deſererentur.* corpora deferrentur c. P. deſererentur, *priſci codd.* P. deferentur Q. X. deferrentur Q1. *Sic vero finit Q. ſive Edit. Veron.*

T. Lucreti Cari, poëtæ philoſophique antiquiſſimi, de rerum primordia natura ad Memmium, Liber Sextus & ultimus explicit fæliciter. Paulus hunc impreſſit Fridenperger in Verona. Qui genitus eſt in Patavia alæ magnæ. Ab incarnatione Chriſti: MCCCCLXXXVI. Die vigeſimo octavo Septembris calen. Octobris.

Non te animus fallit grajorum obſcura reperta:
Difficile inluſtrare latinis verſibus eſſe.
Multa novis verbis propter egeſtatem linguæ rerumque
Novitatem: ut ipſa petit majeſtas & ratio cognita rerum.
Quam nunc ſapientiam appellas: Memmiade tuo
Hanc e tenebris tantis & tam clarum lumen
De ſumma cœli ratione deumque & omnem rerum.
Primordiam naturam tam clara luce locaſti.
Ex quo queque creata fœdere ſint.
Unde omnis natura creet res auctet alatque.
Quove eadem rurſum natura perempta reſolvit.
Hec materiem & genitalia corpora rebus reddenda.
In ratione vocaſti: & ſemina rerum appellaſti.
Hec eadem uſurpare ratione tua fideli:
Corpora prima quod ex illis ſunt omnia primis.
Sed tua virtute ſuavis amicitiæ & ſperata voluptate
Studioque vis nunc efferre ſuum laborem.
Aureaque ſua dicta perpetua ſemper digniſſima vita.
Ut tibi ſua dulcia dona talibus in rebus
Communia eſſe ſaluti: capitique inſignem petere coronam;
Intellecta hec prius que ſint: contempta reliquas
Si hec ſint vera ratione ſenſuque accede ad opus.
Si autem ſint falſa & ratio quoque falſa & ſenſus relinque.
Unde ſcias quid ſit ſcire & neſcire viciſſim.
Mundum *eſſe natum, neque tamen interiturum, ex ſententia Plat.* 5, 65
Mundum *neque eſſe natum, neque interiturum ex ſententia Ariſtot.* 5, 65
Mundos *eſſe innumerabileis* 2, 1022
Munitus *ab injuria cæli, tutus ab, &c.* 3, 830
Murænæ *animam in cauda eſſe* 3, 634
Muſſare 1. 657
Muſſare, *eſt depreſſa voce loqui* 6, 1177
Mutio, *is, it* 3, 634
Mutare *pro tranſire* 4, 461
Mutatur *numerus* 6, 827
Mutatio, *eſt cauſa interitus* 1, 795
Mutatio *generis* 1, 52. 766. 1064
Mutatus, *us* 2, 769
Mutus, *ut piſcis* 2, 342
Muti; *ne μῦ quidem pronuntiare poſſunt* 6, 1177
Mutus *metu* 1, 92
Μύζειν 1, 657
Μύω, *μυστήρια* ibidem

N.

NAtus *è mari* 2, 1154
Natura, *φύσις* 1, 113
Natura *gerit res corporibus cæcis* 1, 329
Natura *nata ſit una cum corpore, an, &c.* 1, 113
Natura *rerum duabus rebus conſtat* 1, 420
Naturæ *proſopopæja* 3, 946
Naturæ *vitia non poſſe funditus exſtirpari* 3, 308
Naturam *poni ab Epicuro gubernantem & deos fingi otioſos* 5, 78
Naturæ *duæ multum inter ſe diſſimiles* 1, 511
Naturalis, *& naturabilis* 1, 11
Navis *cur tanto citius feratur, quanto antemna ſit altius elata* 4 899
Navigiorum *ratio cæca* 5, 1004
Naviter *ἀνεῤῥῶς* 1, 525
Nenu, *pro non* 3, 200. 4, 713
Neptunus *unde dictus* 2, 471. 654
Nexus *principiorum diſſimiles* 1, 220
Nictare 6, 281. 836
Nigras *pecudes diis manibus immolabant antiqui* 3, 22
Nigrinus *philoſ.* 4, 631
Nihil *è nihilo gigni* 1, 150
Nihilominus, *affirmat* 4, 1219
Nihilo *magis, negat* ibidem
Nilus *cur in æſtate creſcat* 6, 712
Nili *origo, & fontes* 6, 729
Ninguis, *is* 6, 736
Ninguidus 2, 627
Nitidæ *fruges* 1, 252
Nix *ad vinum refrigerandum* 1, 496
Nix, *quando & quomodo fiat* 6, 528
Nocte *nimborum tætra coorta* 4, 173
Noctu *fiebant cenæ apparatiores* 2, 26
Noctuæ *& cornicis inimicitiæ* 6, 755
Nomen, *verbum adjuvans* 1, 444
Nominum *neutr. abl. in e, & in i* 1, 162
Norma, *quid* 4, 516
Notatus *nullo fulgore* 5, 611
Nothum *eſſe lumen lunæ* 5, 575
Novenſiles *dii* 6, 386
Novæ *nuptæ virorum manibus tollebantur* 1, 96
Nubat *tegat* 2, 6[illegible]4
Nullæ. *patrii caſus* 6, 392
Numella 3, 1028

O.

OB, *pro ad* 4, 219
Obiit, *pro incurrit, occurrit* 1, 223
Oboriri 4, 219
Obſerare 1, 11
Obſignare 2, 581
Obſignatum ibidem
Obſtipus, *a, um* 4, 517
Obſtitus, *a, um* ibidem
Obſtrepor, *paſſ.* 2, 155
Ὀχλοκρατεία 5, 1140
Oculus *quo tempore directe videat* 4, 449
Oculi *pars cryſtallina* 3, 409
Oculum *inferne premere* 4, 450
Oculorum *ardor iram ſignificat* 3, 290
Oculorum *acies eo penetrare non poteſt, qua vox* 4, 600
Oculos *quamobrem ſplendida offendant* 4, 325
Oculos *non eſſe creatos, ut cernamus, & item de cet.* 4, 821
Odor *lucernæ modo exſtinctæ conſopit, atque adeo ſpiritum intercludit* 6, 792
Odor *non fertur tam longe, quam vox, quam imagines* 4, 694
Odores *ſuaveis valetudinem in quo adjuvent* ibidem
Odores *aqua tenuiores, aëre craſſiores.* ibidem
Odores *ex alto, & penitus manant* ibidem
Odores *nihil conferre ad alendum.* ibidem
Oe, *pro u, ut cœra, pro cura, œti pro uti, & ſimil.* 1, 30
Oenanthe 3, 225
Offenſus, *us* 2, 223. 438
Offecti *obſtructi* 4, 764
Officiuntur, *paſſ.* 2, 155
Οἶκε 4, 901
Οἴχεσθαι 2, 961. 3, 525
Oleaſtri *frondes, amaræ* 6, 970
Oleſcere 2, 1128
Oleſco, *& ejus compoſita* 2, 849
Oleum, *cur leve dicatur* 6, 1071
Olla *centuria, & ſim. pro illa* 1, 672
Ollis, *pro illis* ibid.
Omne, *τὸ πᾶν* 1, 160. 350
Omne, *aliud eſt, quam mundus* 1, 75
Omne, *eſt infinitum & multitudine corporum, & magnitudine inanis* 1, 957. 1011
Ὁμοιομερῆ, *quæ* 1, 830
Ὀνοματουργός, ὀνοματοθέτης 5, 1040
Opinationes *animi* 4, 354
Opticorum *ratio* 4, 354
Opus *eſt materies, auctor, &c.* 3, 981

Opus

Opus *eſſe colores, & ſimil.* 2,814
Oræ *luminis* 1,22
Ὀρθὸν φάος ἠελίοιο 6,1226
Ὀργῶσι, *tument* 4,1039
Origo γένεσις 4,144
Ortus *unius, alterius eſt interitus* 1,265.957 2,74
Os *ſuum, cibus alienus antith.* 1,853
Oſcitatio 3,1078
Oſcula *humida* 4,1187
Oſſifraga, *aquilæ genus* 5,1078
Oſſum, *ſi, pro os, oſſis* 1,853
Otio *neſcire uti* 3,1081
Ὀξύμωρον 1,940

P.

Πάχνη, *pruina* 6,528
Pædor, *ris* 6,1267
Palpebræ, *cur decidant dormiturientibus* 4,950
Παλιλλογία 2,954
Πᾶν. τὸ πᾶν, *eſſe infinitum, & quomodo* 1,957
Pan *pineam coronam in capite gerit, &c. multa hic de Pane* 4,588
Panacea 4,122
Πάνδημος ἀφροδίτη, *volgivaga Venus* 4,1065
Pangere 1,25
Panium *antrum* 6,756
Panni, ῥάχια 6,1267
Pantherarum *catuli* 5,1035
Pappi, *carduorum flores* 3,387
Parallelarum *linearum partes ab adſpectu remotiores ad extremum concurrere videntur* 4,431
Parium *marmor* 2,764
Parma *quid* 4,845
Parmenides 4,471
Pars *à toto ſeparata, aliarum omnium partium ſuarum ſenſus rejicit* 2,907.3,547
Paſcere *oculos* 1,36
Paſcere *naturam chimæras* 2,704
Paſſum, *pro panſum* 1,307
Participium *adjuvans verbum* 1,344
Pavire 2,376
Pauſa *nomen à Græco παύομαι* 2,118.3,873
Pacem *divum expetere* 5,1228
Pectus, *animi ſedes* 5,140
Pectus *perturbationum ſedes* 2,45
Pectus, *animi & rationis ſedes Epicuri ſententia* 2,45
Pecua, *pecuda* 6,1130
Pecudes *dicuntur etiam piſces* 1,146
——— *feræ* 1,14
Πειρᾶσθαι *conari* 1,26
Pellacia, *à Græcis iynx* 5,1002
Pellicere 2,559
Penetrale, *penetrabile* 1,494.535
Penetrata, *act.* 1,529.4,671
Percellere *& percutere* 1,13.921
Percipit *me odium, horror, voluptas, & ſimil.* 3,80
Percipere, *pro occupare ſeu afficere* 5,604
Perfica *dea* 2,1115.4,1029
Περιπλόμενοι ἐνιαυτοί. 3,1018
Perplexa 2,101
Pertentare 5,191.426.6,286
Pertuſum *vas, ſeu dolium* 3,950.1023
Peſtis *an pro peſtilentia barbare* 6,1284
Petivit *ſuſpirium alte* 4,1186
Peteſſo *is. ſeu petiſſo* 3,649.5,808
Petulantes, *& petulci* 2,367
Phaëthontis *fabula* 5,398
Φωσφόρος 4,406
Φρυκτωρεῖν, 3,1
Piſces *ne omnes muti ſint* 2,342
Piſceis *minutos magnus comeſt.* 5,1111
Pice *fervente infuſa, maleficorum quorumdam corpora urebantur* 3,1031
Planities *ſpeculi, æquor ſpeculi, glacies, idem valent* 1,493.4,295
Plato *negat eſſe inane* 1,420
Plato *refellit ſenſus* 1,420
Plato *videtur negare ſurſum ac deorſum* 1,1051
Plato *vult mundum eſſe natum, neque tamen interiturum* 5,65.96
Plato *de magnetis lapidis natura* 6,901
Platonis *morientis vox* 3,951
Plerique *omnes* 4,1042
Plexa 4,623.5,1398
Plumbum *candidum* 6,1077
Pluria 1,876
Plutonium 6,756
Phœniceus *color quid à purpureo & cæruleo differat* 2,829
Pœnibat, *pro punibat* 6,1228
Ποινή 4,221
Πολλοστὸν μέρος 6,651
Polus *arcticus, ſemper nobis ſublimis appâret* 6,1105
Πολύγωνα, *multangula* 4,658
Πολύμιτος 4,1013
Poma *per vitrum adſpicientibus multo majora ſunt* 4,439
Ponti *profunda* 5,418
Pontici à ſubſolano, ſeu Euro, & Oriente 6,1106
Porticus ἐπίδρομος 4,581
Poſitivus *pro ſuperl.* 1,120
Poſtes 4,276
Poſtſcænium, *ſeu poſtſcenium* 4,1179
Potiſſum *poſſum* 2,225
Poteſſe 1,665
Poteſtas *animæ* 3,857
Poteſtas *plumbi* 5.1241
Poteſtur 3,1024
Poteratur 3,1023
Potior *ris cum accuſandi caſu* 3,1050
Potitus, *a, um. cum accuſ.* 4,765
Potitus, *a, um. cum patrio caſu. ut potitus hoſtium* 4,765
Præconum *munus* 4,568
Præficarum *conſuetudo* 3,908
Præfracta, *præfracti.* 1,890
Prælucere δαδουχεῖν 1,145
Præmonſtrare *ſpatium* 6,92
Præpandere *lumina*, δαδουχεῖν 1,145
Præſidio *ſibi eſſe* 2,642
Præſcripta *ad candida calcis* 6,91
Præſtigiæ *& præſtigiatores à præſtinguo, is.* 3,1058
Præſtinguere *oculorum aciem, & præſtinxit, &c.* ibid.
Præter *ante* 4,141
Prima *virorum* 1,86
Primum, *exempli gratia* 1,161
Princeps, *pro primus, a, um.* 1,94.5,9.
Principium *conciliatus* 2,935
Privas *in horas mutatur aër* 5,275
Pro *divum, atque homin. fid.* 2,434
Procurrere 1,967
Proditur, *foras editur* 2,931
Proditus, *a, um.* 3,603
Profecto, 1,242
Profundum *vaſte quid* 1,955
Progignere *novos motus* 2,80.4,611
Prolem *ex ſe vidêre creatam* 5,1012
Promerita 1,61
Promittere, *pro affirmare* 1,411.3,378

Pro-

Promiſſa *longe & porrotenus miſſa* 4, 682
Propago, *inis* 1, 42. 5, 1026
Propago, *as* 1, 42
Προσφαστζόμενος πολλά 1, 399
Propriatim *ſeu proprietim* 2, 973
Propter *viam facere* 6, 548
Proruere 3, 842
Proſcenium 4, 1180
Προσκυδίζειν 2, 942
Protelare 2, 531
Protelum. 2, 531
Protelo 4, 190
Protollo *mortem mihi* 5, 310
Πρῶτα τ̃ κολάκων 1, 87
Proverbia, *quæ ſunt à Lucretio uſurpata, vel ut proverbia ſint, vel ex quibus, quamvis apud eum proverbii locum non obtineant, alias tamen, & alibi, poſſunt obtinere* 1, 412. 3, 949. 1022. 1, 412. 1, 162. 6, 66. 5, 398. 1, 740. 5, 113. 4, 1093. 3, 146. 2, 78. 4, 366. 3, 1053. 3, 854. 2, 342. 1080. 6, 762. 6, 762. 1, 36. 2, 419. 4, 1136. 5, 1433. 3, 146. 3, 1009. 5, 1051. 5, 403. 3, 1062. 3, 1060. 1, 657. 2, 242
Provolvere, *quid ſit* 6, 1262. 3, 762. 6, 528. 3, 762. 5, 223. 5, 1017
Puellos 4, 1246
Pugna *deorum* 5, 381.
Pulchritudo, *quiddam regium natura* 5, 1111
Puncto *tempore* 2, 455
Punio *pro pœnio, & contra* 4, 221.
Pupula κόρη 3, 409
Purpureus *color unde conficeretur* 2, 829
Puræ *manus* 6, 1133
Puſum, *& puſam pro puerum, & pueram, ſeu puellam* 4, 1020
Putor, *& putror, differunt inter ſe* 6, 1099
Πῦρ ἀπερρωγός 2, 214
Πυρσεύειν 3, 1
Pyropus 2, 802
Pythagoræ *viſum eſt ſummæ ſapientiæ fuiſſe, nomina rebus imponere* 5, 1040
Pythagorei *volebant animas naſcentibus in corpora inſinuari* 3, 671
Pythia *laurum gerebat* 1, 739

Q.

Quadrata *figura, quare procul rotunda videatur* 4, 354
Quæſo *is, it.* 5, 1228
Quamde 1, 640
Quam *magis, tam magis* 1, 537
Quando 1, 189
Quanto, *ita pro quantum, tantum* 3, 201
Quanto *magis, tanto magis* 1, 537
Quaſi, *pro, quemadmodum* 4, 162. 6, 877
Quaſſare, *ſeu movere caput* 2, 1163
Queatur 1, 1043
Quidquid, *pro quidque* 2, 956
Quod *contra* 1, 83
Quodde *& quode pro quo* 1, 640
Quod *genus &c.* 2, 194
Quod *ſupereſt* 1, 45
millies uſurpat Lucr.

R.

Recidere *ad nihilum* 1, 856
Reccidere, *pro recidere* 1, 856. 5, 281
Recta *regione viai* 2, 249
Reddita *id eſt attributa* 2, 241
millies uſurpat Lucret.
Rediens *annus* 1, 311
Reficere, *recreare* 1, 34
Reflexionis *lineæ* 4, 293
Refutare 2, 245
Regula, *quid* 4, 514
Reice, *diſyllabum à verbo rejicio, ſeu reicio,* 2, 713
Reiculæ *oves* ibid.
Religio *unde dicta* 1, 931
Remmota *pro remota* 2, 838
Renideſco, *is.* 2, 328
Renuto, *as* 4, 601
Reparcent *reparco, is, it.* 1, 667
Repetere *memoria* 3, 863
Repetentia ἀνάμνησις 3, 864
Repperit, *rettulit, reccidere, & ſimil.* 4, 270
Reptare 2, 318
Res *mancipi* 3, 984
Res *genitæ ſervant legem à natura deſcriptam* 1, 582
Res *ſignificata ſpectatur, non vox ſignificans* 1, 353
Rebus *relictis* 4, 1084
Referare 1, 11
Reſona, *echo* 4, 581
Reſpicere *dicimur præterita* 5, 1445
Reſpuis *ex animo* 6, 67
Reſtim *ductare* 2, 630
Reſtinguere *de ardore* 4, 871. 1080
Retinentia 2, 25. 3, 677
Retro *abhorrere* 1, 942
Retrocita *cornua* 4, 546
Reviſere *ad* 6, 1236
Rhegium *à verb.* ῥήγνυμι 1, 621
Ridere, *tranſl.* 1, 8
Rigida, *qua* 1, 356
Rigor *auri* 1, 492
Rigor *pro frigore* 5, 639
Rictum *in neutro genere* 5, 1063
Robur *equuleus* 3, 1031
Rogare *legem* 6, 3
Rumpere *ſilentium, vocem.* 4, 587
Ruo, *is, it. act.* 1, 273
Ruſſata *factio* 4, 73
Ruſſus *color* 4, 73

S.

Saccatum *lotium* 1, 1022
Sacer *ignis, quid* 4, 1165
Sæclum *muliebre* 4, 1220
Sæcla *ferarum* 1, 20
Sæcla *vitalia* 1, 202
Sagaces, *qui* 1, 131. 2, 839
Saltationis *genera duo: unum* ἐνόπλιον *alterum* ἴλειον 2, 629
Salſæ *lacrymæ* 1, 125
Salutandi *mos* 1, 319
Sam *eam* 5, 10
Samothracia 6, 1042
Sanguen *in neutro gen.* 1, 856
Sanguis *inquinat* 1, 85
Sapientia *ſophia* 5, 10
Sardoa *herba* 2, 401
Satiate *abl. à ſatias tis.* 2, 103. 5, 1390
Saucius *animi & ſim.* 1, 617
Saxum *Tarpejum* 3, 1030
Σκαπτὴ ὕλη 6, 880
Scapteſula ibid.
Scato *is.* 5, 41. 597. 950. 6, 896
Scelus 1, 82
Sceleroſa *facta* 1, 83
Scilicet, *affirmativ.* 1, 900
Scilicet *pro ſcire licet* 2, 468
Scientiam *oriri à ſenſibus* 4, 480
Scientiæ *certæ ſunt* ibid.
Scrupi 4, 524

Scrupoſæ *viæ* ibid.
Scyllæ *deſcriptio* 5, 891. 1035
Scymnique *leonum* 5, 1035
Se, *te*, *me* παρελκόντως *uſurparunt veteres* 3, 68. 883
Secare *viam*, *ſecta via* 5, 273. 6, 638
Sedem *deorum negat eſſe Epicurus ullam mundi partem* 5, 147
Sejungunt *animalia corpora, motus, intervalla, &c. primorum corporum* 2, 711
Semiferas *hominum facies exſiſtere* 2, 701
Semotus 1, 58
Senecto *corpore* 3, 773
Senectutem *non eſſe in animo, ſed in inſtrumentis* 3, 466
Senſilia *quæ ſentiendi vim habent* 2, 892
Senſus *omnes, hebetes & tardi* 4, 480
Senſus *eſſe veros affirmabat Epicurus* 1, 424
——— *Plato contra* 4, 446
Senſus, *omnium rerum normæ, ac regulæ* 4, 516
Senſuum *omnium commune eſt, ut ea, quæ ſub eos cadunt, ſi modum ſuperent, corrumpant ſenſus* 4, 293
Sentes *à ſentiendo dictæ* 5, 208
Sentire, *omnium ſenſuum commune eſt* 4, 230
Sentire *non pertinet ad aureis, ſive auditum, tantum* 3, 633
Seorſum, *ſuevit*, & *ſimil. triſyllaba* 2, 472
Sepulti *ſomno* 5, 973
Serena *cæli* 2, 1098
Sereſco, *is. ex quo ſerenus*, & *ſerenitas* 1, 306
Sermo *implicatus* 6, 175
Servabant *fœdera caſti* 5, 1024
Severa *pelage* 5, 36
Sicilia *olim Italiæ continens* 1, 721
Sicilia *Triquetra dicta eſt* 1, 718
Sidera *paſci* 1, 232
Significarent *balbe, &c.* 5, 1021
Signa *in portis urbium* 1, 316
Silanus, κρουνὸς 6, 1263
Silentium *noctis* 4, 984
Silentia *noctis cur ſevera?* 4, 461
Simul *pro ſimulatque* 6, 1022
Simulacra *eſſe mobiliſſima* 4, 180
Simulacrorum *tria genera* 4, 742
Singularia *in ſenſib. poſita ſunt* 4, 508
Sis *id eſt*, *ſuis* 3, 963. 1039. 4, 913
Sol *cum ſuis ignibus alitur terræ halitib. humidis, &c.* 5, 268
Solis *lumen, ſimile non eſſe ceteris luminibus, quæ humido, aut pingui aluntur* 5, 295
Solis & *lunæ corpora, quo modo & qua ratione viva dicantur* 5, 477
Solis & *lunæ converſiones, quas Græci* τροπὰς *vocant, qua ratione* 5, 615
Solem & *lunam, non eſſe animatos* 5, 477
Solem *non eſſe igneum* 5, 603
Solem *amplius duodeviginti partib. eſſe majorem, quam terram* 5, 565
Solem *non ali humido* 5, 661
Solem *adverſum intueri nequimus* 4, 325
Solidum *ex omni parte nihil eſt præter primordia rerum* 6, 931
Solium, *vas, in quo lavabant ſedentes* 5, 800
Solemne *ſacrum* 1, 96
Sollicitare, *ſolo citare* 2, 963. 4, 1031. 5, 183
Sollicitatur ἀνασείεται 4, 1031
Solſtitium *ſine additione, ſolſtitium æſtivum ſignificat* 5, 616
Solum 1, 213. 925
Solum *idem valet interdum quod ſolea* 4, 2
Solum, *locus* 1, 964
Sola *loca, ſola terræ* 2, 592. 5, 1288. 1294. 6, 393
Solæ *mihi* 2, 775
Solvere *curas animi*, & *ſolvere animum curis* 4, 906
Σῶμα, ψυχῆς ὄχημα 3, 552
Σωματοποιΐα 5, 746
Somnia, *reliquiæ earum rerum, quas vigilantes ſenſu percepimus* 4, 959
Somnus, *quid ex Ariſtot. & unde* 4, 914. 4, 951
Sonitu *ſonanti, anxius angor, & ſimil.* 1, 825
Sono, *is. antiq.* 3, 157. 887
Sos, *pro eos, & ſuos* 3, 1038
Σπάθαι 5, 1352
Species θεωρία 1, 10. 148
Species, εἶδος, *facies* 5, 723
Specimen *veri* 4, 209. 5, 187
Speculorum *ratio* 4, 151
Speculorum *ſeptem genera ex quibus fiat uſitata reflexio* 4, 293
Speculis *pluribus certo modo ſitis fieri poſſe, ut tergum tuum cernas* 4, 303
Spinus, *lapidis genus* 6, 792
Spiritus *interni* 4, 404
Splendida *quamobrem oculos offendant* 4, 325
Sponte *nata* 1, 215
Squammigeri 1, 162
Statuæ *patronorum pro forib. aut valvis ædium* 1, 318
Stellas & *ſidera paſci humoribus negat Ariſtot.* 5, 521
Stellas, *igneis eſſe* 5, 499
Stinguo, *is* 1, 666. 2, 827
Stips 2, 627
Stiricidium, & *ſtillicidium* 1, 131
Stoici *intra mundum negant eſſe inane* 1, 420
Στόμωμα 6, 968
Strata *viarum, ſuprema montium, clauſa domorum, & ſimil.* 1, 316. 4, 616
Stridor *ferræ* 2, 410
Structa *ſaxorum* 4, 361
Stupæ, *tædæque tenentes habent ignis ſemina* 6, 899
Suadente *auctumno. tralatio* 1, 101
Sub *dio* 1, 23
Sub *cæli tegmine* 5, 1015
Subare 4, 1192
Subdita *flamma* 3, 303
Subegit *varios linguæ ſonitus mittere natura* 5, 1027
Subigere 1, 213
Subjicere *pedib.* 1, 78
Subjicere *alicui faceis invidiæ* 3, 304
Sublima *cæli, acuta belli, & ſimil.* 1, 340
Sublime 2, 206. 4, 1033. 6, 69
Sublimis *in curru* 2, 601
Submittere 1, 8. 193. 4, 161
Suboles, ἐπιγονή 4, 1225
Suboriri 1, 1034. 2, 1136
Succedere 5, 1122. 1359
Sudor *maris* 2, 464
Sudor *terræ, maro* ibid.

Sudo-

Sudores *frigidi per caput, & collum, ſunt letales* 6, 1185
Suffire 2, 1096
Sum, *pro eum, & ſuum* 3, 1038
Summæ *ſpatium eſſe infinitum* 1, 983
Συμπτώματα *eventa* 1, 450
Συμβεβηκότα. *conjuncta* 1, 450
Suppedito, *as. abſ.* 1, 231
Supera, *id eſt* μετέωρα 6, 82
Supereſcit. *ſupererit* 1, 613
Superſtitio *unde* 1, 65
Suppleri *queatur, & ſimil.* 1, 1043
Supremo *tempore* 1, 546
Sus. *ſui anima data eſt pro ſale* 6, 977
Sui *melius olere cœnum, quam unguentum* 6, 977
Suum *generi in luto volutatio grata* ibid.
Suillum *genus, Veneri inviſum* 4, 1193
Suſpenſa *aura* 3, 197
Suſpenſis *dentibus* 5, 1078
Suſſiliunt, *ſive ſubſiliunt* 2, 191
Συνάγειν 1, 398

T.

TAbes *nimborum, id eſt liquor nimborum* 1, 805
Tabe *ſecunda ſyll. longa* 1, 805
Tacta, *pro contacta* 4, 639
Tactus, *ſenſus maxime omnium corporum proprius* 1, 455. 2, 434
Tæda 2, 383
Tædæ *ardentes* 3, 1030
Tætra *abſinthia* 1, 935
Tago, *is. antiquum, pro tango* 3, 935
Talipedare, *id eſt, vacillare* 3, 503
Tangere *quicquid tangere, & tangi poteſt, corpus eſt* 1, 340
Tangi *ira* 1, 61
Tangi *colorem negaret Ariſtoteles* 4, 265
Tantalus *qua pœna apud inferos afficiatur* 3, 991
Tantum *quod* 2, 220
Tardæ *noctes, æſtivæ* 5, 699
Ταῦτα τῇ αἰσχρᾷ. *i. e. eadem turpi* 4, 1167
Taxus, *arbor* 6, 786
Tegmen *ſub cœli tegmine* 1, 986
2, 666
Tela 1, 147
Tempeſtatis *nomen, eſt* μέσον 1, 179. 4, 188
Templum *tribus modis dici* 5, 522
Templa 1, 121
Tempus *ſit, necne ſit* 1, 460
Tempore *arteis fieri meliores, & expoliri* 5, 334
Tenebræ *terrorem incutiunt animis* 2, 55
Tenebræ *nigræ* 4, 233
Tendere *oculos* 1, 66. 4, 326
Tentare *ſcribendum, non temptare* 3, 1102
Tentari *morbo, periclo, &c.* 1, 631. 6, 1102
Ter *maneis vocare* 3, 469
Terebrum 5, 1267
Teres 1, 35
Terra *magna deûm mater* 2, 601
Terra *deorum atque hominum mater* 1, 252
Terra *omnium elementorum maxime bruta, & ſtolida* 5, 539
Terra, *pars eſt mundi. iccirco non eſt ei oneri* 5, 541
Terra, χωνοειδὴς 5, 763
Terra *Italia, Campan. Gall.* 1, 721
Terra *ut in medio quieſcat, quo modo fiat* 5, 535
Terræ *motuum ratio* 6, 535
Terræ *motus mire deſcriptus, & amplificatus* 6, 599
Terram *initio, tanquam rudem, & imperitam, monſtra creaſſe* 5, 835
Terram *nullus phyſicus principium rerum poſuit* 1, 710
Terrigenæ, γηγενεῖς 5, 1410
Tertia *numero natura* 1, 433
Tetulerunt, *& tetuliſſent, &c.* 6, 662
Textum *ti* 4, 744. 6, 1052
Thales *de magnetis vi & natura* 6, 901
Thales *primus dixit ſolem deficere eo, quod luna eum ſubeat ad perpendiculum* 5, 755
Thalaſſicus *color* 4, 74
Thalaſſina *veſtis* 4, 1121
Θάνατος, ἀθάνατος 3, 882
Θεῶν μάχη 5, 381
Θρινακία 1, 718
Thyrſi, *quid* 1, 921
Thyrſos *geſtabant Bacchi ſacerdotes* 1, 921
Θυρσοπλῆγες ibid.
Timefactæ 2, 43
Tincta *proprie, quæ* 2, 500
Tinnitus *aurium* 6, 1183
Titillare *quid* 2, 429
Τὸ πᾶν *eſſe infinitum & magnitudine ſpatii, & multitudine atomorum* 2, 333
Tolerare. *domi nihil erat, quo famem tolerarent* 5, 302
Tolli *manib. virorum* 1, 95
Tondentes 2, 317
Tonitralia *templa* 1, 1096
Tonitru *unde fiat* 6, 95
Tonitrua *fulgetra, fulmina omnia, anhelitus terræ ſunt* 6, 422
Tonſa 2, 554
Tornare 4, 361
Tota *regione errantes* 6, 66
Trahere *lanam in ignem* 4, 376
Tractus *corporum, tractus flammarum, &c.* 2, 207
Tractum *genus dicendi* 4, 377
Tralationes *duæ concurrentes diſſimiles* 3, 1055
Τριοδῖτις 1, 85
Tripodes *Pythiæ coronati* 1, 739
Trochlea, *quid* 4, 903
Tudites 2, 1141
Tuditantes ibid.
Tullii 6, 1263
Tuor, *& tueor, pro eod. ponuntur* 1, 301
Turbo *cœli* 5, 623
Turbare *abſol.* 2, 125
Turicremas *aras* 2, 353
Tympanum, γέρανος 2, 618
Τύφων, *vortex ſine igni* 6, 296
Τύποι 1, 1051
Tyriorum *gens à Phœnicib.* 6, 584

V.

V *pro b. & b. pro v.* 5, 477 *qua de re ſæpe alibi.*
Vadimonium, *quid* 6, 1116
Vago, *as.* 4, 129
Varo, *id eſt ſtolidus* 2, 122
Vas, *& vaſum, dixerunt veteres* 6, 232
Ve 1, 327
Vectis, *palus ligneus, &c.* 4, 899

Vegere, *vegetare* 5, 1297
Vellus *unde dictum* 6, 503
Velari *colore* 2, 733
Velati, *deos venerabantur* 5, 1197
Vementer, *pro vehementer* 2, 1023. 3, 153
Venire *in commutationem, ſeu commutatum* 1, 794
Ventus *pro adventu* 1, 7
Ventus, *eſt agitatus aër* 6, 685
Ventus, *mobilis eſt* 6, 228
Ventus *ſemper eſt comes fulminis, ſemperque ei præit* 6, 348
Ventigeni *crateres cur dicantur* 6, 701
Venus, *Martis amica* 1, 35
Venus, *mater Romanorum* 1, 1
Venus, *humida, & frigida* 1, 35
Veneris *ſagittæ, id eſt Cupidinis* 4, 1271
Vepreis *auctas ſpoliis, &c.* 4, 60
Veratrum, *elleborum* 4, 641
Verba *inverſa* 1, 642
Vereri, *pro, pudorem, verbum pro nomine. ut apud Græcos τὸ αἰδεῖσθαι.* 4, 99 769
Vergere *invergere* 1, 212. 5, 1008
Vermes *unde, & quo pacto naſcantur in viſceribus* 3, 719
Vermina 5, 995
Verruncent *bene populo* 6, 1166
Vertat *bene, male* 6, 1166
Vertere *abſolute* 6, 1166
Vertere *terram* 1, 782
Vertier *ad lapidem, i. e. adſtatuam lapideam* 5, 1198
Veruina, *ſeu verutum* 4, 411
Vera *viaï, prompta cæli, & ſimil.* 1, 660
Veſci. *uti* 5, 73
Veſcus 1, 326
Veſta, *eadem, quæ terra* 2, 598
Veſtis *pro lanugine, & molli barba* 5, 672
Veterina *animalia* 5, 863
Veternoſus 3, 466
Viæ *ad oculos, ad aureis, &c. ab animi ſede, &c.* 3, 360
Vibrare *abſol. & act.* 2, 320. 3, 658
Vibratus *ecnephias* 6, 296
Vicia, *æ* 2, 430
Videlicet, *pro videre licet* 1, 211. 2, 468
Videndi *ſenſus fit per contactum quendam* 4, 338
Victus *animi* 1, 617
Vincere *verbis* 5, 734
Vietus, *a, um.* 3, 386
Vietores ibid.
Vinclis *in communibus excruciari* 4, 1195
Vinum *crura præpedit, &c.* 3, 477
Vinum *pedes captat primum* ibid.
Virens *flamma* 1, 889
Virus, *cujuſque rei humor, & virtus naturalis* 1, 719
Vis *flammea* 2, 215
Vis *canum promiſſa; id eſt canes promiſſi, ſeu longe miſſi* 4, 682
Vis *fortis equi, pro fortis equus* 2, 264. 3, 8
Vis *immenſi morbi* 6, 664
Vis *morbi excita* 4, 666
Vis *morbida* 6, 955. 1150
Viſere *ad.* 6, 1236
Viſus *fit è regione, & per rectas lineas, &c.* 4, 606
Viſus *cauſa* 2, 809. 4, 238
Viſus *fallaciæ, ſeu captiones* 4, 354
Viſus *viſum refellere non poterit, &c.* 4, 500
Vita *fugiens* 5, 883
Vitæ *limen inire* 3, 681
Vivatus, *a, um* 3, 410
Vividus, *a, um* 1, 72
Vivus, *videnſque* 3, 1060
Vivi *lacus, &c.* 5, 477
Viva *corpora ſolis & lunæ, qua ratione dicantur* ibid.
Vivum *ſepulcrum* 5, 991
Ultima *naturaï, & ſim.* 1, 1107
Umbra, *cur nigra* 4, 365
Umbra *aër à lumine vacuus* ibid.
Umbrarum *proprietas* 6, 783
Unguentum *amaracinum* 2, 846
Unæ *rei* 2, 778
Uniter *apti* 3, 852. 859
Vocales *duæ, ii, pro una* 6, 1225
Volatile *telum, ferrum* 1, 968
Volnus, *& volgus, & volt, & ſimil.* 1, 34
Voluntas, *principium motus in nobis* 3, 262
Volvere *ingenteis iras in pectore* 6, 73
Volutare *quædam mente* 3, 241
Volutares, *ſues, χαμαικυλινδάδες* 6, 978
Volutabrum ibid.
Vortex *ſine igni, τύφων* 6, 276
Vox, *quid* 4, 529
Vox, *quomodo definiatur à Platone, & Ariſtot.* 4, 529
Vocis *paternæ ſonitus aureis accidit* 4, 572
Vocis *aſperitas, unde naſcatur* 4, 546
Vocem, *corpus eſſe volunt Stoici* 4, 529
Vocem, *corpus eſſe non putat Plato.* ibid.
Uſurpare *oculis ſermone, ſenſibus* 1, 54. 301
Utilitas *expreſſit nomina rerum* 5, 1028
Utor, *& abutor cum quarto caſu interdum jungebant veteres* 6, 1134
Uveſco, *is, uvidus* 1, 306
Vulpes *cur doloſæ* 3, 743
Vultum, *i.* 4, 1207
Vulta, *ſeu volta, pro vultus* 1, 93
Vultus *in plur. pro ſingul.* ibid.
Vultures, *ſeu vulturii, triduo ante eò volant, ubi cadavera futura ſunt* 4, 684

X.

Xenophanis *dictum* 3, 418
Xenophanes *putavit, novos quotidie ſoles occidere, & oriri* 5, 755
Xerxes *ab Artabano interfectus* 3, 1046
Xerxes *Helleſponto juncto, Athone perfoſſo, maria ambulavit, &c.* 3, 1042
Xerxes *juſſit trecentas plagas mari infligi* 3, 1045

Y.

Ὑλακτεῖν, *baubari* 5, 1070
Ὑφίςασθαι *ἐπιπολάζειν oppon.* 3, 285

Z.

Zodiaci *ſitus obliquus* 5, 690

F I N I S.

OB. GIFANII
IN
T. LUCRETIUM
INDEX,
SEU POTIUS
CONLECTANEA.

In quibus vocabula priſca, ac dictiones elegantiores commemorantur; & adductis aliorum ſcriptorum teſtimoniis, ſæpe explicantur.

Major numerus Librum, minor verſum indicat.

A.

A. Hanc litteram ſæpe à veteribus contra vulgat. grammat. canones productam reperio: ſed loca plerumque ſunt mendis inquinata turpiſſimè. I: 882. 1075. IV: 48. V: 569. Prudent: lib. 1. in Symmach: ℣ 631

Mimica ridendàque ſuis.

& Præfation. Pſych. ℣ 36

Ne qua fidelis, &c.

ita v. l. Ovid. 2. Metamor. 761

Surgit humo pigra, ſemeſarumque relinquit Corpora, &c.

ita o. v. ferè. Valer. lib. 1: 681

— Oritur clamor, dextraque ſequentum.

ita leg. ex v. o. Terent. Heaut. Prolog ℣ 44. ut eſt in omnibus vet. lib.

Si qua laborioſa eſt, ad me curritur.

vulgati fere, *Laborioſa ſiqua*, &c. malè, contra elegantiam, & vet. libros. Ovidius 13. Metamorphoſ. 549

Sic Hecuba poſtquam, &c.

& mox, 556

Tolle moras Hecuba, &c.

Sic vet. libri tres. vide infra E, & de verſuum intervallis rarioribus.

A long. ob PR. ſic alibi E. IV: 1053. VI: 817

A littera non extrita. I: 658. IV: 1055. 1204

A Rebus Munitus, ut *à frumento copioſus*, &c. III: 831

Ab. hæc particula juncta ſexto caſui, inducit vim patrii. ut *fulgor ab auro*, pro, fulgor auri. *Ceres ipſa ab Jaccho*, id eſt, Jacchi Ceres. II: 50. IV: 1162

ab auro. Cicero in Epiſt. *reum Publium fore à Milone.* mira dicendi ratio: *reus à Milone*, accuſatore Milone. I: 934

ab Jaccho Ceres, id eſt, Jacchi amica Ceres, vel ab Jaccho compreſſa. IV: 1162

ab ratione videri. I: 934

ABDITA AURI; aurum abditum. ut *clauſa domorum.* VI: 808. 809

ABIRE, mori. Feſt, *abitionem, alibi ire.* II: 961

ABORIRI, intermori. III: 156. V: 732

ABORISCI, pro, aboriri, interire. nuſquam id quidem legi: retinui tamen, ob librorum conſpirationem. Nam illi profectò de ſermone Græco, aut Romano malè merentur, qui ea quæ non legerint, minuſve intelligant, continuò obelo configunt. Cur autem *oriſci* non liceat dicere, *ut fatiſci, apiſci; ab apere, labaſci, expergiſci*, &c. V: 732

ABRUPTUM. VI: 104

Abrupti ignes, ἀπεῤῥωγότες. item locutus eſt 3. Æn. *abrupti nub.* ita leg. II: 29

ABSTERGERE, depellere; ſic fere Livius & Cæſar dicunt *remos detergere:* & alibi poëta *tergere.* IV: 1058. 1228. V: 844

ABSTERRERE uſus videtur doctiſſ. poeta (etſi loca mendoſa putentur) pro, abigere, depellere, abicere, amittere. Atque ita *proterrere, propellere* dixerunt veteres omnes, de quo in Cæſarem copioſius. Sic & *deterrere, demovere* dixit D. Brutus epiſt. ad Cic. *Si non poteris, hoc te conſolabere, quòd me de ſtatu meo nullis contumeliis deterrere poſſunt.* & Cœlius antiquitatis obſervantiſſimus ad Ciceron. lib. 8. *nemo enim neceſſitudine & amicitia te deterritum ab officio dicet.* IV: 1058. 1228. V: 844

ABSTRAXE, pro, abſtraxiſſe. ita alibi *prograxe.* Virg. *traxe.* ſic alibi *confluxet.* III: 650

ABUNDARE, defluere, diſcedere, ita & Virg. utitur, & Ennius lib. 15. Annal. p. 108

Semper abundantes haſtas, &c.

id eſt reſultantes. apud Macr. IV: 89. 145. V: 918. VI: 266

ABUTI VIM SUAM, abuti, pro uti, & in uſum producere, impendere, ut Jurisconſulti interdum & Terent. *operam abutitur.* ubi Donat. ad Andr. Prol. ℣ 5.

ACCENDERE, complere. ita & Virg. Æneid. X: 895

Clamore incendunt cœlum.

idem libro 4. extremo, dicit, *implent*, καταχρηστικῶς ait Serv. ita accipi poſſet hoc Flacci, l. 1. ℣ 108.

cujus flammata veneno.

ſic enim v. c. III: 337. V: 658

accendere incendia. V: 608

ACCIDERE, adlabi. IV: 216. 237

accidere animo. IV: 880

ACCIDERE AD AURES. verbum *accidere* pravatè ſæpè legitur. Varro Parmenon. p. 132. *Alia trabs pronis in humum accidens proximè frangit ramos.* ita leg. apud Non. *trabs.* Valer. Flacc. lib. 4: 580

Protulit ira Jovis, vox hæc ſimul accidit aures.

Sic fortaſſis leg. cum in vulg. o. *eccidit, excidit*, & v. q. *exciit*, quod tamen retineri poſſet, etſi duriùs, pro movit, excitavit. ita & Attius Meleagro: *ſimul ac nota vox ad aures accidit.* apud Nonium. II: 1023

ACCINGERE CONTRA. tralatio à re militari ſumpta, ut & aliâs ſæpe in hoc poëta. Terent. Eun. 5: 7: 30. *Accingar.* ubi Donat. *ideo & accingar dixit: ſic enim dicimus in magnis rebus ſuſcipiendis, ut, Accingunt omnes operi* II: 1042

ACCIPITER, gener. fem. Nonius. IV: 1003

ACCIRE. V: 924

ACERBUS, ad aures tralatum 49. 1. & pro amaro. vide & *nectar.* II: 471

ACHERUNS. ita ubique in Lucret. v. l. eſt, & apud Plaut. de quo & Priſcian. l. 1. III: 37. 628. vide & *frundif.* Sic etiam inveni ſcriptum in vet. libro apud Nepotem in Dione, cap. 10. *Ut eum ſuo ſanguine ab Acherunte, ſi poſſent, cuperent redimere.*

ACHERUSIA TEMPLA. & hoc ex Ennio pag. 239

Acheruſia templa Orci ſalvete infera. I: 121. III: 86

ACIE PRIMA. elegantiſſima à re militari, ut aliâs ſæpe, ducta tralatio: primo loco. II: 448

ACOSMOS. ἄκοσμος. Ait poëta puellas ſordidas, & inluvie, ut ait Ter. immundas ac ῥυπαρὰς, ab amatoribus ὑποκοριστικῶς vocitari ἀκόσμους, quaſi necdum ornatas, & ut Terent. & Ovid. *neglectas*, ἀτάκτους, non in ornandis ſe nimium occupatas. Ovid. lib. 1. eleg. 14: 17

Ante meos oculos ſæpe eſt ornata, nec umquam
Brachia direpta ſaucia fecit acu.
Sæpe etiam nondum digeſtis manè capillis
Purpurea jacuit ſemiſopita toro.
Tum quoque erit neglecta decens; ut Thracia Bacche,
Cùm temere in viridi gramine laſſa jacet.

De immundis ita Cic. ad Atticum lib. 9: *Sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienantur immundæ, inſulſæ, indecoræ: ſic me.* &c. IV: 1154

ACTUS, tralatè, fluxus. III: 193

ACCUSANDI CASUS pro recto; *me*, pro *ego*, ita Terent. Eun. *Scin' me in quibus ſim gaudiis?*

diis? aut dicendum *me* eſſe parelicon. vide *Se.* I: 105

AD. non temerè aut ſtatim fidem adhibendam vulgatis grammaticorum præceptionibus, ex his, niſi me animi fallit, conlectaneis, aliiſque præſtantium hac ætate virorum commentariis clarè cognoſcere licet. putant illi RE ſemper longum eſſe: falſò, ut alibi docuimus. SVB & AB ſemper brevia. & hoc minus rectè. de PRO ſimile eſt eorum judicium, etiam, niſi me fallit meum, depravatum. hinc manavit infinita mendorum multitudo. Neque verò iis etiam credendum puto, qui contra libros calamo exaratos, litteram aliquam intercalare ſolent. Poëta igitur noſter *Ad* longum poſuiſſe videtur in ADIGIT III: 935. & haud ſcio an non & alibi ſolum AD. I: 956

ADCREDERE: ita Catull. ad Ipſithillam 32: 4. dixit *adjubere*. ſed locus hodie eſt mendoſus. nam *adjuvato* editum eſt. ſic apud Non. *Merenda*, in Afranio male eſt *juvat* pro *jubet*. Livius lib. 43. *adjurare*. & hic *adopinari* III: 869

ADERUNT, pro, erunt, id obſervatu non indignum. Sic *adſtare*, pro ſtare ſæpe dicunt veteres, comici maxime. Sic Ennius Medea. p. 210

Adſta atque Athenas antiquum opulentum oppidum
Contempla;

apud Nonium, *Contempla.* quamvis ibi legendum potius putem *Aſty*. quid ſit *Aſty* pueri ſciunt. Sic & apud Attium, Oenomao. *ut omnes qui arcem, Aſtuque accolunt cives* &c. legend. exiſtimo, etſi de Athenis ibi non agatur. nam *Aſtu* communiter uſurpant veteres. apud Nonium *Obſcænum.* VI: 70

ADESUS, conſumptus. Nonius V: 992. VI: 1166

ADFIGERE abſolutè fuit poſitum pro adfigi. quod ſanè vix admiſerim, cum nuſquam id exſtet; & ſciam mendorum turbam ex hiatu exſtitiſſe non parvam. elegantiſſimè autem Horat. ſed ἐνεργητικῶς, lib. 2. Sermon. 78

Atque adfigit humo divinæ particulam auræ.

ſic vet. & vulg. plerique, & antiquiſſ. meus. rectiſſ. nam quod in q. vet. *adfligit* (qua in re variatum ſæpe deprehendi) exſtat, nec tam elegans, immò nec Latinum ſatis videtur. *adfligere humi*, *terræ*, & *ad terram* dicendum putem: *adfligere humo* non memini legiſſe. *humo*, dicent alii, id eſt, ad humum. ſed pro eo *humi* dicebant veteres, & *terræ*. Virg. (ut & Horat.) lib 4. Georg. 115

— *Ipſe feraces*
Figat humo plantas.

Adfigere ergo *humo* ſeu *terræ*, quaſi imprimere, περονηλοῦν. Silius lib. 1. de legatis Saguntinis humi proſtratis ℣ 674

Adfigunt proni ſqualentia corpora terræ.

etſi hîc faciliùs admiſerim *adfligunt*: quod tamen majorem in ſe continet vim, & caſum graviorem. In Horat. etiam facilè id recipiam Sat. I: 81

Aut alius caſus lecto te adflixit.

ubi tamen vetuſtiſſimus meus, *adfixit.* ut in vulg. ſed ſupraſcriptum erat, vel *adflixit*. Et ut totum eum explicemus locum, per *divinæ particulam auræ*, mentem intelligi puto: τὸ γὰρ νοῦς τῆς ψυχῆς, ἐστὶ τὸ ἡγεμονικώτατον πνεῦμα θεῖον, ut loquitur alter Plato. in eodem ſermone vet. lib. habet, 2 Sat. 2: 38

Jejunus raro ſtomachus vulgaria temnit.

hæcque, ut opinor, veriſſima eſt ſcriptura: nam agit poëta de nepotibus, & delicatis hominibus. alia ſcriptura longè aliam exprimit ſententiam. conſiderabunt doctiores. Ibidem. ℣ 94

Das aliquid, famæ quæ carmine gratior aurem
Occupet humanam.

ita vet. id eſt occupare poſſit. Nos de Horatio hîc ſatis: aliâs latiùs. Prudent. I. in Symmach. 70. de Jove.

Compreſſu immundo miſerum adfigens catamithum, &c.

Sic optimus vet. liber, IV. 1236

ADFLIGERE. vide *adfigere*.

ADHERET corpus. Plaut. Men. 3: 2: 11

Prandi & potavi, ſcortum accubui.

Ovid. 3. Met. 598

Applicor, & dextris adducor litora remis.

ſic vet. lib. rectiſſimè: vulg. *ducor dextris ad.* Tacitus lib. 15. *advolvi genua* dixit. & alibi, *adſidere mœnia*. & noſter alibi, *animum hæc advertere*. ita & Cicero, Arato. ℣. 292

Hydra tenet flexu, Craterram Corvus adheret.

quamvis aliter videatur ille verſus interpungendus. vide & *Advertere.* Nepos in Timotheo, Cap. 2. *Omneſque eas gentes, quæ mare illud adjacent.* ita vet. lib. de quo in Cæſarem. Solent interdum veteres particulam ſeu præpoſitionem verbo adſcribere nomini detractam. vide hîc *adjacere*. III: 556

ADHUC, id eſt hactenus, hucuſque. Ita fere

rè utebantur veteres hac particula. Teren. Adelph. act. 4. ſcæna 4. 11

Satis adhoc tua nos fruſtrata eſt fides.

ita lego, vel *adhuc.* id alterum antiquius eſt. vide *poſt hoc:* vulg. *ad hoc* malè, contra lib. vet. & ſententiam. V: 1026

ADIACERE aliquid. ita Cæſar l. 6. de bello Gallico C. 32. *C. Trebonium cum pari legionum numero ad eam regionem, quæ Aduaticos adjacet.* ita vet. lib. V: 546

ADIGO, prima longa. *Subigit* apud Cic. 1. de Divin. nam *ſubbigit* minimè rectum puto. & *adigit me deſiderium*; ut contrà, *adigor*, vel potius *agor deſiderio*, dixit Livius. vide *Ad.* III: 935

ADIRE LUMEN VITAE. bis variata tralatio. vide *tra'atio:* III: 681

ADMISCERE veteribus, pro, miſcere, temperare, jungere uſitatum eſt; ita ut ſexto jungatur caſui. Cic. l. 2. de natura deor. C. 27. ait, *aëra multo calore admixtum eſſe.* Cæſar lib. 3. de Bello Civili, C. 10. *Eſt etiam genus radicis inventum ab iis, qui fuerant cum Valerio, quod appellatur chara: quod admixtum lacte multum inopiam levat, hæc vulgus ignorat.* IV: 1241

ADOPINARI, ita alibi, *adcredere.* IV: 814

ADPARERE, adquirere; verbum profectò obſervatione digniſſimum, à *pario*, *paris.* II: 1109

ADVERBIA in *e* & in *o.* veteribus pleraque omnia ancipiti intervallo habita ſunt in extrema ſyllaba. vide *E.* Enn. l. 10. p. 92

Regni verſatum ſummam verò columnam.

apud Donat. Phorm. 2. 1. Virg. 4. Georg. 122

— Nec ſerò comantem
Narciſſum,

&c. ita vet. quidam libri, & Ser. & libro tertio Aeneidos, 37

Tertiò ſed poſtquam majore haſtilia niſu
Aggredior. Ita legendum docet Chariſius.

ADVERTERE ANIMUM HAEC. Virgil. ita ferè lib. 4. Æneid. 493

Magicas invitam accingier artes.

& lib. 4. Georg. 261

Frigidus ut quondam ſilvas immurmurat auſter.

Sic vet. lib. q. uti Ennius (p. 274. N. Ed.) apud Nonium:

Sed ſonitus aures meas pedum pulſu increpat.

vide & hîc *Impendere ſaxa.* & *Adheret corpus.* 2: 124

ADYTUM cordis, quaſi adytum cordis: ita enim poëta mollit tralationem. ex adytis reſponſa & effata reddebantur olim. Herodot. lib. 1. λέγεται φωνὴν ἐκ τοῦ ἀδύτου γενέσθαι φέρουσαν μὲν πρὸς τὸν Ἀριστύδικόν. Virg. 2. Aeneidos: 115

Iſque adytis hæc triſtia dicta reportat.

Alibi non abſimili ratione dixit, *templum mentis* 1: 738

ÆDITUENTES, ut alibi *omnituentes*, æditui. vide in Noct. Attic. lib. 12. cap. 10. VI: 1273

ÆGRET f. ut *ſenet*, *flaccet*, *pigret*, multa alia paſſim depravata. III: 836.

ÆGROR. vide *amaror*, *putor*, &c. VI: 1130

ÆGROTAT fama, tralatè ut Græci, νοσεῖν. ita Var. l. 1. de Vita Populi Romani: *diſtractione civium elangueſcit bonum proprium civitatis, atque ægrotare incipit, & conſeneſcere.* apud Nonium *diſtrahere.* IV: 1118

ÆQUOR campi, id eſt, æqualitas III: 1015

æquor mundi. VI: 107

æquor ſaxi. III: 905

æquor ſpeculi. IV: 106, 291

ÆRA *reſtantia clauſtris*, cardines intelligo. Virg. Ciri. ℣ 190.

— Sonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus ſtridens in limine cardo.

De ſtridore cardinis idem poëta 1. Aen. 453

— Foribus cardo ſtridebat aënis.

& lib. 6: 573

Tum demum horriſono ſtridentes cardine ſacræ
Panduntur portæ.

Alluſiſſe huc videtur Silius lib. 7: 130.

Morſuque quatit (ſ. lupus) *reſtantia clauſtra.*

quamquam ipſas fores intelligat Silius. *Clauſtra* etiam hîc pro foribus accipienda ſunt, ut aliâs ſæpe. Malè alii de peſſulo aut cornice accipiunt; cum illa, ut puto, ærea plerumque eſſe non ſoleant, & ea denique clauſtris, id eſt, portæ, ſeu, ſi ita velis, ſeræ non reſtet, non obſtet, non impediat aperiri oſtium: quod faciunt cardines. II: 450.

AEREA VOX. Virg. *ferream* dixit. æri maximè à veteribus firmitudo ac robur tribuebatur. hinc apud Hom. χαλκόβατον δῶ. & Virg. *ærea puppis*, id eſt dura, teſte Servio; aut noſter fortaſſe *ærea* pro ferrea poſuit, quod tralatitium eſt, etſi Servius variantiam indicaverit. AE-

AEREAE auræ. Imitati ſunt Virgilius, Tibul. & alii. venti origo eſt aër. II: 771

AERUMNABILE. hæc inflectendi ratio familiarior fuit antiquis quam vulgò exiſtimant. hinc *penetrabilis.* apud Cicer. *opinabilis*, *diſciplinabilis.* VI: 1229

AESTAS. pro calore interdum poëta noſter poſuit. & Virgil. 3. Eclog. 98

Si lac perceperit æſtas.

Sic ibi v. c. & lib 2 Georgic. 377.

Aut gravis incumbens ſcopulis arentibus æſtas.

AESTUS. Hor. ad Lollium: Ep. I: 8

Stultorum regum, & populorum continet æstum.

æſtus pro motu. V: 648

æſtus belli, motus. tralatio ab aquis V: 1434

æſtus lapidis, æris. ita alibi flumen, fluctus, V: 1047. 1049. 1057. &c.

æſtus mentis, cæli, belli, i. motus. æſtum pro motu fere ſemper accipit III: 174. & pluribus aliis in locis. Eodem modo uſurpat interdum *fluctus* vocem. tralatio ſumpta videtur ab aquarum & maris motu, qui *æſtus* propriè dicitur. vide *Fretus.*

æſtus mortifer, morbus. VI: 1136

ÆTATEM, ſemper. Lucil. Sat. Lib. I. Fragm. 6

— Ut multos menſeſque dieſque,
Non tamen ætatem.

Plaut. Cur. 4: 3: 22

At tu ægrota, ſi vis, per me quidem, ætatem.

Similiter Terent. Eunuch. Plautus, Cæcilius, alii utuntur pro perpetuò, diutiſſimè, adverbialiter, ut *diem.* III: 999. VI: 235.

æthereas auras & *nubes* poëta noſter, & Virg. ſæpe vocant, quas aliis in locis aëreas appellant: *æther* enim pro aëre ab iiſdem non raro poni ſolet. id quod Servius etiam apud Virgil. I. Aeneid. indicavit.

ÆVUM, pro vita. IV: 352

ævum, inquit Maurus, *propriè æternitatis eſt, quæ non niſi Diis convenit.* Ennius *p.* 36

Romulus in cælo cum Dis Genitalibus ævum
Degit.

hinc Arnobio *longævus* pro immortali. Atque ita poëta noſter multis locis.

ævum. eſſe in ævo, pro ſupereſſe, vigere, valere. contrà *expelli ævo.* *ævum* igitur vitam hic ſonat, ut alias ſæpe. Horatius libro 2. Sermonum. 6: 96

Dum licet in rebus jucundis vive beatus,
Vive memor quàm ſis ævi brevis.

II: 16. III: 358. & ſeq.

AEVUS. Sic *cornus.* III: 604

AFFECTUS calore. Varr. Eumenid.

Luce locum adficiens. VI: 843

AGMEN. VI: 637

agmen fluminis, id eſt, *actus*, & *ductus*, inquit Macrob. V: 272

agmen Ennius Epigramm. p. 301

Tanto ſublatæ agmine tunc lapides.

apud Non. *lapis* ita lege. vulg. *ſunt agmine. Sunt*, irrepſit ob hiatum. VI: 99

AGRESTIS MUSA, ruſtica, Saturnia, antiqua. Virg. minus elegantem dixit *agreſtem* Muſam. V: 1397

AI, *maireo* f. III: 970

AI, diphthongus antiq. qua ſexcentis locis (teſte etiam Martiano lib. 3) utitur Lucretius diſtracta: ita & *oi* pro *oe* veteres utebantur, eodem teſte. I: 113

AITERNUS, antiqua ſcriptura III: 33

ALERE. Pacuvius Chryſe:

Quicquid eſt hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat.

I: 230. V: 258. 323

ALERE. Feſt. *aletudo*, *corporis pinguedo*; Cic. lib. 2. Vet. Thet. 162. *Conſuetudine vis eſt; quod aut leviter à natura tractum, aluit, & majus fecit uſus.* Virg. 5. Aen. 210

At lætus Mneſtheus, ſucceſſuque acrior ipſo.

Et mox: 231

Hos ſucceſſus alit,

&c. id eſt, alacriores reddit, auget alacritatem.

ALESCERE, creſcere. vide alibi. II: 1129

ALGO pro algore, ut *guberna* alibi. Nonius. III: 732

ALE, pro adoleſcere, ſeu adultum fieri, pro creſcere, alibi *adoleſcere*, I: 51. 804

ALI, retineri, tralatè III: 64

ALIAE pro alius. vide *unæ* III: 931

ALIENA ſalutis. Sic Hor. Græci ſermonis feliciſſimus imitator, lib. 2. Serm. 3: 208

Qui ſpecies alias veri, ſceleriſque tumultu
Permixtas capiet, commotus habebitur.

Sic habet vet. noſter, & omnes vulgati vetereſque aliorum libri: nihil ergo mutandum, quod alii faciunt tamen: *alias veri*, id eſt, falſas, & non veras inquit Porphyrio. rectè Græcus diceret, ἰδέας τὰς τοῦ ἀληθέος, ſeu τῆς ἀληθείας ἄλλας, id eſt, *alias veri.* Dicimus ergo *alius vero*, *alius à vero*, *alius veri*, quod ex-

extremum totum eſt poëticum, ut & primum. Sic *alienus à vero*, *alienus vero & veri* dixerunt veteres.

aliena ſalutis, *rerum.* Patrio caſui jungi ſolet à veter. *alienus*, ut Græc. ἀλλότριος. Cic. 1. Academ. *Et uno nomine omnia, quæ eſſent aliena firmæ & conſtantis aſſenſionis* III: 832. VI: 1063

aliena rogorum, ut *ſæpta domorum*; alienos rogos. VI: 1281

ALIENIGENAE res & partes, id eſt, penitus diverſæ, ut ſunt oſſa, nervi, ſanguis, venæ. à cibo ſunt diverſa, quæ tamen cibo creſcunt. expreſſit, ut puto, eleganter τὸ ἀνομοιογενὲς. I: 861. 866. 873

alienigenæ partes, ἀνομοιομερῆ I: 861

ALIPEDES cervi. & hoc ſibi ſumpſit Virgil. lib. 7: 277. de equis,

Inſtratos oſtro alipedes,

&c. VI: 765

ALITUUM pro alitum, id eſt, avium. metri cauſſa interjecta ſyllaba. Servius ad illud Virg. 8. Aeneid. 27

Alituum pecudumque genus ſopor altus habebat.

V: 1038. 1077. VI: 12. 14

ALIUD diſſyllabum, ut *potius*, *alibi*; vel exteri debet *d*, quod novum non eſt. alii contra vet. lib. *alid* reponunt: ego vet. lib. ſecutus ſum. dicebant *alis* veteres, de *alid* nulla mentio. I: 264. 408. &c.

ALMUS. ita *almam Cererem* dixit Lucil. ab *alendo* deductum videtur. I: 2. II: 991. &c.

ALSIUS, non *alſus*, ut perperam vulgo putant: & *alſioſus* eſt, qui frigus ferre non poteſt. V: 1014

ALTERNIS, viciſſim, ut apud Terent. *ingratis*, hodie depravatè *ingratus*, vel *ingratiis* I: 555. &c.

ALTITONANS vulturnus. Ennius Jovem vocat *altitonantem* V: 744

ALTIVOLANS ab Ennio p. 20. ſumpſit: ſic enim ille apud Cic.

-- *at Romulus pulcer in alto*
Quærit Aventino, ſervat genus altivolantum.

Noſter ad ſolis curſum tranſtulit. mutua eſt in volatu & curſu apud omnes migratio. vide *curſus*. V: 434

ALTUM pro cælo ponebant veteres, ut & *profundum*. Virg. lib. 1. Aenid. 301

Hæc ait, & Maia genitum demittit ab alto.

profundum bis terve dixit Prudentius pro cælo. Ennius etiam *cælus profundus* dixit: nam *ſublime* ſeu *altum* & *profundum* reciproca tralatione, ut alia multa, inter ſe commutantur. unde & Virgil. *faſtigia* in Georg. 2. pro altitudine, ſeu profunditate poſuit. V: 466

ALTUM pro aëre etiam poſuiſſe veteres animadverti; ut & *cælum*. Virgilius lib. 1. Georg. 323

Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes. IV: 137. VI: 276

ALTVS ſopor. III: 465

AMAROR. de hoc in noct. Atticis. IV: 25. 1170. VI: 930

AMBENS tralatum ad ignem, ut alibi *ambedere*, *deguſtare*: venit ab *ambeſſe*; antique pro ambedere. ab *eſſe*, *ens*. V: 397.

AMBIGITUR STATUS, id eſt, de ſtatu, ita Cic. *caput agitur*, quod apud Cicer. in Lælio ex noct. Atticis lib. 1. cap. 3. reſtituendum eſt. III: 1085

AMENS, conſternatus. Virg. Æn. 4: 279

Æneas obmutuit amens.

VI: 85.

AMFRACTUS, ſic ſcribendum. Varr. lib. 6. de lingua Lat. I: 719. V: 682

AMICITIES. Chariſ. lib. 1. V: 1018

AMICTUS CAELI. Ennius p. 121. venuſte *cortinam cæli* dixit, ita Virg. *nubium amictum*. Varro *velum* dixit. Sic & egregius hac ætate poëta Georg. Buchananus (cui noſtrum poëtam perfamiliarem eſſe video) heroicè profectò, *tentoria cæli* dixit. vide & *Cavernæ*. ſimili fere ratione dicta *veſtis fluminis* elegantiſſime ab Auſonio in Moſella ℣ 260

Naviger undiſona dudum me mole Saravus
Torta veſte vocat.

Sic leg. cum Mariangelo: de Saravo ibid. ℣ 93

Tuque per obliqui fauces vexate Saravi.

&c. nec dubitandum puto quin princeps Virg. extremo lib. 8: 712. ita ſcripſerit:

Contrà autem magno mærentem corpore Nilum,
Pandentemque ſinus, & torta veſte vocantem
Cœruleum in gremium;

&c. *Tortam veſtem*, & cornua cur tribuant fluminibus poëtæ, notum eſt. vides apertam ſynepeiam. VI: 1132

AMITTERE CORPUS. ita Cic. lib. 7. epiſt. ad Gallum: *nam & vires, & corpus amiſi*. I: 1038

AMPLUS, latus, & geminus. II: 1132

AN

AN, & AM pro eam, ut *em*, vel *im* pro eum dicebant veteres, uti admonuit jam pridem doctor meus eruditiſſ. Jac. Cujacius. *em* vel *im*, pro eam, quod ſciam equidem, nunquam. nec, ut puto, *An.* III: 445

ANCREDO. *an* junctum verbo *credo*, non tam quærit, quam adfirmat joco & ſeriò. ut Sulpicius ad Cic. *An illius credo vicem doles.* V: 175

ANADEMATA. Heſych. Ἀναδέσμη, μίτρα, ἀνάδημα. οἱ δὲ εἶδος κόσμου ἐπὶ κεφαλῆς. *Redimicula* vocavit Lucilius, & Virg. aliique. Lucilii verſus l. 15. Satyr. Fragm. 5

Spiram, pallas, redimicula promit.

IV: 1123

ANASTROPHE præpoſitionum noſtro poëtæ perfamiliaris eſt, quam amarunt & antiqui ſcriptores, Ennius, Salluſtius, Tacitus, maximè noſter poëta, ejuſque familiaris Maro. I: 159. V: 702. VI: 715. 788. 1208

ANCISUM. Feſt. ſcribit *ancæſum*, licet in alia re. nam & *præcedere*, & *præcidere* comperi. III: 660

ANCUS. *Mortuus eſt & Ancus.* hoc vel ſimile quid in ore videntur habuiſſe Romani, cum exemplo adducto mortem, aut ſi quid humanitus contingeret, æquo ferendum animo, docere vellent. Eò referri poteſt illud Ennii p. 53

Poſtquam lumina ſis oculis bonus Ancus reliquit.

etſi id aliter etiam accipi poſſe ſciam. Sic & noſter poëta, & Horat. 4. od. 7: 15.

Quo pius Aeneas, quo Tullus dives, & Ancus?

& 1. epiſt. ad Numicium. 6: 27

Ire tamen reſtat, Numa quo devenit, & Ancus;

Ita regis *Romuli*, ſed alia in re nomen uſurpare ſolent, & *Hannibalis* pro crudeli quovis. Certè fuit Ancus cuilibet ſuperiorum (inquit Livius) regum belli paciſque, & artibus, & gloria par. III: 1037

ANGUIMANUS, qui eſt manibus flexibilibus lubriciſque, ſerpentis modo. II: 537. V: 1302

ANIMA, ventus, aër. Græc. ἄνεμος, ἀήρ. Latini pro aëre *animam* dicebant, etiam Cic. ſæpe. noſter lib. 5. crebrò.

animæ venti. V: 1229

ANIMUS, EX ANIMO. ſtudioſe, & promptè ac hilari animo, & quaſi cum magna voluptate. vide quæſo III: 928

ANNI notatio à poëta videtur indicari hoc verſu:

Quod faciunt nobis annorum tempora, circum Cum redeunt.

Annus ab *am*, id eſt, circumeundo. vide *Superſtitio.* III: 1018

ANQUIRERE. Sexcentis locis hoc verbum commutarunt quidam ſcioli in acquirere & inquirere. &c. ut apud Salluſt. de bello Jugurth. cap. 13. *Ut primum veteres amicos muneribus expleant, deinde novos anquirant.* ita legendum puto. in l. v. q. *acquir.* in aliis, *exquirant.* ſic & Cic. Lælio extremo: *Semper aliqui anquirendi ſunt.* ſic in vetuſtiſſimo meo. IV: 1183.

ἀντέπλωσις. VI: 1257

ANTISTARE. Tacitus Ann. 6: 27. *Sed ut locis, ordinibus, dignationibus antiſtent.* ita Catull. ad Verannium:

Antiſtans mihi milibus trecentis.

ita legendum puto. in vulg. *Antiſtes.* in q. c. vet. *Antiſtas.* ita Q. Claudius: *Simulque virtute ceteris antiſtabat.* in noct. Att. lib. 9. cap. 13. ita vet. c. vulg. *anteſtabat.* ſic Plaut. *antilogium* dixit. V: 22.

ANUS, pro annus, antique teſte Velio. III: 799

ANXIUS ANGOR. tales palilogiæ antiquis ſcriptoribus per ſunt familiares. III: 1006

APERTUM, IN APERTO. Sic dixit ut *in tranquillo.* dicendi genus veteribus familiare. Livius *in aperto caſtra ponere* dixit. III: 603

APISCI. In editionibus hactenus apud Cic. Salluſt. alios omnes ferè ſcriptores contaminatum fuit, ſuppoſito *adipiſci*: ſed odorati ſunt eam fraudem docti viri. uſus eſt & C. Fannius: *hæc*, inquit, *apiſcuntur.* ita v. l. Priſc. libro 8. vulg. *adipiſcuntur.* ibidem & Fabius Maximus: *amitti, quàm apiſci.* ſic & ibi vet. l. vulg. *adipiſci.*

apiſci pro *adipiſci.* depravatum hoc verbum ſæpe eſt in libris Juris. Nonius, Feſtus, *aptus.* Nonius etiam pro invenire, & Siſennam adducit, atque ita hîc accipi etiam poteſt percommodè I: 449. VI: 1296

APTA VESTIS ſignis ingentibus, ut Enn. p 56

Cælum ſtellis ardentibus aptum.

V: 1425

APTUS, connexus, pendens. Feſt. & Cic. ſæpiſſimè. II: 478. 522

aptus, conveniens. IV: 681

AQUA interdum priorem producit, teſte

Beda

Beda lib. de metris, capite 18. ubi de antiquorum libertate in numeris verſuum agit *Qui*, inquit, *& aliis in metrico opere regulis multum liberè utebantur, quas moderni poëtæ diſtinctius ad certæ normam definitionis obſervare maluerunt. nam & vocalem brevem quæ q. & u. & vocali qualibet exciperetur, voluere eſſe communem. ut Lucretius*:

Quæ calidum faciunt aquæ tactum, atque vaporem.

&c. Ut autem apertè hic quod ſentio dicam. puto Bedam non rectè adduxiſſe è Tito eum locum, ſed alium cum vellet, ac poſſet, in eum falſò incidiſſe. Debuerat verò hunc verſum laudare ex eodem libro:

Fit quoque ubi in magnas aquæ vaſtaſque lacunas.

Hujus meæ opinionis & conjecturæ hæc eſt ratio, quod & ibidem Bedas hunc etiam verſum quaſi Virgilii verum adducat:

At tuba terribilem ſonitum procul excitat horrida.

cum in Virg. codicibus Æn. 9: 503. omnibus ſit:

At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro Increpuit.

& adferre potius vellet ac deberet hunc è Georg. 2: 69

Inſeritur verò ex fetu nucis arbutus horrida.

Deinde imprimis libri vet. Titi noſtri me commovent, qui in eo quem modò protuli verſu, ita productè, *aquæ.* ſcribunt, vel certè cum litura, ut facilè ad veram ſcripturam inveſtigandam quis excitari poſſit. In altero verò verſu quem Bedas adducit, omnes libri conſtanter, & ſine mendi ſuſpicione ac litura habent, *faciunt laticis tactum.* Quare jam veterem ſcripturam retinendam, & Bedam ita corrigendum aut certè ejus lectorem ſic admonendum omnino credo: atque ita nunc ſentio, etſi nuper aliud. Si quis autem putet in his litteris quæ ab humanitate ſunt appellatæ, variare non licere; ne ille ſævus eſt, & rerum imperitus, & ab omni ipſe humanitate alienus. VI: 551. 868

AQVA DVLCIS. ſic & Græci, & Romani, & Germani vocant aquam fontium aut fluminum, non ſalſam, contrariam marinæ. Cic. lib. 6. in Verr. 18. *In hac inſula extrema eſt fons aquæ dulcis, cui nomen Arethuſa eſt.* Oppius de bello Alexand. 3: 8. *Nam puteis foſſis aquam dulcem reperiri poſſe adfirmabat.* VI: 889

ARA SCAENAE. non incommodè dixero, ut opinor, ſi poëtam ad aras quæ in ſcænis erigi ſolent, reſpexiſſe dicam. de aris in Terent. Donat. II: 417

ARBUTA. rubra poma ſilvarum, quæ Plinius *unedones* vocat. V: 939. 963

ARDOR pro dolore. ita Catullus ad paſſerem: 2: 8

Credo ut tum gravis acquieſcat ardor.

ita ferè *æſtum ulceris* dixit Attius apud Nonium. habet ita idem Catull. de nupt. Pelei: 64: 226

Noſtræque incendia mentis.

ita *torrere*, Catul. Lucret. omnes *urere*. III: 252

AREFACERE. poëta diſiunxit: *facere* enim *are* dixit; credo ita, ut apud Caton. *ferue bene facito.* & apud Varr. *Quæ ſole perferve ita fit, ut excande me fecerunt*, ita in v. l. eſſe monuit P. Vict. VI: 962

ARIDUS SONUS pro *horrifico & acuto*, inquit Nonius: Servius autem pro *nimio* poſitum ait. *Aridus*, inquit, *fragor, ſonitus qualis ſolet fieri cum franguntur arbores.* ergo *aridus*, nimius. omne enim quod aridum eſt, cum frangi cœperit, nimium efficit ſonum. Virgilii verſus e lib. 1. Georg. 356

Continuò ventis ſurgentibus aut freta ponti
Incipiunt agitata tumeſcere, & aridus altis
Montibus audiri fragor.

VI: 118

ARLABITUR. ita aliquando ſcribendum putaram: nam *ar* veteribus *ad* valet. unde & in 12. ſcriptum fuit,

Qui coronam parit ipſe, pecuniave ejus virtutis ergo: arduitor, ſeu *ei arduitor.*

ſic enim eam legem reſtituo. & ita explicandam puto: Qui coronam ipſe obtinuerit, vel ſaltem pecunia ſua conſecutus ſit in certamine: ſine fraude addi ea poterit illi jam mortuo in pompa funebri. Pecuniæ nomen, ut aliis multis in locis, ita & hîc eſt generale, & jumenta, ſervos etiam complectitur. & hoc eſt quod addit Plin. (ex quo libro 21. cap. 3. eam legem habemus) Quam ſervi, equive meruiſſent, pecunia partam lege dici nemo dubitavit. ARDUITOR autem, id eſt, additor. *duere* veteribus eſt dare: *adduere*, ſeu antiq. *arduere*, addere. Certe ne cui novum videatur in hac re addendi vocabulum, aut à nobis id additum quis dicat, ipſe Cicero quo loco de hac lege agit, meminit hujus verbi; ſed in alia lege, proxima tamen & ſuperiori conſentanea:

Neve

Neve aurum addito, ubi etiam fortaſſe fuit *ardito*. ſed nihil temerè mutandum. Hæc evagatio ſi lectori fortè fuerit odioſa, mihi certè fuit periucunda, & ſolemus in noſtris nobis etiam aliquid indulgere. IV: 358

Arma, ad arma. eleganter & aptè caſtiſſ. poëta contendit militum vocem & clamorem cum equorum fremitu. clamor ille & olim, & hodie eadem voce ab ineuntibus prœlium edi ſolet. Ceterum alii hunc Titi locum de armis & prœlio Veneris accipiunt, ut Virg. *nocturna prœlia* II: 736. dixiſſe conſtat. V: 1075

Arquatus. Nonius. IV: 334

Arquus, ita *oquulus*, &c. Priſc. VI: 525

Arripere. ita ferè Cic. lib. 2. de Oratore: *Magiſtrum autem quem vellet eligeret; ne quidem ſi audiret, L. Craſſum: quod iſte arripuit, & ita ſe facturum confirmavit.* vide & *ſumere*. V: 248

Arteria, *orum*. Quædam ſunt nomina, quibus veteres in multitudinis ferè utuntur numero, ut *pulmones*, *cervices*, & *arteriæ*, cum de aſpera arteria loquuntur: ſic & *concordium* dixerunt veteres, multaque alia. Græci ἀρτηρίαν dicunt. ſic *aulæum* Latini, αὐλαίαν Græci. IV: 532

Artibus, membris, ab *artus*. ſic ex vet. l. ſcripſi, atque ita vetuſtiores ſcripſiſſe indicat Scaurus, cujus verba adſcripſi, quia hæc primùm renovamus: *Artibus autem*, inquit, *& artubus quidam variaverunt; & per i quidem dativo & ablativo plurali ſcribi putaverunt, quoties ab arte deſcenderet, ut ſit ars, artis, artibus: artubus autem u, quoties ab eo quod eſſent artus. unde apud Lucretium legunt:*

— — Hinc nova proles
Artubus infirmis teneras laſciva,

&c. *Quòd ſi diſtinctionis cauſſa ratio corrumpitur: caveas quoque quare non accentum aut litteram mutamus, cùm & verbum, & nomen ſignificet? ut in hoc, tectis, cùm & nomen & participium ſit, & in ſimilibus. Ergo vox ſcribenda quomodo & ſonat: nemo autem umquam tam inſulſè per u artubus dixerit.* hinc perſpicuum eſt, quæ ſit vetuſtiſſ. in Lucret. ſcriptura. I: 261. & ſæpiſſime.

Arvum propriè terra quæ aratur. V: 923. 933

Arva muliebria, pro natura mulieris. Sic & Virg. 3. Georg. *genitale arvum*. IV: 1101

At sedare, pro ad ſedandum. *At* pro *ad* veteres ſcripſiſſe deprehendimus. Cicer. lib. 2. epiſt. ad Salluſt. *At quem intelligebas ejus belli periculum ſpectare.* multiſque aliis locis, ut monuit Victor. V: 943

Atlanteum Litus. Ἀτλαντεῖον V: 36

Atque. Chariſius lib. 2. ex Acrone monuit hunc articulum in tranſitione ſæpe vet. uſurpaſſe, aitque Terent. ita uſum in Adelph. act. 1. ſcæn. 1: 15

Atque ex me hic non natus eſt.

vulgò tamen *atqui* legitur. ſic & noſter ferè uſus eſt, & Proper. lib. 2: 16

Atque utinam Romæ nemo eſſet dives, & ipſe
Straminea poſſet dux habitare caſa.

I: 655. III: 530

Atomi. miror tam ſtudioſe vitaſſe noſtrum Titum hoc uti vocabulo: credo quia verſus leges non admitterent facilè, vocat corpuſcula, elementa prima, principia, corpora prima, primordia, ſemina rerum, figuras, corpora cæca, materiem, materiai corpora, principiorum corpora, &c. Cicero tamen *atomorum* voce interdum utitur. uſus eſt & Lucilius ſuo more Græciſſans lib. 27. Fragm. 48

Idola atque atomos Epicuri vincere volim.

ita leg. ex v. c. Putant vulgo *Atomos* ab Epicuro ac philoſophis dici pulviſculos illos quos in ſole volitantes videmus. error eſt hic graviſſimus, quaſi ex tali materia res omnes concretæ eſſent. nimis abſurdè, quin potius certa quædam corpuſcula cæca, ἀόρατα, quæ ſub adſpectum non cadunt, numquam videantur, ſimplicia, individua. ex quibus omnis rerum natura conſiſtat, & in quæ reſolvatur; ut alii aquam, ignem, &c. hæc, inquam, illi *atomos* vocant, eaſque cenſent è rerum ex atomis compoſitarum ſummo corpore ſeu extremitate, aut ſuperficie quaſi detergeri, defluere: ac poſtea in inani paſſim moveri ac volitare; tandemque aſſiduo motu cohereſcere; atque ita rurſus ex ſe corpora, reſque alias creare. Atomi ergo ſunt prima rerum corpora, quæ numquam ſint viſa, ſunt tamen, & inſtar minutiſſimorum pulviſculorum in ſole vagantium in inani jactantur: non verò ſunt ramenta illa. Hæc ut à vulgo intelligerentur tandem, latius perſecuti ſumus.

Attigere f. pro attingere. *tagere*, *tangere* dicebant. hinc *tagax*, qui nimium etiam aliena tangit, furax. Feſt. *tagit*. & Nonius. III: 935

Avarities. ſic *amicities.* III: 59
Auctus, *us, ui*, pro augmine. II: 481
auctus, us, ſcaturigo VI: 748
Auctus, præditus. II: 1120. III: 631. IV: 60
Auctus arboris, pro arbore, ſeu corpore arboris ac mole. vide *tactus.* VI: 167
auctus corporis, pro mole. V: 1169
auctus impetis, impetus gravior. VI: 326
Auctus, procreatus. Prudent. lib. 1. contra Symmach. 165
Quis te ſemideam jactant auctoribus auctam.
Sic ibi habebat v. c. emendatiſſ. in vulgat. & q. c. v. *ortam.* male ibidem eſt. 190
Et tot templa deum Romæ, quot in urbe, &c. leg. ex vet. lib. *orbe.* I: 625. II: 974. 985
Audere. ad res inanimas tralatum. vide &, *Dubitare.* VI: 1070
Auditum, ut partum. V: 1133
Averna loca vocat generaliter omnia ea, quæ tetrum exhalant odorem. Græci χαρώνεια. VI: 738
Aversabile scelus, nefarium. Horat. 2. Carm. 4:20. *Sic lucro averſam.* ita leg. ex v. V: 390
Augmen, moles. I: 435
augmen corporis, pro corpore. III: 269
augmen guttæ. VI: 614
Avidus, vaſtus, ingens. inſigni tralatione, quod avidi & avari non acquieſcant parvis & paucis rebus. II: 1065
avida pars, magna, per hypallagen. ab avidis fere majora occupantur. V: 202. 471
Avolsus. ſic antiq. Feſt. *Volſgram*; ita enim puto leg. non *Voſgram.* II: 258
Auræ æthereæ, vitales. III: 406
Auræ aeris altæ. III: 557
auræ aëris, pro aëre. ita ſæpe Lucretius & Virg. III: 751. 752
auræ aëreæ, alibi dicit auras aëris. Ennius dixerat *aëreum ſpiritum.* apud Feſt. *ſubices.* nam *ventus*, ait Arnob. *eſt fluor aëris.* IV: 931
Aut etiam, pro aut. notatu digna particula. I: 1011. IV: 934
Autem eleganter jungitur particulæ *&*, ac tertio quartoque loco poſitum. Ulpian. Et generaliter *autem* poteſt dici, &c. Seneca: *Et hæc autem quæ non ſunt rerum natura complectitur.* Agel. 12: 2. *Noſcitandæ probationes autem quas συγκατα θέσεις vocant*, &c. I: 1009
Auxilia. caſtrenſe vocabulum, pro fœderatis militibus. V: 1442
Auxiliatus, *us.* V: 1039

B.

Babylonica, ſtragulæ veſtes. Plaut. Sticho. IV: 1022
Bacchari, diſcurſare, errare. tralatum à Bacchidibus. V: 822
Balantum pecudes. Sic Ennius apud Macrob. lib. 6. ubi male, ut & hîc, *balatum.* II: 369. Virg. 7: 538
Quinque greges illi balantum.
Balantes pecudes. VI: 1130
Barathrus. ſic videtur poëta vocaſſe eum quem barathro & morti vicinum, aut dignum judicabat. nam in v. q. l. ea eſt lectio: quanquam *barde* mihi magis placeat ex q. v. l. nam *barathrus* nuſquam legi, nec quid ſit, ſatis intelligo. III: 967
Barbaricæ vestes, Phrygiæ. Phrygas antiquiſſimi vocabant *barbaros.* II: 499. Virg. Ciri ℣ 134
Jactave barbarico Cybeles antiſtita buxo.
id eſt, Phrygio. Horat. ad Lollium: I: 2: 7
Græcia barbariæ lento colliſa duello.
Virg. 11. Aeneid. 768. elegantiſſ.
Forte ſacer Cybele Coreus, olimque ſacerdos,
Inſignis longè Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam ſquamis auro conſerta tegebat,
Pictus acu tunicas & barbara tegmina crurum,
Hinc Virgilius in Ciri tibiam Phrygiam vocavit buxum *barbaricum.* ℣ 134
Jactave (f. Ictave) barbaricò Cybeles antiſtita buxo,
ut modò dixi.
Barbigeræ capellæ, & *barbigeræ pecudes.* V: 898. VI: 790
Bardus, ſtultus. Feſt. quidam libri habent, *Baratræ.* ita à Nonio adducitur Titinnius, Varo, & Varto, a Feſto Titinn. *Barathro & Barbato.* vide *Barathrus.*
Baubari. Non. V: 1070
Bella anni, ea tempora quibus crebriora ſunt fulmina & tonitrua, ut ſunt autumnus & ver. VI: 373
Bellum, pro repugnantia, motu, & turbatione. ſic *prœlia ventorum* dixit Virgil. vide *pax.* V: 382. VI: 376
Bellum, moleſtia, cura: paci & tranquil-

litati contrarium. vide *pax.* V: 1423

Bene. particula eſt veteribus ſæpè αὐξητικὴ ut *bene doctus*, *bonus*, *magnus multus*, id eſt, valde. Juſtinian. in §. pœnales inſtitut. de action. *Pœnales quoque actiones prætor bene multas introduxit.* ubi quidam *pœnè*. male. Cic. lib. 5. epiſtola ad Lucceium: *Sed tamen qui ſemel verecundiæ fines tranſierit; eum bene & naviter oportet eſſe impudentem.* Oppius lib. 5. *Cùm bene magnam multitudinem telorum, ignemque noſtris defendentibus injeciſſent.* & mox: *Cùm bene magnam partem muri conſumpſiſſent.* V: 706

Blanditim, ut alibi *exultim*, *propritim*, & ſimilia. II: 173

Bombus. ita & Catull. è ſono factum. ut *ſtloppus* in Perſ. Sat. ubi contra vet. l. & Priſc. *ſclopus.* IV: 548

Bonum. vide commune. V: 892

Bone, pro bene. ita interdum ſcripſi ex v. q. & Soſipat. lib. 1. II: 7. &c.

Britannus primam habet hîc longam, niſi geminato *t.* ſcribend. quis putet, ut in veteribus lib. ferè exſtat. VI: 1109

Buceriæ, Nonio βουκολεῖν. alibi adjectivum facit V: 864. ita à ſe ipſe diſſentit: oportet tamen hîc ſit adjectivum, ob vocem, greges. atqui *bucerus*, *a. um.* dicebant, non *bucerius.* itaque hîc f. legendum *buceræ*, ut ſit choreus 1. loco, aut certè *i* interjectum à poëta dicend. verſus cauſſa, ut alibi *alituum.* II: 661. VI: 1240

C.

Cacumen alescendi, venuſta migratione, quod ibidem creſcendi finem dixit. ſic & alibi *mucronis* vocem migravit. II: 1129

Cadere tralatè pro abici, contemni. tralatio ſumpta videtur à comœdiis, quæ ſi placeant, *ſtare*; ſi diſpliceant, ἐκπίπτειν dicuntur. id Horat. ita expreſſit. Satyr. 2: 1: 167

Securus cadat, an recto ſtet fabula talo.

V: 1417

Cadere casu magno. elegans palilogia. ſic *vivere vitam*, vide & *anxius angor*. tralatè autem poſuit, ut *valdè lapſi ſunt.* id eſt, erraruut graviſſime. ſic etiam *ruinas facere* dixit. I: 742

Cæcare ut tardare. hinc *excæcare.* IV: 326

Cæcum ἀόρατον. *cæca* fere apellat principia ſeu atomos. & apud Cic. ſic Livium ſcripſiſſe puto Jone:

Dirige odoriſequos ad cæca cubilia canes.

imitatus eſt Manil. lib. 1: 131. de his individuis corpuſculis agens:

Cæcaque materies cælum perfecit & orbem.

I: 278. &c.

Cæcigenus. vide *ventigenus.* II: 740

Cælum pro aëre. ita vet. loquebantur ſæpiſſ. Virg. vide Serv. IV: 133

Cærula cæli. ſic Ennius. p. 124

Quamquam multa manus ad cæli cærula templa
Tendebam. & p. 34
Unus erit quem tu tolles ad cærula cæli
Templa.

apud Varron. lib. 6. Eundem verſum Ennii uſurpavit Ovid. 2. Faſt. ubi vulg. eſt *ſidera cæli.* cùm in v. quodam codice etiam ſit, *cærula.* I: 1089

Cæsius color feritatis ſpecies, eſt leonibus peculiaris. Catull. 45: 6

Solus in Lybia Indiaque toſtâ
Cæſio veniam obvius leoni.

De cæſio colore memini dixiſſe quid alibi. vide *Palladion.* VI: 92

Calcaria amoris, admirabili venuſtate pro ardore & impetu. ſic fere *ventorum calcaria* dixit Varr. apud Nonium. V: 1074

Calcis præscripta, VI: 91

Callidus, peritus, excercitatus. Cic. VI: 92

Campi natantes. mare, æquora. & Virgil. ita lib. 3. Georg. & 6. Aeneid. *liquentes campos* dixit. V: 489

Cancer, *canceris*, pro *cancri.* ita fere e Cæſellio *Mulciber Mulciberis*, & *Mulcibri* habere monuit Priſc. lib. 6. quamquam ego hîc potiùs *cancri* legerem, ut eſſet hiatus. V: 616

Canere ſilva dicitur lepidiſſ. à poëta, ubi varia avium ſæcula liquidiſſimis vocibus paſſim cantillant. hoc imitatus deligentiſſ. Maro ilicem vocat *argutam*, id eſt, ſuſurrantem leviter, quamquam ibi ex motitatione id fiat. ſic alibi fere dicit *fulgere loca*, & *circumtremere æthera.* & *loqui ſilvas* alibi idem Virgilius. I: 257

Canes montivagæ. doctiſſimus poëta, ut aliâs ſæpe, Græcos imitatus, canis vocabulum cùm de venatione ageret, muliebri in genere poſuit. illi enim hoc diligenter ſervant. ut apud Pollucem, Oppianum, & Aelia-

lianum videre licet, κύνες γενναῖαι, ἀργολίδες, κελτικαὶ. Ennius ſic *Noct.* I: 405

Canor. Eutychius l. 1. Grammaticor. *à ſudo ſudor; amo, amor, clamo, clamor; ſono, ſonor; erro, error, marco, marcor; candeo, candor, algeo, algor; oleo, olor; cano, canor.* &c. IV: 928

Capere humorem, frigus in ſe recipere. δέχεσθαι I: 535

Capi, *propitiari*, inquit Nonius. I: 62

capit putror terra. καταλαμβάνει. vide *percipere.* II: 928

Capripedes Satyri, ita & Horat. IV: 585

Caput pro fonte ſeu ſcaturigine. V: 600

caput fluvii. VI: 729

Carmen primum, pro libro primo. 937

Cassum, vacuum, inane, caſſus lumine, vacans, carens. III: 561. &c.

Casus sextus geminatus interdum adjungitur uni verbo, ita ut uterque ab altero vi ſit diverſus. Ennius lib. 14. p. 105

Cùm procul adſpiciunt hoſtes accedere ventis
Navibus velivolis.

ſic & ferè Græci περιβάλλεσθαι τὰ τείχη, τὴν πόλιν. & noſter Carus: I: 721

Anguſtoque fretu rapidum mare dividit undis.

Virgil. 3. Aeneid. 317. imitatus hunc locum, ait:

— Venit medio vi pontus, & undis
Heſperium Siculo latus abſcidit.

Quamquam ſuſpicari quis poſſit legendum potius,

— Dividit udas
Italiæ terrarum oras,

&c. quod in Priſciani codicibus manuſcriptis exſtet, *undas.* & certè *udas* in *undas* migravit non rarò. proferam unum ex Petronio, in quo ſuperioribus menſibus operam aliquam poſuimus, non eam tamen, quam cuperemus. in eo igitur ut alia multa, ita & hoc reſtituendum puto. cap. 119

Æs pyreum conlaudabat miles in unda.
Quæſitus tellure, &c.
Æs Ephyreum conlaudabat miles in uda (ſeu *ima*)
Quæſitus tellure, &c.

verum in Tito nihil mutandum cenſeo, refragantibus libris omnibus. I: 720

Cataplexis, κατάπληξις, horror, admiratio, obſtupefactio. hîc enim auguſtius quid ſignificat vox ea; ut quaſi Dea aliqua corporis mole ac magnitudine reddat attonitos, & in ſui admirationem rapiat homines: ſic enim καταπλήττειν in bonam partem accipi etiam ſolet, ut apud Virg. Dido de Aen. dignitate: Æn. I: 617

Obſtipuit primo adſpectu.

Deam ergo quaſi facit eam quæ majore corporis auctu eſt; talis ferè erat illa Philetæ Romani Cinthia: 2: 1

Fulva coma eſt, longæque manus, & maxima toto
Corpore, & incedit vel Jove digna ſoror.

ea tamen erat non tam immani magnitudine, quàm decora potius & modica, qualem Varro Hecatombe apud Nonium laudat amiculam *puram putam, proceram, candidam, teneram.* IV: 1157

Catenæ, pro choreis inter ſe implicatis, uti puto; etſi de mendo ſuſpectus ſit locus.

Cavernæ cæli. ita Enn. *cæli ingentes* dixit *fornices.* vide Varr. l. 4. & Cic. 3. de Orat. vide hîc *amictus.* ipſe etiam Varr. Marcipore, *aureas cæli cavernas* dicit, IV: 172. 392

Caulas vocat foramina, ſeu poros ac meatus: quod obſervatu digniſſimum eſt. II: 950. &c.

Cea vestis. hanc veſtem ut tenuiſſimam, & precioſiſſimam celebrant vet. omnes. vide *Cia* & *Melitenſis.* IV: 1124

Celer. *celer origo.* videtur Priſcianus l. 6. indicare ea tantum nomina quæ *c* habeant ante *er*, etiam in feminin. habere *er*, & in maſcul. etiam *is*, ut Ennius, *acris ſomnus.* Nævius de bello Pœnico: *Fames acer augeſcit hoſtibus.* verùm ex hoc poëta noſtro videor intelligere omnia ea adjectiva in *er* etiam feminino gen. in *er* habuiſſe. IV: 161

Celerare, properare. Virg. alii. I: 388

Censemus cernere, putamus, videmur. IV: 459

Centaurium, herba, de qua Plin. lib. 25, cap. 6. Dioſcor. lib. 3. ait feritatem illi à Romanis attributam. vide & Feſtum. II: 401. IV: 124

Ceres mammosa à veteribus pingebatur, teſte Arnobio lib. 3. & 6. ea eſt Epheſia Diana, & multimammia, terræ ſymbolum, omnia ut parientis, educantis, & nutrientis. IV: 1163

Cernere bellum eleganter de Græco expreſſum. & *decernere bellum*: κρίνειν enim τὸν πό-

πόλεμον καὶ διακρίνειν dicunt, id eſt, prælio dimicare, ac ſignis collatis concurrere. uſus eſt Ennius, & Virg. vide Servium, & Senecam. elegantiſſ. verò dicunt κ νειν τὰ ὅλα, *de ſumma imperii decertare.* V: 394

CERTAMINA PVGNÆ. IV: 841. Virg. 10: Aeneid. 146. *duri certamina belli.* & noſter. I: 479

CERTE pro *certò.* ita veteres ſæpiſſ. hodie vix notum. III: 1091. IV: 764

CESSE. id eſt *ceſſiſſe.* ſic & *creſſe.* Turpil. Lindia:

Conſilium occepi; litteras miſi ad ſenem
Noſtrum, proceſſe nobis ex ſententia
Mercaturam.

ſic legend. puto apud Nonium, *Mercatus.* I: 1104

CETERA conciſè poni ſolet non rarò. ſæpius inveniretur, ſi non adjecta ferè eſſet in editionibus vulgatis particula &: ut apud Cic. Top. *In partitione quaſi membra ſunt, ut corporis; caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, cetera,* &c. II: 858

CHALDAEI ASTROLOGI. etiam ſine adjuncto, *Chaldæi* intelliguntur aſtrologi. Cato de re ruſt. *paraſitum ne quem habeat* (villicus) *haruſpicem, augurem, hariolum, Chaldæum ne quem habeat.* ita in jure civili, & Cic. ſæpe. V: 726

CHARITON MIA, χαρίτων μία, una Charitum. Homerica clauſula. Iliad. ξ. ita Juno. ϒ. 267. & 275

Ἀλλ' ἴθ' ἐγὼ δέ κέ τοι χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων
Δώσω ὀπυιέμεναι, &c.

Charites olim ſemper adoleſcentulæ pingebantur: fortaſſis & parvæ. quod nuſquam tamen legi, nec puto facilè inveniri poſſe, cùm Diis omnibus tribuatur magna & major humanâ ſtatura. hinc Virg. de Creuſa, lib. 2. extremo. 772

Et notâ major imago.

quamvis hoc ad ſimulacra potius, de quibus hic ex Homero, & Ennio I: 123. & hîc V: 1168. *Quippe etenim jam tum,* &c. ac de Romulo lib. 2. Faſt: 390. Ovidius:

Pulcer & humano major, trabeaque decorus Romulus. Neque verò neceſſe eſt parvitatem Gratiarum hîc comminiſci, cùm poëta Gratiarum ea de cauſſa meminerit, quod ea quæ parva ſunt, venuſta ſint & lepore gratiaque plena, quòd urbanitate, facetiis, χαριεντισμοῖς condita. id quod χαρίεν etiam Græcis eſt. hinc & Phurnutus ait Veneri adſidere Gratias, Suadelam, & Mercurium. vide *Sal.* IV: 1156

CHARTÆ, ſcripta, libri. Horat. 4. od. 9: 30

Non ego te meis
Chartis inornatum ſileri
Totve tuos patiar labores.

IV: 967

CIBARI, ali. I: 192

CIBATUS, us. VI: 1125

CICUTA, canna. V: 1382

CIERE VOCES. *ciere patres* qui poterant, *patricii* dicti ſunt. Liv. lib. 1. V: 1059

CINEFACTUS. Non. III: 919

CINIS, feminin. ita & *Calvus,* & *Catul.* vide Priſc. & Non. IV: 929

CIRCUMCÆSURA. Plin. dixit *circumciſura.* περικοπὴν vocant Græci. Polyb. agens de funerum elatione apud Romanos, ac de fumoſis illis imaginibus: ταύτας δὲ τὰς εἰκόνας ἐπὰν τῶν οἰκείων μεταλλάξῃ τις ἐπιφανὴς, ἄγουσιν εἰς τὴν ἐκφορὰν περιτιθέντες ὡς ὁμοιοτάτοις εἶναι δοκοῦσι κατὰ τε τὸ μέγεθος καὶ τὴν ἄλλην περικοπήν. planè grammaticorum canones velint *circunciſura.* ſed ut *ancæſus,* de quo ſuprà, ubi omiſi Priſcian. lib. 1. quo loco docet *Anfractus, anciſus & anquiro, n* pro *m* poſitum: ita & *circumcæſura:* ſic etiam *exquærere* dixerunt antiqui. Plaut. Aulul. 4: 10: 70

Intro exquære, ſitne ita ut ego prædico.

ſic leg. cum Priſc. vulg. *exquire.* III: 220. IV: 651

CIRCUMSPIRACULA MUNDI. ita ſcribendum putavi, ut alibi *circumcæſura. ſpiracula naris* dixit Ennius. IV: 492

CIRCUMTEXTURA, f. vide *circumcæſura.* & *texta.* IV: 651

CIRCUMTREMERE ÆTHERA dicitur ſtellis, ſeu ſignis; admirabili elegantia, cum ſtellis ut igneis tremor ac motitatio attribuatur, & conveniat potiùs. verùm ita ferè dixit *loca fulgere,* & *ſilvas canere.* I: 1188

CIRCUMVOLITARE LEGIONES dicit equites doctiſſ. Titus. *alas* enim equitum turmas appellant. II: 325

CIUS, κεῖος, poëta videtur extuliſſe *Cius.* alii ferè *Ceus* dicunt. variantia ea in multis aliis nominibus eſt recepta: *Alexandria, Alexandrea,* δρεία. *Seleucia, Seleucea* κεια, apud Ciceron. Priſcian. lib. 1. & 2. Ubique pro ει diphthongo *e* productam, vel *i* in Græcis ponimus dictionibus. σπονδεῖος, *ſpondeus,* Νεῖλος, *Nilus. Ciam* igitur veſtem dixit Titus, quam

quam alii *Ceam.* IV: 1124

Clades periculi. hac loquendi formula utitur ſæpe Lucret: pro interitu, etiam clade, & periculo, ſeparatis. III: 825

Clamor, ſonus. VI: 146

Clarare. antiq. ſine præpoſitione, ut *clinare* alibi. vide Feſt. *ventabant*, *miniſcitur*, *mentum.* &c. utitur & Cic. Prognoſt.

Has autem quæ ſunt parvo ſub culmine fuſæ
Conſimili ſpecie ſtellas, parilique nitore
Non potuit nobis nota clarare figura.

ſic omnino leg. puto. vulg. *clarere*, peſſimè. III: 36. IV: 779

Clare adverbium, poſteriore brevi. vide E. V: 945

Clarere, patere, perſpicuum eſſe, parere. aliter Ennius (N. Ed. p: 99.) apud Ciceronem de ſenectute:

Ergo magiſque magiſque viri nunc gloria claret.

ſic vetus q. codex opt. in eodem libro Cicer. cap. 12. ut hoc uno verbo admoneam, vitioſè vulgo ſcribitur: *Nec verò ille in luce modò atque oculis civium magnus, ſed intus, domique præſtantior.: qui ſermo? quæ præcepta: quanta notitia antiquitatis? ſcientia juris? augurii? multæ etiam, ut in homine Romano, litteræ.* cùm legend. ſit, *ſcientia juris augurii?* de Q. Fabio Maximo eſt ſermo. Augur ille fuit, ejuſque juris fuit peritus: *juris*, ut vulgo dicimus, *conſultus* non fuit: non fuit inquam juris civilis peritus. mendo cauſſam dedit ignoratio vocabuli *augurium. jus augurium* dicebant veteres, de quo in Agellium dicturi ſumus pluſcula. VI: 937

Classis pro exercitu. ita uſus videtur & Ovid. 13. Metamorphoſeos, 659

— — *alantque*
Imperat Argolicam cæleſti munere claſſem.

ſic legendum puto ex vet. cod. optimo. vulg. *gentem.* q. vet. *terram*, malè; certè non tam rectè. vide & Feſt. *procinctam* & *claſſis.* uſus eſt & Virg. II: 41

Clauda navigia. Livius *claudas*, *mutilataſque naves* dicit. IV: 438

Claudicare, tralate. Cic. ſæpiſſ. III: 454. IV: 518

Clausa viarum, ſic *denſa domorum*, & alibi *munita viæ.* IV: 615

Claustra vitæ, ita alibi *limen vitæ* ac *mortis.* I: 416. &c.

Clinamen, declinatio, ut alibi *clinare.* II: 292

Clinare. eo utitur & Cic. Arato. vide *clarare.* II: 228

Cluere, eſſe apud Prud. *cluere* poſitum ſemper eſt, ut *feruêre*, & *fervere*, &c. I: 121

Coacta tempestas, accumulata, & maxima, quaſi denſa & exſtructa. obſervatione digna phraſis. Virg. ita fere dixit lib. I. Georg. 322. expreſſo hoc loco:

Sæpe etiam immenſum cælo venit agmen aquarum.
Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes,

&c. I: 762

Coercere, ambire, continere, circumplecti. ita & *arcere* ſæpiſſ. Cic. Virg. Æn. 9: 28.

— — *Poſtrema coërcent*
Tyrrhidæ juvenes;

quod eſt, ἐφάγουσι, ſeu *claudunt agmen*, ut loquitur Livius, alii. III: 397. &c.

Cohibessit, antiq. pro *cohibuerit.* ſic apud Cic. *prohibeſſit*, *irrogaſſit*, *creaſſit*, &c. III: 445

Coire, pro συςάναι. ita enim Epicurus loquitur, intelligens atomorum connexiones, colligationes & adhæſiones. *concurſare* etiam dicit poëta, & *congredi.* hinc & congreſſus, & cœtus vocat συςάσεις, *connexiones*; *concilia* vocat alibi, & *connubia*. admirabili utitur copia hac in re eloquentiſſ. poëta. vide *concilium*, & *diſcidium*: nam hoc adverſatur.

Coitu diſſyllabon, pro coetu. ut *proilium*, &c. Martian. II: 918. III: 857

Coli circum. mirifice me torſit hic locus: & quamvis cùm doctis hominibus hac de re communicarim, explicare tamen me nondum potui. nam quod Lamb. ex uno cod. *corpus* ſubjecit, minime placet, contra omnes alios libros tam vet. quàm vulg. Duas hîc proponam conjecturas, quarum poſteriorem ego tamen magis probandam puto. Aut ergo putem leg. *coli circum*, aut, *colobi circum.* priorem ſcripturam cùm expoſuiſſem Joanni Goropio Becano, medicorum, ut uno verbo dicam, facile principi, hiſque artibus ac doctrinis, à quibus docti appellari ſolent homines, (inquit Cic.) non tinctò, ſed penitus imbuto: huic ergo cum id proponerem, magnopere ille probavit. & illuſtratum mihi reddidit, ut ſcilicet per *coli circum*, ſeu circulum, pectus, venter, ac latera intelligerentur, quæ velut in orbem

bem ambit, & circumvenit inteſtinum illud, quod vulgo *colum* vocant. ſolum ſyllabæ intervallum repugnabat, falluntur enim omnes & lexicographi & medici, qui hoc inteſtinum κῶλον vocant & ſcribunt, errore turpi, &, ut ita dicam; œcumenico. Primum verba inde deducta eum revincunt: nam perſpicue docet Pollux lib. 2: κολάζειν, κολαςήρια, &c. inde manare: deinde Heſych. diſerte κόλον ſcribit, & ait etiam notare ἔντερον. in quo quia ſeries dictionum ſciolos illos fefellit, recta manſit ſcriptura. Miror tam pertinacem hic errorem: nam ex verſibus facile potuiſſet deprehendi. Seren. ubi de colo ſedando: pag. 19. Edit. Keuch.

> *Cùm colus, inviſum morbi genus, intima carpit.*

Damocrates apud Galen. lib. 8. περὶ συνθές. φαρμακ. in carmine quodam:

> Ὑποχονδρίοις δὲ τοῖς πεπονθόσι θέλων
> Διὰ ςομάχου κάκωσιν, ἢ τῆς κοιλίας,
> Τῶν ἐντέρων τε καὶ κόλου, τοῦτ' ἥπατος, &c.

vulg. κώλου. & paullo poſt in alio malagmate:

> Καὶ τοῦτο ἰνῶδες τε καὶ τὰς ἥπατος
> Ἄιρον διαθέσεις, τὰς νεφρῶν τε καὶ κόλου,

vulg. κώλου aliiſque locis lib. 9. in elegia Philonis manſit incorruptum:

> Εἴ τε κόλον πάσχει ἅπαξ δοθὲν, εἴτε τις ἧπαρ.

Scribendum ergo κόλος ubique ſeu *colus*. quod ſi hic admittimus, aut ectaſi uſus erit poëta, aut ut in q. v. & omnibus vulg. eſt, legend. erit *colli* pro *coli*, interjecto *l.* ut *relligio*, &c. Verùm altera conjectura, etſi longiùs recedat à vet. ſcriptura, probabilior videtur: nam *colobium* ambiebat pectus, cui *colobio* inducebatur inſuper lorica. VI: 954

COLLI, pro *colle.* vide & *parti.* Cic. 4. Verr. non longè ab initio: *Quod civis Romanus à Siculo petit, Siculus judex datur: quod Siculus à civi Romano, civis R. datur.* paullo infrà: *primùm ſuæ leges, quod civis cum civi ageret.* ſic enim veteres libri, inquit Priſc. lib. 7. habent, quos imperitia quorundam corrumpit mutantium ſcripturas. quid jam diceret Priſcianus ſi viveret, quo tempore quibuſdam hoc unicum penè fuiſſe videtur ſtudium veterum ſcripta interpolandi & pervertendi? certè & illa Cic. loca in vulgatis perperam ſcripta ſunt. II: 317. 322

Colli pro *colle.* mira erat veteribus harum litterarum *i* & *e* inter ſe commutatio, teſte etiam Macrobio. hinc *here* & *heri*, *mani*, & *mane*, &c. hinc *peregre* & *peregri.* quod ex v. l. Inſtitutionib. noſtris reddidit clariſſ. præceptor Cujacius. ego item ex v. lib. hoc reddam Prudentio lib. Periſteph. hymno de 18. Mart. Cæſ. 4: 89

> *Nonne Vincenti, peregri necandus*
> *Martyr.*

ita vet. l. vulg. *peregre.* ἀμύσως. de *peregri* Soſipater. ita leg. Plaut. Amph.

COLLIGERE SE, phraſis omnibus nota. II: 938

COLOS. haud ſcio an non in Prudentio l. Periſtephan. rectiùs legeretur. 10: 302

> *Quos lana terret diſcolos in ſtipite.*

ſed inauditum verbum non facilè admittendum, cùm in lib. vet. ſit *diſcolor.* vulg. ibi *diſcolore* eſt contra ſententiam & v. l. ita Salluſt. de Catil. cap. 15. *Igitur colos ei exſanguis, fœdi oculi.* ita ex Probo, & vetuſt. l. legend. puto. VI: 207

COLUM. olim colo ad vina tranſmittenda, & puriora percolatione reddenda utebantur. idque *vinarium* dicebatur, erat & *nivarium.* de quo Martial. II: 391

COMAS appellat folia arboris lauri. Horat. 4. Carm. 7: 2. *Arboribuſque comæ.* & Maro 7. Aeneid. 59

> *Laurus erat tecti medio in penetralibus altis*
> *Tecta comam.*

ita Græci κόμη utuntur ſæpe VI: 151

COMITARI παθητικῶς, pro deduci I: 98

COMITES HELICONIADUM id eſt, muſarum, admirabili venuſtate dixit. proponebat ſibi præcedentes Deas ſeu Muſas, iiſque ut in pompa comites addebat poëtas. atque ita depictas Muſas vidimus aliquoties. Simili ferè ratione ſe *comitem Senatus* dixit M. Tull. in Orat. de aruſp. reſp. Plat. lib. 7. de leg. *Muſarum* ἐγγόνους vocat poëtas. ſic Horat. fere dixit *Veneris ſodalem*, lib. 3. od. 18: 6

> *Larga nec deſunt Veneris ſodali.*
> *Vina crateræ.*

ſic ibi legend. ex vet. lib. puto, ut & apud Ovidium 13. Metamorph. 681

> *Crateram Aeneæ quam quondam, &c.*
> *Miſerat hanc.*

ſic vet. lib. mei. De *cratera* & *craterra* Nonius, & in Feſt. leg. f. *craterræ* vocabulum. III: 1050

COMMEDITARI, tralatè ut alibi, dubitare. ita Horat. lib. 4. ode penult. 14: 27

— *Hor-*

— *Horrendamque cultis*
Diluviem meditatur agris.

ſic Porph. ſed. vet. meus, *minitatur*. VI: 111

Commoliri, ut *conruere* alibi VI: 242

Commune bonum. ita communis ſalus, id eſt, bonum publicum, ut juriſconſulti loquuntur. V. 696

commune malum. V: 1342

Commune sepulcrum. vide *ſepulcrum*. Horat. lib. 1. Serm. 8: 10

Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulcrum.

malè uti puto ibi apud Horatium eſt, *ſtabat ſervilibus, utque*. cùm in vet. eod. ſit *ſervilibus ut quæ* &c. V: 260

Communis salus id eſt, reipublicæ. ita Siſenna lib. 4. *Quondam Sabini feruntur voviſſe, ſi res communis melioribus locis conſtitiſſet*. I: 44

Commutatus, mutatio, ut alibi *conciliatus, conlectus*. I: 795

Compages veneris, ut alibi *nodus, connubium*. IV: 1199

Comparativus, ſeu, ut veteres dicebant, altera conlatio non ſemper connectit ſimiles caſus. Terent. Eunuch. Prol. ỳ. 10

Atque in Theſauro ſcripſit, cauſſam dicere
Prius unde petitur aurum, quare ſit ſuum,
Quam ille qui petit, unde is ſit theſaurus ſibi.

ſic ex omnibus veter. legendum, & Donato, quem vide. quidam, *illic*, malè, contra vet. l. & Donat. IV: 703

Complere ararum, pro *aris*. ita veteres ſæpiſſ. à Græcis. V: 1161

Complexum, ut perplexum. II: 153. V: 920. ubi idem vocat *mixtum* & *compactum*.

Componere leges dicit cauſſidicos ſeu oratores, ut Horat. fere, *ponere leges*. Græci *θέναι*. IV: 963

Compositura, æ. vide *diſpoſitura*. IV: 329

Comptus, præditus. Feſtus, apud quem in verbo *comtum*, leg. *comtum*. I: 949. &c.

Conata patrare, inſtituta perficere, & ut Prudent. loquitur, *exerere*. V: 386

Concedere. nos illis numero concedimus; id eſt, illi plures ſunt, numero nos vincunt. III: 377

Concedere mirè dixit poëta, *ſinet te concedere rebus humanis*. i. videre quemadmodum ſe ornare & comere ſoleant, quantum curæ temporiſque ei rei tribuere. nam per *concedere* intelligit videre, quod prius eſt, ſchemate contrario metalepſi. ſic ut *vovere* & *vota facere*, prò optare, quod prius eſt, poſuerunt veteres. Ovid. lib. 11: 129. Metamor. ex v. l.

Effugere optat opes, & quæ modò voverat, odit.

vulg. *noverat*. peſſime. IV: 1185

Concelebrare, pro celebrem & cultum reddere, implere, frequentare. in Noct. Att. lib. 6. cap. 10. aliter Nonius. ſic eleganter Ovid. initio 4. Metamorphoſ. 44

Illa quid è multis referat (nam plurima norat)
Cogitat; & dubia eſt, de te Babylonia narret
Derceti, quam verſa ſquamis velantibus artus
Stagna Paleſtini credunt celebraſſe figura.

ita quidam vet. lib. optime. in quibus tamen fere erat *Derceti*. Dercetis, ſeu ut plerique alii vocant, Derceto, Dea apud Syros: de qua Diodor. lib. 3. vulg. *Dirce. coluiſſe*, ex gloſſa. *celebris* autem apud antiquiores nihil aliud valet quàm frequens. Cato l. de Re Ruſt. cap. 1. *Oppidum validum prope ſiet, aut mare, aut amnis, qua naves ambulant, aut via bona, celebriſque*. I: IV. &c.

Conciliare, conjungere, copulare. contrar. *τῷ permovere*, ut & apud Cic. *permovere* & *conciliare judicem*. II: 900

conciliare utitur pro cogi, congregari, in unum conduci, ut & concilium. II: 551. VI: 888

conciliare alicui incommoda. III: 877

Conciliatus, quod alibi *concilium* & *nexum* vocat. I: 577. II: 99

Concilium, pro coetu, atomorum connexione. *σύνοδον* vocat Epicurus. Arnob. *Edunt* (animantes) *per uteros fetus, & corporalibus conciliis procreant*. Prud. Hamartig. ỳ 861

Haud impunè piis ſemet deeſſe fatentur
Conciliis, meritis pœnas per ſæcula ferre:
Quis patris antiqui aut ægri reverentis abyſſo
Excluſis, &c.

ſic ex vet. lib. puto leg. nam vulg. *abyſſus*, mihi, ut ingenue dicam, minime placet. inrepſit credo ob non intellectum longius hyperbaton: illud enim, *Implorata negat*. non re-

rectè adcommodetur *abyſſo*, ſed majeſtati Dei. itaque arceſſetur huc quod antè poſitum eſt, *majeſtas gnara futuri*. I: 184. &c.

CONCINNARE, efficere, facere. Non. VI: 436

CONCRESCERE, cogi, coactari, denſeri, conciliari, &c. IV: 137

CONCIO, vide *contio*.

CONCRUCIARI, συμπιέγχειν. III: 149

CONCUDERE, impellere, cogere. vide *procudere*. IV: 955

CONCURSO, pro *concurſu*. plurima olim erant ambiguæ formæ nomina, vulgo ignara. *inceſtum*, *mandatus*, *fretus*, *iuſſum*, *quæſtum*, *ornatum*, *tumultum*, *prætextum*, *victum*, *æſtum*, *ſumptum*, *exercitum*, *adſpectum*, *luctum*, *ſaltum*, *partum*, *gemitum*, *fluctum*, *piſcatum*, *ſtrepitum*, *fructum*, *ſonitum*, *portum*. multa alia id genus efferebantur à veteribus variè, in quibuſdam certè caſibus. hinc & hic *culto*. Cic. in Lælio, *illum diem clariſſimum fuiſſe, cùm ſenato dimiſſo domum reductus ad veſperum eſt à patribus conſcriptis. P. R. ſociis & Latinis.* ſic vet. meus I: 385

CONCURSUS alibi *cœtus* &c. I: 627. 685

CONDERE LUMEN. IV: 435. V: 708

CONDERE SÆCLA, tralatè, ut Virg. *condere ſoles*. Horat. *diem* & Virgil. *componere diem*. tralationibus à funere ſumptis. III: 1103

CONDICIO pro pacto. eadem condicione, eodem pacto, lege, modo. II: 304

CONDUCERE, contrahere, συνάγειν. ita Cicer. omnes vet. I: 398. &c.

CONDURARE. ita Plaut. & Varr. *compedire*. VI: 968

CONFACERE. ferè auſim dicere Titum ſcripſiſſe *confaciunt*, etſi in libris ſit, *cùm faciunt*. ſæpe enîm ita diſtracta inveniuntur verba juncta, maximè ſi ſunt rariora; *confacere* autem valet *unà facere*. Paull. in epit. Feſt. *confecerunt*, *unà fecerunt*. jungendi autem ratio ea veteribus eſt perfamiliaris. ita *incapere*, *occanere*, *circumcæſura*, *conſpargere*, *decarpere*, *diſquærere*, &c. verum altera lectio non temerè ſuo loco permoveri debet. II: 903

CONFERCIRE, cogere. *effercire* dixit Plaut. IV: 157

CONFERRE MANU CERTAMINA PUGNÆ. imitatus Virg. lib. 10. Aeneid. IV: 841

CONFICERE, verbum eſt gladiatorum. IV: 643

CONFIDERE. tralatè ut alibi, *dubitare*, *audere*. V: 391

CONFLIGERE. ἐνεργητικῶς uſus eſt elegantiſſimè, ut vulg. *affligere*: pro committere, conlidere, confundere. IV: 1210

CONFLUXIT, pro *confluxiſſet*, ut apud Virg. *vixet* pro *vixiſſet*. vide & *protraxe*. I: 986

CONFUGERE elegantiſſimè uſus videtur poëta, etſi de mendo ſuſpectus ſit locus. Cic. Verr. Or. 5. Cap. 190. *An quoniam hoc non audes dicere, illuc confugies, vecturæ difficultate adductos ternos denarios dare maluiſſe?* ſed poëta conciſius omiſſo *illud*: An confugies, vecturæ, &c. III: 767

CONGLOMERARE. Ennii vox. III: 211

CONGRESSUS. ita vocat σύστασις atomorum, id eſt, concilia, cœtus, conjectus, &c. II: 1064. &c.

CONJECTUS, conjectio. ita σύστασιν atomorum fere vocat. qui id in *conlectus* mutant, non ſatis vident poëtæ hac in re familiaria eſſe hæc verba, *conjectus*, *deſiectus*, *conici*, *diſici*, &c. Mire luxuriarunt, ut ita dicam, veteres in his duabus verborum formis, *us* & *io*. ſic Cic. *conſtitutus* & *diremptus*, aliaque innumerabilia dixit. & contrà *accubitio*, ſed depravatum eſt in editis libris, in Catone Majore, aliiſque omnibus locis, ut mirer à tot præſtantibus viris rem tam leviculam necdum animadverſam. quis umquam *accubatum* dixit, & non potius *accubitum*, ſive ab *accumbo*, ſive *accubo* arceſſatur origo. hæc minuta quidem ſunt, eoque turpius in iis herere aut labi: ſic & *apparatio* dixit, *convictio*, & *interitio* lib. 5. in Verr. teſte Nonio. alia generis ejuſdem. *occaſus* item pro *occaſione*, poſuit Ennius, obſervavit Feſt. II: 1160. &c.

Conjectus animæ, coactio. IV: 956

Conjectus brachii, impetus. VI: 434

CONISCARE, arietare, quod laſcivi agni, & oves faciunt. Virg. Georg. 2: 526

— ut cum pingues in gramine læto
Inter ſe adverſis luctantur cornibus hœdi.

uſurpat hanc vocem & Cic. in Piſ. apud Quinctil. lib. 8. *Caput opponis cum eo coniſcans.* haud ſcio tamen an veriùs ubique legendum ſit, *coruſſare*, maximè cùm libri vet. aliquot habeant, *coruſcant*, & alii *chroniſcant*: ut & hoc ſumpſerint Romani à Græcis, apud quos κορύσσειν & κορύττειν atque etiam κορύπτειν id ſonat quod *arietare*, ſeu *committere*. ſolent ita Romani, etſi deforment interdum, certe ut hîc è *coruſcant* facere *coruſſant*: ita alibi de *petiſcit*, feci *petiſſit*. II: 320

CONJUGIUM, connexio. proprie. alibi, *con-*

ciliatus, *cœtus*, *concilium*. III: 857

Conlectus aquæ, ita & Virg. in Æn. ỷ 297

Pellit opes collectus aquæ.

& *ſpiculorum*, *lapidumque conlectus*: vulgo tamen *conjectus*. innumerabiles autem veterum ſunt loci, ubi *l* pro *i*, & *i* pro *l* depravate ſcriptum eſt. vide hîc *lucere*, *ejicere*: unum aut alterum præterea adferam. Cic. Læliô. Cap. 99. *Quod ne accidat, magis cavendum eſt: ut,*

Me hodie ante omnes coamicos ſtultos ſenes
Verſaris atque inluſeris lautiſſimè.

ſic legitur ille locus in libro meo elegantiſſimè ſcripto, niſi quòd *iniuſſeris* habet, τὸ *coamicos* ad oram libri (nam rariora verba ibi notata ſunt) etiam expreſſum erat. non placet ergo quod alii de *comicis* damnant ſenibus. III: 199. IV: 416

Connectus. non dubito quin veteres, uti *tertum*, *fluctum*, *fictum* (de quibus & hîc) aliaque nonnulla, ita etiam *nectum* dixerint ſæpe; pro *nexum*: atque ita videntur etiam *pectum* dixiſſe. unde *impectare* apud Varr. l. 3. cap. 16. *itaque impectantes* (inquit) *à ſe ejiciunt fucos*. ſic enim in vet. l. eſſe admonuit Petrus Victor. ita etiam *nictari* fortaſſe dixerunt. vide *Nictari*. II: 100. III: 555

Connivere quaſi dicit ſolem, & lunam cùm deficiunt. alluſit doctiſſimus poëta ad hoc, quòd Jovis oculum antiquitas ſolem appellare conſuerit. Macr. l. 1. Saturn. cap. 21. V: 776

Connubia veneris privatæ caſta. V: 111

Connubia Veneris. ita modeſte τὴν μῖξιν indicat. Plauto *nubere* idem ſonat. III: 777

Conquassare. vehementia & vis hujus verbi eſt magna. Liv. lib. 23. *quaſſata muri reficere*. V: 107

Conradere. Terent. VI: 443

Conrepere membra alicui, id eſt, contrahi. admirabili tralatione: ut *glacies aëris* alibi. ita Horatius 1 Ep. 18: 105. *rugoſum frigore pagum* dixit. V: 1219

Conruere, pro ruere, funditus evertere, ut *commoliri* alibi, & *contradere* ἐνεργητικῶς. magnam vehementiam verbum hoc ſonat. ita Liv. l. 40. dixit *conſtravit*: *Eadem tempeſtas & in Capitolio aliquot ſigna conſtravit, fulminibuſque complura loca deformavit.* III: 824. V: 369

Conruere, abſolute. VI: 824

Conscindere curæ dicuntur, vexare, exercere. V: 46

Consentire pro συμπάσχειν. alibi *concruciari*. III: 802

Consequi, percipere; adſequi. auctor ad Herenn. l. 2. Cap. 50. *Hæc ſi ut conquiſitè conſcripſimus, ita tu diligenter fueris conſecutus.* I: 461

Consequus, ſic *perficus*, *præficus*, &c. V: 679

Conserere arva lumine, colluſtrare, complere. tralatio inſignis. Cic. in Prognoſt. & noſter alibi *conveſtire* dixit. V: 678

Consimilis. ita & Afran. Excepto:

Conſimili graſſantur via;
A quibus hic eſt omnis cultus.

Varro *conſimiles voces* dixit. Cic. interdum in Arato. I: 842. &c.

Consistere. uſitatiſſime poſuit pro eo quod vulgo dicimus reſiſtere, non pergere ulterius. Cic. de Or. Cap. 199. *Comprehenſio ita à capite fluere debet, ut ad extremum veniens conſiſtat.* Pro Roſcio Comœdo. Cap. 48. *Ipſa mihi veritas manum injecit, & paulliſper conſiſtere & commorari juſſit.* & aliàs ſæpiſſime ac tralate, mente quieta, & confirmata eſſe. II: 981. II: 1119

Consistere vitam, efficere, conſtituere. verbum hoc non dubito quin multis locis depravatum ſit, *conſtituendi* verbo in ejus locum repoſito. unum nunc adferam apud Salluſt. Jugurth. Cap. 49. *Dein, brevi cognitis inſidiis, paulliſper agmen conſtitit.* ita l. vet. & nonnulli alii: mutatum tamen hoc eſt à quibuſdam in *conſtituit*. idem admiſſum in Cæſare, de quo aliâs. ita in noct. Atticis l. 5. cap. 10. *Et cùm ad judices conjiciendæ conſiſtendæque cauſſæ gratia veniſſet.* ſic etiam *inſiſtendi* verbo utebantur. VI: 10

Consors, cognatus. propriè coheres. VI: 1279

Constare, eſſe, & interdum permanere. apud Cic. Tuſc. 1. vetus quidam poëta:

Ubi rigida conſtat caligo Inferûm,

vide & *Exſtat*. I: 505. &c.

Constat, pro certum eſt. II: 94

Consuescere ἐνεργητικῶς, conſuefacere ſonat. Horat. 1. Serm. 4: 105.

Inſuevit pater optimus hoc me.

quem locum non rectè, uti puto, mutarunt alii, cùm in vet. l. & ipſe ita legerim, & illi non diſſentiant. ſic & Prud. l. 1. adverſus Symmach. 54.

— *Rem-*

— — — *Remque Quirini*
Aſſueſcit ſupero pollere in ſæcula regno.

Simili ratione , *migrare* , *erumpere* , *mittere* , *ponere* , *mergere* , *deſinere* , *locare* , infinita alia interdum actionem notant. *deſueſcere* etiam ἐνεργητικῶς uſus eſt Titinnius apud Nonium. VI: 396

Consulta principia, à verbo *conſilire.* Utitur eo Tacitus. alibi dicit *congreſſa principia.* Vide *Volgata.* II: 97

Consultus à *conſilire* pro συμπτηδήσας, congregatus. Notat Priſc. l. 11. vetuſtiſſimos ex verbis neutris non rarò participia præteriti temporis protuliſſe, ut *diſceſſus*, *interitus*, *obitus*, *occaſus* , *potus* , *ſenectus.* & Virgilius l. 5. *titubatus.* atque ita noſter τῷ *conventus* videtur uſus. ſed locus de mendo ſuſpectus eſt. II: 97

Consumpse, pro conſumpſiſſe, ut alibi , *protraxe*, *ceſſe.* &c. I: 234

Contagi, pro contage, ut alibi , *colli* , &c. III: 734

Contagium. vox hæc media eſt, & nihil aliud quàm conjunctionem, connubium ſignificat. atque ita Cicero , aliique boni ſcriptores utuntur ſæpe , & noſter ſæpiſſimè : degeneravit tamen poſtea , ut *venenum*, &c. verbum poëticum eſſe ait Feſt. III: 346. III: 472

Contectus, undique & omnino tectus. verbum veteribus familiare, hodie vix notum, & è poëta noſtro miſerè à Marullo exturbatum. IV: 353

Contemptibus exire. locutio obſervatione digniſſima. creſcere, aleſcere , majus fieri, ex humili & abjecto infimoque loco evadere: inde tralatio ducta eſt. V: 831

Contendere caussam. Similis eſt fere dictio & λέξις, quæ *caput agere* apud Cic. vide & hîc *Agere.* Attius Tereo:

Ut vim contendas tuam ad majeſtatem viri.

aliter tamen Nonius. Næv. Lycurgo, *contendere iram.* IV: 473

Contendere ſe, ut *vires ſuas ac nervos contendere.* ita Attius alicubi apud Non. *contendere vim ſuam.* I: 161. &c.

Contensus, vulgo fere *contentus*, rapidiſmus. II: 99

Contingere , *contactus*, *tactus.* his uſos antiquos comperior pro eo quod inductum ſeu illitum, & infectum dicitur vulgo, etſi levem aliquam lituram videatur ſonare, ſiquis diligentius conſideret. quod etiam noſtro ſermone optime exprimetur. Itaque haud ſcio an dixerit *contingere melle* , à *tango*, cùm libri omnes *contingere* ſcribant. non *continguere.* atque ita Varro lib. III. de Re Ruſt. Cap. 12. *Tectorio tacta eſſe levi circum oſtia ac feneſtras, ne aqua intrare , mus , aliave quæ beſtia poſſit.* eodem l. *Quis enim ignorat ſæpta è maceriis ita eſſe oportere in leporario, ut tectoria tacta ſint, & ſint alta?* reſtituit Victor ex vet. l. Virg. l. 3. Georg. 448

Aut tonſum triſti contingunt corpus amurca.

Ibidem, 403

Aut parco ſale contingunt, hiemique reponunt.

ità & Celſus l. 2. cap. 24. *ſale modico contactum* dixit. Arnob. l. 3. p. 108. *Quiſquamne eſt hominum rationis alicujus ſapore contactus, qui pilos & lanugines credat in Deorum corporibus naſci?* ſic fortaſſe accipiendum eſt illud Ovidii 14. Metam. 345. ex 4. Aeneid. conformatum.

Phœniceam fulvo chlamydem contactus ab auro.

ſic enim q. v. l. habent. in q. cod. *contractus*: qua in re variatum ſæpe. vide hîc *Tactus.* vulg. comprenſus. I: 933. &c.

Contingere colore. II: 742. & 754

Contio, pro multitudine. de quo in Noctibus Att. VI: 710

Contorquere navem. Titinnius Setina:

Sapientia gubernator navem torquet, non valentia.

IV: 902

Contractum bellum II: 574. IV: 965

Contradere fidem dictis, pro efficere, præſtare: ita *conviſere*, multaque alia uſurpat noſter poëta. I: 402

Contremere , undique tremere. III: 847

Contuor. *contuimur* pro contuemur. IV: 39

Conversus humor. vel à *vergo* , vel à *verro.* IV: 1060

Convertere. abſolutè. ſic *avertere*, *reddere* hîc, &c. IV: 311. Siſenna lib. 4. *Protinus agros populabundus ad Nuceriam convertit.* Sic leg. apud Non. *popular.*

Convestire, tralate ut alibi *veſtire.* II: 147

Ita Virgilius 6. Æneid. 640

Largior hîc campos æther & lumine veſtit
Purpureo.

Lucanus 9: 11

— *Illic poſtquam ſe lumine vero*
Induit.

CONVINCTUS. hoc verbum exulat e rep. litterarum Romana; ego tamen etſi heream, libens id receperim. Spero me illud aliquando vindicaturum & adſerturum. III: 137

CONVISERE utitur & Arnob. I: 146. &c.

CONUS pro terra videtur poſitum, quaſi illa ſit κωνοειδής, ait enim Ariſtot. eam eſſe tympani figura, & lineas ab ejus centro ductas duos conos efficere. Fortaſſis & hinc Cybele Telluri ſacra fuit pinus. Ea de re etiam ita Cleomed. συμπεριέρχεται μὲν ἡ σκιὰ τῆς γῆς τοῦ ἡλίου, ὡς καὶ ὅμηρος ἐναργῶς δηλοῖ λέγων οὕτως:

Εν δ' ἔπεσ' ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.
Ελκον νύκτα μέλαιναν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.

Διαμετροῦσα δὲ ἀεὶ τὸν ἥλιον, καὶ κωνοειδὴς ὑπάρχουσα, αὐτὸ τὸ ἄκρον τῆς σκιᾶς τὸ κέντρον τοῦ ἡλίου κατὰ διάμετρον ἔχει ἀναγκαῖον. V: 764

COPULATA, contractè *coplata*. vide ſingulariter; *univorſum*, *oracula*. *ſpiculorum*, & id genus alia in *Syncope*. VI: 1086

COR, pro animo poſuerunt veteres metonymia quadam. nam in corde animi ſedem quoſdam olim collocaſſe diligentiſſimè monuit Athen. lib. 14. atque ita Hom. καρδίαν ſeu κραδίαν uſurpat. κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει. quod Ennius expreſſit,

— — *Animus cum pectore latrat:*

ſeu potius *in pectore*, ἔνδον. mutationis origo liquet ex his Collectaneis, ubi de Verſibus. V: 1105

CORNUS, maſcul. Priſc. lib 6. pro laterna. Plaut. Amphitr. 1: 11. 85. *Volcanum in cornu gerit.* II: 388

CORONARE, cingere. II: 801

CORONIS INUMBRARE poculorum ora. hinc Virg. 1 Æn. 728. *vinumque coronant.* Hom. στέφειν dicit. III: 926

CORPORA PRIVANDUM EST. Græc. στερητέον τὰ σώματα. I: 382

CORTEX, femin. Nonius. IV: 48

CORTEX RERUM SUMMUS, pro extremitate & facie rerum. ita Varro περὶ γήρως: p. 150. *Corporeum corticem matura anima facile relinquit.* à libro ſumpta metaphora, quo ſummò obducuntur arbores. IV: 47

CRATERES ÆTNÆ, latine fauces. VI: 701

CREBRA REVISIT, crebrò. Ennius. p. 124

Quamquam multa manus ad cæli cærula templa
Tendebam lacrimans.

II: 359

CREDIT ANIMUS, id eſt, credit quiſquam & in animum inducit. ſic & Ennius l. 13. p. 103

Quem credidit eſſe meum cor
Suaſorum ſummum.

&c. in Noct. Att. l. 7. cap. 2. I: 618

CREPARE; id eſt, in ore ſemper habere. Horat. vide Non. ubi malè vulg. *Lucilius*, cùm ſit legendum *Lucretius*. II: 1167

CREPERUM BELLUM, dubium, anceps. ſic Nonius. V: 1295

CREPITACULA erant ahenea fere inſtrumenta, quorum ſono ac tinnitu infantes à vagitu terrebantur, atque ita porrò ſopiebantur. hodie fere cunarum motitatione (ut & olim) & cantilenis id efficiunt. Arnob. l. 4. ubi hunc locum Lucretii expreſſit. Martian. l. 1. Martial. lib. 14. V: 230

CREPITANS DENTIBUS ALGOR. ita Plautus *crepitare dentibus* dixit in Rudent. 2: 6: 12. V: 746

CRESSE. creviſſe, ut alibi *ceſſe*. III: 683

CROCO adſpergi ſolitum proſcænium ſcribunt omnes veteres. Horat. II: Ep. I: 79

Rectè nec ne crocum floreſque perambulet
Attæ.

II: 416

CRUENTARE, inficere, polluere, fœdare. Cic. Poſtq. in Sen. cap. 5. & de Aruſp. cap. 35. *Scelere cruentare rempub.* Sanguine pollui ſacra ſolita notum eſt. hinc fortaſſe migratio. IV: 1030

CRUENTUS, fœdus, neglectus, contaminatus. V: 1137

CUJUSQUEMODI fere id eſt quod Cic. alicubi ait Pro Clu. c 17. *cujuſmodicumque*. etſi ipſe Cic. altero etiam ſit uſus non ſemel. pro Flacco cap. 40. *Sed tamen judicium fieri videtur, cùm tabulæ illæ ipſæ cujuſquemodi ſunt, proferuntur.* ſic & *quiſque* plurimis locis à Prudentio, pro quicunque, ſeu quiſquis uſurpatur: quod hodie fere contra fidem vet. l. & Prudent. conſuetudinem in *quiſquis* mutatum eſt, ut *ubique*, *quandoque*, apud alios. IV: 136

CUL-

Culto, pro *cultu*. cur enim hoc adſtipulantibus vet. libris non admittamus, cùm *angiporto*, *anfracto*, *evento*, *ſenato*, *offenſo*, *concurſo*, multaque id genus alia, tam apud hunc poëtam, quàm apud alios antiquitatis magiſtros reperiantur, nullam cauſſam eſſe video. vide *concurſo*. Tertulliani porrò locum de mulierum cultu elegantiſſimum juvat adſcribere, cujus hæc è libro de Habitu Muliebri ſunt verba. cap. 4. *Habitus feminæ duplicem ſpeciem circumfert, cultum, & ornatum; cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant; ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici, ille in auro, & argento, gemmis, & veſtibus deputatur; iſte in capillorum, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt.* IV: 1276

Cum. multis locis uſi hac particula ſunt antiqui, ubi tamen abeſſe commode poſſet, imitatione Græci ſermonis. Hom. Οδ. ξ. 241

— —Ἔβημεν
Οἴκαδε σὺν νήεσσι,
— —*Profecti*
Navibus in patriam.

Catull. 61: 20

— *Bona cum bono*
Nubit alite virgo.

& ibid. ℣ 167

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes.

Cic. 2. Offic. *Accurriſſe Romam, & cum prima luce Pomponii domum veniſſe dicitur.* Ennius p. 135. apud & Donat.

Optima cum pulcris animis Romana juventus.

Cic. Arato. ℣ 146

— *Funeſtum magnis cum viribus amnem.*

I: 288. &c.

cum pro *ſimul etiam*, mire uſus eſt, exemplo Græci ſermonis, ubi σὺν id etiam ſonat. II: 903

Cumes. conſenſu librorum veterum impulſus hanc ſcripturam tuendam putavi: nec dubito quin ita ſcripſerit Titus. maxima enim inter *o* & *u* erat affinitas, & inter ſe permutatio. Priſc. lib. 1. *Multa præterea* (inquit) *vetuſtiſſimi in principalibus mutabant ſyllabis, ut gungrum pro congrum, cunchin, pro conchin; huminem, pro hominem; funtes, pro fontes, frundes, pro frondes.* vide & Quinctiliani verba, hîc, *Incolomis*. III: 301

Cumque. aliquando. III: 996

Cupiret, cupiret. cuperet. ſic *parire* dixit Enn. Priſc. Nonius. III: 998

Cuppedo. antiq. pro *cupido*, *p* interjecto. Feſt. *cupes*. ita & *amecus*, pro *amicus* dicebant. Feſt. *amicitiæ*, II: 249

Cupedo, *cupido*, perturbatio, πάθος. ita autem *genetrix*, *Menerva*, *Leber*, *mageſter*, &c. dicebant. Quinctil. III: 1007

Curare, Cæſar fere dicit adminiſtrare, diligenter laborare, & munere fungi. Salluſt. in Jugurth. cap. 100. *Sulla cum equitatu apud dextimos, in ſiniſtra parte Manlius curabat, cum funditoribus.* IV: 246. VI: 230

Curare corpora. verbo *curandi* ut & τῷ *præbendi*, in rebus vitæ ac victui neceſſariis utebantur ſæpe veteres. hinc Cicero *ſe curare*. Horat. *pelliculam, cutem, genium, membra*, &c. Virgil. *convivia curant*. 1. Georg. & *corpora curant*. 4 Georg. ac 8. Aen. Terent. *curaſti te molliter*. Ludi non puto operam, ſi hæc verbo indicentur. II: 31

Cursus veruti. eleganter ita vocat teli aut ſagittæ actum; ſeu ictum & volatum. hinc & *volatile telum*, mutuò enim ea, *currere* & *volare*, inter ſe fungi ſolent. Prudentius Hamatrig. ℣ 533

Parthica non æque ventos tranſcurrit arundo.

IV: 411

D.

D littera exteritur interdum. *qu' aliis*, pro *quod aliis*. ita apud Terent. Plaut. & alios interdum. Perperam igitur *alis* ibi poſuerant, cùm *alis* idem ſit quod *alius*. admonuit hoc etiam præſtantiſſimus Rivius. vide hîc *aliud*. IV: 641. VI: 1225

Dædalus, pro varius. Feſt. I: 7. &c.

Dare verbum eſt differentium, pro concedere. Cicero 4. Acad. Q. 50. *Quis enim tibi dederit, aut Deum omnia poſſe* &c. Sic ſæpe aliâs idem Cicer. Vide *Sumere*. II: 1128

Dare ſ. loqui, dicere. Ita Græci ſuum διδόναι uſurpant perſæpe. Terent. Heaut. Prol. 10. *Nunc quamobrem has partes didicerim, paucis dabo.* III: 356

Dare, *i. e. dejicere, adfligere.* Attius Brut. *eoque ictu me ad caſum dari.* ita Cic. *dare foras*, *ejicere*, *prodere*. Virg. 2. Aeneid. 566

— *aut corpora ſaltu*
Ad terram miſere, aut ignibus ægra dedere.

Dare in lectum. VI: 1247

Dare in medium. V: 1159

Dare in terram. V: 1320

DARE CLADEM, & RUINAS, V: 348. VI: 801

Dare labem. II: 1145

Dare membra in fluvios. VI: 1170. 1171

Dare feraſacta, id eſt, mala & incommoda adferre. ſic *vulnera dare*, dixit Ovidius. V: 1339

Dari, manare, didi. II: 271

Dari morbo & morti. VI: 1142

DARE DISCESSUM, pro diſcedere. mirè dictum. IV: 45

DE PLANO PROMITTERE, ſimpliciter ac nudè, & vere. Juriſconſulti dicunt *de plano cognoſcere*, id eſt, non ſollemniter pro tribunali, ſed inter vias, ut veteres loquuntur. I: 402

DEBILE veteribus fractum, mutilum, comminutum; non item infirmum, ut vulgo putant. hinc ait Plinius ſacerdotes non potuiſſe creari *debiles*. V: 830

DECEPTOS NON CAPI. Decipi ait à medicis ægrotantes, non capi tamen; hoc eſt, explicante Donato in Eunuch. act. 3. ſcæna 2. *falli & non decipi*, ut hic ſit bonus ille qui dicitur dolus, nec ſequatur ullum incommodum, ſed utilitas potius. decipere, dolum adhibere, ludificari, capere, damnum adferre. I: 599

DECESSE pro *deceſſiſſe*. Hæc verbi deminutio non eſt poëtarum ſua. immò ſunt verba quædam quibus utebantur etiam oratores ſæpe ita conciſis. vide *Conſuerunt*. Cic. lib. 5. Epiſt. *quòd jam depoſitis rationibus ex provincia deceſſemus*. ita recte ibi Aldus. vulg. aliter contra vet. lib. Sic *decreſſet* lib. 4. ad Att. *Cum pontifices decreſſent ita*. I: 1104

DECLINARE. ἐνεργητικῶς. hinc παθητικῶς in noct. Att. lib. 10. c. 8. *à naturali habitu declinatis*. ita leg. ex vet. lib. niſi accipias ita, qui poſſit ſe cernere, pro, qui poſſit cernere, ut *ſeſe* ſit parelcon. de quo alibi, tumque *aliter* erit interpungendum. II: 250

DECURRERE SPATIUM AMORIS, ut alibi, *lumen vitæ decurrere*. IV: 1192

DECURSO LUMINE VITÆ. ita Plaut. Sticho: *decurſo ætatis ſpatio*. III: 1055

DECURSUS AQUÆ, egregia tralatio. Virgil. imitatus lib. 12. Æneid. 524

Aut ubi decurſu rapido de montibus altis
Dant ſonitum ſpumoſi amnes

&c. I: 284. V: 944

DEDERE, demergere. V: 1352

DEDERE, ſeu dare manus f. prover. II: 1128

DEDICARE, adfirmare, adſerere, teſte Nonio: à *dicare*, id eſt, dicere, eodem teſte: ut de ἀυξητικῷ, ut in *deponere*, *deamare*, &c. hinc & initio dialect. Martian. *dedicativas & abdicativas* vocat *enunciationes*, quas affirmativas & negativas vulgus appellat. Vetuſtiores etiam *delicare* dicebant, de quo idem Nonius, & Feſt. peruolgata conſuetudine mutandi *d*. in *l*. vide Feſtum. *Melicæ*, *Medius*, *Dacrimas*, *Odefacit*, *Caſſila*, *Ancæſa*, *Impelimenta*, &c. *Alacris*, quaſi ἄδακρυς inquit Donatus in Eunuch. hinc ex ὀδυσσεὺς, *Vlyſſes*, *o* pro *u*, ut inquit Quinctilian. lib. 1. & *l* pro *d*. ut nos: qua de re etiam eleganter ita Victorinus libro de Orthograph. *Novenſiles ſive per l, ſive per d ſcribendum: communionem enim habuerunt litteræ hæ apud antiquos: ut dinguam, linguam; dacrimis, lacrimis; & capitodium, & capitolium. & ſella à ſede, olere ab odore. eſt & commune cum Græcis. nos lacrimæ, illi δάκρυα; olere, ὀδωδέναι, meditari, μελετᾶν.* I: 368. &c.

DEDITUS IN ALIQUA RE, & ſtudere *in* aliqua re vet. dicebant: Catullus 61: 102

In mala deditus adultera

Cato l. de moribus: *Poëticæ artis honos non erat. ſi quis in ea re ſtudebat, aut ſeſe ad convivia applicabat, graſſator vocabatur.* in Noct. Atticis lib. 11. cap. 3. III: 647. IV: 813

DEDUCERE, optimè uſus eſt: nam ad res Venereas ac lætas refertur. ſic uſurpatur ſæpe à Terentio, Cicerone, & aliis. & Varro, *deductare*, II: 172

DEDUCTUM. f. ut apud Virg. aliosque poëtas, *deductum carmen*, *deductum filum*, ſubtile, tenue. Macrob. II: 395

DEFENDERE, de veſtibus defendentibus injurias cæli. V: 1428

DEFIAT, diſillab. ut alibi *fiat*. apud Terent. *dies* unius ſillabæ eſt hoc verſu: Hec. I: 2: 109

Ubi illic dies eſt complures. accerſi jubet.

ſic enim habent v. l. VI: 814

DEFICERE, deſtituere. vim habet agendi. III: 546

DEFIT, deeſt, ut alibi *fit*; ut γίνεται apud Græcos. III: 285. &c.

DEFLUERE, alibì recedere, vide & *Fluere*. III: 517

DEGERE BELLUM. f. Virg. *ducere bellum* dixit,

dixit, ut Græc, ἄγειν τὸν πόλεμον. libro 8. Æneid. 55

Hi bellum aſſidue ducunt cum gente Latina.

ubi Servius: *ducunt, aut gerunt, aut in longum trahunt.* Hoc ut ſimile aliqua ex parte. quamquam mihi *degerere* omninò placet, uſque dum meliora. IV: 965

DEGERERE BELLUM. ſ. pro gerere, ut τὸ *de*, hîc augeat, id quod in *dedicere* diximus. Hinc apud Hor. *delitigare*, *deſævire*. Valer. lib. 3:

Dememorans prenſatque viros.

Sic leg. puto ex v. l. vide & hîc *deplexæ*, *deridiculum*. Etſi autem rariùs hoc ſit verbum, eo tamen rejiciendum non fuit, ut ſæpe admonui. IV: 965. & vide II: 773

DEGUSTANT IGNES DOMOS. ut Virgil. 2. Æneid. 684

Lambere flamma comas.

& Hor. in epiſt. vide & hîc, *Ambens*. II: 192

DELIBARE, libare, delibatio: valent decerpere, deminuere, confringere, violare, auferre. teſtimonia, quia ubique obvia ſunt, brevitatis cauſſa omitto. librarii id ſæpe depravarunt, nunc in *librare*, nunc in *delibrare*, nunc in *deliberare*, nunc in *delimare*. ita in Pandect. *legatum eſt deliberatio hæreditatis.* nonnulli, pro *delibatio*, ut ex Piſanis liquet. ita in Noct. Att. lib. 15. cap. 8. *cenas delibrari*, ſcripſerant, cùm ex v. l. leg. ſit *deliberari*. eodem modo & apud hunc poëtam peccatum fuit. etiam *limare* ſcripſerunt; ut ſæpe *b* & *m* inter ſe commutare ſolent. vide tamen *Limare*. III: 11. &c.

DELIRARE LINGUAM. in lib. antiq. etiam *delerare* invenimus, ut ſæpe aliàs *η* Græcum in *e* Romanis converti ſolet. III: 455

DELUBRA, ſimulacra deorum. Feſt. II: 352

DENIQUE, pro tandem; ita tamen ut non ſit ἀρκτικὸν. hoc modo: *ita labora, ut fructus tandem aliquis exiſtat.* hoc certè obſervatu dignum viſum eſt. III: 759

DENSERE. id eſt, denſare. Horat. l. 1. Od. 28: 19.

Mixta ſenum ac juvenum denſentur funera.

ita v. meus. utitur & Virgil. eo ſæpe, ſed in quibuſdam etiam hodie mendoſe eſt *denſare*, ut l. 12. 264

— vos unanimi denſate catervas

ex v. q. *denſete*. Et Ovid. 13. Metam. 604

Atra favilla notat, glomerataque corpus in unum
Denſetur.

ita v. l. opt. idem lib. 14. 369. ut in eo l. v.

Tunc quoque cantato denſetur carmine cælum.

I: 396. &c.

DENTATUS, uncus, aſper. IV: 232

DENTES LETI. ita Nicander ὀδόντα λοιμοῦ dixit initio Θηριακῶν. I: 852

DEPANGERE. defigere. Feſt. & hic, *pangere*. ſed hoc protritum eſt. non item vulgo notum eſt quod pro defigere, *deſerere* poſuerint veteres, ut pro infigere *inſerere*. Sic accipio illud Tib. 1. Eleg. I: 17

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florea ſerta lapis.

ita etiam v. q. rectiùs, ut Plautus Aulul. 2: 8: 14.

Nunc tuſculum emi hoc, & coronas floreas.

Martial. lib. 8: 77.

& cingant florea ſerta caput.

τὸ *florida*, ut in vulg. ſi à v. l. muniatur, retineri poſſit, ut illud Catulli: 63: 66

Mihi floridis corollis redimita domus erat.

niſi quis & ibi *floreis* legat: quamquam Catulli corollæ floridulæ etiam ex alia materia eſſe potuerint. In eo Catulli carmine 63: 38. & 44. ex Feſt. lego:

Abit in quiete molli rabidus furor animi.

nam & ibidem *rabidam* rabiem & furentem dicit. & ex v. c. 63: 5

Devolvit ille acuto.

&c. Sed his leviculis omiſſis, ad rem. Ipſe Tibull. eodem libro 3: 44. ait;

Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.

Eandem fere vim etiam *deſtinandi*, & *deſtiſtendi* verba habuiſſe dicemus in Notis ad C. Cæſarem. II: 1086

DEPASCI. ita & Virg. in Georg. III: 12

DEPERIRE, perire, ita Varro lib. 8. de Ling. Lat. p. 104. Iidem ex ſermone ſi quid *deperiit, non modo nihil impendunt ut requirant* &c. Sic idem lib. 4. dixit *denaſci*, pro mori. II: 520.

DEPLEXÆ, id eſt, circumplexæ, *de*, & hîc αὐξητικὸν eſt. V: 1310

DEPONERE CORPORA HUMI, ſe componere. imitatus Virg. 7. 108. Æneid.

Corpora ſub ramis deponunt arboris altæ.

I: 259.

DERIDICULUM. *de* auget. ut in *depoſitum*, *deſu-*

ſubito, Teren. uſus eſt Heaut. act. 5. ſc. 1. ut v. habet codex, nam vulg. eſt *ridiculo*. A-gel lib. 13. cap. ult. *pueri in ludo rudes, ſi enim librum accepiſſent, non ii magis in legendo deridiculi fuiſſent.* III: 778

DERICERE. deorſum tendere, pertinere. ita etiam in Varr. Virg. & Feſt. obſervavi quibuſdam locis ſcriptum. VI: 823

DERIPERE. Tibull. lib. 1. 5: 40

Sertaque de ſanctis deripuiſſe focis,

ita ibi malim, ut & apud Virg. lib. 1. 215

Tergora deripiunt coſtis.

& apud Statium in Thebaid. lib. 3. 564

Ergo manu vittas damnataque vertice ſerta
Deripit.

ubique vulg. *diripit*. IV: 32

DERUPTA SAXA, i. prærupta. VI: 1538

DESCEDERE. Etſi non auſim affirmare veteres ita ſcripſiſſe pro *diſcedere*, ſuſpicari tamen licet. nam librorum calamo ſcriptorum conſenſus me ut alios antiquitatis ſtudioſos homines hìc etiam commovet. præſertim cùm & *deverticulum*, & *derigere* &c. etiam dixerint. quod licet non omnino ſuperiori ſit adfine, aliquid tamen argumenti præbet. I: 681

DESCRIPTA TELLUS. DESCRIBERE veteribus eſt partiri, & quaſi terminis poſitis, ac per limites dividere, & ſuam cuique partem attribuere, ut apud Virg. Æneas facit. unde & pro digerere, rectèque & ordine quid conſtituere ſumitur: ut *rep. bene deſcripta nihil eſt præclarius.* ita Græc. καταγράφειν & διαγράφειν. Hujus notionis ignoratione multi multa peccarunt in veterum ſcriptis. ut in hoc poëta pro *deſcripta*, erat *diſcreta*. & apud Cic. Vet. Rhet. lib. 1: 49. *In præſentia tantummodò numeros & modos & partes argumentandi confusè & permixtè diſperſimus: poſt deſcriptè & electè in genus quodque cauſſæ digeremus.* ita hodie rectè, auctore Joachimo: olim vulgati libri habebant, *diſcretè*. Ovid. lib. 1: 69. Metam.

Vix ita limitibus deſcripſerat omnia certis.

Sic leg. puto, aut certè *diſſæpſerat*, inſpectis libris Vet. ſex. in quibus *diſcerpſerat deſcerpſerat*, *dicerpo & diſcerpſit*; nuſquam *diſcreverat*, quod in vulg. hodie eſt. Sic etiam reſtituo ex antiquiſſ. meo illud Horatii lib. 2. od. 13: 23

Sedeſque deſcriptas piorum, & Æoliis fid.

&c. in eodem lib erat *Deſcriptas*, & ſuprà ſcriptum in interſtitio, *vel diſcretas.* atque ita vulgo & Cic. epiſt. ad Caſſium lib. 12: 1. *tabulæ figuntur; immunitates dantur: pecuniæ maximæ deſcribuntur.* ita eum locum doctiſſimus Victorius emendavit ex v. l. V: 1440

DESIDIES, ut *amicities, diluvies*, &c. V: 49

DESIPIENTIA. ita *beneficientia* exſtat in v. l. Cic. lib. 1. de Offic. 20. *Beneficientia, quam eandem vel benignitatem* &c. nam & *beneficere* ac *malefic.* eſt in P. Flor. III: 498

DESPECTUS, ut καθόρασις. IV: 418

DESUBITO. Plaut. in Bacch. ut *derepentè*, de αὐτοσχεδιαστικῶς uſus eſt & Cic. in lib. de Rep. vide Nonium. II: 265. III: 643

DEVINCIT SOPOR MEMBRA. Valer.

— *Sopor illigat artus.* IV: 455

DIA, divina. Feſt. II: 172. &c.

DIA PABULA, præclarum τοῦ βίου epitheton. V: 942

DICTA. mille locis utitur hac voce Carus; & amplius quid apud eum notat, quàm vulgo. accipit enim pro diſputationibus & rationibus philoſophicis. loca ubique obvia. apud Græcos λόγος etiam ita variat. Ita Ennius (pag. 8.) dixiſſe mihi videtur apud Ciceronem;

Verſibus, quos olim Fauni vateſque canebant,
Quum neque Muſarum ſcopulos quiſquam ſuperarat,
Nec dicti ſtudiòſus erat.

DICTIS PRAEBERE ANIMUM, attendere. ex Lucilio, credo, ſumpſit. ait ille lib 29: 11

Præterea ut noſtris animum attendere dictis.
Atque adhibere velis.

Id eſt, Rem cognoſcas ſimul & dictis animum attendas.

DIDERE. verbum elegantiſſ. paſſim tribuere, ac differere. II: 1124. &c.

DIFFERRE, diſſipare. Ennius Andromeda: p. 267.

Alia fluctus differt, diſſupat viſceratim membra

&c. I: 273

DIFFERITAS, differentia. hac voce Arnob. etiam utitur. ſic Lucil. *prodigitas* dixit apud Nonium. IV: 640

DILUCERE, ut *dilargiri*, copiam ſonat. V: 179

DILUTA ABSINTHIA MISCERI, aſperſa, ut *diluere elleborum* dixit Perſ. plerumque pro infirmare, ac deminuere uſi ſunt veteres. hinc apud Rhetores, *diluere crimen*, & apud Hor. *curam diluere.* & Cic. aliquando conjun-

jungit illa, *diluere* & *infirmare.* hinc in vet. l. optimè apud Cic. lib. 1. Off. 120. *ut amicitias* &c. *magis decere cenſent ſapientes ſenſim diluere quam repente præcidere.* quamquam mihi hîc magis placeret *deluere.* nàm *deluere* idem eſt quod ſolvere. vulg. diſſuere. ſed hoc (ut alias ſæpe) adſumptum eſt à quibuſdam ex Læl. Cic. cap. 78. ubi etiam ita lego ex vet. c. opt. *Tales igitur amicitiæ ſunt remiſſione uſus deluendæ, & ut Catonem audivi dicere, diſſuundæ magis, quàm diſcindundæ.* Cato ergo dixerat *diſſuere* & *diſcindere.* Cic. *deluere* & *præcidere.* IV: 224

Diluvies. vide Non. & hîc *Amicities.* &c. V: 256

Diluviare, diluvie obruere, V: 379

Dimminuo, ita veteres pro *diſminuo* dicebant. Ter. Adelph. act. 4. ſc. 2: 32

Dimminuetur tibi quidem jam cerebrum.

Sic leg. puto, adſtipulante etiam Priſc. cujus hæc è lib. 1. ſunt verba: *Tranſit hæc eadem* (littera *ſ*) *in m. ut rurſum pro rurſus, dimminuo pro diſminuo, Terent. in Adelph. Dimminuetur tibi cerebrum.* V: 268

Dimovere, laxare. VI: 869

*Dirempta morte. Cicer. 1. Tuſc. cap. 71. *Eſt enim interitus quaſi diſceſſus & ſecretio ac diremptus earum partium quæ ante interitum junctione* (f. *vinctione*) *aliqua tenebantur.* Valer. lib. 8. ubi de A. Calatino: *Si in eo crimine ſontem unum ipſe competiſſet, diremturum ſe fuiſſe adfinitatem.* Ita lego ibi ex vet. etiam codice. vulg. *dirept.* I: 115

Discedere, hiare, dividi. III: 17

Discessus, diſceſſio. abitus. vide *conjectus.* IV: 45

Discidium, pro diſtractione; interdum pro divortio. *Diſſidium* animi eſt: *Diſcidium* verò corporis, à *diſcindere*; id eſt, dirimere. ut *excidium* ab *exſcindere.* vox apud omnes bonos ſcriptores depravata eſt, Catullum ad Mall. Plaut. Tibull. Terent. Cic. minimum ſepties. In Pandect. Flor. & apud Tacit. lib. 14: 57. manſit integra. *Agrippa* inquit, *diſcidio domum imminuerat,* apud Lucret. hactenus fuit depravata, Marullo auctore. à Lamb. primum reſtituta, vix firmiter tamen adſentiente. Sic ſcrib. apud Tibull. Eleg. I: 5: 1

Aſper eram, & bene diſcidium me ferre loquebar.

Catull. 66: 22

Sed fratris cari flebile diſcidium.

Ter. Hecyr. act. 5. ſc. 2: 16

Profectò in hac re nihil mali eſt, quod ſit diſcidio dignum.

& ibid. 26

Neque mea culpa hoc diſcidium eveniſſe, id teſtor Deos.

ita v. l. & in Andr. 4: 2: 13

Valeant qui inter nos diſcidium volunt.

Ovid. lib. 5. Metam. 529

— — — *Sed tanta cupido*
Si tibi diſcidii eſt, repetet Proſerpina cœlum.

ſic lego ex uno v. c. Arnob. lib. 5. p. 158. *cum diſcidio partium ſanguis fluit immenſus.* ita leg. Ovid. 14. Metam. 79

Non bene diſcidia Phrygii latura mariti Sidonis.

Sic idem v. l. noſter. ut *a* ſit long. ob pr. aût leg. *diſcidium.* nam vulg. *diſſidium* non convenit ei loco. I: 221: &c. Sic leg. apud Plaut. initio Pſeudoli: I: 1: 68

Diſtractio, diſcidium, vaſtities venit.

Discindere, pro dirimere, diſpellere, ſeparare, quod enim diſcinditur, divellitur, ac disjungitur, & reicitur. ita uſus eſt & Prudentius Pſychomach. 631

— — *Pax inde fugatis*
Hoſtibus alma abigit bellum, diſcinditur omnis
Terror, & avulſus exfibulat ilia zonis
Veſtis, & uſque pedes deſcendens defluit imos.

ita v. l. illo *uſque* eleganter ſine *ad* uſus eſt. ut veteres ſæpiſſimè: vulg. tamen *diſcinditur,* non eſt malum. III: 639

Discludere, diſparare, vide Macrob. hoc verbo præter ceteros delectatus eſt Prudentius. V: 439

Discrepat. pereleganter & conciſe uſus eſt; id eſt, adverſatur ſibi ac repugnat. hoc modo: ſi prima corpora dicis fragilia eſſe, ſeu non ſolida; repugnat hoc, quod tamen adſeris, æterna illa eſſe. nam quæ ſunt fragilia, eadem intereunt. Simile quid in *Confugere* monuimus. I: 634

Dispandere, valdè & latè patefacere. VI: 598

Dispansus, explicatus. Diſſentio ab Agellio qui *paſſum* à *pando* ſemper dici contendit lib. 15. cap. 13. nam innumerabiles in veterum ſcriptis contra librorum manuſcriptorum (quibus hodie ut locupletibus & aſſiduis utimur & innitimur teſtibus) fidem, loci immutandi eſſent. neque video,

cur *panſum* à *pando* non tam rectè dici poſſit quam à *ſcando ſcanſum.* quod eò non commemoro, ut *paſſum* reiciendum putem: ſed ut veterum ſcripta non temerè permoveantur. Manſit integrum in Minutio: *Signum ſanè crucis naturaliter viſimus in navi, cum velis tumentibus vehitur, cùm expanſis palmulis labitur.* Apud Prudent. in veter. membranis exaratum etiam manſit, in Pſychomach. ỹ 410

Cornibus oppanſis, & ſumma fronte coruſcum.

& Cathemer. hymno ult. 12: 170

Hic præliante exercitu
Panſis in altum brachiis.

& in Præfat. lib. 1. contra Symm. 48

Vix panſo poterat currere carbaſo.

idem dixit *retunſis*, lib. Peri Stephan. Romano: 10: 971

Aut ferrum in ore nil agens & irritum
Verſaſſe fruſtra ſe retunſis ictibus.

Sic habent 3. manuſcripta. vulg. aliter. *ſe* pro eum poſuit rectè. & Virg. lib. 4. Georg. 267

Proderit & tunſum gallæ admiſcere ſaporem.

& lib. 1: 262

— — Durum procudit arator
Vomeris obtunſi dentem.

Sic utrobique legi monuit Priſcianus lib. 10. in vet. cod. nam vulg. editus Priſciani codex mendoſiſſimus eſt. I: 307

DISPERSUS TITYUS, idem quod porrectus hîc ſonat, explicitus, diductus. Virg. 6. Æneïd. de Tityo. 597

— — Per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur.

verum ineſt quædam auxeſis: quam ſervavit etiam Ovid. de Tityo, lib. 4. Met. 458

Viſcera præbebat Tityos lanianda, novemque
Jugeribus diſtractus erat.

III: 1001

DISPLOSA VESICULA, ita & Horat. in ſatyris. VI: 130

DISPOSITURA. Veteres hac verborum forma ſtudioſiſſimè utebantur, poſteriores ferè in *io* fecerunt, ut *diſpoſitio* &c. Hinc & magiſtratuum nomina, cenſura, prætura &c. ita apud Varronem repperi *aſſura, ſarſura, penſura,* Vitruv. *contractura. cubitura, curſura.* apud Cic. *conſitura.* Plinium *diviſura, inciſura.* Senec. *conditura.* hîc *formatura, compoſitura* &c. vide & *Poſitura.* congeri poſſent multa alia, ſed rationem ac viam hîc indicaſſe ſatis eſt. I: 1016

DISSÆPIRE. vide *deſcribere* in verſu Ovidii. I: 998

DISSERPERE, tralatè, hinc inde exiſtere ſeu exoriri & exire. ſic *differre*, *diſſerere* &c. VI: 547

DISSILUI ita veteres ſæpiſſ. loquebantur. hodie ferè *diſſiliiſſe.* indeque factum ut veteres libri multis modis ſint depravati. Ovid. lib. 4. Faſt. ferè extremo:

Per flammas ſaluiſſe pecus, ſaluiſſe colonos.

ita leg. ex v. l. & Priſc. Virgil. lib. 2. Georgicon: 384

Mollibus in pratis unctos ſaluere per utres.

ſic in q. lib. exſtare monuit Priſcianus. in al. *ſaliere.* Ovid. 9. Metam. 314

Exiluit, junctaſque manus,

&c. ſic v. c. ubi tamen *ſ* & *u* alterum cruſculum eraſum erat, vet. lib. 10: 410

Exiluit gremio furibunda.

Prudent. Pſychomach. ỹ 823

Hæc ubi dicta dedit, gradibus regina ſuperbis
Deſiluit.

ita leg. ex v. & Apotheoſ. ỹ 498

Proſiluit pavidus dejecto antiſtite princeps.

ſic vet. c. I: 392

DISSITUM, ſparſum. III: 144. &c.

DISSULTARE, ut *reſultare* alibi. III: 396. &c.

DISSUPARE antiq. pro *diſſipare.* vide ſuprà Epiſt. ad Lect. vide etiam Feſt. *ſupat.* Attius Fidicin.

Abtorque proram, ac ſupa tortas copulas.

ita leg. puto apud Nonium, *copulæ.* I: 351

DISSUPAT SOL CALOREM IN OMNES PARTES, differt. II: 210

DISTENTA UBERA. Virg. & Horat. imitati. Ennius p. 89. *diſtentum corpus* dixit. I: 260

DISTRINGERE RICTA, id eſt diducere. hoc iratos ait facere canes. Plautus ait *reſtringere dentes.* Vide *Reſtringere.* V: 1064

DISTURBAT, pro diſturbavit. ut alibi *irritat*, &c. VI: 586

DITESCERE PARTU. ſuaviſſima tralatione, pro augeri liberis. IV: 1247

DIVA PABULA ſic in v. q. l. ſcriprum eſt, quod, ut rarius, adnotandum fuit. aliâs fere *dia* diceremus. Prudent. 1. in Symm tamen ſimiliter uſus videtur. ỹ 79

Nam quid ruſticitas non crederet indomitorum

Stulta virûm, pecudes inter, rictuſque ferinos

hîc in l. 2. v. legi:

— — — *Rituſque ferinos*

Degere ſueta, animum divæ rationis egenum.

In quamcunque,

&c. Ita leg. & interpungendum puto locum alioqui obſcurum. V: 942

DIVERBERARE, dirimere. I: 223. &c.

DIVERSUM IRE. eleganter ac breviter, diſcedere in diverſa loca. multi veterum ita ſunt locuti. V: 646

DIVI, dii, Feſt. *divi manes.* V: 183

DIVITIOR. Terent. Phorm. act. 1. ſcen. 1:8

Semper aliquid addant divitioribus.

& Plaut. Pſeud. &c. Sic Corn. Nepos in vita Phocionis cap. 1. *fuit enim perpetuò pauper, cum divitiſſimus eſſe poſſet.* ita rectiſſimè v. c. V: 1114

DIUS pro aëreo, ſeu diurno. Feſt. I: 23

DIUS pro deo ſeu divo ponebant veteres. hinc *dium* ſcribit Feſt. heroem dici, cui genus ſit ab Jove ſummo, hoc eſt ἀπὸ τοῦ Διός. Ennius p. 34. apud Feſt. *Sos*:

Conſtitit inde loci dia dearum.

ubi etiam leg. *Circum ſos que ſunt* &c. Fortaſſe hinc *divus* manavit, interjecto altero *u*, ut *fluvidus* &c. V: 159

DIVUS, *ſub divo*. Varr. Hoc mutatum ſæpe ab his qui ignorabant *ſub divo*, & *ſub dio* rectè dici. ut in Horat. lib. 2. od. 3.23

De gente ſub divo moreris.

ita v. lib. IV: 212

DOLERE antiqui dicebant, nunc *dolare*. Varr. apud Nonium. ita in plurimis verbis variatum eſt. V: 1266

DOLIA CURTA vocat amphoras Romæ paſſim in angiportis meiendi cauſſa dipoſitas, dolia inquam fracta & mutila, ut *curtos Judæos*, quibus præciſa erat pellicula, vocat Flaccus. Sat. 9: 70. Q. Titius apud Macrobium de judicibus vinolentis: *Dum eunt, nulla eſt in angiporto amphora, quam non impleant; quippe qui veſicam plenam vini habeant.* IV: 1020

DOMI DOMITOS. hoc ex Plauto Men. I: 1: 29. videtur ſimpſiſſe poeta:

Domi domitus fui uſque cum caris meis.

de hujuſmodi geminatione vide *Geminatio*. V: 1333

DOMINATUR FLAMMA, ita & Virg. l. 2. Prud. *regnantes ignes*. VI: 642

DOMUS AVIUM, nidi. Virg. 2. Georg. 209

Antiquaſque domos avium.

I: 26

DOMUS COELI. ita & Homer. & Horat. lib. 1. od. 3:29

Poſt ignem ætherea domo

Subductum.

vide *templum*. ita Varro *domum terræ* dixit: *Per æviternam hominum domum tellurem.* II: 1109. VI: 357

DONICUM vel *doniquum*, pro *donec*. uſi ſunt hac voce omnes vet. Enn. Plaut. Varr. Cic. &c. ſed plerunque depravata eſt in *denique*: & in quadam lege fortaſſe 12. tabularum apud Feſt. *Si fus. donicum inter ſe.* ita legend. puto: ſed de eo fragmento aliâs latiùs. Sic Nepos in Hamilcare. cap. 1. *Romanoſq. armis perſequi, donicum aut virtute viciſſent, aut victi manus dediſſent.* Sic ex vet. cod. reſtituo. II: 1115. &c.

DORCAS nomen eſt muliebre. meretriculæ nomen tale in epigrammatibus Græcis exſtat. Tribuunt amatores exſuccis & arido corpore amiculis hoc nomen: nam duriſſima cute & vere lignea beſtiola illa dorcas eſt, unde nomen puellare. vide & *ligneus*. D. Lucas in Act. meminit puellæ cujuſdam *Dorcadis* ſeu *Tabithæ*. Alexis ab Athen. adducitur in *Dorcide*. *Dorcium* puellæ nomen apud Terentium, Phorm. act. 1. ſcæn. 2: 102. *Cape da hoc Dorcio.* ubi Donat. *Dorcium femininum nomen eſt, ut Planeſium, Glycerium.* Priſcian. lib. 6. inter mulierum nomina commemorat *Dorcium, Glycerium, Chryſium, Abrotonium, Leontium.* IV: 1155

DUBITARE, pro timere: non, dubitare, ut alibi commeditari, confidere, & audere, ſed tralatè. quod enim quidam hîc *endobitabat* malint, pace eorum admittendum non puto: nam & contra vetuſt. lib. eſt, & contra antiquitatem. *betere* dicebant veteres, pro *ire*, non *betare*. Nonius. hinc f. *betienſes*, pro *bitienſes* leg. apud Feſt. hinc *perbitere*. *præbitere*, *interbitere*. apud Feſt. *Numero. Perbit.* Non. *Pervitere.* leg. *Perbit.* Plautus Moſtell. Captiv. Curc. in Pſeud. leg. *perbitere*, id eſt, perire, vel perimere. IV: 189. VI: 1190

DUELLICUS pro bellicus, ut *duonibus*, *bonus*; *duidens*, *bidens*; *duis*, *bis*. hinc *Duicenſis* apud Feſt. *Duellicus* diſyll. eſt, ut *duo* monoſyllabum apud Lucil. lib. 4. Sat. Fragm. 4

Hunc pontes Tiberinos duo inter captus catillo.

d 2 vide

vide & *Fiat.* A *duello* autem *perduellis*, id eſt, quocum eſt duellum, hoſtis. qua de re Cicero eleganter in Offic. lib. 1: 37. ubi tamen ex notis mihi videtur inrepſiſſe mendum turpiſſimum: *Quamquam id nomen durius jam effecit vetuſtas. à peregrino receſſit, & proprie in eo qui ferret arma contra rempubl. manſit*, ſic legendum conicio, id quod doctiſſimis viris etiam probatum memini. *ferre arma contra*, ut in vulgat. ψιλὸν nimis eſt: & hoc fit etiam in privatis. II: 660

DULCIT, pro *dulcet*; ut *frigit*, pro *friget*, *ridit*, &c. antiqui originis verbis utebantur, ubi nos derivatis. ut Lucilius, *lentet*, nos *lenteſco*, *ſenet.* &c. vide *ægret.* uſus eſt & Paulinus:

Nec unda miſſo dulcuit ligno.

II: 473

DUNTAXAT, pro ſcilicet. not. II: 123

DURAMEN AQUÆ, glacies. vide *lateramen.* VI: 529

DURARE MEMBRA. vide & *condurare.* V: 1359

DURATEUS. δοῦρον antiquo Græcorum ſermone ξύλον ſonat, id eſt, *lignum.* hinc δούρειος, & δουράτεος, *ligneus.* Homerus ἵππον δούρειον, Apollon. πύργον δουράτεον dixit. non rectè ergo meo judicio contra libros vet. formis manuque deſcriptos ex Politiani auctoritate hodie exſtat in q. cod. Valer. lib. 2: 573

— Manet immotis nox durica luſtris.
Et genus Æneadum, & Troiæ,

&c. equus *durius* ac *durateus* dicitur, nunquam *duricus*: nam eadem ratione quis pro *ligneus lignicus* faceret, aut ſimilia. deinde ſi *duricus* admitterem; quod non licet, ſed fac ita eſſe tamen, quis *noctem duricam*, id eſt, *ligneam* diceret? miror homini doctiſſimo hæc excidiſſe. leg. ergo ex vet. codice *nox Dorica*, ut apud Virg. 2. Æneid. *Dorica caſtra.* itaque dictum videtur, ut *dies Allienſis*, qua nocte Dores ceperunt, & inflammarunt Pergama. I: 477

DURITER, ut *naviter*, *longiter*, & plurima apud Nonium. V: 1401

E.

E BREVE IN SUPERNE. vulgo putant; veteres E in talibus adverbiis ſemper produxiſſe. hinc depravata ſunt loca plurima. Virgil. 2. Georg. *flos apprimè tenax.* ita vetuſtiſſ. cod. vulg. *apprima*: etſi *apprima* etiam bonum ſit, & Servius ita legerit. Horat. lib. 2. od. ult. *& album mutor in alitem Supernè*, &c. ſic in vetuſtiſſimo codice legi: vulgat. *Superna.* Sic etiam adverbia in *o* perperam putant omnia producta eſſe, ut *ſerio*, *crebrò*, &c. de quibus aliàs. ita & hîc *bonè*, *clarè*, *longè* corripuit. IV: 430. &c. contrà de *A* ſuprà dixi, eam ſæpe productam reperiri, aliter atque vulgò putent, ut in hoc loco Prud. 2. in Symmach. 252

— Interius ſpargit ſola picta rubenti
Flore pudicitia: pudor almus & atria ſervat.

ita elegantiſſ. v. c. opt. Virg. 3: 464

Dona dehinc auro gravia, ſectoque elephanto.

Video Prudentium in *cuique*, e ſæpe producere, ut in Hamartig. 105

Adſignare Deos proprios, ſua cuique jura.

& lib. 2. in Symmach. 35

— — Sua cuique dextra eſt.

& ibid. ℣ 89

— — Suus eſt mos cuique genti.

ita v. libros habere teſtor: nam in vulg. omnia mutata.

De E brevi vide etiam infra, de Intervallis ſyllabarum in verſibus.

E LONGUM OB CR. ita alibi *a* VI: 712. Sic ob FL. Ovid. 7. Metamorph. 264

Illic Æmonia radices valle reſectas
Seminaque floreſque, & ſuccos incoquit acres.

Sic malim ex vet. l. vulg. *& flores atros:* Sic ob FR. Prud. Pſych. 252

Imbuere fragilique viros.

&c. ita Græc. adducam unum ex Demoſt. Bithyn. lib. 14. apud Steph.

Ἔστι δὲ προπάροιθε κλυτῆς Καρχηδόνος ἄκρη
Ἡραία.

&c. Sic ob PR. Prudent. Peri Steph. hymno 4: 15

Civitas quæque precioſa portans.

ita v. c. vulg. *omnis*: non ſatis latinè & Ovidius M amorphoſeos 8: 526

Vulguſque procereſque ignota ad ſacra feruntur.

Sic vet. lib. rectiſſime, vulg. *Et vulgus proc.* 3: 672

Corporeque preſſo ſpinæ curvamine flecti
Incipit.

ſic leg. puto. aut ut in v. q. *Corporeque depreſſo*,

preſſo, ut ſit pœon 1. Vul. *Corporeque & preſſo.* Sic ob SP. I: 390. VI: 696. Ob TR. Prudentius in Apoth. 841

Cum libet in gelidum flabrare frigore ventum.

Sic leg. ex v. l. VI: 875

E NON EXTRITA. amat hiatum in verſu Titus noſter; amat ejus familiaris Ennius: amant denique omnes antiquiores poëtæ. V: 248

E REBUS VIGERE COMPTA; ubi *e* quaſi parelcon eſt: alibi nondum legi. IV: 31

EA PROPTER. Varro, Hercules. p. 112. *hac propter omnes qui laborant, invocant.* apud Nonium *Tutanus*; IV: 314

EADEM UNA ἀσυνδέτως. nos fere *una eademque*. ſed & Lucilius libro nono, Fragm. 1

Hoc faciemus & uno eodem ut dicimus pacto,
Scribemus

&c. apud Schaurum de orthographia. Idem lib. 27.

Id bonis porro (ſeu proprium) eſt viris
Si irati ſeu cui propitii ſunt ii, ut
Diutius eadem una maneant in ſententia:
Non cum benignitate ſollicitarier
Propoſito.

Sic legendi ni fallor, elegantiſſimi verſiculi; apud Nonium *Propitios*; quibus tamen verbis condemnatur Lucilii æmulus Flaccus, qui de ſe ipſe ait, 1. Epiſt. 20: 25

Iraſci facilem, tamen ut placabilis eſſem.

II: 483

Reperitur etiam *Idem unus.* Lucil. apud A-gel. lib. 3. cap. 14

Tempeſtate ſua, atque eodem uno tempore.

ECQUA, vide & *Quantus.* V: 12: 8. 11. 12

EFFERRE, ut *exanclare* pro *perferre*, nam & *ex* αὐξητικὸν eſt. vide *Eximus.* ita apud Ciceronem in Sextiana cap. 5. vetus quidam poëta:

Si tu laborem ſumma cum cura efferas
Nullum.

Cicero *effligere* pro *adfligere*, *vexare*, eodem modo dixit libro nono ad Atticum extremo: *Sed erit immitiſſimus Servius, qui filium miſit ad effligendum Cn. Pompeium, aut certe capiendum.* ſic omnino leg. ex v. o. Agell. *ematureſcere* lib. 2. cap. 29. I: 142

EFFERRE. de fructibus terræ; hoc utebantur majores ſæpe. Cicer. in Verr. lib. 5: 112. *medimnum autem ex jugero decumano dari poterat, cum ager id quod perrarò evenit, cum decumo extuliſſet.* idem de Clar. Orator. 16. *Ager qui multos annos quieviſſet, uberiores efferre fructus ſolet.* Cicero in Arato dixit *lumina cæli*, ℣ 113

Hic ubi ſe pariter cum ſole in lumina cæli
Extulit.

ita ibi legendum puto.

EFFERVERE TERRAM. ita poëta: vulgò ferè *terra* dicerent. verum ita veteres junctis ab *e* vel *ex*, verbis uti conſuerunt. Manilius libro quinto, 581

Impellentis onus monſtri caput eminet undas.

Virgilius 11. Æneidos. 702

Iſque ubi ſe nullo jam curſu evadere pugnam
Poſſe

&c. ita v. q. l. vulg. *pugna.* vide & *Evadere*. Horatius lib. 4. ode ult. 10

— — *Et ordinem*
Rectum evaganti frena licentiæ
Injecit.

ita enim cum Porph. omnino leg. puto. II: 926

EFFETUS. effetam Tellurem dicit eam, quæ quaſi exhauſta, nihil aut certè tam multa non effert quam conſuerit. eodem modo Columella eſt locutus, qui ad hunc locum ſicuti adluſiſſe videri poteſt initio libri de Re Ruſtica: *Sæpenumero civitatis noſtræ principes audio culpantes, modò agrorum infecunditatem, modò cœli per multa jam tempora noxiam frugibus intemperiem: quoſdam etiam prædictas querimonias velut ratione certa mitigantes, quòd exiſtiment ubertate nimia prioris ævi defatigatum & effetum ſolum nequire priſtina benignitate præbere mortalibus alimenta.* &c. ubi ait Tellurem donatam æterna juventa, ac divinam omnium matrem non conſenuiſſe &c. Locus eſt pulcerrimus: eaque de cauſſa adſcripſi licet longiorem. Salluſtius non abſimili ratione dixit de Repub. Rom. *Ac ſicuti effeta parentum, multis tempeſtatibus haud ſanè quiſquam Romæ virtute magnus fuit.* Sic leg. eum locum ex v. l. puto elegantiſſ. *Sicuti.* i. quaſi, tamquam. *effeta parentum.* i. effeta parente, Græco more ἀγαθοὶ ἀνδρῶν. & Plinius, *canum degeneres.* Alibi vocat Terram *fetam.* II: 1149

EFFIGIA, effigies; Afranius Vopiſco:

— — *Cujus te ſuſcitat*
Imago? cujus effigia cognatus patre?

Sic *intemperia* pro *intemperies* apud Nonium:

ſic *luxuria* & *luxuries*, cujus genitivus etiam *luxurii* apud Ciceronem exſtat in Lælio: *Dirimi tamen interdum contentione luxurii, condicionis vel commodi alicujus.* ſic v. noſter opt. in quo tamen erat *luxuri*: ut apud Nonium *pernici.* cùm ſit leg. *pernicii*: quo etiam uſus eſt Cicero pro Amerino: 131. *Quorum nihil pernicii cauſſa divino conſilio, ſed in ipſa* &c. ubi etiam vulg. *pernicie.* qua de re in Agel. latiùs. Similiter apud Horatium lib. 1. od. 19: 1. de Glyceræ amore:

Mater ſæva cupidinum,
Thebanæque jubet me Semelæ puer.

& lib. 3: 29: 17

Jam clarus occultum
Andromedæ pater.

& epiſt. ad Loll, Ep. 1: 2: 28. *Sponſi Penelopæ.* & 23

Sirenum voces & Circæ pocula noſti.

ita ubique v. c. noſter. vulg. *Semeles* &c. Vide & *Amicities*, *materies*, &c. IV: 46. 83

Efflare. abſolutè, ut illud Cicer. in Catone Majore cap. 59. *Et ſuavitatem odorum qui afflarent è floribus* &c. ita leg. puto ex. q. c. alibi uſus eſt poëta ἐνεργητικῶς. II: 831

Effugium, ut *perfugium*, *profugium.* III: 523 &c.

Egignere. ita dictum, idemque ſonat quod *efferre*: nam ut hoc, ita & illud rebus è terra exiſtentibus ac exorientibus ferè tribui ſolet. hinc *gignentia* Salluſt. Jugurth. τὰ φυτὰ, abſolutè, τὰ φυόμενα. vide hîc alibi *Volventia.* II: 702

Egregie, valde, ita alibi *Eximius.* III: 205

Egregius; pro, magis egregium. ita *exiguius* Ulp. noſter. IV: 469

Eicere, vel, elicere vocem veteres dicebant. illud acrimoniam, ardorem & πάθος indicat: hoc callidatem. ita Ovid. in Faſt. cùm à Jano reſponſa captaret & eliceret, ait lib. I: 263

Voce mea voces eliciente Dei.

Cic. pro Cœl. cap. 60. *Nonne ipſam domum metuet, ne quam vocem ejiciat?* ita ibi lego cum Lambino vulg. *eliciat.* atque ita apud hunc poëtam depravata fuit ſcriptura: vide & *conlectus.* hinc & *jacere*, & *rejectare* & *mittere vocem* aliis locis dicitur. III: 58. 496

Eicere. ita Serv. 1. Æneid. 178

Ac primum ſilici ſcintillam excudit Achates,

id eſt *ejecit*, inquit Servius. ita leg. ex Priſc. III: 496

Eicit diſillabum, hinc diſillabum puto illud Virg. contra Priſcian. Ecl. 3: 96

A flumine reice capellas. III: 890

Ejectus, *us*, vide *conlectus.*

Eii pro *ei.* Solent vocales geminare antiquiores magis quam conſonantes. De conſonantibus Feſt. *Torus*, multiſque aliis in locis. De vocalibus adſcribam egregium locum è Priſciano lib. 1. *Et, i quidem, modò pro ſimplici, modò pro duplici accipitur conſonante: pro ſimplici, quando ab eo incipit ſyllaba in principio dictionis poſita, ſubſequente vocali in eadem ſyllaba, ut Juno. Juppiter: pro duplici autem, quando in medio dictionis ab eo incipit ſyllaba poſt vocalem ante ſe poſitam; ſubſequente quoque vocali in eadem ſyllaba: ut majus, pejus, ejus. in quo loco antiqui ſolebant geminare eandem, i, litteram, & maiius, peiius, eiius ſcribere, quod non aliter pronunciari poſſet, quàm ſi cum ſuperiore ſyllaba prior i, cum ſequente altera proferretur, ut peijus, eijus, maijus: & duo ii pro duabus conſonantibus accipiebant. nam quamvis i, ſit conſonans, in eadem ſyllaba geminata jungi non poſſet. ergo non aliter quàm tellus, mannus, proferri debuit: unde Pompeii quoque genitivum per tria i, antiqui ſcribebant: quorum duo ſuperiora loco conſonantium accipiebant; ut ſi dicas Pompelli, nam tribus iii junctis qualis poſſit ſyllaba pronunciari? Quod Cæſari doctiſſimo artis Grammaticæ placitum à Victore quoque in Arte Grammatica de Syllabis comprobatur.* Hæc Priſc. ut in v. c. Hujus ſententiæ Ciceronem etiam fuiſſe tradit Velius, ac ſcripſiſſe *Graijus*, *Maija*, hoc & noſter Titus tenuit. hinc apud eum *eji* & *reji.* de *Maija* exemplum comperi in Attio lib. 10. Annal. apud Priſc. v. c.

Maija nemus retinens gravido geſtavit in alvo.

Plane in *reicere*, *deicere* &c. placet mihi v. l. ſcriptura, quæ eſt uno *i.* Agellio aliter ſentienti, aliàs, Deo dante, reſpondebimus. V: 285. &c.

Emicare, de fulmine. ita omnes utuntur. V: 1098

Emissus *us*, emiſſio. vide *Conjectus.* Sic *amiſſus* apud Nepotem in Alcibiad. cap. 6. *Itaque* (inquit) *& Siciliæ amiſſum, & Lacedemoniorum victorias culpæ ſuæ tribuebant.* IV: 206

Enare, dicitur anima è corpore, tralatè,

tè, ut *effluere* alii, i. e. evolare. IV: 206

Endo, pro *in*, dixiſſe veteres teſtatur Feſtus: & verò tam notum eſt hoc, ut putidum ſit de eo verba facere. Utitur eo interdum Lucretius, Ennium ſuum & hîc imitatus: atque ita ex v. l. etiam *endoperator*, *endogredi*, *endopedire* ſcripſi. nam *indu*, pro *in*, veteres dixiſſe, non invenio; licet interdum ita ſcriptum reperiatur, ut & *inde*. I: 83 241

Endo. Feſt. Induſtrium antiqui dicebant, *endoſtruum* &c. ſic leg. puto. II: 1095. &c.

Endo. hoc ſæpe in *Inde*, & *indu*, & aliter etiam depravatum eſt. Ennius lib. 17

Inde mari magno

&c. leg. *Endo*. apud Macrob. 6. cap. 2. extremo. idem apud Auſonium in Idyll.

Et cujus de more quod adſtruit inde ſuam do.

leg. *endo*: nam ita & Victorius recte adducit lib. 1. & f. lib. 1.

Inde tuetur ibi lupus femina

&c. *Endotuetur*. Nonius *parumper*. idem libro 7: pag. 74

Conſilio indu foro, lato ſanctoque ſenatu.

leg. *endo foro lato*, *ſanctoque* &c. in noct. Att. lib. 12. cap. 4. Lucilius: Sat. inc. Fragm. 2

Jactare inde foro omnes, & decedere nuſquam

&c. leg. *Jactari endo foro* &c. apud Firmian. lib. 5. cap. 9. idem lib. 30 Fragm. 9

Omnia endo mari videas fervente micare.

vulg. *timendo mucro*. apud Nonium *micare*. & rurſum Lucilius lib. Satyr. inc. Fragm. 4

Endo pavimento atque emblemata vermiculata.

vulg. *arte. ante* &c. vide Plin. lib. 36. cap. 25. ſed de aliis aliàs. IV: 776. VI: 889

Endogredi, ingredi. I: 83

Endopedita, implicita, connexa. I: 241. &c.

Endoperator. ita Ennius apud Cicer. lib. 1. de Divinat.

Omnis cura viris, uter eſſet endoperator.

IV: 964

Enim, interdum valet *autem*. III: 754. 803

Enim. initio orationis, pro *etenim*, ut Afranius *Simulante*. Plaut. Aulular. & Terent. Hec. 2: 1: 41

Enim laſſam oppidò tum ajebant.

& Paullus in l. 28. *Si arbiter*, Dig. de Probat. *& hoc id eſt, quod Græci dicere ſolent ὡ πλάτει: enim poteſt hoc memoria teneri* &c. vulg. locus ille peſſimè legitur. & Cic. ad Att. lib, 4: 11. *Macroni vix videor præſto eſſe. enim auctionem* &c. ita v. c. II: 524. VI: 1275

Enim, hæc particula ſæpe ſolet non principi ſtatim ſubici orationis verbo, ſed alteri etiam ac tertio. Cic. ad Attic. lib. 12. *Druſia cupit enim vendere.* & lib. 14. *Odioſa illa enim fuerant legiones venire.* cujus ignoratione rei menda in vet. ſcriptorum libris exſtiterunt multa, & hîc in q. lib. depravatus eſt verſus Enn. pag. 120

Brundiſium pulcro præcinctum præpete portu.

I: 681. &c.

Epitheta geminata. Servius aliique grammatici notant ut vitioſum in verſu, ſi duo uni nomini attribuantur epitheta, aitque ille XII. locis hoc admiſiſſe Virgilium. miror hoc ab eo reprehendi ut vitium, cùm Lucretius id ſæpe faciat; & ſæpius, quàm Servius putavit, Maro, ut ipſe deprehendi. Non nego rariùs hoc faciendum; eaque in re ab Ennio & antiquiſſimis diſſentio: qui hoc factitabant plurimis in locis: ſed interdum ſi fiat, reprehenſionem minimè meretur: aut graviores illi auctores laudent, quàm ſint Virgilius & Lucretius. Sæpe autem vulgo depravata ſunt, ut in illo Ovid. Metamorph. 15: 675

Territa turba pavet, cognovit numina caſtus
Evinctus vitta crines albente ſacerdos.

ſic ex v. lib. puto leg. vulg. *caſtos*. Virg. lib. 12. 942

Infelix humero cùm apparuit ingens
Balteus.

quem locum etiam mutilarunt quidam. Idem lib. 4. Georg. extremo. 370

Saxoſuſque ſonans Hypanis, Myſuſque Caycus.

ſic habent vetuſtiſſimi libri: nec moveor admonitione Servii apertè falſa. immo ex tali interpretatione vulgatum *ſaxoſum* irrepſiſſe puto. Prudentius 1. in Symmachum: ℣ 169

Nec terreſtre deam decuit mortale ſubire
Conjugium.

ſic ex v. lib. puto leg. Sic Horat. ferè lib. 1. Sermon. 4: 48

— — At pater ardens
Sævit, quod meretrice nepos inſanus amica
Filius uxorem grandi cum dote recuſet,
Ebrius &c.

&c. ſic eum locum ex v. c. potius leg. puto. I:258. & f. 295. 946. II:342. 1115

ERGO χάριν. vide *Igitur*. & Feſt. V:1245. VI: 1244

ERIGERE IN LUMINIS ORAS f. ſic & Virgil. ferè lib. 3. ubi de Ætna, 575

Interdum ſcopulos, avulſaque viſcera montis
Erigit eructans: liquefactaque ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat. V: 1454

Haud ERIT UT POTERIT. οὔτε ἔςαι ὅπως. III: 715. V: 977. 1340

ERUMPERE SE. ſic in Att. Noct. lib. 15. cap. 22. *In fugam ſe prorupit.* & apud Nonium Attius: *ſtupiditate erumpit ſe.* & Marcipore Varro. Virgil. 4. Georgic. 368

Et caput unde altus primùm ſe erumpit Enipeus.

& ad Cicer. utitur lib. 8: Cœlius antiquitatis amantiſſimus: *Sed ad bellum ſe erumpit.* ita v. c. IV: 1109

ERUMPI, pro, erumpere; ut alibi, *prorumpi.* VI: 582

ERUPTUS, παθητικῶς, ut alibi, *abrupti.* I: 725

ESCIT, erit. antiquum verbum multis locis depravatum Feſt. *eſcit, obeſcit, ſupereſcit,* & in *nec,* ubi tamen eſt, *neceſſit,* pro *nec eſcit.* & in Noct. Attic. lib. 20. cap. 1. *Ævitaſve vitium eſcit.* ubi tamen vulg. *eſſet,* ut & hìc: ſed in v. q. c. inveni, *extit.* hinc reſtitui. ſic apud Ciceronem 3. de Leg. *Civium eſcunt, onus* ſeu *unus, ne ampl. ſ. m. ſ. ſ. creverit. idem* &c. ita difficillimum locum ex judicio doctorum hominum non malè me reſtituiſſe puto. ſic etiam legend. puto illa Legis XII. tabul. verba apud Ciceronem 2. de leg. cap. 60. *quoi auro dentes vincti eſcunt* &c. I: 613

EST CUM, EST QUANDO, Græc. ἔςιν ὅτε, ἔςιν ὡς, id eſt, aliquando, interdum. ſic ἔςιν οἳ, quidam, ἔςιν ἅττα. non nulla &c. ſic Hor. I: 1: 19

Eſt qui nec veteris pocula

&c. VI: 294

EST QUI. eſt ut, non erat ut &c. Græc. ἔςιν ὅπως. *Eſt ut poſſit*; id eſt, fieri poteſt ut, ſeu poteſt. Horat. lib. 1. Epiſt. 12: 2

— — *Non eſt ut copia major*
Ab Jove donari poſſit tibi.

II: 495. V: 977

ESTO, conceſſionis particula, ut Græc. ἔςω & εἶεν. Virgilius 4. Æneidos. 35

Eſto, ægram nulli quondam flexere mariti.

& lib. 12: 822

Cùm jam connubiis pacem felicibus, eſto,
Component.

Cic. lib. 2. de Finib. *Eſto; fecerit, ſi ita vis, Torquatus propter ſuas utilitates.* IV: 1165

ET QUANTIS, ET QUIS, non placet nobis eorum ratio & inſtitutum, qui ex uno verbo metiuntur ſimilia, & efficiunt eadem. ſic, *multare* & *mulcare, antlare* & *anclare: accerſere,* & *arceſſere*; cum binis uſi ſint veteres, nunc una ferè à quibuſdam relinquuntur, non rectè, ut opinor. Idem *in,* & *quantus,* & *maximè, in* & *quis,* accidiſſe plurimis locis comperio: etſi *ecquantis* hìc fortaſſe admiſerim. de *&* *quis* hæc obſervavimus loca: Virg. 1. ecloga. 27

Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſſa videndi.

ita v. Terent. And. prolog. 25. *ut pernoſcatis & quid ſpei ſit relliquum.* ita lego ex v. l. Idem Phorm. Act. 3. ſc. I: 10. *Et quid ſpei porro eſt?* ita v. o. Ovid. 1. Metamorph. 498

Et quid ſi comantur, ait?

ita v. l. vulg. *Ecquid.* Prudentius 2. in Symmach.

— — *Et quis amicus*
Hoſtibus, hanc veſtro ſancte neget.

&c. ita lib. v. optimus Ibidem:

Et quis erit, qui mille meos reprehenderit annos?

ita v. lib. tres: Virgil. 10. Eclog. 28

Et quis erit modus, inquit, amor non talia curat.

ita v. l. & lib. 3. Æneidos: 341

Et quæ jam puero eſt amiſſæ cura parentis?

ita v. lib. Prudent. Apoth. 186

Et quis in Idolio recubans inter ſacra mille,
Ridiculoſque Deos venerans ſale, ceſpite, ture.

ita v. l. ubi *Idolium* ſeu εἰδωλεῖον idolorum valet delubrum, eadem forma qua *Dianium, Minervium* apud Plinium. Graviter, ut opinor, falluntur illi, qui apud Paullum pro menſa vel epulo accipiunt. unde ea eſſet notio? Paulli ad Corinth. 1. ep. 8: 10. verba ſunt: Ἐάν τις ἴδῃ σε τὸν ἔχοντα γνῶσιν, ἐν εἰδωλείῳ κατακείμενον, *epulo* vetus interpres *in Idolio recumbentem.* quis umquam dixit, in menſa vel recumbere vel accumbere? & non potius in lecto, ad menſam ſeu menſæ, ἐπὶ τῶν κλινῶν κατακεῖσθαι, accumbere? conſiderent doctiores; ego non ferendum errorem puto. Ovid. libro 3. Metamorph. 442

Et quis io ſilvæ crudelius, inquit, amavit?

ſic

ſic 5. libri veter. Prudentius in Apotheos. ubi admirabile illud Dei opus, dum ſacrificaret Julianus Apoſtata, commemorat. ℣ 492

— — & quis alumnus
Chriſmatis inſcripto ſignaret tempora ſigno,
Qui Zoroaſtræos turbaſſet fronte ſuſurros,
Armiger è cuneo puerorum flavicomantum
Purpurei cuſtos lateris deprehenditur unus.

Sic lege locum illum, *flavicomantum puerorum cuneum* vocat *flavorum*, id eſt, Germanorum miniſtrorum & ſatellitum, corporiſque Imperatoris cuſtodum ac militum cohortem. Manil. lib. 4: 713

Flava per ingentis ſurgit Germania partus.

pueros populari more vocat miniſtros. De Germanis autem ſatellitibus omnes meminerunt. Tacit. Sueton. Lampridius &c. Verùm hæc extra rem. Rurſum in politiſſ. poëta Hor. lib. 2. Satyr. 7: 32

—— juſſerit ad ſe
Mæcenas ſecum ſub lumina prima venire
Convivam; nemo oleum feret ocius: & quis
Audit, cùm magno blateras clamore, furiſque.

Sic vet. cod. niſi quòd pro, *nemo*, habebat, *nec mon* cum litura; & pro *audit*, *audiet*. hoc fortaſſe rectius, ut fiat ſynizeſis, ut alibi: *Luſcinias ſoliti* &c. *Nemo*, ob hiatum erat depravatum. quo enim hîc interrogatio? quæ etiam aberat a v. c. *furiſque* rectum videtur, id eſt, *furioſè* (ut in gloſſula erat) clamas: clamor hic erat jam pro foribus Mæcenatis. ut vulg. *fugiſque* non videatur convenire, & ſic Acro *ali* in eadem ſatyra, locus eſt (item *aliis*) aliter quàm vulgò ſcriptus inſignis, quem Cantero meo primo auctori relinquo. Jam verò, et verbo uno, indicem hujus rei uſum: *Ecquis*, valet *numquis*: & *quis* valet *quis*. & elegantiæ cauſſa additum parelcon eſt. ſic, & *cur*, dicebant. Maſurius lib. 7. Memorabil. *Et cur, inquiunt, ita eſt; ut tu ſis, quàm equus, curatior?* In Noct. Att. libro 4. cap. ult III: 395

Etesia flabra aquilonum. omnibus notum eſt, qui ſint *venti Eteſiæ*. V: 741

Etiam atque etiam, omnino, certiſſimè, naviter. I: 296

Evan a poëta quaſi cognomen Dionyſii ponitur, ut *Evius*, *Evan*, aliis idem valere dicitur quod *evæ*, ἐῦοι. V: 741

Evius Bacchus. ego hoc nomen in veter. lib. *Euhyus* ſcriptum inveni. V: 741

Evolvere arbores dicitur ventus quaſi extrahere & extirpare. Plaut. Pſeud. I: 3: 83

— — Ego in hoc triduo,
Aut terra, aut mari alicunde evolvam id argentum tibi.

ita & *oculos evolvere* dixit Lucan. lib. 2. VI: 140

Examina, multitudo arborum, tralatè. V: 1363

Exaptus, à Græc. ἐξωρμόσθω & ἐξάπτω. Lucil. lib. 10:

Pellicula extrema exaptum pendere opus ingens.

IV: 829

Exaugere, valde augere. vide *Eximus*. ita Terent. in Heautont. Ennius lib. 8. apud Feſtum. vel pag. 48

Amplius exaugere obſtipo lumine ſolis.

V: 612

Exemplare, videntur extuliſſe veteres in *ar* nomina etiam in *are*. hinc *pugillar*, *pugillare*, *torculare*, *altar* apud Prudentium multis locis, quod tamen vulgo, *altar'* ſcribunt, non rectè, uti puto. imo in *arium*: ſæpe *exemplarium*, *lupanarium* in Jure noſtro. Eadem permutatio in nominibus *al* & *ale* finitis recepta fuit: hinc *capital*, *animale*, *virginal*, &c. II: 123

Exercitum, pro agitatum: hinc *exercitio* apud Agell. II: 96. 119

Exesor murorum æstus, ita *exeſas ædes* dixit M. Tullius. IV: 221. VI: 926

Exest, exedit. III: 1006

Exhalare, ἐνεργητικῶς Vide & *halare* & *ſpirare*. IV: 892 V: 464

Exhinc Forte ita & Suetonius Tiberio cap. 9. ut *dehinc*. & Afranius Privigno:

— — Dehinc
Temeritatem repudio vulgariam.

III: 161

Eximere, liberare. III: 876

Eximii ignes: maximi, inuſitati. ita Plautus Trinummo, *eximios ſumptus* dixit. Sic etiam τὸ *egregius* & *præſtans*, olim utebantur. II: 594

Eximus, *ex* auget, ut *Edurus* apud Ovidium, de Arte Am. 3: 475

Sed neque te facilem juveni promitte roganti:
Nec tamen edurè, quod petit ille, nega.

Sic & Virg. *eduram corulum* & *pirum* dicit in Georgic. imitatione Græci ſermonis: nam & illic ἔκπαλαι, ἐξέρυθρος, ἔξωχρος &c. vide

e &

& *exaugeo.* ſic etiam *excelſus*, & apud Plinium *exalbidus.* & *eſcendo* apud Varronem & Salluſtium in Jugurth. immo Prudent. 2. contra Symmach. *ecelſus* dixit.

Cum ſuper ecelſo pugnarent Numina ſaxo.

ita lib. vet. omnia illa vulgo depravata. II: 607

Exin f. pro exinde. vide Feſt. ut *proin* utitur Salluſt. ſæpe. III: 161

Exire, vitare, declinare. Virg. 11: 749. Æneid.

—— contra ille repugnans
Suſtinet à jugulo dextram, & vim viribus exit.

& libro quincto: 438.

Corpore tela modò, atque oculis vigilantibus exit.

Tralatio à gladiatoribus manaſſe videtur. nam *excedendi* verbo ita etiam Cicero uſus eſt, metaphora à gladiatoribus ducta, teſte Servio. Ciceronis verba à me reſtituta adſcribo. 1. Catilin. 15. *Quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari poſſe non viderentur, parva quadam declinatione, &, ut ajunt, corpore exceſſi.* vulg. *effugi*; utitur acutiſſ. Orator in Catilinam, quem gladiatorem ſubinde vocat, verbis gladiatoriis, *petitiones*, *excedere*, *eludere.* ibid. cap. 1. *Quandiu nos etiam furor iſte tuus eludet?* vide Donatum in Eunuch. Silius lib. 14: 454

—— bonus ille per artem
Crudo luctari pelago, atque exire procellas.

Idem libro ſeptimo: 71

Et captiva paras moriendo evadere vincla.

& ibidem: 628

Evaſit Garamantica tela.

Tacitus lib. Hiſt. 3: 59. *cuſtodias Vitellii elapſum* dicit. Idem in Vita Agricolæ: *Super virtutem hoſtium, locorum quoque difficultates eluctatus.* III: 695. &c.

Exos animantium turba, ut ſunt vermes III: 721

Exossatim. f. incurvè. IV: 1266

Exossato pectore. flexibili, molli, inflexo. ſic & Appul. libro primo: *Inque flexibus tortuoſis enervam & exoſſem ſaltationem explicat cum omnium, qui aderamus, admiratione.* IV: 1266

Expergefactum. ad nervos organorum tralatum. II: 413

Expergitus, Feſt. hinc Agellius *expergere* pro excitare dixit. III: 942

Expers diis, pro deorum. ſic Turpilius: *Expers malitiis femina*; apud Nonium. Catull. de coma Berenic. ✠ 79

Quicum ego dum virgo quondam fuit omnibus expers.

II: 1091

Explicare in flammas. ita Virgil. Ætna:

— — quæ cauſſa perennis
Explicet in denſum flammas.

II: 881

Expoliri artes dicuntur. vide *politus.* V: 333

Exponere. ut *merces exponere.* III: 988

Exporgere, porro agere, exporrigere. ita Feſt. Servius in lib. 1. Æneid. ait *porgo* eſſe Ennianum, pro *porrigo*, quo uſi ſunt Cicero Arato, & Virgilius, ſed alio ſignificatu. I: 931

Exprimere, extorquere magna vi, ἐθλίζεσθαι. III: 494. V: 1097

Exsistere, emergere, exoriri, prodire. ita ſemper Lucret. & vet. hinc in xii. *Si furioſius exſiſtit* &c. libro 1. ad Herennium: quod à quibuſdam male video relatum. III: 155. &c.

Exspargi. ita ſcribebant antiqui. qua de re alibi diximus paullò copioſius. V: 372

Exspergere, foras diſſipare. III: 827

Exspirare. abſolutè. VI: 640, 886

ἐνεργητικῶς. III: 720 IV: 123

Exspuere. tralatè. abicere: ut, *Reſpuere*. *Provomere.* II: 1040

Exstare, eſſe. vide *Conſtare.* III: 974. &c.

Exstructus, exaggeratus; &, ut noſter alibi, *aggeſtus*, accumulatus, denſus. Virg. Æneid. xi: 66

Exſtructoſque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agreſti ſublimem in ſtramine ponunt.

Idem 1. Georg. 283

Ter pater exſtructos disjecit fulmine montes.

VI: 185. 246

Extentare. vide *Frequentativa.* III: 489

Extrarius. perperam quidam hanc vocem e civitate Romana eiciunt. ita *proletarius* & *proletaneus* apud Feſt. Ter. Phorm. actu quart. I: 13.

Nam hanc condicionem ſi cui tulero extrario.

ut q. v. IV: 278

Extritus, ejectus, expreſſus. V. 1097

Fac

F.

FAc veteribus fuit ancipiti intervallo. hoc ignoratur vulgo. hinc in ſcriptis veterum mutationes. Marull. hic bis mutarat in *face*. idem apud Terentium accidit in Andr. act. 2. ſcena quarta, 5. contra v. l.

—— Qua differat te:
Proin tu fac apud te ut ſies.

ita recte v. l. Vulg. *face*. ita & *Sic* Terentius:

Exiſtimat eſſe, ſic exſtimet; ſciat.

veterum hanc ſcripturam, quam & Donatus agnoſcit, & multi veteres habent libri, repudiarunt alii, non recte ut opinior. tribuendum eſt aliquid antiquitati. Sic & Prudentius 2. in Symmach. 45

Sic unum ſectatur iter, ſic inania rerum
Somnia concipiunt & Homerus & acer Apelles,
Et Numa: cognatumque volunt figmenta Camœnæ
Idola convaluit fallendi trina (v. l. *docta*) *poteſtas,*
Hæc ſi non ita ſunt, edatur, cur ſacra vobis
Ex tabulis certiſque poëtica fabula præſtat?
Cur Berecyntiacus perdit truncata ſacerdos
Inguina, cùm pulchrum poëſis caſtraverit Atyn?
Cur etiam Templo Triviæ luciſque ſacratis
Cornipedes arcentur equi: cùm muſa pudicum
Raptarit juvenem volucri per litora curſu:
Idque etiam paries tibi verſicolorus adumbret?

Sic hunc locum ex 3. v. libris reſtitui, vulgo miſerè contaminatum. alibi etiam τῷ *ſic* ita uſus eſt lib. I: 262

Utque Deum ſortes, ſic Apollinis antra dederunt
Conſilium.

ſic v. libri. in quibus tamen eſt: *Atque Deum*, & in uno cum litura, *Idque*, ut in vulg. In ſuperiorib. autem verſibus, *Acer*, ſonat ingenioſus: & *acri cognatum volunt*, hoc eſt, idem volunt figmenta Camœnæ Egeriæ. *Egeriam Camœnam* quia grata Camœnis. Ovidius 3 Faſtorum. 291

Egeria eſt quæ præbet aquas, Dea grata Camœnis:
Illa Numæ conjux, conſiliumque fuit.

Eodem ergo pertinet figmentum illud Numæ de Egeria. *trinam* autem fallendi *poteſtatem* vocat picturam fingendique artem, ſuperſtitionem, & poëſim. hinc omnia idola extitiſſe. *Convaluit*, mirè uſus eſt q. v. d. tria illa ſimul fecerunt ut valerent. id eſt, effecerunt & confirmarunt. Ita ferè & alibi eo utitur verbo in Hamartig. ỳ 190

Viderat argillam, ſimulacrum & ſtructile flatu
Convaluiſſe Dei.

Sic v. l. vulg. *concaluiſſe*. Deinde quaſi occupatione: Hæc ſi non ita ſunt: ſi inquam ea non eſt origo idolorum; ſi ab illis tribus, poëſi maximè & pictura ac fingendi arte ea non manarunt; cur ſacra vobis ex tabulis (ſ. pictis) ceriſque, hoc ad fingendi artem &c. Cur inquam Berecynth. &c. ita ab exemplo confirmat, cur ergo Galli Cybeles ſe excidunt; *cum*, id eſt, niſi quia (obſerva uſum particulæ, *cum*, ut & mox) poëſis caſtraverit Atin: quod eſt, ex fabulis poëticis cognoſcitur Atyn caſtraſſe ſe. Et certè ad ejus exemplum, Catullo etiam teſte, ſibi virilia amputabant Galli teſta Samia. Deinde, cur etiam templo Triviæ &c. aliud argumentum ab exemplo elegantiſſimum. Cur à templo Dianæ arceantur equi, *cum*, id eſt, niſi quòd muſa, ſeu poëſis pudicum illum Hyppolytum raptarit, hoc eſt, raptatum faciat volucri & celeri curſu equorum, atque ita dilaceratum miſerrimè; illum inquam juvenem venandi ſtudioſiſſimum, eaque de cauſa Dianæ gratiſſimum. hinc apud Ovidium tertio Faſt. ubi de nobili illo Dianæ Nemorenſis luco: 390

Hic latet Hippolitus loris diſcerptus equorum;
Unde nemus nullis illud aditur equis.

& apud eundem Phædra Hippolyto. 4: 87

Quid juvat incinctæ ſtudia exercere Dianæ?

& mox:

Arcus, & arma tuæ tibi ſunt imitanda Dianæ.

Poſtremò ait ex ipſo pariete Dianii, in quo depictam innuit fuiſſe hanc de Hippolyto hiſtoriam; ſatis perſpicuum eſſe quod dixerat. Quæſo boni conſulat hanc, ut ita dicam, emanſionem lector: nam in re tam ſterili etſi varia, aliunde etiam voluptatem interdum captamus. Spero nos locum perdifficilem Chriſtiani poëtæ emendatum explicaſſe, non omnino incommode; copioſiùs

ſiùs tamen quàm noſtrum poſtulat inſtitutum. In hoc autem loco herentem explicavit me acerrimo judicio & admirabili doctrina præditus Juriſconſultus Dn. Karolus Bombergus Dan. F. hoſpes de me optimè ſemper meritus. II: 484. III: 422. VI: 535

Face. antiquè, ut *dice.* Priſc. quæ apud comicos ſæpiſſimè ſunt depravata, apud Feſtum *dice*, pro *dicam*, ſcribi debet, vide eundem, *Attinge*, *Recipe* &c. II: 484

Facere. elegantiæ cauſſa verbum hoc adicitur ſæpe, minimè tamen neceſſarium; ſed, ut dixi, leporis gratia intericitur. Cicero 5. Tuſc. 90. *An Scythes Anacharſis potuit pro nihilo pecuniam ducere: noſtrates philoſophi facere non potuerunt?* idem ad Atticum: *Etſi non potuiſti ullo modo facere ut mihi illam epiſtulam non mitteres; tamen mallem non eſſe miſſam.* & 3. epiſt. ad Appium: *Faciendum mihi putavi ut reſponderem.* Obſervarunt hæc etiam duo præſtantiſſimi viri, Budæus & Victorius. I: 67. IV: 1106

Faciendum est animam sensibus auctam. Cic. Sen. 6. *Tanquam longam aliquam viam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum ſit.* vide & Gerund. in *dum.* III: 626

Facies, ſpecies, forma. proprie & in genuina ſignificatione uſus eſt poëta. vide Agell. lib. 13. cap. 18

Facile, ex animo. ut Ter. IV: 1277

Factum male animo. elegans phraſis. qua & Plautus in Milite, & alii utuntur, cùm animi defectionem ſignificant. III: 595

Fæcula, genus condimenti. Horat. lib. 2. Satyr. 8: 9.

Siſer, allec, fæcula Coa.

& ibi Porph. II: 430

Fæx, tralate, pro plebe & vulgo. V: 1140

Falciferi currus. à Livio & aliis *falcatæ quadrigæ*. Græc. δρεπανοφόροι. III: 642. V: 1300

Fallit animi. Virgilius libro 2. Georgicon: 283

Nec ſum animi dubius:

ubi hunc locum expreſſit. I. 921

Fallit animus, elegans oratio, ſumpta à Terentio. utitur & Cicero. Salluſtius Catil. *Niſi forte me animus fallit & vos ſervire* &c. *fallit animi* etiam dicebant. I: 137

Famul. Oſcum verbum, pro *famulo.* Feſt. & Non. Ennius libro octavo :p. 85

— — Mortalem fortuna repentè

Reddidit e ſummo regno ut famul infimus eſſet.

ita leg. quod & Lamb. placere video. Utitur ſtudiosè poëta noſter verbis Ennii. at ille utebatur ſæpe verbis Oſcis, nam linguam etiam tenebat. vide *guberna.* III: 1048

Fastigia surarum et feminum. nihil elegantius umquam dici potuit, ratione pedum, qui baſium loco habentur, ſuraſque velut faſtigia ſuſtinent. IV: 825

Fata: ſic alibi reſponſa, id eſt, certa præcepta, ac dicta: *effata* alii ferè dicunt. V: 111

Fauces ætnæ, Græc. κρατῆρες. I: 725. VI: 702

Faustum tempus. mire uſus eſt voce *Fauſtus* pro oportuno & idoneo: contra alibi dicit *iniquum tempus.* I: 805

Fax iræ, ira, ardor; venuſte. ut *incenſus* ita vulgò dicitur. Virgil. de Junone Æn. I: 33

His accenſa ſuper, jactatos æquore toto,

&c. Rationem hujus metaphoræ ipſe poëta indicat. III: 304

Fax solis, ut alibi *lampas.* Ennius de ſole occaſo lib. 3 p. 113

— — Interea fax

Occidit,

&c. V: 914

Fera tela, ut Ennius: *feroque ornantur ferro.* ita leg. in Noct. Att. lib. 16. cap. 10. II: 48. 102

Feræ. ita vocat animantes omnes rationis expertes, etiam eas quæ minime ſunt feræ aut immanes; ut ſunt oves, canes &c. atque ita veteres alii ſæpe ſunt locuti. Cic. lib. 1. Offic. *Neque ulla re longiùs abſumus a natura ferarum, in quibus ineſſe fortitudinem ſæpe dicimus, ut in equis, in leonibus, juſtitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus, ſunt enim rationis & orationis expertes.* IV: 690

Ferme, pro valde videtur poſitum. ut in Noct. Att. lib. 14. cap. 2: *ferme bonus vir.* III: 65

Ferre. pro *differre*, *diſſipare.* ut Plautus *famam ferre* dixit in Caſina. IV: 333

Ferri mota, ferri mobilitata, concita. I: 1075. V: 425

Ferrugineus, videtur tamen poëta dixiſſe *ferruginus*, ut *primigenius* & *primigenus*, *ahenus* & *aheneus.* IV: 74

Ferratus. verbum Ennianum. p. 128

— Poſt-

— — *Poſtquam diſcordia tetra*
Belli ferratos poſtes, portaſq. refregit.
hos verſus Ennii adducit Horatius Sat. 4. lib. 1. ℣ 101. in quo ſermone antiquum verbum repperi *afore.* ibi,
Quod vitium procul afore chartis.
ſic opt. vet. lib. verbum illud exulat hodie Roma, cùm in Pand. Flor. etiam interdum ſit *afuit*: & in Tacito: quæ tamen hodie mutarunt alii. ita *aruere* dixit Varro libro 4 *Aratrum quod aruit terram, id eſt, proruit à ſe.* ſic ibi ex v. leg. Durum eſt etiam illud *farratum* apud Perſium Sat. 4. 28. locum adſcribam totum, quia vulgò & malè ſcriptus & perperam interpunctus mihi videtur:
Qui quandoque jugum pertuſa compita figit;
Seriolæ veterem metuens deradere limum:
Ingemit, hoc bene fit, tunicatum cum ſale mordens
Cape, & farratam pueris plaudentibus offam &c.
Ita in v. c. repperi. *mordere offam* rectiùs videtur, & commodiùs dictum, quàm quod vulgo *ollam. quandoque* pro *quandocumque* ut aliàs ſæpe. Haud ſcio an rectius eſſet *farreatam*, ut ſit ſynæreſis. vide hìc VERSUS. *farreare* enim, *confarreare* & *diffarreare* dicebant veteres. VI: 550

FERT VIA. elegantiſſimè omnes veteres ſcriptores. V: 104

FERVERE, tralatè, ut *ardere.* II: 41

FERVISCERE, mille locis uſus eſt poëta noſter, atque ita ſcripſi ex v. l. Ita Pacuvius Atalanta, *capiſſere*: ſic *Algiſcere.* Varro Teſtamento: *Natis quos Menippea hæreſis nutricata eſt, tutores do*:
Qui rem Romanam Latiumque algiſcere vultis.
ſic leg. puto: in v. l. *alciſcere.* f. etiam *augeſcere.* vulgo, *adſciſcere*, apud Nonium. *Nutritur.* Ita & *incurviſcere*, Cicero apud Nonium: *Flacciſcere*, Pacuvius Chryſe: *Interea loci flucti flacciſcunt, ſileſcunt venti, mollitur mare.* ſic leg. apud Non. *flucti.*

FERUM FERRUM. ita & Ennius. II: 102

FERUS. prima ancipiti. hinc *feralis.* fit long. *glomus.* d. lib. 1. primam produxit, cùm alii poëtæ corripiant. vide & *vacillo.* ſic *ratus* produxit Prudentius:
Præfectus ergo ratus elinguem virum.
III: 46

FIAT monoſyllabum. ſic *defiat* alibi: ita *fuit* Lucil. lib. 14. Fragm. 6. apud Non. *Nebulo*:
Publius Pavus mihi Tuditanus quæſtor Hibera
In terra fuit, lucifugus nebulo id genus ſanè.
ſi modò ita legantur illi verſus. Et apud Terent. Phorm. 4: 4: 9
Quid minus utibile fuit, quàm hoc ulcus tangere.
ita omnes ferè lib. vet. miror ab aliis mutatum. *utibile* pro *utile.* Priſc. In eodem loco. ex v. q. legerem libentius, *fient.* me vide. *ANT. Pater exit. G. abi*, &c. vide & *Duellicus.* VI: 609

FICTUS prò *fixus* antiquiores dixiſſe comperior. id quod etiam *Diomedes* lib. 1. his verbis indicat: *Figor, inquit, ambiguè declinatur apud veteres tempore perfecto. reperimus enim fictus & fixus. Scaurus de vita ſua: Sagitta, inquit, confictus*: ſatis dictum ſapienti, ſed nobis vulgo ſcribentibus copioſius agendum eſt, ut verbum inſigne ſepultum hactenus eruamus in luminis oras. Utuntur ergo eo primùm poëta noſter, deinde Cic. lib. 3. de Oratore: 117. *Referte nunc animum ad hominum, vel etiam ceterarum animantium formam & figuram, nullam partem corpori ſine aliqua neceſſitate affictam, totamque formam quaſi perfectam reperietis arte, non caſu.* ita nos: vulg. *corporis* (quod etiam retineri poſſet) & *effectam.* ſic & alibi *manus affixit* dixit Cicero. Multa antiquitatem redolentia in iis libris præſtantiſſimis latent hodie, partim depravata, partim non intellecta. Varro ſæpius in l. de re Ruſt. lib. 3. ita ait: *Intus ternorum palmorum ex omnibus partibus ſub ordines ſingulos tabulæ fictæ.* ibidem: *Sed omnia ſæpta adficta villæ.* eodem lib. *Duabus virgis viſcatis defictis.* &: *Aut exſculpta, aut adficta firmiter.* Auſim etiam lib. 2. Æneid. 545. legere:
— *Rauco quod protinus ære repultum eſt.*
cùm v. omnes lib. ferè habeant, *ſepultum eſt*, teſte Joanne Pierio: *pultum* enim dixiſſe veteres etiam pro *pulſum*, è verbo *pulto* cognoſcimus. ſic & *mertum* pro *merſum*, & *mertare* pro *merſare* eos dixiſſe ex Nonio perſpicuum eſt: ubi tamen mendum eſt turpe. *Mertaret* inquit, *pro merentem*, &c. leg. puto, *mœraret, pro mœrentem facerent.*
Attius Myrmidonibus:
Quod ſi, ut decuit, ſtares mecum, aut meus mœraret dolor:
Jamdiu inflammari, & ardere naves vidiſſent ſuas.

mœrandi verbo etiam Pacuvius uſus eſt. III: 4

Figuræ. pro atomis. vet. II: 341. &c.

Figurare dicuntur labra vocem, id eſt, formare, creare, fingere, efficere, non puto orationis σχήματα & σχηματίζεσθαι hîc redditum. IV: 554

Figurare uſus eſt doctiſſimus poëta in re muſica, ut qui non ignoraret σχήματα, apud ſymphoniacos eſſe uſitatiſſima, unde & σχηματοπέια, apud Athenæum. ita vocant geſtus ſaltantium organicis modulis accommodatos: Latini *ſtaticulos* videntur dixiſſe, nos hodie *paſſus* dicimus. II: 413

Filatim. plurima ſunt cum aliorum omnium vet. tum hujus noſtri poëtæ adverbia in *tim*, *juxtim*, *inſertim*, *exoſſatim*, &c. II: 830

Filum tralatè textura. filum autem poëta extremitatem corporum ac rerum vocat, oras extremas, alibi *circumtexturam*, *circumcæſuram*, *faciem*, *ſpeciem* vocat. V: 581. 621

Fines juris transcendere. ita Cic. *fines honeſti*. III: 60

Firme, conſtanter, aſſiduè, &c. ſic accipiendum videtur, etſi plurimum dubitem. II: 218

Flabra etesia. V: 741. &c.

Flaccidum, languidum, pigrum. V: 631

Flagrans puella, tralatione perleganti, id eſt, ardens, ſæva, proterva, Xantippe altera. Tacit. lib. 14. *Civitati grande deſiderium ejus manſit, per memoriam virtutis & ſucceſſorum, alterius ſegnem innocentiam, alterius flagrantiſſima flagitia & adulteria*. vide *Lamp*. IV: 1159

Flamma crepitans. ita & Virgil. vide Macrob.

Flectere, regere. III: 510. 515. 521

Flere, ſtillare, rorare. ita & *lacrima*. vide *fleti* & *ſudor*. ita Pru. Cathem. hym. 5: 23

> *Ambuſti quoniam vis facit ignea*
> *Nubem de madido flere cacumine.*

& περιστεφάνων hymno 10: 705

> *Quem plaga flerat roſcidis livoribus.*

ſic rectè q. l. & vulg. & vet. Non abſimili ratione Ovid. 2. Metamorph. 237

> *Tum facta eſt Libyæ raptis humoribus æſtu*
> *Arida: tunc nymphæ paſſis fonteſque lacuſque*
> *Deflevere comis.*

ſic optimus vet. codex elegantiſſ. quaſi deſierunt flere, manare, ſtillare. ſic dictum. videtur *debellare*, Germanicè *uitſchreyen*, *uitdruypen*. & flendi verbum venuſtè congruit comis paſſis: nam hoc luctus indicium eſt. vulg. *defluxere*. Columell. Hortulo:

> *Aut fons illacrimat putei non ſede profunda.*

Ut autem *deflere*, ita *detumeſcere* dixit Aurelius Prudent. Peri Steph. Rom. 10: 142

> *Nonne curſim tranſeunt*
> *Faſces, ſecures, ſella, prætextæ togæ,*
> *Lictor, tribunal, & trecenta inſignia?*

ſic ibi ex v. lib. vulg. *prætextæ*, *toga*. Toga magiſtratui cum privatis erat communis, non item prætexta toga. I: 350. IV: 1030

Fleti sanguine. id eſt, reſperſi. vide *flere*. utitur *fleti* verbo & Virg. ſed in ſignificatu vulgario. agit hic poëta de Cybeles ſacerdotibus, & certè Galli illi ſe cruentabant olim. Ovidius in Ibin, circa medium:

> *Attonituſque ſeces, ut quos Cybeleia mater*
> *Incitat ad Phrygios vilia membra modos.*

hinc & Lucanus Gallos hos vocat *ſanguineos*. II: 631

Flexura. vide *poſitura*. IV: 313

Flexus brumales. ſic eleganter expreſſit τροπὰς χειμερινὰς, ſumpta credo tralatione à curriculi flexu & camptere. ita & Cic. in Arato:

> *Brumali flectens contorquet tempore curſum.*

& eleganter initio lib. 1. de Orat. 1. *Si infinitus rerum forenſium labor, & ambitionis occupatio, decurſu honorum, etiam ætatis flexu conſtitiſſet*. V: 1271. 639

Fligere. antique pro *confligere*, ut *ventare*, &c. apud Feſt. uititur & Virg. II: 85

Florent præclara facta, litteris prodita memoriæ. V: 329

Florent urbes pueris. ita ferè dixit. ut alibi, *canunt ſilvæ*. admirabili ſuavitate. Servius ait Ennium, Lucretium, & Virgilium verbo *florendi* uſos variis omnino in rebus. ſic Prudent. *urbem ſepulcris florere dixit*. I: 256

Florentia lumina flammis. elegantiſſima tralatio, id eſt, ſplendida, & latè lucentia. tale quid Actius dixiſſe videtur, etſi locus videatur mendoſus in Telepho: *Ære atque argento fervere igne inſignibus florere*. & hîc noſter alibi.

Flo-

Floret mare navibus, elegantiſſima tralatio. nos etiam *pomarium* dicimus τὸ flumen, in quo multas naves eſſe videmus. I: 256

In ipsis Floribus; quaſi proverbialiter dictum, pro in voluptate ipſa. IV: 1128

Floriferi saltus. III: 11

Flos ævi, vel *ætatis*, ut apud Teren. Eunucho, vigor, ἀκμή. I: 556. 565. III: 771

Flos bacchi, id eſt, odor, ſeu vinum præſtantiſſimum & optimum, ut Livius *florem Liberi* dixit. III: 222

Flos flammæ. ita alibi *florentia lumina flammis.* elegantiſſima tralatione. & Martianus lib. 2. *florem ignis* dixit. ſimiliter Virg. 5. Æneid. *ſemina flammæ* dixit, & Homer. σπέρματα πυρός. *floreni* etiam *flammæ* dixit Homer.

Αὐτὰρ ἐπεὶ πυρὸς ἄνθος ἀπέπτατο, παύσατο δὲ φλόξ

Hor. etiam ſuo more audaculus νεοτερεισὴς, epod. 17. *virentem flammam* dixit: nam ita omnes ferè vet. vulg. *urens*, male. vidé & hîc *florere.* I: 899. IV: 452.

Flos nardi elegantiſſ. pro nardi odore & unguento ſuaviſſimo. ita Cato de ſale: *Uſque adeò in ſolo habeto donec concreverit, inde flos ſalis fiet.* id eſt, ſalis pars optima, & candidiſſimum ſal. ita fere Apoll. Tyaneus μανίαν eſſe ἄνθος τῆς ὀξυθυμίας. ſic Favorinus eleganter *florem cœnæ* dixit, delicatiſſimam cœnam ſeu delicias; in Noct. Att. lib. 15. cap. 8. II: 847

Fluctare videtur dixiſſe poëta, quod *fluctuare* uſitatiùs: nam teſtatur Priſc. lib. 9. *fluo, fluxi, fluctum* dixiſſe veteres. vide & *fluctus.* III: 190

Fluctifragum litus vocat egregie, ad quod alliſi fluctus franguntur. *fragere* antiqui pro *frangere* utebantur. hoc autem Homer. optime expreſſit Il. δ.

Ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης
Ὄρνυτο,

&c. ita & *frangi fluctus* dixit alibi. I: 306. VI: 695

Fluctus belli, motus. vide & *æſtus.* Arnob. lib. 2. *fluctuare* dixit pro *moveri.* V: 1289

Fluctus irarum. imitatus Virgil. lib. 12. Æneid. 831

— — *Irarum tantos volvis ſub pectore fluctus.*

eodem lib. 499. dixit *habenas irarum.*

Irarumque omnes effundit habenas.

quod mire profectò dictum. eò pertinet illud Hor. Ep. I: 2: 62. de ira:

— — *Qui niſi paret,*
Imperat. hunc frenis, hunc tu compeſce catena.

idem Virg. 4: 532

— — *Magnoque irarum fluctuat æſtu.*

III: 299. VI: 73

Fluctus lapidis. ita æſtus alibi. VI: 1051

Fluctus seminis. ita Act. Telepho:

Flucti cruoris volverent mihi.

Nonius. IV: 1030

Fluenter, ita *properanter*, &c. IV: 226. VI: 931

Fluentum, rivus. V: 647

Fluere, moveri, recedere: ita ſæpiſſ. noſter. vide & *defluere.* & Attius: *Dextrorſum orbem flammeum radiatum ſolis liquier curſu novo.* vide & *fluitare.* II: 68

Fluere. Erudite hoc verbum ventis adjungit poëta: nam, ut aiunt philoſophi, fluor aëris eſt ventus. Hinc & apud Feſt. *Confluges loca dicuntur* &c. ita legendum puto ex Nonio. I: 281

Fluidæ frondes, id eſt, caducæ. II: 596

Fluitari, motitari, ludere: de veſtibus. ſic Catull. de Pel. & Thet. nupt. Propert. Ovid. &c. item agitari, volitare. II: 1010. &c.

Flumen pro fluxu. ita Virg. ſæpe & Cic. Arato:

Delapſum flumine fontis.

ſic rumor ἀντὶ τοῦ ῥοῦ ponunt ſeu æſtu: *ruere* enim dicitur aqua profluens. II: 354. VI: 26

Flumen luminis, tralate. vide *liquidus.* V: 597

Flumen magnetis, ut *æſtus* alibi. VI: 1062

Flumen picis. ita & *flumen ſanguinis.* genuina ſignificatio, ut *numen*, &c. VI: 26

Flumina nili, pro Nilo. ita & Martial. 1. 3

Deprenſi flumina Nili.

ſic Virg. *Permeſſi, Alphei, Mellæ flumina*, pro flumen. vide & *montes.* VI: 1112

Fluminis fluctus. hoc obſervatione digniſſimum, ſi modò locus mendo vacat. IV: 1030

Flutare pro *fluctuare* in vet. libro reperitur; ego mendum puto. conſiderent doctiores. III: 190

Fluvidus. etſi geminato *u* ita ſcribant interdum veteres, ut *pluvi*, &c. non ea de

causſa

cauſſa producunt ſtatim.] Ovid. 4. Metamorph. 482

— —*Fluvidoque cruore rubentem*
Induitur faciem.

& lib. 15: 362

Nonne vides quæcunque mora fluvidoque calore.

ſic in vet. cod. repperi: aliâs tamen produci ſolet. priore autem modo *u* exteritur in metiendo, ut apud Catull. *juverint*, *invidia* apud Terent. de quo Priſc. lib. 1. II: 465. &c.

Foedus. à politicis actionibus ad diſputationes tranſtulit poëta hoc vocabulum: *hoc inter nos fœdus eſto*, ſit hoc inter nos conſtitutum ac certum. II: 890. vide & II: 302

Folgur, pro fulgore. vide & *fulgur*. IV: 191

Folliculus. monet Maurus *folliculum* pro vulva ſeu utero à veteribus poſitum, quod & huc facit. V: 801

Fons leporum, ſuaviſſima dictio. IV: 1127

Fores venuſtè pro oculis poſuit. Heſych. Ἠελίοιο πύλας, τοὺς κύκλους, δι' ὧν τὰς πορείας ποιεῖ ὁ ἥλιος, οἱ δὲ ἀλληγορικῶς τοὺς ὀφθαλμούς. vide & *poſtes*. III: 366

Foris f. cum caſu, ut ἔξω. II: 1044

Formamenta, formæ. II: 818

Formatura. conformatio, forma. vide *poſitura*. Arnob. (cui noſtri poëtæ verba quædam à communi uſu remotiora mirificè placuerunt, & quaſi in deliciis habita ſunt) lib. 2. utitur ita ut diximus, *ille non nobis ritu aut aſini, aut porci, aut ſi ullum eſt animal tardius, conſpiciet, & quidem formaturas varias reſpectans*, &c. IV: 555

Forsit, pro fortaſſe vide Serv. 11. Æneid. & Porphyr. 1. Sat. 6. & Priſc. 15. Att. 1. od. 27. Horat. contrà v. o. l. & interpretes non admiſerim. VI: 735

Fortis equus. epitheton à triumviris illis Ennio, Lucretio, & Virg. tributum equo. Ennius apud. Cicer. de Senect.

Sicut fortis equus, ſpatio qui fortè ſupremo, &c. Virg. lib. II: 705

— — *Quid tam egregium, ſi femina forti*
Fidis equo?

Nonius hîc *forti* accipit pro celeri. *fortis* pro acri ac vehemente, uti ſolent antiqui ſcriptores omnes. Cicero plurimis locis. unum adſcribam e lib. 2. de Orat. 183. ubi cùm docuiſſet ad cauſſam ſeu litem obtinendam multum valere probos oratoris mores, & moderatam orandi rationem; non pertinaciter litigandum, non acerbe ſemper, ſed facilitate & verborum comitate, vociſque lenitate utendum ſæpius. hæc igitur ubi dixit Cic. vel Antonius; tandem addit: *Sed genus hoc totum orationis in iis cauſſis excellet, in quibus minus poteſt inflammari animus judicis acri & vehementi quadam incitatione: non enim ſemper fortis oratio quæritur, ſed ſæpe placida, ſummiſſa, lenis, quæ maxime commendat reos.* hæc fuſiùs, quia vulgo non ſatis nota. III: 8

Fragor, *fractio*. venit à *frago*. hinc & *fragiſco*, quod eſt frangor. Pacuv. *Fragiſcit animus miſeris*. Non. & *fœdifragus*, *fluctifragus*, &c. I: 748. &c.

Fragosum, fragile. II: 859

Frangit ætas vires, id eſt, minuit. ita Varro *frangi æſtum* dixit. II: 1131

Fraudi esse, elegans dictio. noxæ eſſe etiam dicebant veteres, ut ex Livio obſervavi. ita doctiſſimus poëta Virgil. 11. Æneid. 708

Jam noſces ventoſa feret cui gloria fraudem.

ſic eum locum legendum eſſe mihi omnino perſuadeo, cùm & vet. libri meliores ita habeant, & Servius ita legat, dicatque veram eam eſſe & antiquam lectionem: & quod præcipuum eſt, melior ac eruditior inde exiſtat ſententia. doctè ibi omnia Servius: miror vulgo tamen magis *laudem* probari: ſed vetera pleriſque ſunt ἀρχαῖα, ac vilia, mihi aurea. VI: 186

Frenat glacies fluvios. Virg. imitatus 4. Georg. 136

— *Et glacie curſus frenaret aquarum.*

vide & *Nervus*. VI: 530

Frequentativis verbis ſæpe utitur Lucretius, ut & Salluſt. *imperitare*, *diſcrepitare*, *peritare*, *nominitare*, *fugitare*, *cœptare*, *negitare*, *renutare*.

Fretu. Priſc. lib. 1. I: 721

Fretum ætatis, ut *æſtus*, & *fervor*. IV: 1024

Fretus, antique Nonius. Fretus anni, egregia tralatione. i. illud tempus quod interjectum eſt, ſeu attingit unius ὥρας extremum & alterius initium. *fretum* eſt enim mare artum, interjectum inter duas regiones. vide *nodus*. VI: 363

Fria-

Friare, comminuere. I: 888

Fructus, pro fruitus ſeu uſus eſt, à *fruor.* Priſc. ex Cic. Hort. *Et amœnitate ſumma perfructus eſt.* ſic alibi *perfructus*, & in quadam Inſcriptione C. Nævius ɔl. Dromo, et Nævia ɔl. Philumena, dum licuit, suaviter fructi sunt annos lv. III: 953

Frui aliquid. vide Nonium. & hîc *utor.* IV: 1074

Frundiferæ. ita auctoribus v. l. & grammaticis ſemper ſcripſi, ut & *frundes*, *frunde*; à *fruns.* itaque olim ſcripſerat Virgil. 2. Georg. teſte ibi Servio & Nonio. ita & Enn. (p. 328.) apud Auſonium in Monoſyll.

Aut de fronde loquens cur dicat populea fruns.

ſic & Ovid. 13. Metamorph. 664

Nil præter frundes quare peteretur haberet.

ita v. q. l. ſed & Virgilius, Servius & Nonius hactenus ſunt mendoſi. vide etiam Priſcian. lib. 1. & Soſipat. lib. 1. 1: 19. &c.

Fuat, ſit, Non. IV: 641. V: 584

Fucus, color. II: 744. IV: 82

Fueret, eſſet, ut alibi diſyllabum. mutatum hoc ſæpe eſt in *fuerit* vel *fuerat* ut apud Virg. 7. Æneid. 38

Quis Latio antiquo fueret ſtatus.

v. q. *fuerat*, alii, *fuerit.* ſic & in Noct. Atticis alicubi, & hîc ſæpe. III: 848. V: 1342

Fugere, negare. vide *refugere.* II: 925

Fugiens vita, ferè ut *fugiens vinum.* V: 885

Fugit se. elegantiſſima phraſis, ſe fugere ſtudet, qui animum vel animi affectionem mutare cupit. utitur ter Horatius. Ariſtot. φυγεῖν ἑαυτὸν. III: 1081

Fulgere locus dicitur lumine illuſtratus; ita de litoribus Silius lib. 7: 360

Per juga, per valles errat Vulcania peſtis,
Nuſquam ſtante malo; vicinaque litora fulgent.

Prud. Vincentio 5: 269

Nam carceralis cæcitas
Splendore lucis fulgurat.

in v. l. *fulgorat.* V: 575

Plaut. Amph. 5: 1: 15. & 41

Totæ ædes conſulgebant tuæ, quaſi eſſent aureæ.

Fulgere ut *fervere videre*, &c. Nonius V: 1094. &c.

Fulgor pro fulgure. Cic. lib. 2. de Conſul.

Proſpera Juppiter his dextris fulgoribus edit. VI: 169

Sic & Virgil. lib. 8: 431

Fulgores nunc horrificos, ſonitumque, metumque
Miſcebant operi.

Fulgur, fulgor, ſeu lumen. II: 163. &c.

Fulmen belli Scipio. ita Virg. 6. Æneid. Sic elegantiſſ. vocat ardentiſſimum, & navum Imperatorem. ita Græci Antiochum vocabant *Ceraunum*, ob audaciam, inquit Pauſanias. & hoc ſumſit Virgil. lib. 6: 844

— — Duo fulmina belli
Scipiadæ.

& lib. 4. Georgic. extremo, ubi de Octaviano. 561

— Cæſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello.

Fulmina Pericli erant in actionibus maxime urbanis. III: 1047

Fundit sol ardorem. VI: 690

Fundit sol radios. Seneca dicit, *ſpargit ſol radios.* Virgilius *ignes fundunt lumina.* Boëth. de Conſolatione Philoſophiæ lib. 1. metr. 7

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sidera lumen.

vide *flumen* & *liquidus.* hinc & radiorum illa ἐκχύσεις apud Cic. lib. 2. ad Att. II: 113. &c.

Funditus, in imo loco. V: 498

Fundo. f. pro *funditus*, ut & Virgil. 10. III: 83

Fungi, pati. ita *pœnæ functi*, Modeſtino Juriſconſulto in l. in metallum, de pœnis. *fungi* enim *munere*, id eſt, ſuſtinere. ita Lucil. elegantiſſ. lib. 5. Fragm. 11

Lenius pauperiem ac ſe ingentia munera fungi.

ſic leg. puto, pro *ait ſe.* I: 442. 444. &c.

Funis aurea. ait poëta ridiculum eſſe ſi quis dicat primos homines e cælo quaſi fune demiſſos. aureum vero potius funem quàm ex qua alia materia confectum dixit: quia ad Homeri figmentum reſpiciebat, id quod etiam notare voluit, de quo Iliad. β. Nonius porrò ut rarum in feminino genere verbum hoc obſervavit. II: 1153

Furor venti. ita Ennius dixerat: *furentibus ventis.* Virgil. 1. Æneid. *furentibus auſtris.* I: 276

Furtim. clam. IV: 1160

G.

Gaudere, valde cupere, malle. Græc. χαίρειν. III: 614

Gelus. Nonius, & Priſc. V: 206. &c.

Geminare, geminum & duplex eſſe. abſolutè, ut *variare, præcipitare.* IV: 453

Geminationes verborum eorundem, aut certè ſimilium, veteribus fuerunt perfamiliares, non poëtis, verùm etiam oratoribus. quod etſi ut vitioſum minores reprehenderint ac repudiarint; ego tamen & hîc majores libentius ſequar, modicè tamen, atque ita, ut quandam vim fere habeat illa duplicatio. proferam teſtimonia, ut res intelligatur. Cic.

O fortunatam natam me conſule Romam.

Virg. Georg. 2: 281

— — *Ac latè fluctuat omnis*
Ære renidenti tellus.

& lib. 2. Æneid. 282

Quæ tantæ tenuere moræ?

Neque verò poëtæ tantum, verum oratores ipſi hæc amarunt: ut ex Cic. Livio, aliiſque multis ſcriptoribus perſpicuum eſt. verùm ea, ut dixi, vitioſa putarunt recentiores, non minimo, uti opinor, errore ac vitio. Propert. 2: 1: 47

— — *Laus in amore mori.*

Virg. 2. Æneid. 494

Fit via vi.

& lib. 11. Æneid. 552

Telum immane manu valida

&c. Ovid.

Solus amor morbi non amat artificem.

II: 15. V: 1333

Geminus. videtur uſus poëta, copioſiſſimus & caſtiſſimus ſcriptor, pro pingui, turgido, obeſo, amplo. certe lib. vet. fere *iamina* habent, & ſolent ſæpe librarii *ge* in *ie* commutare, adfinitate pronuntiationis: ita in antiquiſſimis lib. Priſcian. 7. vidi ſcriptum ex Virg. Ecl. I: 69

Pauperis & tuguri conjectum ceſpite cultum.

cùm ſit leg. *congeſtum.* ſic *majus* pro *magis* ſæpe inveni. ita Galli *javelin, jardin,* &c. dicunt. quod apud nos (quorum ea ſunt nomina) *gauel, gaerde.* iidem ex *geniſta* deformarunt *jeniſte.* Ad ſimilitudinem autem Græci ſermonis *geminus* pro obeſo uſus eſt. nam illi διπλοῦς ita ſæpe uſurpant. unde & Virg. bis terve, *duplex* pro amplo & craſſo poſuit. hinc & *tergeminus* & *ſeptem geminus*, ac ſimilia, pro ingenti & ampliſſimo ac maximo. Ovid. *turgidam* hanc vocat puellam & ὑποκορισικῶς *plenam.* ut lib. 2. de Arte Amandi, 659

Si pæta eſt, Veneri ſimilis; ſi flava, Minervæ:
Sit gracilis, macie quæ malè viſa ſua eſt.
Dic agilem, quæcumque brevis, quæ turgida, plenam.

& lib. 1. de Remed. 325

Quàm potes in pejus dotes deflecte puellæ,

&c.

Turgida, ſi plena eſt; ſi fuſca eſt, nigra vocetur.

ſemper ea corporis amplitudo vitio data eſt. Terent. Eun 2: 3: 20

Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum, quas matres ſtudent
Demiſſis humeris, vincto pectore, ut gracilæ ſient:
Si qua habitior paullo, pugilem eſſe aiunt: deducunt cibum.

Quid ſibi velit Donat. eo loco, non intelligo. ſed ohe jam ſatis, neque enim lexicon conradimus. IV: 1162

Gemmare dicuntur herbæ rore. II: 319

Generale, id eſt, ſui generis ac ſæculi. I: 584

Generaſcere. ſic alibi *teneraſcere.* III: 745

Generatim, pro, *generale.* ita Cæſ. *generatim conſtiterunt Galli ſuos.* I: 230. &c.

Generis mutatio. ſolent ſæpe veteres nomini in orationis ſerie collocato adicere aliud genere non reſpondens; ſed aliud potiùs, quod quidem vi & notione cum illo conveniat, genere non item. ut ſunt *genus* & *gens*: *fetus* & *fetura*: *arbor* & *arbuſtum*; *flumen* & *fluvius.* &c. puto enim tam conſimilia debere eſſe & notione & ſono hæc verba; ut alterum non expreſſum lectori ſtatim ſuccurrat; aut certe difficilem non habeat quæſtionem. ſic Varro lib. 1. de Re Ruſtic. cap. 12. *Sin cogare ſecundum flumen ædificare; curandum ne adverſus eum ponas. hieme enim* &c. *eum.* ſ. fluvium, & tamen in orationis ſerie expreſſum eſt *flumen.* ſed eum locum ita ex v.l. repurgavit P. Victorius. vulgo enim erat, *ne adverſus eurum ponas* &c. ſimili ratione videri poteſt

poteſt extuliſſe noſter eum verſum, Lib. I: 353

Quod cibus in totas uſque ab rad.

tametſi enim in præcedenti verſu arbuſta expreſſerit poëta, eique illud, *totas*, genere conveniat: quia tamen alteri vocabulo quod illi *arbuſta* vi reſpondeat, nempe *arbores* adcommodari poteſt; ut ſit, in totas ſ. arbores, id eſt arbuſta: ea inquam re non contemnenda videtur ea ſcriptura; immò, etſi libri varient, retinenda ſola ac defendenda. nam ut admonui ad oram libri, varietas eſt magna ſcripturæ. neque mutari debuit illa ſcriptura, quia rarior hæc ſit loquendi forma. plura cotidie ex v. l. exſculpentur, quæ vulgo ſunt inducta. ſic & Lib. IV: 117

Harum inteſtinum

&c. cùm tamen antecedat, *animalia*. ſed cùm in vet. o. l. ſit *harum*, ſubintelligi debet conſimile nomen, *animantium*. ſimile quid & eſſe poſſet. IV: 60

Illorum ſpoliis.

nam præcedit, *lubrica ſerpens*. ſed præſtat τὸ *illorum* referre & ad ſerpentem & ad vitulos ac cicadas. Similis & pænè gemina eſt ea grammaticorum obſervatio de generum varietate; ut Terentius in *Eunucho ſua*: Virg. Æn. 5: 122

Centauro invehitur magna

&c. Et quòd ad rem potius, quàm ad vocem fiat relatio aliquando: Ennius lib. 10. Annal. pag. 91

Inſignita ferè tum millia militum octo
Duxit delectos bellum tolerare potentes.

& Valerius lib. 1: 26

— — Fratriſque paventi
Progeniem, divûmque minas: hunc nam fore regi
Exitio. —

Hæc ſumus perſecuti copioſiùs, ut antiquitatis illuſtretur cognitio, ac ſtudium probetur magis. Sic & Lib. V: 503

Nec liquidum corpus turbantibus aëris auris
Commiſcet; ſinit hæc violentis omnia verti
Turbinibus.

& Prudent. lib. 2. in Symmach. ℣ 504

— Et creditur iſtis
Numinibus, qui transfugio meruere ſacrari.

Sic ibi enim vet. lib. aperte. vulg. *quæ*. quod unde manârit, perſpicuum eſt.

Genetrix. ita hîc ſcribendum, & multis apud Virgilium locis. vid. *Cuppedo*, & Pierium in Virg. I: 1. II: 599

Geni, antique pro *gigni*. Cato, Varro, antiquiores omnes utuntur. Priſcian. lib. 3. III: 798

Genitabilis. ſ. vide *ærumnabile*, *averſabile*. I: 168. &c.

Genitale tempus mundi, alibi *principiale* dicit. apud Varr. lib. 4. de Ling. Lat. *genitabile tempus cæli & terræ*. II: 1104

Genitivi pluralis syncope in nominibus neutris; *principium*, pro *principiorum*, quod carminis ratio excuſat; alioqui non licet, inquit Plinius apud Servium. raro & hoc ſervant poëtæ. Pacuv. apud Cic. in Orat.

Concilium ſocii, augurium atque extûm interpres.
Poſtquam prodigiûm horriferûm, portentûm.

etſi Cicero non neget eſſe durum. II: 936

Gentes hominum Italæ. ſ. pro gentes hominum Italorum. Conſueverunt veteres adjectivum nomen, duobus ſubſtantivis aptum, ſæpe tribuere illi cui minus ex vi ipſa conveniat, idque vel elegantiæ, vel verſus, vel utriuſque denique cauſſa. Virgilius Georg. 3: 382

Gens effrena virûm:

pro, ferorum hominum. Martial. 1: 77

Pierios differ cantuſque choroſque ſororum.

& antiq. poëta apud Cicer.

Ubi initiantur gentes orarum ultimæ.

eaque ratione non incommodè defendi poſſe judicabunt docti. I: 120. II: 1075

Genus, ſeu gens avium, piſcium &c. ſic Homerus ἔθνος dixit. V: 860

Gerere, Gerendi verbo Lucretius pro creare, efficere, producere, interdum etiam pro movere utitur. credo quòd à motu & geſtione omnia gigni dicat Epicurus. Lamb. verbum illud ex hoc poëta amovit, contra o. l. refellit eum locus ille qui eſt I: 718. ubi *geſſit* utitur pro creavit & produxit. & ille qui eſt I: 479. ubi ait *res geſtas*; id eſt, creatas, ortas, & alia nonnulla. Scio apud Varr. lib. 1. de Re Ruſt. τὸ *genat* mutatum in *gerat*. ſed hîc omnes libri veteres habent conſtanter verbum *gerendi*: uno loco excepto, ubi & manu formiſque deſcripti & Priſc. habent *geni*. in Varr. autem vet. lib. habent *genat*. Sic accipi non incommodè poteſt

f 2 quod

quod Varro lib. 4. ait de Ope, ſeu Terra: *Hæc enim terris gentes omnes peperit, & reſumit denuo: quæ dat cibaria, ut ait Ennius: quæ quod gerit fruges, Ceres.* II: 166

Gerundia in do perpeſſionis vim habent multis locis. Virg. Æn. I: 717

— *Ardeſcitque tuendo*
Phœniſſa.

I: 534. IV: 332. VI: 142

Gerundiis in dum uſos video antiquos ſæpe, non poëtas, ſed alios etiam ſcriptores, Græcorum exemplo. Varro lib. 3. de Re Ruſt. *Acus ſubſternendum gallinis parturientibus.* Virg. II. Æn. 230

— *pacem Trojano ab rege petendum.*

Cicero in Cat. Majore 6. *Volumus ſane, niſi moleſtum, Cato, tamquam longam aliquam viam confeceris, quam nobis quoque ingrediundum ſit, iſtuc* &c. Varr. eodem lib. ferè ita: *Eas haras ſubſternendum palea.*

Poenas timendum, φοβητέον τὰς ποινάς. I: 112

Multa agendum, πρακτέον πολλά. I: 139

Corpora privandum, τὰ σώματα στερητέον. I: 382

Addendum partis alias. II: 491

Faciendum est animam sensibus auctam. Græciſmi alii. III: 626

Afranius Emancipato:

Optandum uxorem, quæ non vereatur vi- [illegible]

Cic. In lib. de Senectute: 22. *Sed notandum putavi libidinem.* ſic ibi vet. cod. optimus; ubi etiam certiſſimè legi ex eodem cod. debet: *quemadmodum noſtro more malè rem gerentibus patriis bonis interdici ſolet.* Valer. lib. 3. cap. 5. de filio Q. Fabii prodigo: quòd ei Q. Pompejus prætor urbanus paternis bonis interdixit. Ea ſunt verba formulæ interdictionis: *Quando tua bona paterna avitaque nequitia diſperdis.* &c. ut eſt apud Paullum 86. 3. Sent. tit. 4. Hinc bona *patria* Cicer. *paterna* dixit Valerius. vulg. apud Cic. eſt *patribus*, abſurde. *ſi patris-fam. eſſet, defendi poſſet: aliter non. ſed veteres etiam libros ſequendum eſt.*

Glacies æris, ſoliditas ac durities æri tribui ſolet: (vide hîc *æra*) item *glaciei.* hinc VI: 529. *duramen aquarum.* Atque ita porrò more poëtico à vicino ſumpſit epitheton tralatum. id quod tralaticium eſt, & elegantiſſ. hîc à poëta noſtro receptum. mutatum tamen & hoc fuit à Politiano-maſtige Marullo. ſimili tralatione dixit Maro, *animos æris.* I: 494

Glæba turis. Sic *mica ſalis.* Serv. in 1. Georg. Tura enim à tundendo dicta eſſe voluerunt, à glæbis tuſis, cum quibus dicitur fluens de arboribus coaleſcere. III: 328

Gliscere, creſcere. Feſt. *Regliſcit.* ita leg. puto. vulg. *regieſcit.* & Plaut. *congliſcere.* I: 475

Globus cordis, cor. ut *rota* & *orbis ſolis.* IV: 118

Glomeramina vocat átomos rotundas. ita *luctamina* Prudent. aliaque ſimiliter multa conformavit. II: 553. &c.

Glomerare. vide & *conglomerare.* III: 496. &c.

Gradiens clamor, & vox per arteriam. de hac tralatione Agell. in Noct. Attic. IV: 536

Graiugena, Graii ſeu Græci, quaſi à Græcis geniti. ut *ventigeni crateres* hîc. ſic & *Pœnigena* dixiſſe Virg. lib. 7. vult Serv. quo cum faciunt vet. q. vulg. ibi *Phœbigena.* ſic & alibi *Trojugena.* Eſt autem adjectivum & ſubſtantivum, ut *nuntius.* Pacuvius apud Cic. 2. de Nat. Deor. 91. *Grajugena de iſto aperit ipſa oratio.* dicit, *Grajugena* pro *Grajigena.* *Trojugen.* pro *Trojig.* ut *primigenus, ventigenus,* antiqua conſuetudine mutandi *i* in *u*, & contrà, ut *diſſupare, carnufex, optumus.* qua de re in Epiſt. ad Lectorem. I: 478

Gravescere, pro *ingraveſcere*, more veteri. vide *Clarare.* III: 1035. &c.

Gremium terræ, ut alibi *tergum.* *molarum gremium* Virg. Moreto. VI: 538

Grex, in feminino genere. Non. II: 661

Guberna, pro *gubernacula.* per apocopen, inquit Victorinus, & Nonius. ut Græc. δῶ pro δῶμα. & Ennius, *endo ſuam do. lætificum gau.* pro *gaudium.* ut *altiſonum cæl.* pro *cælum*, quæ vel ad Græcum morem dixit Ennius vel ad Oſcum. Oſci videntur ita præcidiſſe nomina. *famul, capital, facul, difficul* &c. & hîc alibi *algo*, pro *algore.* verum Græcos imitatus hîc potiùs videntur Ennius & noſter Carus. nam talis verborum deminutio Græcis poëtis fuit uſitata. de qua re adſcribam Strabonis graviſſimi ſcriptoris verba e libro octavo: p. 364. Edit. Caſaub. Ἔνιοι δὲ κατὰ ἀποκοπὴν δέχονται τὴν Μεσσήνην· εἴρηται γὰρ ὅτι καὶ αὐτὴ μέρος ἦν τῆς Λακωνικῆς. παραδείγμασι δὲ χρῶνται τοῦ μὲν ποιητοῦ, τὸ κρῖ, καὶ δῶ, καὶ μάψ.

μάψ. καὶ ἔτι ἥρως Αὐτομέδων τε, καὶ Ἄλκιμος. ἀντὶ τοῦ Ἀλκιμέδων: Ἡσιόδου δὲ, ὅτι τὸ βριθὺ, καὶ τὸ βριαρὸν, βρὶ λέγει. Σοφοκλῆς δὲ, καὶ Ἴων τὸ ῥᾴδιον ῥᾶ. Ἐπίχαρμος δὲ, τὸ λίαν, λί: Συρακὼ δὲ τὰς Συρακούσας. παρ' Ἐμπεδοκλεῖ δὲ μία γίνεται ἀμφοτέρων ὄψ, ἢ ὄφις: καὶ παρ' Ἀντιμάχῳ, Δημήτριός τοι ἐλευσινίου ἱερὴ ὄψ. καὶ τὸ ἄλφιον ἄλφι. Εὐφορίων δὲ ἀντὶ τοῦ ἧλον, λέγει ἧλ, παρὰ φιλητὰ δὲ, δμῶες δ' εἰς ταλάρους λευκὸν ἄγουσιν ἔρι. εἰς ἄνεμον δὲ τὰ πηδὰ, τὰ πηδάλια ἄρατος φησί. δωδὼ δὲ τὴν δωδώνην, συμμίας.
Locus eſt pulcerrimus, & noſtro inſtituto adcommodatiſſimus; quem etiam Euſtathius & Victorius alicubi laudant. II: 553. IV: 241

GUTTA DULCEDINIS VENEREÆ. Ita *guttam conſilii* dixit elegantiſſimè Plautus Pſeudolo. IV: 1054

H.

HABEMUS DICERE, ἔχομεν λέγειν, poſſumus. VI: 711

HABENT TENENTES, id eſt, continent, ſeu potiùs habent. τοῦ ἔχειν, apud Græcos eadem eſt ratio. VI: 899

HABERE. Mirari ſatis nequeo, verbum hoc in omnibus antiquorum libris manu deſcriptis, ita ſcriptum reperiri ſæpiſſimè, cùm tamen id valeat quod vulgatum *avere*, ſeu cupere. ita in hoc poëta libri vet. habebant multis locis. immo apud Non. in ſerie dictionum ab *h.* incipientium, *habentia* pro aviditate collocatum videmus. cogitent doctiores. II: 216. &c.

HABERE NOVITATEM, novum eſſe. V: 331

HAC RE, pro ideò, ea de cauſa. ita Brutus ad Att. de Cicerone *An hòc ipſum ea re facit, quod illi propter amplitudinem omnia jam utroque deferenda putat:* Salluſtius Catil. *Multoſque mortales ea cauſſâ adverſos habeo.* locus à gloſſis contaminatus eſt vulgo, & lib. 4. Hiſtor. *& ea re nobis ad ſocietatem, ab illis ad prædam petieris* &c. Valer. de Faliſc. pueris: *hac re ſenatus cenſuit.* ita v. meus opt. Chariſius lib. 2. vide & *ea re*. Agellius lib. 4. cap. 1. *Etſi ignoro an hordeum ex penu ſit, aut quibus verbis penus definiatur, non ex re litteras quoque alias neſcio.*

HALARE, abſolutè. ut *exſpirare*. II: 846

HAMATUM. Epicuro ἀγκιστροειδὲς. II: 394. &c.

HARMONIA VENERIS, continentia, congruentia ἁρμονίας τῆς σώματος διαχαλᾶν dixit Epicrates in Antilaide, apud Athen. IV: 1242

HAUD ERIT UT. non poterit. Græc. οὐκ ἔσαι ὅπως. vide *Eſt ut.* III: 715. V: 917. 1340

HAURIBANT. Vide *Scibant:* V: 1323

HAURIRE, evellere. VI: 140
Sic & Virg. libro 10: 314

Per tunicam ſqualentem auro latus haurit apertum.

Vide Nonium. V: 1323

HAUSTRUM. ita eleganter princeps fortaſſe Titus noſter τὸ ἄντλον Græc. expreſſit. vide & Nonium. V: 517

HAUSTUS, us, ui. I: 413

HESITARE, micare, trepidare, motitari: V: 696

HIATUS CÆLI, ut *fornices cæli* Ennius p. 327, & *cavernas* ipſe Lucret. dixit. IV: 419

HIATUS LEONIS, leo. imitatus Manilius lib. 5: 206

Cùm verò in vaſtos ſurgit Nemeæus hiatus.

V: 24

HILUM. aliquid. τί. Priſcian. lib. 6. hinc *nihilum*, *ni* pro *ne*. vide & *perhilum*. verbum Ennio & Tito noſtro perfamiliare.

HINC ILLINC, undecumque. elegans dictio ἀσύνδετος, depravata ſæpe. proverbialem ait Donatus in Adelph. II: 214. &c.

HIS REBUS, ob has res, propterea. vide *Hac re.* ſic omnino leg. puto, ſed conjectura tantum, non veter. libr. fretus, in formula interdictionis qua commercio bonorum privabantur prodigi: *Liberoſque tuos ad egeſtatem perducis, ea re commercio tibi interdico.* vulg. ob eam rem tibi ea re commercioque interdico. videant eruditi viri: quorum judicio, ut alia pleraque omnia, id totum permitto. III: 28

HOC. ſæpe veteres cum de cælo loquerentur, ipſum cælum, credo, adſpicientes, hoc dicebant. ſ. cælum, ſeu lumen. Ita Ennius Telamone: pag. 224

Atque hoc lumen candidum claret mihi.

apud Nonium *claret*. Idem Thyeſte: p. 274:

Adſpice hoc ſublime candens, quem omnes vocant Jovem.

Feſt. *ſublimem*. Terent. Heaut. act. 3. ſcæn. 1: *Luciſcit hoc jam:* ita ibi leg. nunc exiſtimo, Adr. Turnebo auctore, & Plaut. Amphitr.

HOC, pro, *huc*, teſte etiam Priſciano veteres ponebant. Virgilius interdum. vide & *adhoc* & *illoc*. Terentius Andria, actu 2. ſce. 2: 24.

Ego me continuò ad Chremem:
Cum illoc advenio, ſolitudo ante oſtium.

Sic enim ibi cum Donat. leg. puto. conſentientibus etiam libris vet. *ad me*, inquit Donat. *deeſt duco*. elegantiſſ. ac Terentiano more. Hor. Epod. 6: 3

Quin hoc inanes

&c. ita v. meus. I: 566. III: 460

τὸ HOMINES deſideratur interdum, & ſubintelligitur, apud Ciceronem & alios. VI: 595. 596

HOMOEOMERIA: hoc ita reddidit M. Tul. 2. Acad. Quæſt. 118. *Anaxagoras materiam infinitam. ſed eas particulas ſimiles inter ſe minutas: eas primum confuſas, poſtea in ordinem adductas mente divina.* poëta noſter exemplis adductis explicat. I: 830. 834

HOMULUS. Varro: *hæc lanigeras detonderi docui, tunicareque homulum.* ita leg. apud Nonium *Tunicare*. III: 927

HONOR, *oris*. ſic Virg. Æn. 1: 595

Oculis adflarat honores.

ſic & *dignitas*. IV: 1165

HORRIFICE. venerandè. poëta doctiſſ. uſus eſt in rebus ſacris, ut & elegantiſſ. Catull. ad Calvum: 14: 12

Di magni horribilem & ſacrum libellum!

& Virg. 1. Æn: 169

Horrentique atrum nemus imminet umbra.

& initio lib. 6: 10

Horrendæque procul ſecreta Sibyllæ.

& alibi. II: 545

HORROR CARTHAGINIS. ita Scipionem vocat Titus noſter. Silius hinc ſumptum Marcello tribuit lib. 15: 384

— — *Jacet campis Carthaginis horror.*

III: 1047

HORROR, ingens admiratio, vide *horrificè*. III: 29

HORROR FERRI. ferrum. ita alibi *glacies aëris*. VI: 1009

HUMANÆ RATIONES, accuratæ & compoſitæ. II: 169

HUMANÆ RES dicuntur poëtæ elegantiſſ. res hominibus uſitatæ. id enim humanum veteribus interdum valere deprehendi: eaque prima ejus vis eſſe videtur. ita Cic. ad Torquatum, lib. 6. ep. 1. *Eaque cum careamus, omnia humana placate & moderatè feramus.* hinc eſt illud: *Si quid humanitùs illi contigerit.* & eleganter Cic. 1. Offic. *hominem inhumanum vocat*, rerum imperitum & ἄπειρον. nos expreſſiùs, *onbeleeſt*. IV: 1185

HUMANI, HOMINES. ita Varro Margopoli περὶ ἀρχῶν. *natura humanis omnia ſunt paria.* III: 80. 849

HYPERBATON ENORME. geminum huic priori hyperbaton eſt apud Hor. l. 1. od. 35: 1

O Diva gratum quæ regis Antium, &c.
Serves iturum

&c. ibi enim tandem adcommodatio fieri debet. in ea ode cum vet. interprete Porph. leg. puto, ℣ 17

Semper anteit ſerva neceſſitas;

eaque ſcriptura in vet. cod. noſtro planiſſimè exſtat. rectè. nam ſuæ poteſtatis non eſt, inquit Porph. qui neceſſitati parere debet. in eod. autem v. cod. ſcriptum erat, ℣ 38

— — *O utinam nova*
Incude diffingas retuſum in Maſſagetas Arabaſque ferrum!

quod cùm in aliorum etiam libris vet. exſtet, & in ò. vulg. miror ab aliis tentatum: præſertim cum & à vet. interpretibus ea agnoſcatur ſcriptura, & oratio ſit elegans. *retuſum*, obtuſum redditum gladium corporibus civium belliſque civilibus optat poëta *diffingi*, id eſt, inquit Porph. *reacui*, *refabricari*. *diffingere* eſt rei aliam dare formam. ut qui acutum gladium obtundit, eum *diffingit*. contrà, qui obtuſo reddit acumen, etiam *diffingere* dicitur. optimè. aut certè metalepſi quadam per *diffingere*, intelligitur obtuſum reddere, ut priùs, reacuere, ut poſterius. Et ut eam od. perpoliamus; in eod. cod. erat: ℣ 33

Heü cicatricum & ſceleris pudet.

certè multis locis in v. l. inveni τὸ *heü*, ubi vulg. ſit *eheu*. ut in Virg. Bucol. 3: 100

Heü quam pingui macer eſt.

& in Horatium epod. 15: 23.

Heu heu tranſlatos.

quod cur temerè debeat reici, nondum video. II: 14. &c.

I.

I NON EXTRITA. Ennius (pag. 155.) apud Appul. Apolog. 2.

Mures ſunt Aeni, aſpera oſtrea plurima Abydi.

ita

ita leg. ſed de iis Ennii verſib. in Agel. diximus. IV: 141. 549. V: 75

JACERE, tralatè; contemptum eſſe. V: 1135

JACERE, tralatè. cui contrarium *vigere*. Cic. *jacere Cæſarem putans offenſione populari*. vide & Nonium: & *cadere*. I: 63

JACERE VOCEM. vide *ejicere*. IV: 582

JACULARI ALIQUEM, tralatè de amore IV: 1046

JAM. particula magnæ celeritatis interdum. Terent. Heaut. 4: 6: 18

Bono animo es, jam argentum ad eam deferes.

ubi Donatus: *Jam, nimiam velocitatem ſignificat*. & Eun. I: 2: 5

Accede ad ignem hunc, jam caleſces plus ſatis.

ita & noſter aliquando.

JANUA LETI. cauſſa interitus, &, ut vulgò dicimus, feneſtra. lepidiſſ. tralatione. Virg. 2 Æn. 661

— — Patet iſti janua leto.

& Arnobius Lucretii perſtudioſus lector, libro 2. *Omnis enim paſſio leti atque interitus janua eſt.* vide & *Limen*. V: 374

JANUA ORCI. ſic Plaut. *Acheruntis hoſtium* dixit. quod ſolent fabulari in locis peſtilentibus patere. hoc ut reliquas nugas, feriò ridet poëta. VI: 762

JANUA ORIS, os. mira dictio. IV: 535

IDEM ALIIS, Græc. ἀυτὸν ἄλλοις. III: 1051

IGITUR. deinde. Ter. Eunuch. *Quid igitur faciam?* ubi Donat. etiam Plautum Amphit. laudat. vide & Feſt. ſic & *ergo* apud Propert. lib. 3. eleg. 3. accipi poteſt. ỷ 29

Ergo Muſarum & Sileni patris imago
Fictilis & calami Pan Tegeæe tui.

quamquam ibi pro particula ἀξκτικῇ poſitum videatur, ut aliàs ſæpe; & apud Virg. Ciri. ỷ 29

Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ.

II: 676

IGNIFER ÆTHER. Ita cælum vocat *ſtellis ardentibus aptum*, ut ait Ennius. p. 56. Sic Virgil. *Vos æterni ignes*. lib. 2. de ſideribus, ex quorundam ſapientum ſcholis. ita & Cicero Arato:

Igniferum mulgens tremebundis æthera pennis.

vide & *Signifer*. V: 499

ILLÆ pro *illius*, f. vide *unæ*. IV: 1053: 1077

ILLE. monui nunc aliquoties vocabula eſſe quædam, quæ veteribus elegantiæ tantum gratia, non neceſſariò interdum adhibeantur. vide *Cum* &c. tale videtur eſſe & *Ille*, quod video multis poſitum locis, poſſe tamen abeſſe non incommodè. ut & in eo Virg. 4: 14

Multum ille & terris jactatus & alto.

IV: 182. V: 923

ILLI, pro *illic*, non hìc tantùm, ſed apud Terentium & alios id nomen hactenus depravatum eſt. ita & in epiſt. Cœlii: *Domitium quendam nobilem illi*. ſic in vet. c. inveni. vulg. *illic*. I: 1064

ILLIM. ut *illi* pro *illic*, ita *illim* pro *illinc*, & *iſtim* ſimili ratione, dixiſſe antiquos comperio. ſed ut *illi* ferè depravatum fuit repoſito *illic*: ſimiliter *illim* & *iſtim* in *illinc*, *illum* &c. contaminatum vulgo video. Pomp. Pannuc. apud Non. *rutrum*, *Sarculum hinc illò profectus*, *illim rediſti rutrum*. quid hìc ſit *rutrum*, indicat Feſt. *rutabulum*. vul. *ibi illum*, nullo ſenſu. Cicero ad At. lib. 9. *Illim equidem Cneum profectum puto, quidquid eſt, biduo ſciemus*. ita v. l. vulg. *illinc*. & lib. 9. ad Attic. *Illim ab Alexandria diſceſſiſſe nemo nuntiat, conſtatque nec profectum*. & *Illim* ex vet. cod. ita legend. ſine dubio, etſi hereat Victor. vulg. *illò*, peſſimè. *iſtim* verò pro *iſtinc* ſæpiſſimè dixit Cicero: ſed contaminata ſunt omnia in vet. lib. invenit Victor. *iſtim* & *illim*. ſed ſequi veritus eſt: malè; contra vet. lib. Loca omnia adſcribere nimis eſſet longum. vide in Vict. epiſt. Cic. V: 573

IM pro *eum* dicebant antiquiſſ. Feſt. *Em* etiam dixiſſe è pluribus locis perſpicuum eſt. ceterum omnia ferè contaminata ſunt. adſcribam unum ex 12. tabulis de Anteſtatione: *Si in jus vocat, ni te anteſtantem ſequitur; em capito*. ita reſtitituendam puto apud Porphir. lib. 2. Sermon. eam legem. Secuta videtur altera illa: *Si calvitur pedemve ſtruit* (quod eſt, ſi nolit ſequi) *manum endoiacito*. Eas leges breviter ita conjunctas ſuo more expreſſit Satyricorum princeps lib. 17. Fragm. 5

Si non it, capito, inquit, eum: & (ſeu *ac*)
ſi calvitur, ergo
Endo manum.

ſic leg. puto apud Non. *calvitur*. Hæc cùm jam diu ſcripſiſſem, adlati ſunt ad nos præceptoris commentarii, in quibus paullum

aæ

à nobis illum diſſentire comperi. ſciebam & Jac. Ræverdum noſtrum, hominem & juris & antiquitatis conſultiſſimum, aliter paullo ſentire: ſed nihil mutandum putavi. judicium doctiſſ. illis viris ipſe permitto. III: 876

IMBER. generaliter quaſi cœtus & agmen, pluviæ, grandinis, nivis, &c. Non. Q. Claud. Annal. 11 *Pluviæ imbri lutus erat multus.* ita leg. puto apud Non. *lutus.* VI: 106

IMBIBERE petere, id eſt, conſtituere, in animum inducere. ita etiam loquitur Cic. pro Quinct. III: 110. VI: 71

IMBUERE. tralatum ad ignem. vide *Liquidus.* VI: 904

IMITARI. uſus videtur abſolutè, pro reſpondere, confirmari, ſimilis eſſe. nam qui imitatur, exprimit id quod ſumpſit, illique ſe conformat. alibi dixit *mutua fungi.* mutarunt hæc alii, non rectè, ut opinor, contra v. lib. II: 716. IV: 366

IMMANIS, ingens. Feſt. utitur & Vellejus. & Attius *immanem* Græciam ita dixit. II: 497. &c.

IMMEMORABILE, ἀδιήγητον. IV: 193. VI: 487

IMMISSIS HABENIS, poteſtate facta. Virgil. & alii. Propert. lib. 3. 9: 58. *immiſſis rotis.* Virg. lib. 2. Georg. 363

> — *& dum ſe lætus ad auras*
> *Palmes agit, laxis per purum immiſſus habenis.*

Ovid. *immiſſis aquis.* Heſiodus in Clypeo ỳ 307

> Ἐφίεσαν ὠκέας ἵππους.

hinc nata tralatio, quam Servius ad 6. Æneidos non videtur intellexiſſe. IV: 785

IMMODERATUM, immenſum, immane. ſ. I: 1012

IMMULGERE obſcœne dicitur femina, ut *immejere* vir ab aliis IV: 1204

IMMUTARE, abſolute. vide & *Mutare,* & *Convertere.* VI: 1120

IMPENDENT SAXA MARE; pro mari, in mare. Terent. Phorm. I: 4: 2

> *Ita nunc imparatum tanta te impendent mala.*

Vide *Adhæret.* I: 327

IMPENSUS idem quod magnus ſeu ingens ſonat veter. *impenſa* libido hîc. Prud.

> *Barbarus tortor, latus omne carpſit*
> *Sanguis impenſus.*

Cæſar lib. 4. initio, de bello Gall. *Quinetiam jumentis, quibus maximè Galli delectantur, quæque impenſo parant pretio, Germani importatis non utuntur.* Apud Feſt. *impenſus* valet, *nondum penſus*: *impenſam ſtipem*, &c. ita interpung. V: 962. VI: 490

IMPERITARE. vide *Frequentat.* Horat. 2 Sat. 3: 188

> — *& æquam*
> *Rem imperito.*

III: 1041

IMPETE, celeritate, interdum magnitudine, copia. *impetus* enim vox apud hunc poëtam tam varia ſonat. id quod obſervatione digniſſimum eſt. IV: 418

IMPETIBUS. Rariſſimum hoc eſt. *impete* ferè invenitur tantum. I: 294

IMPETUS ÆTNÆ, pro Aetna, ut alibi *vis equorum*, pro equis. ſic Ennius p. 97. *impetum navis* libro 14. dixit. II: 593

IMPETUS ALIMENTI alimentum, ſeu multitudo alimenti, ut *vis equi*, V: 813

IMPETUS CÆLI: celerrimus ejus ambitus. hoc & Cic. 2. de Natura Deorum utitur. V: 201

IMPLEXUM. vide *plexum.* & Feſt. III: 332

IMPULIT. attigit. ita Virgil. 1. Æn. *Impulit in latus.* V. 651

IN. longè aliter uſi ſunt veteres præpoſitionibus, quam vulgo habent grammaticorum canones. quod cum in aliis etiam, ut *ex*, *clam*, &c. tum in hac maximè obſervavi: nam ſine diſcrimine vel cum accuſandi, vel cum auferendi caſu jungebant ſæpe. qua etiam de re in Noct. Atticis paullum adfertur. Cic. pro leg. Manilia: *Cum noſtros portus atque eos portus quibus vitam ac ſpiritum ducitis, in prædonum fuiſſe poteſtatem ſciatis.* Cæcilius:

> *Tanta huic invaſit in corde indulcitas:*

apud Non. Plaut. Amphitr. *Numero mihi in mentem fuit.* Q. Claudius Annal. 1. *Nos in medium relinquemus.* Cic. lib. 1. de Orat. 28. *Et quod ille duriſſimis pedibus fecit, ut ſe abiceret in herba*, &c. ſic enim ex vet. libr. legend. puto. vulg. *herbam.* Agellius: *Sed facies in ordinem ſcriptum fuit.* ita v. lib. vulg. *ordine.* lib. 9. cap. 14. Ovid. 3. Metamorphoſ. 90

> *Donec Agenorides conjectum in viſcere ferrum.*

ſic ex v. l. leg. vulg. *viſcera.* Brut. ad Ciceron. lib. 11 epiſt. 19 *Cauſſam habet optimam: officium in repub. ſummum.* ſic habent lib. ver. fa-

vulg. *in rempubl.* malè. Cæſar lib. 2. de Bello Gallic. *Quod is collis, &c. in frontem leviter faſtigatus paullatim ad planiciem redibat.* ſic vet. l. & lib. 6. *Ne deſperata ſalute aut ſe in Menapiis abderet,* &c. ita v. lib. Terent. Eunuch. 3:5:45

Deinde illam in lecto illæ collocat.

Plaut. Aulular. 4:8:8: *collocare in arborem* dixit. & Cæſar, *in mediam aciem collocare auxilia* lib. 3. de Bello Gallic. Virg. 6. Æneid. 339

Exciderat puppi mediis effuſus in undis.

& lib. 10: 838

— infuſus perpexam in pectore barbam.

ibid. ÿ 807

Dum pluit in terris.

quod hemiſtichion Lucretii eſſe monuit ibi Servius. rectè. exſtat VI: 630. Lucill. libro 30. fragm. 91

Endo canino rictu, oculiſque involem.

ſic leg. puto apud Nonium *Involare.* Plaut. Trinummo: *in re mea eſt:* pro *in rem.* Græci etiam ſæpe εἰς ἐκκλησίαν καθέξεσθαι. Plutarch. εἰς τοὺς ἀτίμους αὐτὸν γράφει, *inter ærarios refert,* &c. VI: 630. &c.

IN puto doctiſſimum poëtam uſum eſſe pro *intus*, hoc eſt, ἔνδοθεν, ut ſæpiſſime apud Plaut. τὸ *intus* poſitum videmus. *Intus exiit,* inquit in Milit. &c. aut certè contra omnes vet. lib. mutandum erit, quod alii fecerant. II: 672

IN GEMINATIM. hanc particulam in una circuitione ſeu periphraſi geminatam invenio ſæpe. Cic. 1. Tuſc. 13. *Itaque dubitans, circumſpectans, hæſitans, multa adverſa revertens, tamquam in rate, in mari immenſo, noſtra vehitur oratio.* II: 766

IN. hunc articulum ſine dubio quaſi abundare ſæpe deprehendi, ut & de *Cum* admonuimus. vide *In tempore.* ſic ait *In reddita,* pro rebus reddita. ſic & Terent. Adelph. I: 1: 24

In eo me oblecto, ſolum id eſt carum mihi,

novè inquit Donat. pro eo me oblecto. Nepos item in Miltiad. cap. 5. *Hoc in tempore nulla civitas Athenienſibus auxilio fuit, præter Platenſes.* Sic lego ex vet. cod. nam vulg. *hoc tempore.* Sic minutiſſima etiam ſunt depravata. II: 511

IN ALTUM PROVEHERE pereleganter dixit, & quaſi proverbialiter, pro in turbas, motus, tempeſtates, pericula, contrarium illi, *in portu.* V: 1433

IN GREMIUM. *in* cum accuſativo quietis. in Noct. Attic. lib. 1. cap. 7. & ſuprà IN. I: 34

IN LONGO SPACIO, pro longo ſpacio. ſic in Noct. Att. *in eo tempore.* V: 1282. VI: 813

IN QUO JAM GENERE, delectatus videtur doctiſſimus poëta hac clauſula, ut & aliis. *Nonne vides? Illud in his. Quod quoniam docui: Cetera de genere hoc.* II: 447

INANE VACUUM. ita ſæpe Lucret. & Virg. lib. 12. Aeneid. alibi *purum* vocat Lucret. lib. 1. Virg. in Aetna etiam contrà *ſolidum inane* dixit. I: 524. &c.

INANE MAGNUM. ita Virg. Ecl 6: 32

Namque canebat uti magnum per inane

&c. I: 1096

INANES pro arrogantibus & oſtentatoribus ac ſophiſtis. ita ferè Horat. de poëtaſtris: *Inanes hoc iuvat.* ita Cic. 4. Tuſc. *inaniter.* vel potiùs hìc pro imperitis, ut mox *ſtolidi.* ματαίους vocabat Epicurus. I: 640

INANIA TEMPLA CÆLI V: 527

INANTE. elegans eſt hæc particula, qua multi veterum ſunt uſi. Ita Græci dicunt ἔμπροσθεν. ita *proporro* hìc & *inſuper,* & *ſuperanteactus;* ut hìc in *anteactus.* Propert. lib. 2. Eleg. 3: 42

Hîc dominam exemplo ponat inante meam.

ita leg. cum Fabricio. ſed quod Cic. *in ante diem* ſeu A. D. Kalend. Jan. &c. dicit, huc non pertinet. ita & *ex advorſum* apud Terent. Phorm. I: 2: 38

In quo hæc diſcebat ludo, ex advorſum inlico
Tonſtrina erat quædam.

ſic leg. puto, non diſſentiente Donato. & vet. lib. q. & Agell. lib. 7. *Illico* ſeu *inlico,* quod eſt ibi, eo loco, *exadvorſum illico,* id eſt, è regione ibi erat tonſtrina. Feſt. *ſultis.*

INCEDERE, gravitatem, ſplendorem ac pompam notat; non poſſum quin moneam verba *incedere, incendere, accedere, aſcendere, accendere, diſcedere, deſcendere, decedere, ſucciſus, ſuccenſus,* ſæpe mendosè commutata in omnium vet. lib. ut hic, & in Valerio Flacc. lib. 1: 284

Cœperat à gemina deſcendere Seſtos Abido.

Sic ibi libri vet. manu ac prælo expreſſi, quod ab Ant. Sabellico mutatum in *diſcedere* jam ferè obtinuit. rectius quidem illud, quàm quod ab eodem ibi tentatum eſt, in ÿ 431

— *Heoo, volvet quem barbara cuſpis,*
Pulvere.

Æaco enim ex omnium conſenſione librorum retinendum omnino puto: nam etſi Apollodorus Canthum in Africa occubuiſſe dicat, potuit tamen Valerius, ut aliâs ſæpe, ab eo diſſentire, & Canthum apud Colchos prope Ægam oppidum commemorare occiſum. In eodem Valerii l. melius ex v. c. legeretur, ℣ 190

— *Glaucoque bovem, Thetidique juvencam*
Deicit Ancæus.

deæ convenit bos femina. neque dubitem olim à præceptore admonitus eodem libro extremo ℣ 827. legere:

Cardine ſub noſtro rebuſque abſciſa (vel *abſciſſa*) *ſupernis,*
Tartarei ſedet aula patris.

ait ſub terram à ſuperis disjunctam longè aulam Plutonis. vulg. *acciſa*, nullo ſenſu. Simile mendum fœdarat Prud. Peri Steph. hymn. 2: 441

Advertat abjunctas plagas
Coire,

&c. diverſas, disjunctas. ita vet. lib. & lib. 2, in Symm. 817

Quadrupes abjuncta eſt bipedi.

ſic v. l. i. e. *diſtat*, ut modò *dixerat* ℣ 816

Sed tantum diſtant Ro.

&c. melius etiam in eodem Valer. (nam huic totum hoc parergon dabitur) fortaſſe legetur, I: 758

— *Quàm multa* (i. e. *ſæpe*) *leo cunctatus in arta*
Mole virûm, rictumque genaſque, & lumina preſſat.

qua de re Plinius lib. 8. cap. 16. initio etiam ejuſdem lib. I: 13. abeſt *que*, non rectè meo judicio.

Namque poteſt, Solymoque nigrantem.

III: 76

INCESTE, impure. I: 99

INCIDERE LIMPHIS, pro in aquas incidere. incidere levioribus. obſervatu digna & hæc conſecutionis ratio. vide *In.* II: 227. VI: 1172

INCIDIT VOX AURES. vide *accidit.* quô pertinent & hæc Cicer. verba è Vatiniana: *Non putas fas eſſe, verbum ex ore exire cujuſquam, quod non jucundum, & honorificum ad aures tuas accidat.* Flacc. lib. 2: 452

Vox attigit aures.

IV: 571

INCIERE, incitare. hinc & *incientes* dicuntur vicinæ partui feminæ. ſic *exciere*, *conciere*, &c. fuit enim verbum *ciendi*, & ab eo juncta, veteribus familiariſſima. verùm laborat & hic locus, ubi id nos ponendum judicamus. Enn. Afranius *armis concierepopulum, ſtrages, malum.* V. 960

INCILARE, increpare. Non. adducit Att. Pacuvium, & Lucilium. III: 979

INCITUS, agitatus, incitatus. vide *percitus.* I: 272. &c.

INCLUTUS, INCLUTA. Turp. *Interea adſpexit virginem geſtantem in capite riculam inclutam oſtrinam.* Enn. l. 2. pag. 46

Hîc occaſus datus eſt: at Horatius inclutus ſaltu.

Feſt. *Occaſus.* vide & Epiſt. ad lectorem. I: 41

INCOLOMIS, non eſt dubium quin antiqui ita ſæpe ſcripſerint: evincit hoc v. l. conſenſus, & ſimilis conplurium verborum obſervatio: *popolos*, *fonus*, *piacolon*, *hoic*; pro *populus*, *funus*, *piaculum*, *huic*; in lib. fœderum & legum antiqu. exſtitiſſe notat Vict. ita *quoi* ſeu *coi*, pro *cui.* Quinctil. lib. 1. cap. 5. *Quum o. atque u permutatæ invicem, ut Hecob, & notrix, Chulcydes, & Pulixena ſcriberentur. ac ne in Græcis id tantum notetur, dederont ac probaveront.* vide & hic, *cumes.* hinc & in v. l. Varron. rectè. *ovom*, *avos*, *equos.*

INCOMITATUS παθητικῶς. Ita & Virgil. 2. Æneidos. *incomitem* ſine comite dictum à veteribus adnotat Feſt. VI: 1223

INCUTERE. ſ. abſolute ſeu παθητικῶς, pro incuti. ut *præcipitare*, & ſimilia quàm plurima. ſed locum eum mendoſum puto. VI: 1210

INDE-LOCI. hac particula uſus eſt Enn. lib. 1. pag. 34

Conſtitit inde-loci propter ſos dia dearum.

apud Feſt. *ſos.* ſic Terent. *interea-loci.* Pacuvius Chryſe:

Interea-loci flucti flacciſcunt, ſileſcunt; mollitur mare.

ita lego apud Non. *flucti.* Plautus, *ubi-loci*, etiam dicit. Ennius lib. 8. p. 83. *Inde-loci lituus* &c. Feſt. *lituus.* Lucilius lib. 30. fr. 92

Multis inde-loci ſermonibus concelebrarunt.

ſic lego ex v. c. in quo erat *inde locis.* vulg. *inductis.* apud Nonium *concelebrare.* Cicero Prognoſtic.

Humidus inde-loci colluſtrat Aquarius orbem.

Ita Plautus *ubi-loci.* V: 789

IN-

INDICIO ESSE FACTI SUI. ideſt, indicare, prodere, index eſſe. elegantiſſ. dicendi formula. Terent. Adel. Prolog. 4. *Indicio de ſe ipſe erit.* utitur & Cic. ſed vulgo trita non eſt. IV: 1013

INDIGNANTIUM ORATIONES PRÆCISÆ eſſe conſueverunt, ut hic;

Nonne videre?
Nihil aliud?

&c. ita Virg. Æn. 1: 41

Mene incœpto deſiſtere victum?

Terent. Andr. 1: 5: 10

Adeone hominem eſſe invenuſtum?

Plaut. Ciſtel. 4: 1: 10

Nam hercle ego illam irridere me ut ſinam?

& aliis multis locis. vide hic *Nonne videre?* II: 16

INDIPISCI. aſſequi. Feſt. III: 213

INDULGERE. mira elegantia & vulgo inuſitata hoc verbo uſus eſt, pro exercere & colere molliter & ſuaviter. V: 1368

INERMUS. ita Salluſtius. vide Nonium. V: 1291

INFANTIA ἀφωνία. V: 1030

IN FESSUS PRUINIS. tralatione eleganti, feſſus in pruinis, quaſi deſinens in pruinas ac frigora. feſſi deſiſtunt ab opere. II: 520

INFINITI MODI DUO VERBA CNJUNCTA. quod vitioſum eſſe in oratione ſoluta putat Servius: malè. Terent. Andria 3: 2: 4. *Quod juſſi ei dare bibere.* I: 467. 488

INFIT, incipit. Feſt. III: 514. &c.

INFRA-LOCUS, inferior locus. ita Terent. Heaut. 1: 1: 1: *nuper-amicitia.* ubi quidam contra v. l. *nupera.* & hîc *furſum loca.* vide & *ſuper.* V: 1370

INFRACTUS SERMO. ſuavis, molliculus. ita Cicer. etiam *fracti* voce utitur. V: 231

INGENS. ut apud Terentium, *ingentes gratias.* τρισμέγιστον. VI: 677

INGENUUS pro nativus. ita & Juvenalis *ingenuum tophum* dixit. I: 231

INGRATIS. pro *invitò.* quidam apud Terent. & Plaut. *ingratiis* contra v. l. poſuerunt, à quibus diſſentio. vide & *omnimodis.* Cornel. Nepos in Themiſtocle, cap. 4. *Hoc eò valebat, ut ingratis ad depugnandum cogerentur.* ita vet. meus opt. III: 1082. V: 45

INHIANS, mirificè appetens, & deditus, cupiduſque. Virgil. 7. Æneid. 813

—— Et proſpectat euntem
Attonitis inhians animis.

I: 37

INJECTUS ANIMI. Epicur. ἐπιβολὴν τῆς διανοίας vocat. ſic Cicero 1. de Natura Deor. *inicere & intendere animum ad aliquam rem. inicere mentem*, pro Milone dixit alio ſignificatu. II: 739

INIRE. ſæpe & quandam ſævitiem notat hæc vox, ut *invadere.* Plaut. *iniit te unquam febris?* III: 799

INITIUM apud hunc poëtam fere triſyllabum fit. INITUS vocem ſemper ſuſtuli. quia & vet. l. ferè *initium* habebant; & *initus* μιξις eſt apud Ovid. & Plin. lib. 1. cap. 25. in Noctib. Atticis, *ingreſſus.* vide & *potius* &c. I: 13

INLUVIES CORPORIS. miror hoc verbum in Terent. Eunuch. act. 5: 4: 15. ſcæna quarta ℣ 15. jam olim mutatum in *ingluviem*, hoc verſu:

Harum videre inluviem, ſordes, inopiam;
Quam inhoneſtè ſint domi; atque avidæ cibi,
Quo pacto ex jure heſterno panem atrum vorent.

Depingit meretricum miſerias cùm ſolæ ſunt domi; ait eas eſſe immundas, ſordidas, egenas, incultas, famelicas adeò, ut vel atro pane famem depellere cogantur. quo ergo referas *ingluviem*, quod in vulg. & q. v. exſtat? *avidas* quidem dicit quod eſt famelicas, & appetentes cibum: ſed hoc ad ingluviem nihil, cùm famem & inopiam comitentur ſordes, *inluvies*, ſqualor. Livius lib. 21. *fame, frigore, inluvie, ſqualore enecti.* hæc ut alia multa ſint parerga, modò non inutilia. VI: 1268

INNOXIUS, παθητικῶς. VI: 391

INNUMERALIS NUMERUS, innumerabilis numerus. II: 1085. &c.

INNUMERUS NUMERUS, infinitus. in Epitaph. Plauti:

Et numeri innumeri ſimul omnes conlacrimarunt.

videtur accipi ut *innuptæ nuptiæ*: qua de re alìas III: 1053. &c.

INOLERE, non olere, ut *impenſus* apud Feſt. *non penſus.* II: 84

INRIGARE. alibi *rigare, tinguere.* V: 283

INRITAT, irritavit. Terent. Eunuch. Prol. 5

Exiſtumat eſſe, ſic exiſtumet, ſciat
Reſponſum, non dictum eſſe; quale ſit prius:

 Qui

Qui bene vertendo, & eas deſcribendo malè;
Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.
ſic verſus iſti ſcribi debent ex v. l. & Donato. alii mutarunt ſinè cauſſa. vide & hîc obîter &c. I: 71

INSERERE. ita & Horat. lib. 3. od. 25: 4
Antris egregii Cæſaris audiar
Æternum meditans decus
Stellis inſerere & concilio Jovis.
V: 330

INSERTIM. ſic alibi *exſertim*, *præſertim*. II: 114

INSIGNE RADIATUM DIEI, pro ſole. ita Cicer. Arato, ſtellas *inſignia cæli* dixit. Attius autem in elegantiſſ. carmine vocat auroram *diei indicem radiorum*. V: 699

INSIGNE REGIUM, diadema. V: 1137

INSILIA, textorum tela quædam, Germanicè *ſchamelen* dicimus. nondum equidem id apud alios inveni: ſed propterea loco moveri non debet. ſic *arteria*, *orum*, & alia quædam propria apud hunc poëtam. V: 1352

INSITA FACTA, præclara monumentis florent. V. 330

INSTITUERE VESTIGIA. gladiatorum hoc eſſe puto ac τϱοβολῇ pugilum intelligi poteſt. idem ſonat *ponere veſtigia*. vide *veſtigia*. imitatus eſt Maro lib. 7: 689
— — veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituêre pedis.
IV: 474

INSUPER. geminata præpoſitio, qua omnes antiqui ſcriptores ſunt uſi. etiam adjuncto caſu eodem, quem dant vulgo τῷ *ſuper*. Cæſar. lib. 2. de Bello Civili: *Hanc inſuper contignationem quantum tectum plutei, ac vinearum paſſum eſt, laterculo adſtruxerunt*. & in antiqua lege: *Inſuper mutilos trabiculas abiegineas, id eſt, craſſas quoque verſus. s. imponito* &c. & ibidem ſæpe. Vitruvius lib. 5. cap. 12. *deinde inſuper eam exæquationem pila quam magna conſtituta fuerit, ibi ſtruatur*. unde cûm *ſuper* valeat & ὑπέρ & præter. etiam *inſuper* id veteribus ſignificavit. Hinc *inſuper habere* dixerunt, quod Arnob. lib. 2. *poſthabere*, id eſt, negligere, pro reicere, parvi æſtimare. vide & *inante*. VI: 1282

INTACTUS, τὸ ἀναφὲς. ut *incultus* apud Salluſt. contrarius cultui; *indelictum* apud Atticum. vide & hic *non ſenſus*. Ita venuſtè Plaut. Bacch. *inlatebræ* dixit. 2: 3: 47
Cujus ego latus inlatebras reddam meis dentibus
Et manibus.
i. divellam, patefaciam. ſic enim leg. puto apud Macrob. lib. 3. cap. 16. I: 455

INTEGRARE, integrum manere. utitur & Livius lib. 1. Hinc *integratio* apud Terent. And. ſic enim vet. c. & Donat. vide & Nonium. I: 1031. II: 1146

INTEMPESTIVI IMBRES, nimii. ita ferè *intempeſtiva convivia* apud Cic. & alios; quaſi non ſuis & conſuetis horis. II: 872. 928

INTENDERE, pandere. IV: 74

INTENDERE MOBILITATEM, augere. VI: 245

INTER SE COMPREHENDERE. ut amare inter ſe. III: 259. &c.

INTER SE VESCI, id eſt, uti inter ſe, ût inter ſe amare, complecti. ſignificat his verbis poëta, cûm homines primùm alter altero uterentur; familiaritas & commercium oriretur inter eos: ſæpiſſime utitur poëta τῷ *inter ſe*, ἀλλήλοι, ἀλλήλως. ut veteres omnes. V: 73

INTERDATUS, interjectus, additus. IV: 866

INTERFIERI. interfici, abſumi, devorari. particula, *inter*, eſt capitalis & φθαρτικὸς. III: 885

INTERSTINGUI. *intra*, particula ἀυξητικὴ & peſtifera ferè, Donato teſte. V: 760

INTESTINUS. interior. II: 290

INTRA MOTUS, pro in motus coire. Ita *intra* viſcera, pro in viſcera, *intra* venas. Admonuit hæc etiam Priſcian. lib. 14. II: 715. 1117

INTUS, pro intrò. ita & in Querulo. *abi celeriter intus Pantomale*. & ibidem, *intus ibant*. Celſus lib. 7. *Idemque humor clyſtere intus adicietur*. IV: 1085. VI: 22

INTUS, videtur pro ἔνδοθεν, ut ſæpe apud comicos. VI: 726

INTUS SEDIBUS, pro *in ſedibus*. ſolent veteres adverbiis vice præpoſitionum, & contrà præpoſitionibus adverbiorum loco uti. vide *ſeorſum*. ita Terent. Adelph. act. 1: 1: 27
— — Poſtremo alii clanculum
Patres quæ faciunt, quæ fert adoleſcentia.

In-

INVADERE cui vulgo caſui jungatur, notum eſt; non item quem illi addant reconditæ magis litteræ, librique myſtici: dandi caſum illi addunt. Varro de vita P. R. lib. 4. *Tanta porro invaſit cupiditas honorum pleriſque, ut vel cœlum ruere, dummodo magiſtratum adipiſcantur, exoptent.* apud Nonium titulo *de numeris & caſibus.* M. Cicero ad Tironem: 16: 12. *Sed mirus invaſerat furor non ſolùm improbis, ſed etiam his qui boni habentur, ut pugnare cuperent; me clamante, bello civili nihil eſſe miſerius.* ſic in v. l. extare monuit P. Victorius, ſed ſequi veritus eſt, ob inauditam verborum ſtructuram. jam igitur liberè eam amplectamur omnes; cùm & Varro & noſter poëta (licet de mendo ſuſpectu ſit locus) ita ſint locuti. immo & doctiſſimus comicus Statius Syracuſ.

Tanta huic invaſit in corde indulcitas.

apud Nonium. ita apud Græcos εἰσέρχομαι variat in eadem notione teſtimonia ubique obvia. Plautus Epidic.

Laſſitudine invaſerunt miſero in genua flemina.

ſic habent lib. vet. VI: 1210

INVADERE IN OCULOS, in aliquem. hoc obſervatu dignum. & ita ſemper. M. Tullius 2. Philipp. 77. *Cùm mulier fleret uberius, is caput aperuit, in collum invaſit* &c. & pro Cæcin. 25. *ut in Cæcinam advenientem cum ferro invaderet.* & pluribus locis aliis. VI: 659

INVALIDUS, valde validus, ut *indurus.* Ovidius Metam. 12: 131

— & induro lædi quoque corpore ferrum.

ſic v. q. l. rectè. vulg. *in duro* contra verò *ingelidus* pro *tepido* dixit Prudent. lib. 2. in Symm. extremo:

Nubit anus veterana ſacro perfuncta labore:
Deſertiſque locis, quibus eſt famulata juventa,
Transfert emeritas ad fulcra jugalia rugas:
Diſcit & ingelido nova nupta tepeſcere lecto.

ſic eum locum lepidiſſ. leg. & interpung. puto. *juventa*, id eſt, in juventa; cùm eſſet puella. in v. tamen ferè inveni, *juventus.* in al. *juventas.* quod neſcio quid ſibi velit *Ingelido* repperi in q. v. in al. v. ut vulg. *in gelido* vidi, quod fortaſſe ſit rectiùs. I: 970

INULA. Horat. lib. 2. Satyr. 8: 51

Erucas virides, inulas ego primus amaras.

ita vetuſtiſſ. codex. Columell. etiam lib. 12. cap. 46. ait eſſe herbam amaram.

INULÆ SAPORES, *inula* herba eſt amara. Columell. Hortul.

Tempore non alio vili quoque ſalgama merce
Capparis, & triſtes inulæ, ferulæque minaces
Plantantur. —

II: 430

INURGERE, ut *inſtare* V: 1034

IPHIANASSA. Homericum eſt aliter interdum nomina efferre, quàm vulgo conſuetum eſt. hinc & *Acamede* ab eo dicitur, quæ Theocrito, aliis, eſt *Perimede*, &c. I: 86

IRE, pro mori. vide *abire.* III: 525. &c.

ITA, QUAM, pro *tam quàm.* vide *quam.* II: 1036

ITERE, ab *iter.* Nonius V: 653

ITUS. pro *itione.* ita *diremptus* &c. III: 389

JUDICIA. ſic & Cic. Epiſt. ad Cæſar. lib. 1. in re augurali & omine uſus eſt: *Itaque*, inquit, *vereor ne ferociorem faciant te tam præclara judicia cœli;* ut rectiſſ. Junius, in Non. VI: 381

JUNGITUR SENSUS. i. fit, exiſtit, efficitur. præclarè doctiſſ. poëta: nam ſenſus in junctis partibus demum, non in ſingulis conſiſtit. II: 903

JUS, pro juſto: δίκαιον. at Terent. contrà *juſtum*, pro jure. III. 61

JUSSA f. ut *populorum ſcita & juſſa* dixit Cic. & Prudent. de Cornelio:

Aſpera nonnunquam præcepta & triſtia juſſa.

ſic v. c. huic ſimile verbum *Jus* ſæpe etiam depravatum eſt. Prudent. de Epiphan.

Cautum & ſtatutum jus erat.

ſic v. l. rectè. vul. *juſſerat.* Feſt. *taxas: cùm proſcribitur,* QUOD EI JUS SIT STATUENDI. ita leg. puto. vulg. *juſſit.* V: 1146

JUVENTAS, pro molli & tenera barba, ſeu lanugine. mirè eleganter expreſſit Græc. ἥβην, qua & ætas, & pili indicantur, etſi inhoneſtiores Sic Virg. lib. 8. Æneid. hunc locum. prorſus eſt imitatus, ℣ 160

Tum mihi prima genas veſtibat flore juventas.

Sic leg. ex veteri codice. & ſuadet ſynepeia perſpicua. V: 886

JUXTIM, æqualiter. Nonius. IV: 504. &c.

L.

LABI, pro *labe*. ut *colli*, &c. V: 928

LACERE, elicere ignem dicimus ſæpe. II: 673

LACIO, allicio, Feſt. IV: 1140

LACTARE. trahere. hinc *delectare*, attrahere. Nonius. V: 1067

LACUNAS vocat ſtrias eas quas aurum, æs &c. liquefactum per ſolum fluitans efficit, terrâ quaſi exeſa. ita Varro *interſtitia rugarum* lacunas vocat eleganter, lib. de Re Ruſt. V: 1260

LACUS. ſacris in rebus numerat poëta lacum. nec mirum. ſolent enim conſecrari lacus. hinc de Averno & Lucrino Virg. 3. Æneid. 442

Divinoſque lacus & averna ſonantia ſilvis.

magna etiam ſuperſtitione lacus Juturnæ olim adibatur, & aquam ex eo petebant, tam ad ſalubritatem, quàm ad omnia ferè ſacrificia, teſtibus Varrone & Servio. ſic & Mercurii aqua ſe lavabant extra portam Capenam, ut à perjurio ſolverentur. qua de re Ovid. in Faſt. lib. 5. non longe a fine.

Eſt aqua Mercurii portæ vicina Capenæ.

&c. V: 76

LÆDERE NAVES AD SAXA, adlidere. ſic *vulnerare* Livius. vide *clauda*. V: 999

LÆTA VINETA. vide *nitidus*. Ennius apud Priſc. lib. 9

Et detondit agros lætos, atque oppida cepit.

II: 993. V: 1054

LÆTIFICUS, ut alibi *triſtificus*. I: 194

LÆVARE, polire. V: 1262

LAMIA f. pro mammoſa femina. vide Notas. IV: 1162

LAMINA. de lamina candente, genere tormenti, etiam Horat. Epiſtol. ad Vaalam. III: 1030

LAMPADION. ita ſuas delicias, puellas loquaculas & petulantiores ὑποκορίζοντες appellitant amatores. Varro Agathone:

Quid triſtiorem video te eſſe? num angit hæc
Lampadion? ecquid familiaris filius
Amat, nec ſpes eſt auxilii argentarii?

ſic leg. puto apud Marcell. *Virgindem*. Athenæus lib. 13. Dipnoſoph. inter meretriculas nominat Lampyridem, Lampada, & Synorida quandam cognomine Lychnon. apud Terent. Phanium idem pænè valet. Lampadio etiam viri nomen eſt. meminit C. Octavii Lampadionis auctor libelli de Grammaticis, ubi de Cratere. meminit & Agell. lib. 18. cap. 5. Lampadionis docti viri. In Polluce lib. 4. inter comicas perſonas ponitur Lampadio, & à Varrone adducitur Nævii Lampadio. ſed nihil ad rem, uti puto. Nos talem puellam, *albeſtier*, *clappay*, *ſnappal*; & ὑποκοριστικῶς, *luſtich*, *vrolijk*, &c. appellitamus. IV: 1159

LAMPAS SOLIS, ut rota ſolis, pro ſole. imitatus eſt Virg. 3. Æneid. 637

Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar.

V: 609. VI: 1196

LAPIS, pro ſimulacro. ita Livius, Arnob. lib. 1. Minucius, & Prudent. lib. 1. in Symmach. ỷ 206

Sacratumque domi lapidem conſiſtere. —

& lib. 2: 1006. ubi tamen de termino:

— — — & lapis illic
Si ſtetit antiquus, quem cingere ſueverat error
Faſciolis, aut gallinæ pulmone rigare.

ita enim leg. puto. vulg. *rogare*. nam unctos ſeu rigatos & adſperſos unguento lapides dicit Minucius. V: 1198

LARGIFLUUS, largus, copioſus. Antiquus poëta apud Cicer. 2. de Oratore:

Grando mixta imbri largifluo ſubita præcipitans cadit.

Virg. *largum* dixit *imbrem*. V: 597

LARGUS. hoc verbum hodie vix notum eſt, immò ſordidum penè habetur etiam apud quoſdam, qui elegantiùs loqui volunt. *multus*, *copioſus*, &c. perſonant ubique, *largus* nuſquam ferè: quod majoribus tamen celeberrimum eſt nomen. eoque noſter poëta, Virg. Cic. ſæpiſſime utuntur. Sic dixit Virgil. *largam* manum, ſermonem, ſanguinem, fletus, voces, flumen, imbrem, æthera, ver, fetum. Hinc de inopia linguæ Romanæ exiſtunt querelæ, quòd nomina optima ignorentur. *Larga luce terras complet ſol.* inquit Cic. ut & noſter II: 805

LATERAMINA VASI, id eſt, vas ex latere fictum, vas latericium. ambitus hic Tito noſtro uſitatiſſ. eſt. vide *Periphraſis*. A *latere* autem *lateramen*, non minus commode, quam ab *ære æramen* & *æramentum*, & à *ferro ferramen*, *ferramentum*: ut a *molimen molimentum* &c. deducas. nam & *lateraria* & *æraria* officinæ di-

dicuntur uſitate. ut ergo *æramen* id eſt opus quod ex ære conficitur; ita *lateramen* quod ex latere, ſeu terra. loquitur hîc poëta de vaſo vinario. notum eſt autem veteres in teſtis condere ſolitos vina. Horat. 1: 20: 1

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græca quod ego ipſe teſta
Conditum levi.

&c. Amat autem ejuſmodi verba Lucretius; & mirifice Prudent. *augmen*, *momen*, *vocamen*, *conamen*, *glomeramen*, *duramen*. ita autem habebant lib. vet. & Martian. Capella initio lib. 3. Prud. lib. 2. in Symmach. 618.

Ne frugem ſegetemque animæ ſpinoſa malorum
Impediat ſentix ſcelerum peccamine crebro.

ubi poëta Chriſt. *ſentix* mire dixit, pro *ſentis*, nam *ſentix* habebant vet. lib. 3. planiſſ. & in margine adnotatum ut rarius verbum *hæc ſentix*. ſic *juvix* pro *iuvenca* dixit Plaut. ſic & *piſtrix* & *piſtris* fortaſſe dixerunt vet. ſic *curax* & *vigilax* dixit Cajus Ic. VI: 232

LATEX ABSINTHII, abſinthium. omnem humorem vocat laticem. I: 940

LATRARE, poſcere. ita & Ennius admirabili tralatione & metalepſi quadam. canes enim quid petentes latrant. Simili fere ratione Horat. *jaculari* pro appetere dixit. 2 Carm. 16: 17

Quid brevi fortes jaculamur ævo Multa?

niſi id accipias ita dictum; pro mutua notione inter *jaculari*; & *petere*, quod & *cupere*, & *jaculari* ſonat. ut apud eundem factum in verbis *curvare*, & *flectere*. vide Feſt. ſic Propert. *clamare aquam*, dixit. tralate etiam pro ſonitu quovis poſuerunt vet. Attius apud Non. *ſonit*.

Ac ubi curvo litore latratu unda ſub undis
Labunda ſonit.

Ennius: p. 93

Animus cum pectore latrat.

quod Homer. κραδίη ὑλάκτει. II: 17

LATUSCULUM, deminutum a latere. IV: 312

LAVERE. multa commemorat Non. hujuſmodi verba, quæ & primi ſint ordinis & tertii. ex quo genere ſunt & hæc apud Feſt. minùs nota vul. *Deſinare*: ſic enim. leg. *fodare*. apud Terent. *comare*, ut admonuit ex v. c. doctiſſ. Fabric. quod miror cur alii rejecerint. ſed νεωτεριςμῶν plena ſunt omnia. ita apud Perſium nos leg. monemus Sat. 1: 58

O Jane à tergo cui nulla ciconia pinſat.

ſic enim Diomedes Perſium ſcripſiſſe ait lib. 1. etſi in v. l. id nondum invenerim. I: 216. V: 948

LEA, leæna. V: 1317

LEGES AEVI, vitæ fœdus. V: 59

LEPOR elegantiſſ. poëta uſus eſt, pro liberalibus artibus & ſermonis ſeu orationis puritate & elegantia. alias pro deliciis ac voluptatib. ab eodem ponitur. Quæ profectò digniſſ. obſervatione ſunt viſa, quia Titi ſunt ſua. Catull. autem *lepidum* vocat *ſuum libellum*, *expolitum pumice*, & *cultum*. ita Martial. ad Lupercum de libello, *Raſum pumice purpuraque cultum*. ita *lepidum* explico, à Donato admonitus. I: 933. III: 1049

LETUM pro peſte & clade, non tantùm pro morte. id Græcis etiam μόρος. vide & hîc *mors*. I: 1105

LEVISOMNI canes. V: 862

LIBARE, decerpere, deminuere, ita Virg. ait, equos *libaſſe* aquam. vide *deliberare*. Varro Prometheo: *quam ceram apes Mileſiæ coëgerint ex omnibus floribus libantes*. apud Non. *putus*. apud Victorinum, ubi de metro Ionico a majore:

O mel quod apes omnibus è floribus libant.

III: 214

LICERE, τὸ ἐξεῖναι, licentia, poteſtas. vide & *Seneſcere*. VI: 1226

LICET, QUAMVIS, parelcon obſervatione dignum. ſic Terent. Eunuch. act. 2: 2: 15

Olim iſti fuit generi quondam quæſtus apud ſæclum prius.

Cic. in Bruto: *Poſteaquam proſperæ res deinceps multæ conſecutæ ſunt*. licet τὸ *deinceps* ibi non videatur otioſum, & idem ſonet quod *ordine*. vide &, *Tum porro*. VI: 600

LIGNEA. eleganter ita vocat puellam arido corpore & exſucco. atque ita Catull. Furii novercam vocat Carm. 23: 6

Eſt pulcrè tibi cum tuo parente,
Et cum conjuge lignea parentis.

& mox:

Atqui corpora ſicciora cornu,
Aut ſi quid magis aridum eſt, habetis.

verum jam ante elegantiſſ. comicus Alexis:

Ἀκρολίπαροι, τὸ δ' ἄλλο σῶμα ὑπόξυλοι.

hinc & ξυλοκύμβη femina dicitur turpi forma, apud Euſtath. Eandem poëta doctiſſ. vocat *nervoſam*, id eſt, rigidam, duram, aſpero ſcabroque corpore; atque adeò robuſto. non recte Marul. contra fidem vet. lib. *nævoſa* ſup-

ſuppoſuerat. Mollities ac levitas habentur in delitiis, eaque variis artibus à quibuſdam etiamnum quæruntur: volunt tamen illi formarum ſpectatores corpus non omnino enerve aut flaccidum: neque nervoſum, neque enerve amant. hoc *ſolidum* vocat Lucil. ac Terent. Idem laudat *ſucci plenum corpus*, cum *ligneum* prorſus jejunum ſit. IV: 1155

LIMARE. verbum hoc latinum eſſe non nego, ſed hoc loco ponendum non puto, etſi veteres lib. aliquot refragentur. rationes expoſui meas ad oram lib. vide etiam III: 11. *libare*. exſtat etiam vulgò *limandi* verbum apud Cicer. l. 3. ad App. 8. ſed ex vet. lib. veſtigiis *libitare* potius legam, quaſi ὑποκοριστικῶς de Appio loquatur, optime verba antiquitatis amantiſſimi ſcriptoris hæc ſunt: *Liberalitas tua, ut hominis nobiliſſimi, latius in provincia patuit, noſtra ſi anguſtior, & ſi de tua prolixa beneficaque natura libitavit aliquid poſterior annus, propter quandam triſtitiam temporum* &c. neque verò ut novum rejiciendum id ſtatim puto. eodem enim uſus eſt lib. 9. ad Pætum 16. *Solebam, inquit, antea delibitari oleis & lucanicis tuis*. ſic enim vet. lib. habere teſtantur doctiſſ. Victorius, ac politiſſ. Paullus Manut. Aliis fortaſſe locis idem inveniri poſſet, ſi caſtigantium manus effugiſſet. ſi quis tamen *limare* hîc à poëta dictum contendat, non magnopere repugnandum putem. III: 11

LINQUERE ANIMAM. λειποψυχίαν reddidit, id eſt, animi defectionem. III: 596

LIQUIDÆ VOCES, claræ, limpidæ. λιγυροί. Hoſtius, *voceſque liquatæ*. II: 145

LIQUIDUS. Sæpe Lucretius primam hujus nominis longam fecit. id eo canone quem ſuprà ubi de *Aqua* diximus, facile excuſari poteſt. aut certe ut ſit quaſi liquidum. III: 428

LIQUIDUS IGNIS. Cur ignis ab doctiſſimo poëta dictus ſit liquidus, non omnibus certè liquet. Servius ad illa Virgilii ex Bucolicis 6: 32

Namque canebat uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animæque, mariſque fuiſſent
Et liquidi ſimul ignis.

Liquidi, inquit, *ignis, id eſt, puri, quod eſt ætherei*. Macrob. autem lib. 6. cap. 5. ait: *Et liquidi ſimul ignis, pro puro vel lucido, ſeu pro effuſo & abundanti. niſi prior hoc epitheto Lucret. uſus fuiſſet in* VI. &c. Brevi ut præcidam, *liquidum* meo quidem judicio vocavit *ignem* poëta, quaſi dicas diffuſilem, & qui ſpargi facilè poſſit in omnes undiquaque partes, & diffluat facilè per omnia, nec contineri poſſit. immò nihil eſt, quod minùs coërceri & cohiberi poſſit, ſuaque tenuitate & levitate pervolat omnia. Hoc autem ita fluens, inquietum, diſcurrens, *liquidum* propriè dicitur, quod ſcilicet facillime diffunditur. jam verò quia diffuſione res percolantur paullatim, hinc factum eſt ut *liquidus* pro limpido, claro, & ſplendido ponatur; quamquam *liquidus* pro claro, videatur à *liquet* potiùs, id eſt, claret, patet &c. manare. *Liquidus* ergo ignis dictus poëtæ, quia ut alibi loquitur, eſt *diffuſilis*. Atque ita Græcis ὑγρὸς *lubricus, fluxus* etiam ſonat, & ὑγρὸς dicitur etiam ille qui omnium moribus, ac rebus omnibus ſe adcommodat. ita ignis & lumen omnia penetrat & colluſtrat, in omnes partes ſe inſinuat. Aratus quoque ignem vocavit ὑγρὸν in Phænom. ubi certè Macrobii aut aliorum explicatio locum habere nequit: nam ὑγρὸν apud Græcos pro *puro* non invenitur. Deinde fundere ardorem, profundere lumen, lucem, ſpargere, rigare lumine, fontem luminis ſolem, flumen luminis, multaque alia conſimilia cum dicit poeta; ea certe ad puritatem vel candorem aut etiam copiam omnia reduci nequeunt. Immo Titus ea explicat ipſe perſpicue V: 500. ubi docet mare, aëra, & æthera eſſe liquida corpora, & pura, ſecreta ab omni limo mundi, & elegantiſſ. V: 595. Huc omnino ſpectat quod Feſtus his verbis teſtatum reliquit: *Manare*, inquit, ſolem antiqui dicebant, cum ſolis orientis radij ſplendorem jacere cœpiſſent; à quo dictum putabant *manè*. Et hæc quidem de liquido igne & liquido lumine, lociſque ac dictionibus ſimilibus noſtra eſt opinio. Unum addam præterea Virg. locum ex Ætna ỳ 25.

— quæ cauſſa perennis
Explicet in denſum flammas, & ructet ab imo
Ingenti ſonitu moles, & proxima quæque
Ignibus irriguis urat.

Vide & *fundere*. VI: 204

LIQUITUR ÆTAS. tralatio ab aquis ad ætatem poëtis uſitatiſſ. II: 1131

LOCA, uterus. vulgo. *loci*. IV: 26

LOCA CAMPORUM, id eſt, campi. ita fere *prata camporum* dixit Ennius apud Macrob. II: 323

Lo-

Locare, duo ſunt loca de mendo ſuſpecta, ubi iſtud *locare* fortaſſis abſolutè quis poſitum dicat ex quorundam librorum ſcriptura. ita *æquare* uſus videtur M. Cic. initio lib. I. Offic. *Quamobrem magnopere te hortor mi Cicero, ut non ſolum orationes meas, ſed hos etiam de philoſophia libros, qui jam illis ferè æquarunt, ſtudioſe legas.* ſic leg. omnino adſero ex v. l. vulg. *ſe æquarunt.* I: 111. V: 421

Loci, pro virilibus iis ſedibus, in quibus coctum & coactum eſt ſemen. IV: 1028. 1039

Longe ſ. poſteriore brevi. vide E. IV: 430

Longinquus, pro diuturno. II: 4

Longiter, longè. ita *ſuperbiter*, *puriter*, *mutuiter*. &c. vide Priſc. & Soſipat. ac Nonium, III: 676. &c.

Loquela. vide *luela*.

Loquentes chordæ. ſic Virg. lib. 6. Æneid. 646

Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

IV: 978

Lucæ boves, elephanti. Varr. lib. 6. de ling. lat. Ennius: p. 305

Atque prius pariet locuſta Lucam bovem.

V: 1301

Luci, pro luce; ut *voci*. ita Ovid. poſuit lib. 5. Metam. 120

Raptaque de dextro robuſta repagula poſti.

ſic lego ex v. c. & Priſc. vulg. *poſte*. vide & *colli*. IV: 246

Ludere catenas, ut otium & aleam ludere. mira loquendi formula, ſed locus de mendo ſuſpectus eſt. II: 631

Luela. ut ſceleris luelam vocat carcerem poëta, ita Cic. in Conſolatione, ait: *luendorum ſcelerum cauſſa homines naſci.* eſt autem verbum antiquum pro *luitio*. ſic *cuſtodela*, *obſequela*, *ſuadela*, *loquela*, *confugela*, *tutela*, *tuitio* apud Cæcil. Plocio. vide Feſt. III: 1028

Lugere inſigni tralatione dixit honorem ipſum qui conculcatur & negligitur. ſic *ridere* contrà tribuitur rebus inanimis. ita alibi, *Conculcare*, tralatè, contemnere. Græc. πατεῖν. V: 1138

Lumen ſeu lumina vitæ. ita & Cic. I. de Divinat. 18

Luce ſerenanti vitaï lumina liquit.

ſic enim leg. puto. vulg. *vitalia*. ſic & Virg. ter quaterve locutus eſt. III: 681

Lumina solis, pro ſole. Homer. ſexcentis locis φάος ἠελίοιο. Virgil. & λαμπρὸν φάος ἠελίοιο. ἀντὶ τοῦ ἡλίου poſuit. I: 6

Efferre in lumina solis. plerumque dicit *in luminis oras*, alterum illud rarum eſt. II: 63

Luridus. doctiſſ. poëta hac voce pro luteo ferè colore eſt uſus: atque ita pallor apud Horat. vel *albus* dicitur vel *luteus*: Locus eſt Epod. 7: 15

Tacent, & ora pallor albus inficit.

alibi, Epod. 10: 15

O quantus inſtat navitis ſudor tuis
Tibique pallor luteus.

idem ſonat Græc. ὠχρὸς. Hinc explicatur doctiſſ. Propertii carmen l. 4. Eleg. 7: 81

Ramoſis Anio quâ promifer incubat arvis
Et numquam Herculeo numine pallet ebur.

id eſt, nonnunquam fit luteo colore, quo ſolet tamen infici ebur. Martialis: 7: 12

Dum Tiburtinis albeſcere collibus audit
Antiqui dentis fuſca Lycoris ebur.

Hæc qui non ſatis animum adverterant, in Tito noſtro *lutea* pro *lurida* ſubicere conati ſunt. ſed male, contra o. l. v. nam (inquit Varro apud Non.) *veternoſis quæ lutea non ſunt, æquè ut lutea videntur.* I: 333

Luror. ita *ægror*, *putror*, *putor*, *æquor*, &c. IV: 334

Lychnuchus. De iis qui lychnos ſeu lychnuchos tenebant, quos *lychnuchos* etiam diximus appellari, exſtat hæc inſcriptio Romæ:

PANTHEI CUM SUIS PARERGEIS, ET CUPIDINES DUO CUM SUIS LYCHNUCHEIS.

ubi Cupidines functi ſunt eo munere quod juvenibus attribuit poëta. eam inſcriptionem adfert etiam Crinitus lib. 17. de Honeſta Diſcipl. cap. 6. ſed non videtur rectè accepiſſe noſtri poëtæ locum, nec ſatis explicaſſe quid ſit *lychnuchus*: nam *lychnuchus* dicitur quidquid lychnum tenet, ſive homo, ſive beſtia, ſive candelabrum, ſive denique laterna. ut *ophiuchus*, *ſceptruchus* &c. II: 24

M.

M non exteritur ſæpenumerò apud veteres. id quod admonuit & Priſcianus lib. 1. Ennius: p. 60

Dum quidem unus homo Romanus toga ſupereſcit.

ſic leg. puto apud Feſt. *ſupereſcit.* ubi & mox; *qui hinc ſupereſcit* &c. leg. puto. Ovid. 7: 616. Met. ut in opt. v. eſt:

Iſſe ſub amplexus quondam Aſopidos Aëgnæ.

ſed malim ut in al. v. *quondam Aſopidos Aeginæ*, ut *os* produxerit. *Aſop.* prima eſt longa, ut l. 6: 113

— *Aſopida luſerit igneus:*

ubi male vulg. Danaen accipiunt. vul. etiam aliter multo, in verſu ſupra. Plautus Epidico, 1: 1: 83.

Is ſibi nunc alteram ab legione abduxit animi cauſſa.

verſus eſt troch. quadratus catalect. ſcripſi autem *abduxit* ex v. l. nam vulg. eſt *adduxit*, verùm ita etiam locutum invenio Terent. Phorm. act. 5: 3: 16

Ch. Tranſegi. De. quid ait tandem?
Ch. abduci non poteſt. De. qui non poteſt?

ſic & ibi v. l. habent. rectiſſ. ceterùm τὸ *abduci* in Terent. ad ſententiam animumque pertinet. qua ratione *deducendi* verbo uſum C. Cæſarem libro 1. de Bello Civili diximus in Notis ad ipſum Cæſ. I: 337. &c.

Macerare tralatè ad animum. Terent. *noli te macerare.* III: 838

Machina. ut Græc. μηχανὴ, ratio, via, modus aſtutus. IV: 1113

Machinari, excogitare, comminiſci aliquid. III: 957

Maculare tralatè, corrumpere, eadem ratione *voluptas non ſincera* dicitur Ovidio. V: 1150

Madet mens. *madere* dicitur à poëta mens ejus, qui cum graviſſimo morbo conflictatur: quaſi ebriam dicat mentem, id eſt, quæ non magis ſapiat ac ſuo fungatur munere, quàm hominis vino obruti mens. Silius eadem pæne phraſi dixit lib. 7: 726.

— *Subitiſque bonis mens ægra natabat*

ſic & *madidam memoriam* dixit Cæcilius Epiclero. III: 478: 726

Madere arte. eadem forma extulit, qua Cic. *tinctum eſſe.* & lib. 5. de Finibus; *Sed infici tamen jam debet iis artibus, quas ſi, dum tener eſt, combiberit.* ita & *imbibere* & *ebrium eſſe* dicunt. proximè Martial. 1: 40

Si quis Cecropiæ madidus Latiæque Minervæ
Artibus. —

immo audaculus ille Flaccus lib. 3: 21: 9

Non ille (Corvinus) quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus.

vulgo dicimus, imbutum eſſe. Seneca: *Liberalia ſtudia, non illa quibus perfundi ſatis eſt; ſed hæc quibus tingendus eſt animus.* quibus verbis defendi poſſe videtur Budæus: etſi Victorio aliud placeat. controverſiam intelligo περὶ τοῦ δυσοποιός. & tinctus literis. hæc tam multis ego, ne quis exemplo Marulli ac vulgi, locum hunc Titi noſtri poſthac tentet. Græcis eadem eſt migrandi ratio hac in re. ſed horum Conlectaneorum index plura non admittit. IV: 793

Mage, magis IV: 79. &c.

Magnanimus. videtur à poëta dictus Phaëton magnanimus quaſi μεγαλότολμος aut μεγαλόνους qui animo elatus altiora ſuiſque graviora viribus petiſſit. atque ita vitium hîc ſonet *magnanim.* V: 401

Magnum mare. vide *mare magnum.* V: 276. VI: 615

Magnus annus, poſitus videtur pro anno XII menſium. ut & apud Virgil. 1. Æneid. qui hunc locum imitatus eſt. V: 643

Mammosa. hoc puellæ vitium etiamnum habetur maximum. Laberius Salinatore:

Non mammoſa, non annoſa, non biloſa, non procax.

vide *Ceres.* IV: 1162

Manabile frigus alibi *penetrale.* I: 535. &c.

Manare, ἐνεργητικῶς. apud Feſt. *Eumque quod aquas manaret* (id eſt, attraheret ſeu alliceret) *manalem lapidem dixere.* I: 883

Mancupium. *dare mancipio rem aliquam* dicebant olim, quod poſteriores *dominium facere, propriam facere.* uſum rectè opponit poëta: ut Cic. lib. 7: 30. *Cujus quando proprium te eſſe ſcribis mancipio & nexu, meum autem uſu & fructu, contentus iſto ſum.* hoc Curius ibidem Græce dixerat: *Sum enim χρήσει μὲν tuus; κτήσει δὲ Attici.* ſed non tam recte hoc Græce dici potuit. nam χρήσεως vox Græcis omne id valet, quod Juriſconſultis Rom. & *uſus* & *uſus fructus.* Grammatici, aut præter Conſultos plerique alii ſcriptores omnes, inter *uſum* & *uſum fr.* non diſtinguunt.

guunt. hinc illa apud Prudentes noſtros dubitatio; ſi Græco nomine legatum ſit relictum, χρῆσις ſcilicet; an *uſus fr.* an verò *uſus* videatur relictus. nam apud Græcos id eſt ambiguum: nec generatim ea illi, ut dixi, nominare poſſunt, ut nec legare, teſtari &c. Hoc adjeci, quia non videntur ſatis adſecuti nonnulli l. 10. §. 1. de uſu & habit. ſententiam autem noſtri poëtæ ita extulit Attius in Medea:

Fors dominatur, neque vita ulli propria
In vita eſt.

apud Nonium, *Proprium.* III: 984

MANDARE MALIS, injicere, pro devorare. & vetus quidam poëta apud Cic. 3. de Orat.

Impius hortatur me frater ut meos malis miſer
Mandem natos.

ſed hoc ab Adr. Turnebo jam emendatum eſt. Hinc Attius Philoct. *mandare fluctibus* aliquem. II: 637

MANERE, eſſe, διατελεῖν. VI: 1199. 1272

MANERE ALIQUEM, id eſt, paratum eſſe, impendére. Cic. Philip. 2: 11. *cuius quidem tibi fatum, ſicut C. Curioni, manet.* Plautus Moſt. 1: 1: 47. *meum bonum me, te tuum maneat malum.* Horat. Epod. 13: 19

Te manet Aſſaraci tellus. II: 1087

MANIFESTA. ita plerumque vertit τὰ φαινόμενα, ut Epicurus in ſuis Phyſic. ſæpe appellat. interdum dicit ea quæ ſunt in promtu, aliquando etiam res apertas dicit. nemo ferè hodie paullo elegantioribus his artibus inſtructior, qui non intelligat hanc eſſe veram hujus verbi vim. *Manifeſtum* ergo id eſt, quod quaſi manibus tenemus, oculisque ſubiectum eſt. *manifeſtum furtum* &c. Qui dicunt, hinc *manifeſtum eſt*, pro hinc perſpicuum eſt, βαρβαρίζουσι. I: 855. &c.

MANU DUCERE. ita Græcorum χειραγωγεῖν eleganter expreſſit. Cic. etiam eodem verbo uſus eſt lib. 1. de Nat. Deor. *Epicurus autem, qui res occultas & penitus abditas non modo viderit animo, ſed etiam ſic tractet ut manu ducat, eam eſſe vim & naturam deorum* &c. ubi libri formis deſcripti fere, *manu doceat.* peſſimè. II: 868.

MANUS DEDERE, proverbial. II: 1042.

MANUS DEXTRAE. putant his verbis oſtiorum ῥόπτρα poëtam expreſſiſſe. quod mirari ſatis quidem non poſſum. nam qua ratione *manus* dicerentur? ſcio *manus ferreas* migratione quadam ab hiſtoricis dici harpagones, ſed hoc nihil ad rem; nam illi manuum funguntur munere, ῥόπτρα non item. Deinde cur *dextræ* potiùs? præterea illud oſtendant, quid ſibi velit, doceant illud. alia ſunt etiam quæ perabſurdam eorum ſententiam convincunt. Quid ergo? puto ſigna quædam ænea ſeu ſtatuas olim ad urbium portas conlocari ſolitas, quarum dextras oſculari amarint cives exeuntes boni eventus cauſſa, atque etiam tangere & quaſi ſalutare. quod licet adhuc non invenerim, adcommodatius tamen eſſe videbunt viri docti, quàm quod vulgo putant. De hac re, dum viri cujuſdam doctiſſ. reſponſum exſpecto, Varro me explicavit, cujus hæc ſunt verba e lib. 4. de Ling. Lat. *Nam neque quas Ambracia ante portas ſtatuit duas viriles ſpecies æneas, dij magni; neque ut vulgus putat, hi Samothraces dij, qui Caſtor & Pollux.* De more autem tangendi dextram & oſculandi, Livius, Tacit. Virgil. alij. Taciti verba ut idonea maxime adſcripſi e libr. 15. ubi de Nerone: *Agere grates deis, ornare lauro domum, genua ipſius advolvi, & dextram oſculis fatigare.* I: 308.

MARE in ſexto caſu pro *mari.* Soſip. lib. 1. ita ſæpe Plautus. VI: 696

MARE AERIS. ita Ennius apud Feſt. & p. 286

Craſſa pulvis oritur, omnem pervolat cæli fretum.

vide *pelagus.* V: 277

MARE MAGNUM. vide *magnum mare.* Livius, uti puto, primus hoc epitheto mare ornavit, ſumpto e Græco ſermone, cujus ille bene peritus fuit. Græci enim ἅλα δῖαν cum dicunt, *magnum* intelligunt, de quo Euſtathius. ſunt Livii apud Feſt. *ocrim* verba:

Celſoſque ocris, arvaque patria, & mare magnum.

Ennius apud Cic. l. 1. de Divinat. & ep. ad Attium:

Jamque mari magno claſſis cita texitur.

Virg. 4. Georg. 388. *magnum æquor.* Lucil. 30: 87. apud Nonium:

Vir mare metitur magnum, ſe fluctibus tradit.

Ipſum etiam Helleſpontum fretum artiſſimum ita vocat, ob ſævitiem inquit Servius, in lib. 1. Æneid. & Valer. Flacc. lib. 1: 47

— *ipſum juvenem tam ſæva gementem,*

Ipſum ego, cùm ſerus feſſos ſopor alligat artus,
Aſpicio, meque aſſiduis lacera illius umbra
Queſtibus, & magni numen maris excitat Helle.

ſic v.c. ibi rectiſſime; nam τὸ *namque*, ut in vulg. non convenit huic loco, & languere facit verſum. Salluſt. item de freto Herculeo, ubi eſt initium Oceani: *Mare, inquit, magnum & ignara lingua commercia prohibebant.* Ennius in Aſota: p. 185

Alius in mari vult magno tenere tonſam.

Prud. in Diptycho: ſic libelli ejus, qui & Tetraſticha vet. ac nov. Teſtam. inſcribitur, indicem reſtituendum puto, cùm in vet. lib. omn. Gennadii, vita Prudentii, ſit ditrocheum, dirocheum, chirocheum: quod certe falſum videtur: diptychi & dipthychii, id eſt, duplicium tabellarum, ut hîc novi ac veter. Teſtam. in Jure noſtro multa mentio. In eo igitur ita Prudentius: epigr. 9

Tutus agit vir juſtus iter vel per mare magnum.

in quo Diptycho ep. 35. *Mergitat* inveni à *mergo*, ut ab *ago agito.*

— Sed mortales trepidatio plantas
Mergitat. —

ita v. l. aliter editum vulgo. ut & illud ep. 39

— Judas nimis artat
Infelix collum laqueo. &c. —

Juda, vulgo. non puto ita locutum Prudent. interpung. etiam ita ſunt hi verſus ep. 44

— Signans veſtigia pacis
Frondibus æternis: prop. &c. —

frondes pacis olim erant ex olea. ad hoc adluſum. agit enim de monte oleis conſito & ab iis Oliveti vulg. dicto. ſic in v. optimo inveni lib. 2. in Symmach. 891

Inlicitat volucrum linguis, & haruſpide fallit.

Cupimus amice lector prodeſſe, ideoque multa appingimus ſæpe alieniora. Catull. ad Thallum. 25: 10

Ne laneum latuſculum, manuſque mollicellas
Inuſta turpiter tibi flagella conſtrigilient:
Et inſolenter æſtues; velut minuta magno
Deprenſa navis in mari, veſaniente vento.

ſic locum eum leg. puto. vulg. *conſcribillent. conſtrigillare* ut *obſtrigillare* apud Non. à *ſtrigile* quaſi notare manus flagello. nos hodie eadem à ſtrigile ducta metaphora utimur. Virgil. lib. 5: 628

— Dum per mare magnum
Italiam ſequimur,

id eſt *procelloſum*, inquit Servius. II: 553. &c.

MARE PONTI. Livius Helena:

Tu qui permenſus ponti maria alta velivola.

apud Macrob. lib. 6. Virgil. 1. Georg. *freta ponti.* V: 1421

MATERIES, pro ligno. ita Cæſar ſæpiſſ. VI: 1067

MAXUMITAS. Non. ita apud Plaut. in Aſinar. *Optumitas, & opulentitas.* II: 497

ME. videtur elegantiæ tantùm cauſſa adici. ut alibi de *ſe* diximus, *me fingere poſſum*, id eſt, poſſum fingere; aut dicendum, accuſandi caſum pro recto poſitum. I: 105

MEDENTES, medici. veteres participiis nominum loco utebantur interdum, maximè Græci. & Virg. Æn. 8: 588

— Pictis conſpectus in armis.

id eſt, conſpicuus. ita & *natantes* hîc. I: 935

MEDIA REGIO DIEI. ita venuſte vocat meridiem, ſeu plagam orbis meridionalem. VI: 732

MEDITOR, παθητικῶς. de his verbis diligentiſſ. Priſc. IV: 1176

MEDIUM τὸ μέσον, meditullium. V: 452

MEDIUM PRÆCIDERE. Cic. III: 636

MEL QUASI MUSEUM, ἐπιπλήττων, & quaſi diluens tralationem, vocat poëta orationis elegantiam ac ſuavitatem. ita Homer. ex Neſtoris ore melle dulciorem fluxiſſe orationem canit. I: 946

MELE, μέλη. ſic alibi *pelage.* II: 504

MELIBOEA purpura. Feſt. Virgil. II: 499

MELICHRUS, μελίχρους, *mellitula.* & ut Plaut. ait *melculum.* mellis colorem nigricantem ſcimus omnes, flavum tamen proprie. IV: 1154

MELICI qui dicantur poëtæ, controverſantur nonnulli, ego non dubito quin iidem ſint qui etiam *lyrici* dicuntur. tales ſunt Pindarus, Simonides, Anacreon, & novem qui dicuntur vulgo Lyrici. Talis eſt apud Romanos Horatius. Plutarchus Pindarum vocat *Melicum*, Suidas Simonidem. V: 325

MELIOR, præſtantior. vertit ex Hom. qui in eadem re ita ait Iliad. φ: 107

Κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων.

III: 1039

MELITENSIS VESTIS. Varro Prometheo:

Aliæ ricinam, aut mitram Melitenſem.

apud Non. ſic enim puto leg. IV: 1124

MEMINI. tralatum ad res inanimas, ut *dubitare*, *confidere* &c. hîc. IV: 154

MEMMIADES, pro *Memmio*, ut *Scipiades* alibi, pro *Memmides*, interjecto *a*, ut *Anchiſiades*. vide Priſc. lib. 1, I: 26

MENDOSUS, tralatè. IV: 519

MENS ad animantes rationis expertes traduxit. quod obſervatione digniſſ. *frigida cervorum*, ut *manans taurorum mens*. videtur autem pro *animo* poſita *mens*. III: 300. V: 324

MENS ANIMI. animus. ita conjunctè utuntur hac particula linguæ Lat. auctores. Plaut. Ciſtell. 2: 1: 5

Nullam mentem animi habeo. ubi ſum, ibi non ſum: ubi non ſum, ibi eſt animus

Catull. ad Ortalum, 65: 3

Nec potis eſt dulces muſarum expromere fetus
Mens animi.

III: 615. V: 150

MENSTRUA SOLVERE dicitur mulier, ſic & Salluſt. lib. 4. *Cùm interim lumine etiam tum incerto, duæ Gallicæ mulieres conventum vitantes, ad menſtrua ſolvenda montem aſcendunt.* apud Non. ſic eum locum accipiendum puto. VI: 796

MERUM LAC. *merum* quid ſit, aut eo ut veteres ſint uſi, paucos reperias qui intelligant; nullum, qui explicarit. putant vulgò nihil eſſe aliud quàm ſolus, & errant. *Merus* igitur à linguæ Lat. auctoribus ponitur pro vero, præſtanti, non ficto aut ſimulato: pro inſigni, vehementi. *merum lac*, pro recenti, bono, puro, putoque. *Scelera*, inquit Cicero, *mera loquuntur*. idem *meras proſcriptiones*, *meros Sullas attendere*. Ep. ad Att. 9: 12. idem *meram bilem*, *mera monſtra nuntiare*, ad Att. 9: 15. *meros principes è ſchola Iſocratis exiiſſe*. quem locum tentarunt ſcioli, ut etiam doctiſſ. Rivius indicavit. *Meros bellatores* dixit Plaut. Milit. Hoc autem totum à Græcis ſumptum puto, apud quos admirabili venuſtate ἄκρατης ponitur, ἄκρατος ὀργή, ἄκρατον ψεῦδος. &c. I: 262

METÆ SOLSTITIALES, τροπαὶ θεριναί. vide *flexus brumales*. V: 616

METUTUM, à metuo. V: 1139

MI antiquè pro *mihi* volunt eſſe ſynæreſim, non rectè, eſt enim patrius caſus *mis*; dandi, *mi*. faciunt etiam licenter qui τὸ *mihi* apud Terentium, Plautum, Cæcilium, alios antiquos poëtas ſtatim in *mi* commutant, repugnantibus libris vet. omnib. puto enim retinend. τὸ *mihi*, atque ita ſcribendum in metiendo autem effici tandem *mi*. idem in *Nihil* diximus. III: 106

MICÆ AURI. ita venuſtè vocat ramenta auri, ſeu reſegmina & ſcobem. I: 839

MIGRARE, mutari. f. & mutare. ut in Noct. Att. *caſſita nidum migrabat*. ita & Cic. de Leg. & alii ſunt locuti. Titinnius apud Nonium *Senium*:

Quot peſtes, ſenia, & jurgia ſeſe met ædibus emigrarunt,

ſic leg. puto. II: 774. V: 828

MINA CORPORA videtur appellaſſe imagines ſeu ſimulacra, τὰ εἴδωλα, ſeu ſpectra, quaſi glabra dicas, & à ſummis rerum corporibus delibata ac deglabrata, ſeu lævia & non aſpera. ſed hoc conjecturale eſſe velim, nam & locus de mendo maximè ſuſpectus eſt; & quid ſit *minum*, non ſatis cognitum habeo, etſi ita Var. libro 2. de Re Ruſt. ubi de ovibus Emptor ſtipulatur priſca formula ſic: *Illaſce oves, qua de re agitur, ſanas recte eſſe, uti pecus ovillum, quod rectè ſanum eſt, extra luſcam, ſurdam, minam*, id eſt, ventre glabro; *neque de pecore morboſo eſſe, habereque recte licere. hæc ſic rectè fieri ſpondes?* Ælius videtur *minum* à *minore* deducere, ut id ſit quod imminutum eſt. Atque ita huic loco minimè conveniret, repugnante ſyllabæ intervallo. Feſt. *minam*. vide hîc *mirus*. IV: 217

MINENT. antiquè pro *imminent*, ut infinita alia. Feſt. *ventabant*. *Clarare* hîc. VI: 562

MINIMUM τὸ ἐλάχιστον Epicureum. Cic. lib. de Fato. alibi vocat *exiguum clinamen*. II: 244. 291

MINIMUM. huc pertinet quæſtio Papirii (qui Epicureus erat) apud Cic. lib. 9. epiſtula ult. *A quibus cùm diſceſſi, & minimum mihi eſt in cena, quod tu unum ζήτημα Dioni philoſopho poſuiſti. Academici negant in rebus quidquam reperiri poſſe tam exigua magnitudine & augmi-*

augmine; quod non dividi porrò queat. hoc conſtanter negant Epicurei. concideret enim omnis illorum doctrina de atomis, quas illi minimas eſſe in rerum natura volunt, dividi aut ſecari amplius non poſſe, æternas ac ſolidas. minimum ergo admittebat Pætus, Dio fortaſſe Peripateticus non item. I: 609. &c.

MINORES, poſteri. Arnob. lib. 3. *atque ita ex ordine tolletur & iſte cæleſtium, quem cælo eſſe editum patre, magnorum eſſe procreatorem deorum, vitiſatorem, falciferum vetuſtas edidit priſca, & minorum tranſmiſit ætati.* τὸ *Majores* illi reſpondet. ita ferè Horat. epiſtula inſigni ad Auguſtum ℣ 103

Romæ dulce diu fuit, & ſollemne, recluſa
Mane domo vigilare, clienti promere jura,
Cautos nominibus certis expendere nummos,
Majores audire, minori dicere, per quæ
Creſcere res poſſet, minui damnoſa libido.

Sic locus ille ſine dubio ſcribi debet. nam quod in vet. quibuſdam inveniri dicitur, *nominibus rectis*, mendoſum eſt, ut opinor. Olim feneratores æqui legibuſque parentes pecunias credebant nominibus certis, id eſt, ut liqueret & pateret quanto fenore, licito ſcilicet, creditæ eſſent. incertis verò nominibus credebant ſceleratiſſimi daniſtæ ac nebulones; qui contra legitimas uſuras fenerabant, non licitis ut inquit Paullus I. C. uſuris. qualis Macedo ille deſcribitur in ſenatuſconſulto Maced. ubi dicitur ille præter ceteras ſceleris cauſſas, pecuniam etiam, nequid amplius diceretur, incertis nominibus credere conſueviſſe. lib. 1. D. Ad S. C. Maced. Talem ferè deſcribit Horat. Fuſidium quendam lib. 1. Satyr. 2. V: 1196

MINUERE MIRARI. ſic ferè Terent. in Andr. 2: 3: 18

— Nec tu ea cauſſa minueris
Hæc quæ facis.

II: 1028

MIRUS. hoc nomen haud ſcio an non remotius quid interdum valeat apud veteres, quàm vulgo creditur. certè pro novo ſatis planè poſuit noſter hoc loco. & alibi dubito an non poſuerit pro eximio, egregio, IV: 217. Deinde apud Cic. in ep. Servii ad Cic. præclara illa epiſtula & antiquitatis plena: *Etſi genus hoc conſolationis mirum atque acerbum eſt.* ſic enim v. c. habent. ibi ergo *mirum*, pro triſti ac duro videatur uſus Sulpitius. ut & apud Plaut. Pœnulo. 4: 2: 17

Omnia mira ſint, ni herus hunc heredem faciat.

Enim verò hac in re mihi penitus aqua heret. IV: 217

MISCERE. uſus eſt abſolutè, ſumma cum elegantia. vide & *reddere*. II: 804

MISEREO. III: 894

MISSUS SAGITTÆ. ita alibi *curſus veruti*. IV: 410

MITRÆ. vide *anademata*.

MITTERE, pro emittere; antiquè; ut *miniſcitur*: apud Feſt. *minere* hîc. &c. VI: 877

MODERARI EQUIS. verbum *moderandi* habet interdum dandi caſum, idque ſi caſus ille contineat rem aut animantem inquietem, turbulentam, ferocem. ita Horat. eleganter dixit, 1: 2: 59

— Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe &c. —

V: 1297. 1311

MODUS pro *modo* poſitus: *poſſes* pro *potuiſſes.* hoc & Græci & Latini ſcriptores factitarunt. De qua re aliàs latiùs. VI: 1255

MOENERA, munera. Feſt. *munia.* ubi docet antiquos etiam dixiſſe *mœnia*, pro *munia.* atque hoc etiam verbum in v. quodam lib. Prudent. Pſychomach. inveni, in hoc verſu 821

Mœnia nunc agitet tacitæ toga candida pacis.

Alioqui ſtudioſiſſ. eum poëtam invenio antiquitatis. hinc ejus ſunt *denſere, vagare, clepere, ſpernere pro abicere*, in Pſychomach. ℣ 148

— Monumentaque triſtia longè
Spernit. —

vide Non. *hoc habet*, ex Virg. ibidem ℣ 53

Hoc habet, exclamat.

ſic leg. ex v. l. q. *Hoc habe.* & eſt *tanti, olli, denſere, renutare, incruens, diſſicit.* hinc in Laurent. 2: 514

Ornare ſimpuvium Numæ;

ſic enim in v. l. legi. quod ex Juvenal. 6: 342

Simpuvium ridere Numæ.

proſubigit, multimodis, peregri, textum, pecua, cernuare. 1. in Symmach. 350

Cernuat ora ſenex barbatus, & oſcula figit
Cruribus æripedum.

ita v. l. rectiſſ. *promeritum ecelſus, ſuſpectare.*

re. 2. contra Symmach.

— *Cur non ſuſpectat libera cælum.*

ita in v. l. legi, optimè, multa ſunt alia quæ & hæc charta non capit, & ab aliis partim ſunt indicata. vide & *pœnire.* ſic & *mœnire* pro *munire* dixerunt. de *mœnire* Priſc. leviter lib. 1. I: 30, 33

Moenia mundi, cælum. Martian. libro 3. *juxta ipſum extrui ambitus murum.* ſic *mœnia theatri*, poëta noſter & Ovid. 1. Met. *mœnia cœli.* vide *mundus.* vocat etiam *flammantia*, ut Ennius: p: 56

— *Stellis ardentibus aptum.*

M. Manilius imitatus eſt, lib. 3: 48

Quum tantas ſtrueret moles per mœnia mundi.

lib. 1. Natural. *mœnia* dixit, quaſi urbem fingeret cælum, I: 74. &c.

Moenia theatri. ſic Ovid. 11. Met. 532

Quàm velut in captæ deſcendat mœnia navis.

in eo Ovid. libro paullo ante iſtum verſum (hoc enim πάρεργον hîc adpingere volui) ita vulgo ỷ 473

— *Et quæ pars admovet, abſit.*

leg. opinor *abſtit*, pro *abſtitit.* atque etiam libro 9. de quo Priſc. alii. IV: 80

Moerus, murus, ita *mœnera, munera, mœnia, munia*, hinc *amœnus*: *cœrare*; *curare*: *mœnire, munire*: *œtier*; pro *uti*: ſeu *oitier*, ut eſt apud Martian. Feſt. *publica.* ubi malè quidam *utier* emendare conati ſunt, pro *œtier.* vide & Servium in 10. Æneid. ſic *lagœna* videtur dictum pro *laguna*, hinc *laguncula.* etſi Græc. etiam λάγυνος dixiſſe ſciam. de ſcriptura *lagœnæ* alibi diximus. ita in v. l. Catonis *commœtare* pro *commutare.* teſtis Victor. *Mœrus* etiam dixit Virg. IV: 221. VI: 926

Moles quasi mali. Cicer. 3. Tuſc. *Aut ſemper aliquam molem meditabar mali.* III: 1069

Moliri arva. magno labore invertere & exarare. ita & Virgil. in Georg. V: 932

Mollis, flexilis. ſic Virgil. Cic. omnes veteres. IV: 790. 791

Mollis aqua à poëta noſtro dicitur, quia facilè cedat aliis corporibus. Virg. imitatus lib. 9. Æneid. 817

Accepit venientem & mollibus extulit undis.

I: 282. II: 375

Momen, motitatio. III: 145. &c.

Montes alti. montes magni & montes alti, epitheta ferè apud veteres ſunt propria & perpetua.

Montes Idæi, pro mons, ut *flumina Nili.* V: 662

Montes magni. magni nomen attribuunt veteres montibus. Virg. 2. Georgic. 260

— *Et magnos ſcrobibus concidere montes.*

ſic & *mare magnum* dicebant. de quo & hîc. I: 1085. &c.

Montes nimborum. ita Virg. 1. Æneidos *aquæ montem* dixit. & Agell. lib. 16. *montes arenarum.* Plaut. Epid. *montes mali.* Itaque *montem* pro *mole*, magnitudine aut multitudine poſuiſſe videntur. ſic Plautus in Pſeud. *montes frumenti* dixit. VI: 158

Montivagus, ὀρεσπόρος. ita *nemorivagus.* Catull. I: 405

Morbus tralate; ut *ægrotare* alibi. V: 346

Mores ventorum tralatè. poëta noſter totus eſt μεταφορικός. vide in vita Plin. lib. 14. *Sucique tantum gratia ex his pluribus modis ad cœli mores ſolique ingenia.* I: 297

Morigeri modi. Afranius:

Ætas & corpus tenerum & morigeratio.
Hæc ſunt venena formoſarum mulierum.

IV: 1276

Mors pro peſte ſeu φθορᾷ ponitur ſæpe à Lucretio. imitatus eſt Virgil. 4. Georgic. 226

Omnia, nec morti eſſe locum. —

ubi Serv. ſic Plin. lib. 14. *mortem memoriæ* dixit ebrietatem. I: 193. &c.

Mors immortalis. elegantiſſ. expreſſit quod Græc. dicitur θάνατος ἀθάνατος. vocat & *mortem æternam.* III: 883. 1104

Mortalis, pro homine. III: 947

Motus animi, pro animo. IV: 1066

Motus leti, & vitalis, contrarii. II: 957

Movetur ea res talem motum. Græc. III: 569

Mucro, pro fine, tralatione venuſta. vide & *cacumen.* II: 519

Mulgere, pro impellere, agitare. Ennius lib. 7. Annal. p. 72 *Mul-*

Mulſerat huc navem compulſam fluctibus pontus.

Priſc. lib. 9. & Cic. Arato:

Igniferum mulgens tremebundis æthera pennis.

ita enim leg. puto. loquitur de aquila: *Mulcere* autem cantu aëra & æthera dicuntur volucres, alia omnino ſignificatione. IV: 139

MULTA AGENDUM. Græc. πρακτέον πολλά. ita Virg. II. Æn. 230

— *Pacem Trojano ab rege petendum.*

vide *Gerund.* I: 139

MULTA CORPORIBUS CÆCIS, pro multa ex corporibus ſeu multa cæcorum corporum. ita Virg. fere: Æn. 5: 609

— *Per mille coloribus arcum.*

II: 713

MULTANGULUS, πολύγωνος. IV: 658

MULTAQUE PRÆTER EA. ita ſæpe poëta noſter. & Virg. uti & illud: *Cætera de genere hoc.*

MULTESIMA PARS, πολλοστὸν μέρος. Non. VI: 652

MULTIGENUS, vide *vitigenus.* II: 336

MULTIMODIS. ita ſcrib. ſine apoſtropho. conſentiunt omnes libri, & ratio, ut enim *omnimodis,* (de quo vide & hic) ita & *multimodis.* Martian. *Multimodus* nomen uſurpat lib. 4. & *multimodos perpetui* &c. ac Prudent. immo noſter etiam poeta. Pacuvius Periboea apud Non. *copis*:

O multimodis varie dubium, etiam proſperum, copem.

uſus eſt & Cornelius Nepos libro de Illuſt. Imperatoribus Græc. in Themiſtoclis vita extrema: *De cujus morte multimodis apud pleroſque ſcriptum eſt.* ita v. c. meus, optimè: vulg. *multis modis.* vide & *omnimodis.* II: 1054. &c.

MULTIPLEX LOCUS, ET SPACIUM, nam de mendo ſuſpectus habetur hic Titus, pro varium, multum, longinquum. II: 162. &c.

MULTIS MODIS. ita poëta noſter ſæpiſſimè, & omnes antiqui poëtæ. mutarunt hoc nonnulli apud Ter. contra v. l. malè. II: 115. &c.

MUNDI TEMPLUM, cælum. Ennius in Scipione dixit *mundum cæli.* doctè profecto; nam ita & Græci interdum κόσμον οὐρανοῦ dicunt. V: 1435

MUNDUS uſitatè cælum dicitur. Macrob. in Scip. Somn. lib. 1. cap. 20. & 2. cap. 11. unde & *mundanus annus* apud veteres. Græcis etiam κόσμος καὶ οὐρανὸς ſæpe idem ſonant. hinc eſt, quod poëtæ nunc *ſidera mundi,* nunc *cæli* dicunt *ſidera.* vide *ſidera.* Attius apud Varr. *ſplendida mundi ſidera* dicit poëta noſter pluribus locis. qui & *mœnia mundi* inde dixit.

MUNIFICARE, donare. II: 625

MUNITA VIAI, ut alibi *clauſa viæ* &c. *munire viam* dicebant veteres. Varro περὶ αἱρέσεων: *Porro inde ab uno quoque compito ternæ viæ oriuntur, ex quibus ſingulæ exitum ac telos habent proprium. à primo compito dextrimam viam munit Epicurus.* ſic locus ille interpung. de ſectis philoſoph. agitur. III: 497

MURMURA, pro tonitru poſuit ſæpe, ut & Virg. V: 1220. &c.

MUSA, carmen. IV: 593

MUSEUS, μουσαῖος. vide *mel muſeum.* I: 933. &c.

MUTARE, abſolute. ita Catull. de Suffeno. *tantum abhorret ac mutat.* ſic leg. puto. & in Noct. Att. lib. 2. cap. 23. *quantumque mutare à Menandro.* ſic legend. I: 187

MUTARE MONTES, cælum &c. IV: 461

MUTUA, pro mutuò. ita Virg. *crebra* &c. IV: 302. &c.

MUTUS METU. Cic. in Verr. 4: 189. *Itaque illum in jure, metu conſcientiaque peccati mutum atque exanimatum, ac vix vivum relinquo.* Virg. 9. Æneid. 341

Molle pecus, mutumque metu.

& 12: 718

Stat pecus omne metu mutum.

I: 93

N.

NARE OCULOS dicit, qui humore ſunt oppleti, & lippiunt. ita fere *ſudare* & alibi *flere.* imitatus ut omnia Virg. lib. 4. Georg. 496

— *Conditque natantia lumina ſomnus.*

ubi Don. ait:, *id eſt trepidant,* à quo diſſentio. III: 479

NATARE dicuntur campi, qui aqua ſunt oppreſſi. ita Cic. in Anton. *natabant pavimenta vino.* VI: 266

NATIVUM, quod natum eſt, & non ſemper fuit. V: 239

NA-

Natura boum, boves III:303

Natura creatrix. epitheton hoc illi conſtanter attribuit poëta, alibi *omniparentem* vocat. I:623. &c.

Natura ferarum, feræ. V:219

Natura mellis, id eſt mel. III:192

Natura mundi, οὐσία. ita Cic. ſemper. I:1053

Navis corporis. ſi locus mendo (de eo enim ſuſpectus eſt) vacat, ut puto, admirabilis profectò & perelegans erit tralatio, pro corpore, ut *lumen ſolis* pro ſole. Veteres *currum* pro navi; & contrà *navem* pro curru ponebant. ſunt enim à navi ad currum, contraque à curru ad navem, migrationes mutuæ. Ut igitur Timæo Plato (cujus flores delibat interdum poëta) *corpus* vocat ὄχημα: ita noſter *navim*. IV:895

Naviter, omnino. ita Cic. alicubi. I:527

Ne, pro non. apud Plaut. ſæpiſſimè. Donat. in Terent. Varro lib. 2. de Re Ruſtica, ubi de canibus: *Solo ne ut corneo, ne nimium duro.* & ubi de equis: *genibus rutundis, ne nimium duris.* ſic in vet. lib. exſtare monuit Vict. & retinendum puto. I:808. II:140

Nebula pulveris. elegantiſſ. dictum, ut *telorum nimbi*. ſumma etiam elegantia quidam veterum pro morte dixit θανάτοιο μέλαν νέφος. V:254

Nec opinanti, antiquè; *ut furtum nec manifeſtum* &c. III:973. V:1255

Necessum, neceſſitas. II:289. &c.

Necessus et necessis, ut *ſublimus* & *ſublimis* &c. II:289

Nectar pro odore. ſuaviſſimas tralationes ab uno ſenſu ad alium ſumi ſolent, ut alibi *acerbus*. ſic & Prudentius eſt uſus lib. 2. Periſteph. ℣ 385

Quin ipſa odoris qualitas,
Aduſta quam reddit curis,
Diverſa utroſque permovet:
His nidor, illis nectar eſt.

& 5:277

Cernit deinde fragmina
Jam teſtularum, mollibus
Veſtire ſemet floribus,
Reddente nectar carcere.

II:847

Negitare, ut *libitare*, *pipitare* &c. vide de *Frequentativa*. IV:911

Nemeæus, ita antiqui ſemper à Nemea ſilva Argivorum. Græc. νεμεαῖος, νεμειαῖος & νέμειος. hinc Prudent. lib. 1. contra Symmach. 118

Nec maris erubuit Nemea ſub pelle fovere
Concubitus. —

ſic in 3. v. libris legi; quod tamen in editionibus mutatum eſt non rectè. ita *Cyclopea* dixit Ovidius κυκλώπεια &c. V:24

Nenu, non. Nonius; apud quem malè eſt, *nenum*. III:200. &c.

Neque utrum, diſtractè pro *neutrum*. IV:1211

Nequiquam. hoc verbum, etſi hodiè in libris vulg. nuſquam exſtet, in manuſcriptis tamen libris conſervatum eſt, non hic tantùm, ſed apud Virgil. Horat. Juvenal. Ovid. alios. emendentur ergo codices, etiam Feſto auctore. IV:465

Nervosa femina, robuſta, aut potius exſucca mireque tenera, ſolidoque corpore, aut plena, IV:1155

Nervus. mirifice uſus eſt hac voce pro glacie, quia ut nervus collum, ita aquam adſtringit glacies. hoc ut multa alia Horatius imitatus ſuo more *compedem* dixit lib. 1. ep. 3. Varro Parmenone: *Viſcum, ſagenam, lineamque compedem.* VI:878

Nexus pro atomorum colligatione. Cicero *connexiones* & *complexiones* vocat. vide lib. 1. de Finib. multis aliis verbis has adhæſiones atomorum vocat poëta. vide *cœtus*, *concilium*, *congreſſus*. I:221. 241

Ni pro *ne*. hoc etiam mutarunt librarii, in *ne*, & in *niſi*; non hic, ſed etiam apud Terent. &c. Donat. in Terent. ſic & Cic. lib. 9. epiſt. ad Varronem: *Conſilii noſtri, ni ſi eos quidem, qui id ſecuti non ſunt, non pœniteat, nobis pœnitendum putarem.* ita lego ex v. l. & Varro apud Non. *Dominus; Dominum convivii, vinum, aliudve quid, ni laudato.* ſic forte leg. non ut vulg. *mi*. Plautus Menæch. 1:2:1: *Ni mala, ni ſtulta ſis, quod viro eſſe* &c. II:734. 887

Nictari, micare. VI:181

Nictari, inquit Feſt & oculorum & aliorum membrorum niſu ſæpe aliquid conari, dictum eſt ab antiquis. hoc ſi verum eſt, & ad aves referri debet (ut etiam facit Feſt. cum tamen omnes repugnent libri) id ergo ſi eſt; videantur etiam veteres à *nitor* dixiſſe *nixum* & *nictum*. nam *niti* alis ſuis

i a-

aves dicuntur ab omnibus. ad quod vide hîc *connectum* & *fictum* & *pexus*. vereor tamen ut locus Feſti ſit mendoſus etiam hac in re. certe Ennii verſus valde ſunt contaminati, quos ita leg. puto pag. 93

Veluti ſi quando vinculis (ſeu *vinclis*) *venatica Venox*
Apta ſolet: ſi forte feram ex nare ſagaci
Senſit, voce ſua nictit ululatque ibi acutè.

in quibus verſibus id etiam ſervavit Ennius, quod ſuprà *Canes montivagi*, admonuimus. ut & Varius doctiſſimus poëta apud Macrob. lib. 6. cap. 2. his verſibus imitatus Ennium:

Ceu canis umbroſam luſtrans Gortynia vallem.
Si veteris potuit cervæ comprendere luſtra;
Sævit in abſentem; & circùm veſtigia luſtrans,
Æthera per nitidum tenues ſectatur odores.

vide *Obſtipa*. VI: 836

Nimbi, nubes. ferè ita Virg. 8. Æneid. 608

At Venus æthereos inter dea candida nimbos.

ſic Lucret. 6: 97. *æthereas nubes* dixit. Similiter & Prudent. Hamart. ℣ 87

Oppoſitus quotiens radiorum ſpicula nimbus
Igne repercuſſo.

&c. IV: 447. &c.

Nimbi arenæ. ut alibi montes. ita Virgil. Æn. 7: 793. *nimbum peditum*, & alibi Æn. 12: 254. *nubem cygnorum*. ut Homerus Iliad. 17: 755

νέφος ϛηρῶν ϰαὶ ϰολοιῶν. VI: 700

Nimio plus, id eſt multo plus. *Nec nimio plus*, i. e. neque amplius. Anton. ad Cic. 10: 8. *Niſi te valde amarem, & multò quidem plus, quàm putas; non extimuiſſem rumorem qui de te prolatus eſt; cùm præſertim falſum eſſe exiſtimarem: ſed quia te nimio plus diligo, non poſſum diſſimulare, mihi famam quoque quamvis ſit falſa, magni eſſe.* hoc ideo copioſiùs adſcripſi præter morem, quòd videam elegantiſſimam particulam vulgò ignotam eſſe, qua tamen & Plautus, optimus loquendi magiſter, crebrò utitur. ita, *nec nimio major aut minor.* V: 565

Ninguere floribus, f. tralat. ita fere Pind. in Iſth. 7: 6

χρυσῷ μεσονύϰτιον
Νίφοντα δεξαμένα
Τὸν φέρτατον θεῶν.

ſed malim *pingere*, nam *ninguere* Jupiter à Pindaro rectè, homines non item. eadem fere tralatione in Symmach. Lib. 1. Prudent. 78

Et nummos ſerere, & gremium penetrare puellæ.

ita enim 3. v. l. elegantiſſime, quamquam non incommode ipſum Jovem per nummos fortaſſis intelligat, utque ii nummi conferant & penetrent gremium puellæ. molliter etiam ibid. *Ruſticulas vexare lupas* dixit, ut in v. l. eſt. II: 627

Ninguis, nix antique Priſc. lib. 6. *Nix* (inquit) *nivis. antiqui tamen etiam ninguis dicebant.* unde Appulejus in 1. Hermag.

Aſpera hiems erat, omnia ningue canebant.

hinc *ninguo*. Virg. 3. Georg. 367

Interea toto non ſecius æquore ninguit.

ita v. l. VI: 736. 964

Nisus dixit pro conatibus, ſtudio, & anxia illa cura, quam puellæ quæ amatoribus ſe placere ſtudent, ponere ſolitæ ſunt ad ſe moliendas, comandas & ornandas. de quibus illud Terent. Heaut. 2: 2: 11

Dum moliuntur, dum comantur, annus eſt.

ſic enim ex v. q. illum locum leg. non dubito, cùm & Plaut. ita ſit locutus. ſic apud Feſt. leg. *Deſinare*. poëta etiam Chriſtianus Prud. Hamart. mirifice uſus eſt. ℣ 724

Lot fugiens Sodomis ardentibus, omnia ſecum
Pignora cara domus properabat, ſede relicta,
Niſibus urbicremis ſubducere.

ſic e v. libris leg. puto. *Niſus* videtur appellare omnia illa molimenta, furores, labores, fugas ignis, hominum, beſtiarum &c. vulg. *Nubibus.* IV: 1183

Nisus. multis locis male tractatum eſt hoc nomen, & in *nixus* commutatum, ingratis etiam vet. libris. Virg. Æn. 3: 37

Tertia ſed poſtquam majore haſtilia niſu
Aggredior.

idem accidit τῷ *connisus*, quod eſt verbum egregium, vimque magnam exprimit. Prud. Pſychom. ℣ 137

— & enſe coruſco
Conniſa in plagam. —

Virg. Æn. lib 10: 127

— & toto conniſus corpore ferrum
Conicit.

Val. Flac. lib. 3. ut eſt in v. l.

Torſerat hic totis conniſus viribus haſtam.

Horat. lib. 3. ode 3: 9

Hac

Hac arte Pollux & vagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas.

ita v. c. Ita & Valer. lib. 2. ubi de Metello: *Omnibus imperii nervis ad revocandam priſtinæ militiæ diſciplinam connixus eſt.* ita diſerte vet. c. optime. ſic & Oppium locutum inveni, de quo alias. V: 912

Nitidæ fruges. epitheton hoc quid ſonet ac valeat, non explicant vulgò. puto hic dici id quod optime creſcit ac provenit: ſed hoc quadam fit metalepſi. nitidum enim uſitate dicitur id quod ſplendet & quaſi ridet, ut videmus in rebus pinguioribus, etiam in frugibusematureſcentibus. eaque etiam re lætæ ſegetes & fruges ſeu arva Latinè dicuntur. quod autem ſplendet ac renidet, excultum ſit oportet. unde & *nitidum* & *nitere* pro deligenter culto ponitur. *nitida oratio* apud Cic. elaborata. hinc poſtremò quod ſumma cura eſt cultum, fructum affert uberiorem. atque ita hîc *nitidus* ac *nitere* intelligo; aut certè pro eleganter culto. Virg. lib. I. de Re Ruſt. 152

— Interque nitentia culta
Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ. & 2: 211
At rudis enituit impulſo vomere campus.

& apud Cicer. lib. 2. Tuſc. quidam poëta:

Etſi in ſegetem ſunt deteriorem datæ
Fruges, tamen ipſæ ſuapte natura enitent.

II: 189. 993

Nitor pro colore, ſpecie, facie, ἐπιφανεία ponitur eleganter. Cicero Arato. II: 776. 781

Nixari, conari, ita enim ibidem poëta;

— — Pinnarum niſus inanis.

& mox:

— — & conamen utrimque
Alarum.

ita & Virg. 4. Æneid. 252

Hîc primùm paribus nitens Cyllenius alis
Conſtitit. —

Non. *niti*, & Ovid. 2. de Ponto 7: 27

Et quot aves motis nituntur in aëre pennis.

Feſt. hîc habet *nictari*. vereor ut locus ſit mendoſus, adeò perturbata ibi ſunt omnia: vide tamen *nictari*, & *obſtipa*. *Nixandi* autem verbo ſæpe utitur Lucret. III: 113. &c.

Nobis παρέλκον, ut *tibi*, &c. V: 1208

Nocti pro nocte. vide *colli*. VI: 1218

Noctivagus νυκτιπόλος. Attius *noctivagum lunæ currum* dicit. IV: 586. &c.

Nodi veneris. hinc *devinctus amore*. & alibi, *compages Veneris*. IV: 1143

Nodus anni. eleganti metaphora æquinoctium indicat; ſumpta à zona & orbe cæli. ita alibi *fretus*. Cic. etiam in Partitionibus Orat. eleganter dixit: *apto quaſi quodam verborum nodo*. ſic enim leg. puto. vulg. *modo*. V: 687

Nominandi casus pro vocativo. *Memmius* pro *Memmi*. quod & Græcis, & Latinis poëtis perfamiliare eſt. I: 45

Nominitare. vide *Frequentat*. IV: 48. &c.

Non, non, ita Virg. libro Æneid. 2: 521

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget, non ſi ipſe meus nunc adforet Hector.

& Terent. ſæpe. VI: 753. 754. 1074. 1075

Nonne videre. Donat. in Phorm. act. 2. ſcæn. 1: 5: 1. ad hæc verba, quibus Demipho iratus ita:

Itane tandem uxorem duxit Antipho injuſſu meo?
Nec meum imperium: age, mitto imperium: non ſimultatem meam
Revereri ſaltem? non pudere? ô facinus audax! ô Geta
Monitor!

ubi ita Donat. *Nec meum imperium. rara ἀποσιώπησις. nam non ſequitur Sed, intulit enim Age: ſubauditur autem revereri. ſic Lucret. Nonne videre.* II: 16

Nonne vides. hoc principio mirè delectatus eſt Lucretius, utiturque ſæpiſſimè; & eum imitatus Virgil. interdum, ut &, *Jamne vides.* II: 196. &c.

Non erimus. elegans phraſis, quam Virg. imitatus eſt, & Comici ſæpe utuntur. III: 852

Non quit, pro *nequit*. Ennius apud Cic. lib. 7. epiſt. ad Trebat. 6. & p. 210

— — Qui ipſus ſibi
Sapiens prodeſſe non quit, nequidquam ſapit.

ſic leg. puto ex v. l. V: 1341

Non-sensus ita videtur poſitum à Lucretio, ut à Salluſt. *in-cultus*, & *nec-opinato*. vide etiam *Semper*. II: 929. 931

Notare verbis res: verba enim ſunt rerum notæ. V: 1057. 1089

Nothum lumen, id eſt alienum, aliunde ſumptum, non ſuum, οὐ γνήσιον. ſic &

politiſſ. poëta Catullus *notho lumine* dixit lunam. V:575

Notitiam videtur dicere id quod Epicurei πρόληψιν, Cic. *anticipationem*, & hoc cum *injectu animi* ferè conſentit. II: 744

Notities. vide *deſidies*, & *effigia*. V: 183. &c.

Nox nimborum. hinc Virg. 1. Æneid. 328

— *Nimborum in nocte coruſca*.

IV: 173

Nubes austri. mirè dictum, atque ita ferè uti illud Virg. 3. Æneid. 319. *Hectoris Andromache*. certè nubium & imbrium quaſi parens eſt auſter, qui ea etiam re ab Ennio p. 115 elegantiſſ. dicitur *imbricitor*. IV: 173

Nullæ, nullius. vide *ullæ*. VI: 392

Numen, nutus, motus. II: 632. &c.

Esse in numero. quaſi proverbiale dicendi genus, pro & eſſe in rerum natura. alluſum fortaſſe ad proverbium, *Numerus*, &c. V: 181

Nunc. particula hæc vim adverſandi ſæpe habet apud Cicer. aliosque ſcriptores, ut ita dicam, aſſiduos. ut Græc. etiam νῦν. Lucill. elegantiſſimis verſibus:

Nam ſi quid ſatis eſt homini, id ſatis eſſe potuiſſet,
Hoc ſat erat: nunc cùm hoc non eſt, qui credimus porrò
Divitias ullas animum mi explere poteſſe?

ita leg. apud Non. I: 245. 341. 562

Nunc iam. comicum. hodie ſæpe apud Terentium depravatum in *jam nunc*. I: 219

O.

O brevE interdum in adverbiis, ut alibi admonuimus. teſtimonia etſi hic nulla ſint; quia tamen ad noſtri poëtæ conſuetudinem, qui *e* in adverb. ſæpe corripuit, confirmandam valet, rurſum hic monere volui. Quod autem τὸ *A* veteribus interdum productum dixi, confirmari poterit etiam his locis. Enn. apud Cicer. Off. & p. 300

Salmaci da ſpolia ſine ſanguine & ſudore.

ſic eum verſum ex Feſt. leg. puto; aut, *das*. Horat. ad Torquatum. Ic. Epiſt. lib. 1: 5: 12

Quo mihi fortuna, ſi non conceditur uti?

ſic omnes v. l. formis & calamis deſcripti. itaque ſollicitandum non puto. acutè alii *fortunas*. ſed contra o. ut dixi, libros. Cùm non incommodè accipi ſcriptura vetus poſſit, novam eam nec ullam aliam facilè admiſerim. ut in eadem Ecloga; cùm lib. o. v. habeant. ℣ 1

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis.

non video cauſſam cur doctiſſ. Nannii conjecturam probem, qui *Archaicis* hic maluit. id alii etiam ſequuntur nonnulli: præſertim cùm uterque vetus interpres *Archiacis* legerit, & exponat *ab Archia fabricatos*. & cur non potuit Flaccus *Archiacos ſeu Archiæ* dicere *lectos*; ut alii *Soterichi*? Sed hæc extra rem. plura de *A*. & reliquis vocalibus facile ſibi quivis comparabit his Notis admonitus.

O non extritum. vide & *Verſus*. Ovidius 3. Metamorph. 539

Voſne ſenes mirer, qui longa per æquora vecti
A Tyro, hac profugos poſuiſtis ſede penates.

ſic leg. puto ex 3. v. vulg. *Hac Tyron & prof.* nullo fere ſenſu. III: 982. VI: 1076

Obbrutescere, pro obſtupeſcere, omnemque amittere ſenſum; atque ita interire. Feſt. *Obbrutuit, obſtupuit, à bruto. quod antiqui pro gravi, interdum pro ſtupido dixerunt. Afranius*:

Non poſſum verbum facere, obbrutui,

id eſt, obſtupui. Prud. Hamartig. 651

Damna aures, pater alme, meas, & claude meatus
Obbruteſcentis capitis:

&c. III: 544

Obcurrere, id eſt, accurrere. ita & Catull. 64: 60

— — *Qualem Minoïdi luctum*
Obtulerat,

id eſt, attulerat. *ob* pro *ad*. Feſt. hinc & in Jure *obligatio* pro alligatione dicta videtur. Hor. Epod. 18: 15

Optat Prometheus obligatus aliti.

In eodem Flacci carmine non poſſum quin locum vulgo, ut opinor, contaminatum, ex v. l. reſtituam & explicem, ℣ 29

Plorem artis in te nil habentis exitus.

ſic ſane l. v. recte. *Plorem artis*. f. ergo, Græco

co more, *nil exitus*, *nil efficaciæ*. nam & de eadem arte ita Epod. 17: 1

Jam jam efficaci do manus ſcientiæ.

nil exitus, ut apud Plaut. *nil quæſtus*, *nil gratiæ* apud Terent. *exitus* pro efficacia, vi, & effectu, tritiſſ. eſt. Ceteræ autem ſcripturæ, partim Græciſmi ignoratione; partim quorundam licentia inrepſiſſe videntur. Virg. 3: 81

Vittis & ſacro redimitus tempora lauro.
Obcurrit.

&c. ita vet. l. ibi. IV: 783

Obherere, pro adherere, *ob* pro *ad*. Feſt. IV: 422

Obicere, adicere. *ob* loco *ad* utebantur. vide Feſt. V: 548

Obire, pro adire. vide Feſt. I: 223. &c.

Obit, pro obiit. vide *inritât*. III: 1055

Obita morte. elegantiſſ. hæc eſt particula. Cic. pro Seſtio 85. *Nec verò illorum quiſquam quos à majoribus noſtris morte obita poſitos in illo loco, atque in roſtris collocatos videtis.* Virg. Æn. 10: 641

Morte obita quales fama eſt volitare figuras.

Servius accipit *obita* pro ſumpta, ſuſcepta, & completa. ut *obire munus* dicitur. I: 136

Oblatus, *b* pro *ad*, id eſt, illatus. Feſt. Terent. in Hecyr. 5: 3: 18

Quantam obtuli adventu meo lætitiam Pamphilo hodie?

id eſt, attuli. ita alibi *offerre injuriam* dixit. II: 952. 953

Oblivium. vide Feſt. III: 840. &c.

Obnitier undas. f. ita enim in veteri codice repperi, rectius fortaſſe quàm quod in vulg. *undis*. ſolent enim ſæpe veteres verbis junctis addere caſum præpoſitionis ſimplicis verboque non junctæ, ut *inhiare pecuniam*, *allatrare aliquem* &c. & hic *Subjungere*. IV: 439

Obretiri, alibi dixit *circumretire*. III: 385

Obsidere. ita *conſidere*, &c. Salluſt. Catilin. 45. *Homines militares ſine tumultu præſidiis collocatis, ſicuti præceptum erat, occultè pontem obſidunt.* ſic leg. ex vet. cod. *pontem*, ut hoc ἐν παρέργῳ admoneam, intelligit *Mulvium*: ſic enim pons ille dici debet ac ſcribi, qui vulgo cum in Salluſtio, tum in omnibus ſcript. *Milvius* ferè ſcribitur contra v. libros. *Mulviam* gentem in Rep. R. inveni. hinc & *Mulviana pira*, ni fallor, dicta ſcribit Plinius. atque ita etiam apud Prudentium lib. 1: 483. ſcribend.

Teſtis Chriſticolæ ducis adventantis ad urbem
Mulvius.

ſic vet. lib. ita etiam *Deſidere*, &c. IV: 352. 1086

Obsignatum, venuſta migratione, firmum ac diligenter confirmatum. II: 581

Obstipus, curvus. in Feſto eſt, obstitus. ego etſi antiquitati tribuam plurimum: *obſtitus* tamen hic contra o. l. omnino ibi liber Feſti depravatus videtur. vide & hic *Nictari*. IV: 519

Obstruere caput alicui, objicere. ſumpta tralatio à fabris, hinc & *luminibus obſtruere*. V: 753

Obterere, reicere & omnino contemnere. ut Græc. πατεῖν tralatè etiam dicunt. Prudent. lib. 1. in Symmach. 575

Vix pauca invenies gentilibus obſita nugis
Ingenia, obtritos ægrè retinentia cultus.

ita rectè vet. lib. I: 80

Obtusæ vires, deminutæ. III: 453

Occidit caussa, nulla eſt. tralatè. II: 794

Occipere. vide Nonium. V: 887

Occurrere. tralate, adverſari, impedire, & Græc. ἀπαντᾶν, *refellere*. III: 523. IV: 783

Ocior & ocius. qui per *y* ſcribunt, falluntur ut opinor: nam veteribus omnibus libris repugnat ea ſcriptura. & Priſcianus liquidò indicat per *i* ſcribendum. cùm enim dixiſſet multa eſſe nomina juncta aut ab aliis deducta, quorum tamen ignoretur origo, exempli loco addit *ocior: Ocior* (inquit) *quaſi ab oco, quod in uſu non eſt, licet à Græco ſit* ὠκύς. nec ſatis idonea eſt eorum ratio, quòd ſcilicet à Græco deducatur: hac enim ratione permiſſa, tota orthographia apud Romanos miſceretur ac turbaretur: ſumpſerunt enim illi plurima à Græcis, quæ ita tamen vel errore primo, vel prudenter ac paullatim conformarunt, ut parens ignoretur pæne. Eadem ratione *anculandi* verbum, *elogium*, &c. Lege, ut ita dicam, Junia de civitate Romana eiciunt, ſed errant. qua de re aliàs & dixi & dicam.

Oculis dolor. alluſum videtur ad

id quod Terent. aliique, *oculis dolorem.* IV:332

ODIOSA. ad orationis moleſtiam pertinet. hinc & Cic. ad Att. lib. 4. *Sed tamen cùm horas tres ferè dixiſſet, odio & ſtrepitu ſenatus,coactus eſt aliquando perorare.* Terent. Phorm. 5:6:9

Pergit hercle. numquam tu odio tuo me vinces.
ANT. *Non manes?* GET. *Vapulabis.* ANT. *At id quidem tibi jam fiet niſi reſiſtis, verbero.*

verſus ſunt octonarii troch. catal. *vapula. id qui-dem tibi jam fi. & niſi reſi-ſtis verb-ero.* locus ille mire contaminatus eſt in quibuſdam libris: nam contra omnes veteres libros, *haud vapulabis. curialis vernula eſt qui me vocat, id tibi,* &c. quod profectò ἀπροσδιόνυσον. & quis umquam curiis adſcribat ſervum, cujus nullum in republica eſt caput? miror hominibus doctis hæc excidiſſe. imitatione eâdem Horat. 1. Sermon. 7:6

Durus homo, atque odio qui poſſit vincere regem,
Confidens, tumiduſque, adeò ſermonis amari
Siſennas, Varros ut equis præcurreret albis.

ſic ibi leg. puto. per *Varros* intelligo ruſticos, qui & *Varrones* dicti, ac *rupices.* pro *Siſennas* aliquando *Sarſennas* ſcribebant, nam *Sarſenæ* cujuſdam RerumRuſt.ſcriptoris commeminit Plin. ſed mutare non auſim temere. IV: 1159

ODOS. ita *colos*, &c. IV:88

OFFECTUS. obſtructus. IV: 767. V: 774

OFFENSUS, occurſatio. Epicurus ἀντικοπὴν vocat. II:223. &c.

OFFICI, impediri. vide *offectus.* II: 155

OLESCERE. f. vide Non. *adoleſcere*, & Feſtum. II: 1129

OLLI. olim *ollus* & *olle*, ut *ipſius* & *ipſe* dicebant:etiam *ole.* antiquiſſimi enim non geminabant conſonantes. qui autem apud Terentium, *Ile* pro *ille* ſcribunt, repugnant vet. omnibus libris, & niſi fallor, errant. ceterùm ut *olle* & *ille*, ita *Soſpes* & *Siſpes* Juno à veteribus dicta fuit, teſte Feſto. III: 272 &c.

OMNE. τὸ πᾶν vocat Epicurus, id eſt rerum univerſitatem. alibi *ſummam* vocat. Cic. etiam lib. 1. de Natur. Deor. & de Divinat. *omne* vocat. I:275. &c.

OMNIBUS, prima brevi, ut alibi, *omnium.* id rectè Scaliger etiam apud Terent. obſervavit. III:440

OMNIMODIS. antiq. adverb. ut *multimodis*: ſic enim ea ſunt ſcribenda ſine apoſtropho. teſtes ſunt lib. veteres, & analogia. nam & ita *alternis, ingratis,* &c. I: 684. &c.

OMNIPARENS. ita tellus à poëta dicitur, & à Marone, id eſt, παμμήτωρ. Ovid. eam *omnitenentem* vocat, hoc verſu libro 2. Metamorph. 275

Suſtulit omnitenens collo tenus arida vultus.

ſic enim v. l. ferè habent, vulg. *omniferos.* II: 705. &c.

OMNITUENTES SENSUS, ut *omniparens terra.* ita & *omnicarpæ capræ* dicuntur. aliter Valerius Flaccus dixit ſolem *omnituentem*, id eſt, παντεπόπτην. II: 941

OMNIUM, primam hîc habet correptam, ſolent antiqui Græci, & Latini poetæ vocales ante has literas *mn, cm, gn, ſc, pt, ſt.* poſitas corripere ſæpenumerò. hoc qui ignorant, partim loca depravarunt, partim abſurdas eclipſes eliſioneſque commenti ſunt. id quod præclare etiam admonuit doctiſſimus ille Fabricius. poëta noſter agens de Ennio,cujus erat ſtudioſiſſimus,ipſius(p.495.) etiam verſu uſus eſt: ita enim apud Nonium *cluere* adducitur: *per gentes omnes cluet miſerrimus.* & quod etiam hic dicit Lucret. 1: 117

An pecudes alias divinitus inſinuet ſe;

ex Ennio p. 182. eſt, nam hos etiam verſus profert Varro lib. 4. de Lingua Latina:

Ova parire ſolet genus pennis condecoratum.

Non *animas*, ut ait Ennius. & poſt: p. 183

Inde venit divinitus pullis inſinuans ſe
Ipſa anima.

ita locus ille Varr. leg. vide Non. I: 120. V: 340

OPES pro opulentia videtur poſuiſſe poëta. Non. V: 1393

OPES antiqui, & Cic. maximè, non pro divitiis, ſed pro potentia ponebant, quæ in amicorum, ſociorum, ſervorumque copia conſiſtit: ſed hoc notum ferè. hinc eleganter *vires opibus* conjunxit Prudentius Pſych. 873

Margaritum ingens opibúſque & viribus haſtæ

Ad-

Addictis, &c. ſic vetus liber rectiſſimè. τὸ *cenſibus*, quod in q. lib. vulg. exſtat, ſapit gloſſam. III: 63

Opinatus, *us*. Cicero ferè *opinationem*, temerariam ſcilicet & imbecillam aſſenſionem vocat. vide *conjectus*. IV: 467

Oportunus. Non intelligunt vulgo quid vox hæc egregia valeat. utitur ea ſæpiſſimè noſter poëta, M. Cicero, Livius, Virgilius, alii omnes. & vix habeo verbum ſatis accommodum quo τοῦ *idoneus* exprimam vim & notionem. ferè idem valet quod utilis, ſed tamen quid amplius: aut *idoneus*, id eſt, egregius, præſtans. III: 208. &c.

Oppilare. verbum elegans, rarum tamen etiam apud veteres. uſus eſt eo M. Tullius in Antonium lib. 2: 21. *Niſi ille ſe ſub ſcalas tabernæ conjeciſſet, hiſque oppilatis, impetum tuum compreſſiſſet*. non dubito autem quin ex Græco fonte manaverit: illis enim πιλεῖν *denſare*, *conſtipare* valet. *Ob* particula majus induit velum, ut in *obbruteſco*, *occludo*, &c. VI: 725

Oppressus, propriè, de ruina. III: 694

Obtineat, antique, ita apud alios *opſecro*, *opteſtor*, *opſonium*. &c. III: 1002

Opus. video politiſſimos ac doctiſſimos ſcriptores hac voce in Re Ruſtica uti ſolitos ſæpenumerò. Cicero Cat. Majore: *Numquam ullo in agro majora opera fiunt, ſenibus abſentibus*. Catoni libro de Re Ruſtica, & Varroni ſemper in ore eſt, & ſervos vocant *operarios*. hinc & *opus facere*, pro in agro laborare apud eoſdem ſæpe, & Terentium Heautont. act. 1. ſcæn. 1: 21

Quod in opere faciundo operæ conſumis tuæ.

aliter autem, nempe de ædificatione, Nepos in vita Themiſtoclis, ubi ita ait cap. 6. *Præcepit interim omnes ſervi atque liberi opus facerent, neque ulli loco parcerent, ſive ſacer, ſive privatus, ſive publicus: & undique quod idoneum ad muniendum putarent, congererent*. Sic lego ex veteri codice, in quo ita planiſſimè ſcriptum eſt: ubi etiam mox eſt: *adire ad magiſtratus noluit*. antiquo more, ut paullo infra eum locum etiam in vulgatis libris, *ad magiſtratum ſenatumque Lacedæmoniorum adiit*. V: 1359

Opus, pro neceſſarius. Nonius. I: 1050

Ora luminis, id eſt vitæ regio; id eſt vita. *lumen* ſeu *lux* pro vita. ita Ennius p. 38. *oras belli* videtur dixiſſe, pro bello. Eſt autem Ennianum apud Firm. l. 1. cap. 6. & p. 38

Tu produxiſti nos intra luminis oras.

ubi fortaſſis leg. *endo*. vide *endo*. & apud Feſtum *Sum*: & p. 51

At ſeſe ſum quæ dederat in luminis oras.

& Lucretii perſtudioſus Arnobius libro 2. *Antequam Tages Thuſcus oras contingeret luminis*. utitur eo bis Virgilius initio libri 2. Georgic. & libri 7. verùm utrobique legitur mendoſe, ut & quibuſdam in locis apud hunc poëtam, *Luminis auras*. quibus deducti etiam recentiores ſæpe hîc peccarunt. I: 171. &c.

Ora, fauces, & crateres. VI: 702

Orare, agere ut videtur. Feſt. IV: 835

Orbi, pro *orbe*. antiq. vide Priſc. l. 7. conquerentem de librariorum inſcitia. ſic *colli*, &c. vide Soſipat. II: 643. V: 75

Orbis solis. vide *rota*. V: 765. &c.

Ordia, exordia, principia, atomi: vide hic *clarare*, *clinare*, *minere*. &c. IV: 32

Organici, qui organis canunt. Varr. Cat. *Melos unum, quod eſt in aſſa voce, alterum quod vocant organicon*. II: 412. V: 335

Oriſci. ſic & *erciſci*, quod perperam efferunt *erciſeri* etiam in lib. Cic. 1. de Orat. convincit hoc τὸ *erciſcundi*, quæ ratio verbis tertiæ & quartæ formæ ſolis tribuitur. vide *aboriſci*. V: 732

Ornare, inſtruere. Nepos in Hannib. cap. 3. *Effecit, ut ea elefantus ornatus ire poſſet* &c. ſic lego ex v. c. II: 42

Oscula humida eleganter deſcribit poëta. IV: 1188

Oscula rapere. ſuaviſſ. vet. dictio. poëta *præripere* dixit. III: 909

Ossifraga. genus aquilæ Plin. Feſt. *Sanqualis*. V: 178

P.

Pabulum amoris, ut Cic. *pabulum animi* vocat naturæ conſiderationem. IV: 1057

Palladion, parva Pallas, ita vocitabant delicias ſuas adoleſcentes cæſiis oculis præ-

præditas, qualis pingitur Minerva. Euſtath. Ἰλιάδ. α. γλαυκῶπις ἀθηνᾶ, οὐ μόνον γραφικῶς ὡς ἁπλῶς γλαυκοὺς ἔχουσα τοὺς ὀφθαλμοὺς, ἀλλὰ καὶ ὡς ἂν εἴποι τὶς δεινή τὸν ὄψιν καὶ ἐκπληκτικὴ κατὰ τὰ γλαυκωπὰ τῶν θηρίων. γλαυκοὶ γὰρ οἱ λέοντες οἱ βασιλικοὶ καὶ ἰδεῖν δεινοί. καὶ δράκοντας δὲ τις τῶν ποιητῶν γλαυκώπας καλεῖ. γλαυκῶπις οὖν καὶ ἡ φοβερὰ, &c. ita ergo à deæ cognomine minuunt feritatem adſpectus, ut quaſi heroicus ille ſit, & cum dea communis. vide & *cæſius*, & *Silena*. IV: 1155

PANACES, herbæ genus gravis odoris. dicitur & *panacea*. Virgil. 12: 419

— — Et odoriferam panaceam.

ubi Serv. ait *Lucret. panaceam ubique ſalem dicere*: ſed vel errat Serv. vel mendoſus eſt codex, & leg. *Lucilium*, ut aliàs ſæpe. IV: 123

PANCHÆI ODORES, Arabici, tus. Virg. 2. Georg. 139

Totaque turiferis Panchaïa pinguis arenis.

II: 417

PANDÆ NAVES. i. curvæ. epitheton navium ſollemne. V: 1441

PANGERE, ſcribere. ſtilus enim olim depangi in ceram ſolebat: hinc & *ſcribere* proprie eſt imprimere. nove dixit Prudent. Periſt. 5: 323

Ipſumque vulſis nexibus
Obambulantem pangere.

i. canere. 2, 1.

PANNI. ῥάκια. Terent. *annis, panniſque obſitum*. Titinnius Veliterna:

Tunica & cingula obuncula
Adimetur, pannos poſſidebit fœtidos.

ita *obuncam falcem* dixit Arnob. lib 6. VI: 1267

PAPPI, carduorum flores. Nicand. & Feſt. III: 387

PARENTARE, *immolare*, inquit Nonius. III: 51

PARTEM BONAM. bona ex parte. ita enim veteres loquebantur. Cæſar initio lib. 1. de Bell. Gall. *eos impeditos & inopinantes aggreſſus magnam partem concidit*. ſic ibi reſtitui ex v. c. VI: 1215

PARTEM MINIMAM. minima ex parte. dictio veteribus familiariſſ. III: 64

PARTI, pro parte, Cicero: *parti miſcetur in una*. vide *colli*. Ovid. 1. Metamorph. 42

In mare perveniunt partim, partique recepta
Liberioris aquæ.

ſic reſtit. puto ex v. l. in quibus fere *partim*. vulg. *campo* contra v. e gloſſa, credo, manavit. Valerius lib. 6. *Metellus uxorem, quod vinum bibiſſet, fuſti percuſſam interemit*. &c. ita v. c. III: 610. &c.

PARTIBUS MULTIS INFERIOR, MOBILIOR, id eſt multo mobilior, &c. elegans hoc eſt dicendi genus; omnibus antiquis ſcriptoribus uſitatum. Cæſar lib. 3. de Bello Civili: *numero multis partibus inferior*. Cœlius ad Cic. *Turpe tibi erit, Pathiſcum Curioni decem pantheras miſiſſe, te non multis partibus plures*. I: 736. &c.

PARTICIPIA brevitatem auferunt orationi verbo juncta hoc modo: *ambulans doceo*. i. ambulo & doceo. vide Priſc. lib. 11. Horat. 3. carm. od. 14

Unico gaudens mulier marito
Prodeat iuſtis operata Divis.

ubi recte Porphyrio *Prodeat & operetur* & Virg. lib. 4. Æneid. 17

Poſtquam primus amor deceptam morte fefellit.

id eſt decepit ac fefellit. apud Græcos nihil frequentiùs. egregie noſter. I: 274

Interdum rapido percurrens turbine campos
Arboribus magnis ſternit. —

percurrit & ſternit. hoc ſi conſideraſſet Marull. locum non mutaſſet contra v. l. ita & I: 940

— Deceptaque non capiatur.

decipiatur, non capiatur, & aliis item locis.

PARTICIPIA ἀνζητικά juncta verbo. VI: 1160

PARTICIPIORUM quodnam munus, vide I: 344

PARTIM, ſemel poſitum. Sic & Cicer. lib. de amicitia, & aliis locis. male ergo Budæus id numquam non geminari putavit. V: 950

PARTIO, pro partior. Non. & Priſc. egregie lib. 82. V: 683

PARTUM, res adquiſita. vide *ventum, auditum*. II: 680

PARTUS, tralate; ad naturam res parientem. II: 932. 934

PARVI ESSE. ſic fere dictum ut illud Cœlii: *eſt tanti*. V: 1118

PARVISSIMUS utitur Varro apud Nonium in *rictum*. utitur & Feſt. *ſpara*. *Multiſſimus* quidam apud Ciceron. ad Att. ſuppoſuerant con-

contra v. l. *celeriſſimus* dixit Ennius I: 609. &c.

PASCERE OCULOS. hoc vulgare, elegans tamen. Virg lib. I. inſolentius, *paſcit animum* dixit. I: 37. &c.

PATER. ita Carus noſter Epicurum vocat. Videntur honoris cauſſa philoſophi auctores ſuæ doctrinæ ſoliti appellare *patres*: ut Academici Platonem, Epicurei Epicurum, Ariſtotelem Peripatetici; nam & ita Cic. lib. 3. de Nat. Deor. ubi de Zenone: *Nihil igitur affert pater iſte Stoicorum, quare mundum ratione uti putemus.* III: 9

PATRARE, perficere. V: 386

PATRII FINES MAGNETUM, id eſt, regio. VI: 909

PAVIRE f. ferire. Feſt. II: 376

PAUSA, finis, modus. non dubito quin & hoc à Græcis ſumpſerint Romani: etſi παῦλα dicant illi. Sic enim antiquiſſimi Romani male interdum conformabant peregrina, vel imperite, ut putat Feſtus, vel ut ſua facerent, hinc exſtiterunt *Alimento, Melo, Catamitus, Alphius, Alcedo, Telamon*: & ſiqua ſunt alia generis ejuſdem. Q. Claudius: *utrique quieſcerent pugnæ. facta pauſa eſt.* Cornelia ad filios Gracchos: *Denique quæ pauſa erit?* In vet. q. monumentis legi, *pauſſa*. I: 748. &c.

PAUXILLUS, à *paullus*, quod veterib. eſt *parvus*. Titinnius Setina:

Cocus magnum ahenum, quando fervit, paulla confutat trua.

apud Nonium. ita leg. III: 230

PAX ANIMI, id eſt, tranquillitas. lepidiſſima tralatione III: 24. & alibi. omnes etiam utimur *pacis* verbo pro otio ac tranquillitate. ita Silius *pacem æquoris* dixit. Cic. *animis adferre pacem.* & *ventorum paces* dixit noſter lib. 5. Virgil. autem *prœlia ventorum.*

PAX VENTORUM, cæli tranquillitas. V: 1229

PECU, vet. dicebant ut *veru*. Feſt. & Priſc. lib. 6. VI: 1130

PECUDES BALANTUM. ita veteres locutos obſervavi. i. pecudes balantes. Sic *Sqamigerûm pecudes*, pro piſcibus. ita Ennius lib. 6. *Squamigeræ.* ſic enim pecudis voce ut generali uſi videntur. Virgil. 7. Æneid. *greges balantum* dixit. II: 369

PECUDES SQUAMIGERUM. *pecus* ad piſces refertur. Nonius. II: 343.

PEDEM PONERE, elegans veterum dicendi genus, Cicer. utitur ſæpe. hinc *poſſeſſio* pedum, quaſi *poſitio*, apud JurisC. III: 390. &c.

PEIOR PARS ÆTATIS eſt ſenectus, ut diei peior pars ea quæ poſt meridiem. hinc & *malam ætatem* hanc vocant veteres comici. vide Nonium, *Senium*. II: 1131

PELAGE, πελάγη; maria. ut alibi *mele*. V: 36. VI: 619

PELAGUS, tralate. ut vulg. & Græce ὠκεανὸς. & hic *mare* pro *infinitate*. II: 550

PELLACIA. ita & elegans poëta Prudent. Hamartig. 637

Sentio quam contra moveat pellacia litem,
Quo dente obnitens ſpinoſa calumnia pugnet,
Noſque laceſſito vocet ad luctamina vero:
Si non vult Deus eſſe malum, cur non vetat, inquit?
Nil refert, auctor fuerit, factorque malorum:
Anne opera in vitium ſceleris pulcerrima verti,
Cum poſſit prohibere, ſinat. quod ſi velit omnes
Innocuos agere omnipotens; ne ſancta voluntas
Degeneret, facto nec ſe manus inquinet ullo.

Adſcripſi totum locum perelegantem, ita ut emendandum putavi, ex v. tamen libris, ac interpungendum. locus eſt in Jure Civili graviſſimus de eo, qui prohibere cum poſſit, non prohibet: eum enim æque teneri ajunt ac ſi ipſe fecerit. vide l. culpa, D. de reg. jur. l. ſcientiam, D. ad l. Aquil. hinc totus ille locus Prudentii pendet. vult enim hæreticus nihil referre, an auctor, factor, conditor, creator (ea enim omnia pro eodem uſurpat rectiſſ. poëta) mali ſit Deus; an verò cum prohibere poſſit, permittat tamen. ſic autem Plaut. dixit *minacia*: Virgil. 4. Geor. 443

Verum ubi nulla fugam reperit pellacia victus &c.

ſic vetuſtiſſ. quidam cod. vulg. *fallacia*: quod malum quidem non eſt, ſed gloſſam ſapit. ſic & Arnob. II: 559. V: 1002

PELLERE PEDE TERRAM. Ennius:

Muſæ quæ pedibus magnum pulſatis Olympum.

V: 1401

PELLICERE, l. pro r. ut ſæpe alias. *ſquaror, ſqualor, pellegere.* Virg. 6: 34.

Pellegerent oculis. —
ſic leg. VI: 999

PENETRALIA CÆLI f. Arnob. lib. 2. *Neque cum animis artes cæli ex penetralibus ceciderunt.* & alibi. ſed vide hîc *Tonitralia cæli.*

PENETRALIS, penetrabilis. mirè variarunt, & alterum pro altero poſuerunt ſcriptores veteres *innumeralis*: hîc, *manalis*: *naturabilis* pro *naturalis*, *ſpiritabilis*, *genitabilis* &c. I: 495. &c

PENETRARE. nova aut potius antiqua dicendi ratione extulit hoc verbum: ait enim, *hoc me penetrabat*, id eſt, ſuccurrebat. credo dictum ut *ſubeundi* verbo utuntur omnes. *ſubiit cogitatio*, *ſubit animo cogitatio.* V: 1261

PENETRATA. Græc. ἐνεργητικῶς. ita *uſurpata*, vetus poëta apud Cicer. ep. ad Papirium: & ipſum verb. *penetrare* in Noct. Att. *in eam ſpecum me penetro & recondo.* Plaut. Aulul. vide & hic *conſulta* & *volgata.* IV: 674

PENITUS. ex imo. ita Cic. Virg. omnes veter. III: 584

PENNIPOTENTES, pro avibus: quæ ſcilicet pennis valent ac potentes ſunt, Enniano more. de Æacidis ait ille:

Bellipotentes ſunt magis quàm ſapientipotentes.

& alibi hîc poëta dixit *rerum potentes.* aut quia potiuntur, i. habent pennas. nam & Ennius ait p. 182

Genus pennis condecoratum.

Plaut. autem non abſimili ratione deos appellat *cælipotentes.* II: 877. V: 787

PER. vocabula hoc articulo juncta apud veteres videntur fuiſſe plurima, quæ hodie vel in *præ*, vel aliter ſint commutata. Lucretius: *perdulcis*; *percurro & percurſus*; & Canteri noſtri *perneverit*, quod in Martiali elegantiſſ. reſtituit. Prudent. Pſychomach. *perdurat teneras* &c. ita v. c. idem hymno 1. Periſteph. ℣. 11

Fama nam terras in omnes percurrit proditrix.

ſic v. l.

PER SE ESSE. mira dictio, id eſt cum alio nullo junctum eſſe, aut concretum, aut conſociatum; ſed unum, ſimplex ac merum. I: 507

PERCIERE, ut alibi, *percutere* animum III: 29

PERCIPERE forte pro *invadere.* ut Plaut. extrema Amphitr. & Pacuvius Medea: *horror percipit.* ſic apud Virg. Ecloga 3: 98

— *Si lac perceperit æſtas.*

tametſi Servius *præceperit*, videatur legiſſe, & nullis dum in libris invenerim. nam & hic poëta alicubi, *percipit ardor aëra.* & *præcipere* illi loco non tam convenire videtur. *æſtas*, habent vet. l. vide & hic Homer. Iliad. α. 387

Ἀτρείωνα δ' ἔπειτα χόλος λάμβανει. &c.

PERCIPIT ARDOR AERA, id eſt, occupat. V: 604

PERCIRE, ita alibi *accire.* III: 304

PERCITUM, agitatum. II: 128

PERCOQUERE. hoc verbum ſoli tribuunt veteres omnes. Cicer. in OEcon. 3. *Nullo modo faciliùs arbitror poſſe neque herbas areſcere & interfici, neque terram ab ſole percoqui.* ubi Xenoph. ἡ δὲ γῆ ὀπτῷτο ὑπὸ τοῦ ἡλίου. VI: 722

PERCULSUS TIMORE. haud ſcio an ita dixerint veteres. hoc ſcio mirè variatum & peccatum in libris omnibus. vide *Percutere.* V: 1222

PERCURSUS. f. & meliùs hîc fortaſſe quàm *procurſus.* vide *Præpetere.* II: 454

PERCUTERE. tralatè ad animum. incitare; commovere. uno verbo hîc indicabo, *percutiendi* verbum ad animum etiam referri, quaſi πλήττειν apud Græcos. hinc *percuſſus.* quod apud omnes ferè depravatum eſt in *perculſus. percellendi* verbum timorem ferè præportat. vide & *perciere.* I: 13. &c.

PERCUTERE OCULOS. ita Juven. Satyr. XI. *percutere aures.* IV: 732

PERDELIRUM, ut *deridiculum.* I: 67

PERDULCE f. vide *prædulce.* IV: 639

PERESUM, vide *adeſum.* III: 414

PERFICE. *perficus a, um*; & *perficiens*, valere videtur & *perfectus.* ut & ἐυμαθὴς Græc. hîc enim *perfectè* ſonat, ut & apud Plaut. Rudente: *ut ſine labore hanc* (f. urnam) *extraxi perficiſſimè.* etſi libri eo loco habeant *præficiſſimè.* quod ſi retineamus, pro eodem accipiendum erit, nam τὸ *præfiſcinè* quod Joachimo placet, ibi locum non habet. apud Arnob. *perficiens* ſonat. ejus verba ex lib. 4. Adverſus Gentes adferam; ut antiquum verbum intelligatur: *Etiamne Militaris Venus caſtrenſibus flagitiis præſidet & puerorum ſtupris? Etiamne Perfica una eſt è populo numinum, quæ obſcœnas illas & luteas voluptates ad exitum perficit.*

ficit dulcedine inoffenſa procedere? Ut *perſicus* à *perſicio*: ſic *proſpicus deſpicus* apud Nonium: ubi ita leg. puto: *Proſpica, & deſpica, intenta & contempta.* vulg. *contempla.* ſæpe *t* pro *l*: & contrà *l* loco *t* poſitum comperior apud Catull. de luctu paſſeris, 3: 10

Ad ſolam dominam uſque pipitabat.

ſic eum locum reſtituendum puto. vulg. *pipilabat. pipitare* à *pipare* conformato ὑποκοριστικῶς. amat ea Catullus. ſic *libitare*, *balitare*, *cubitare* &c. dicebant. In carmine etiam Philomela, quod Naſoni adſcribitur, vulg. ita legitur,

Bombilat ore legens munera mellis apis.

leg. puto *Bombitat* ex Feſto. Græcis, ut eſt apud Polluc. βομβεῖν. Gaza non tam recte *bombulare* vertit. ſed hæc πάρεργα. II: 1115

PERFINIET, naviter & omnino finiet. delectatus videtur hac compoſitione Titus. vide *præpetere* & Feſt. I: 602

PERFIXUS DESIDERIO. tralate. II: 360

PERFRUCTUARE. ita alibi, *exæſtuare*, *permanare.* III: 721

PERFRUCTUS à *perfruor.* ut alibi *fructus.* III: 970

PERFUNDI COLORE. vide *imbuta.* II: 820

PERHILUM, perpaullum. vide *hilum.* VI: 575

PERIPHRASI quadam brevi ſtudioſiſſ. utuntur poëtæ omnes, teſte Serv. ad lib. I. Æneid. maxime noſter. hinc *radix ſaxi*, *horror ſaxi*, *lumina vitæ*, *lumina ſolis*, *glacies æris*, *globus cordis*, *auctus*, *tegmen*, *augmen.* & *navis corporis*, *ubera lactis*, *ratio animi*, *tactus animi*, *corporis*; *umbra noctis.* Virgilio etiam uſitatiſſima phraſis.

PERITARE, perire. Sic & apud Plaut. *Captivis* 3: 5: 32. in vet. cod. eſt:

Qui per virtutem peritat, non interit.

ita & Ennius:

Conferre autem ratem qui peritet.

ita lego apud Varr. lib. 6. de Ling. Lat. ſimili forma *initare* dixit Pacuvius Antiopa: *Loca arida initas.* Diomed. lib. I. III: 710

PERLABI AD ACIEM, ſonat advenire, & Ciceroni *advolare*, *accurrere per acies*, ut *permanare.* Cicer. lib. 2. de Natur. Deor. 137. *per quas lapſus cibus ex hoc ipſo loco in eam venam quæ cava appellatur, confunditur; perque eam ad cor confectus jam, coctusque perlabitur.* Maro Æn. 7: 646

Ad nos vix tenuis rerum perlabitur aura.

IV: 358

PERMANANTER. vide *præcipitanter*, *fluenter.* VI: 916

PERMANARE, pervenire, aut manare, venire, apud Feſt. I: 123. IV: 198

PERMITTERE. longè mittere, incitare. Siſenna lib. 3. *Et inde equum concitatum princeps ad hoſtium permittit aciem.* & lib. 4. *Multi præmiſſis armis ex ſummo ſe permitterent.* IV: 692

PERMOVERE, non hoc ſonat quod pervulgatum eſt; verum etiam loco ſuo movere ac ſolicitare. hinc Cic. lib. I. de Divinat. 129. *mente permotum* dixit pro inſano. Idem lib. 6. de Repub. *Quamobrem ſe comparet hic civis ita neceſſe eſt; ut ſit contra hæc quæ civitatis ſtatum permovent, ſemper armatus.* ubi contra o. l. *pervertunt*, repoſuerunt, perverſe. II: 899. IV: 1017

PEROLERE. utitur & Lucill. apud Priſc. lib. 9. VI: 1153

PERPETUUS, IN PERPETUUM. eleganter uſus eſt hoc nomine poëta. ſic loquuntur cum vet. alii omnes, tum C. Cæſar ſæpe. valet παραλλήλως, æquabili undecumque ductu, eoque continenti. Cæſ. lib. 7. *Itaque truncis arborum aut admodum firmis ramis abciſis, atque horum delibratis atque præacutis cacuminibus, perpetuæ foſſæ quinos pedes altæ ducebantur.* ita reſtitui. IV: 429

PERPLEXUM, implicatum. vide *plexus.* II: 101. &c.

PERQUAM, valde. vide & *præquam.* III: 181. &c.

PERSÆPE, plerumque. IV: 184

PERSIDERE. ſic *Obſido.* I: 308. &c.

PERSONA CEREA, ſimulacrum, imaguncula, vel quid aliud è cera confectum. IV: 298

PERTURBARE COLORES, pro miſcere ac temperare. ſic veteres loquebantur. Cic. verbo *miſcendi* ac *turbandi* conjunctè utitur multis locis. II: 773. V: 503

PERVELLE. vide *pervolt.* II: 1446

PERVOLGARE. volgo & paſſim incolere, frequentare, perluſtrare, utque ipſe dixit poëta, *concelebrare*, aut *pervolitare.* Pacuvius apud Varr. lib. 6. de Ling. Lat.

Halcyonis ritu litus pervolgans feror.

ſic ibi v. l. etiam formis deſcripti, rectiſſimè. malè alii *pervolans.* vide & hic *volgata.* II: 163.

Pervolit. cùm in vet. lib. partim *pervelit*, partim eſſet *pervolet*, nos *pervolit* ſcripſimus. ita veteres enim *volit* pro *velit* dixiſſe monet Priſc. lib. 9. Cicer. lib. 2. de Nat. Deor. 29. *Sed quid ſit ipſa natura, explicandum eſt ante breviter, quo facilius id quod docere volimus, intelligi poſſit.* in Ciceronis tamen codicibus vulgatis legitur, *volumus*. eodem modo Plautum locutum puto in Aſinar. I: 2: 26

Meo modo loquar, quæ volim, quoniam intus non licitum eſt mihi.

& in Capt. 3: 3: 1.

Nunc illud eſt cùm me fuiſſe quam eſſe, nemo mavolim.

ſic enim v. l. Lucil. l. 27

Idola atque atomos Epicuri vincere volim.

Non ignoro apud Nonium *Volam*, hæc aliter ſcripta eſſe. ſed illius aut codicem aut ipſum puto mendoſum, ut alias ſæpe. Facilis autem fuit ex *volim* in *volam*, immutatio. nam ita & princeps olim Petrus Nannius apud Hor. epod. 3: 3. pro *edat*, reſtituit ex v. l.

Edit cicutis allium recentius.

& apud eundem lib. 2. Satyr. ult. ℣. 90. inveni in v. c.

Quam ſi cum lumbis quis edit.

Cic. lib. 9. epiſt. 20. ad Pætum: *Sed cura ſi me amas ut valeas: ne ego, te jacente, bona tua comedim.* Ita legit Marcell. vulg. *comedam.* & ex v. c. apud Plaut. Aulul. 3: 2: 15. leg. puto:

Quid tu, malum, curas,
Utrum crudum an coctum edim, niſi tu mihi es tutor?

A *volo* ergo *volim*, ſervata originis litera, ut ab *edo edim*, ut *noltis* pro non voltis. Lucil. pag. 18

Voltis, empta eſt; noltis, non empta eſt.

apud Diomed. lib. 1. II: 1046

Pes fluminis. ſic Horat. Epod. 16: 48.

— Montibus altis
Lenis crepante nympha deſilit pede.

ſic v. meus. & Virg. lib. 9: 125.

— — cunctatur & amnis,
Rauca ſonans, revocatque pedem. Tiberinus ab alto.

in Culice:

Caſtaliæque ſonans liquido pede labitur unda.

vide & Non. V: 273. VI: 638

Pessum, deorſum, quaſi ſub pedes projectum. hinc ait poëta: *peſſum ſubſidere.* Apulejus item lib. 5. ait: *niſi eam peſſum de tantis opibus dejecero.* Plaut. *peſſum abire.* vul. fere dicimus, *dare peſſum*, & *ire peſſum.* VI: 588

Pestilitas. peſtilentia, inquit Non. ſimilem conformationis rationem non memini legiſſe. VI: 1096. 1123. 1130

Pestis pro exitio. qui hac voce pro morbo, quem veteres conſtanter peſtilentiam vocant, utuntur, barbariſſant. III: 348

Petere terram. inclinare ſe & vergere in terram. Virgil. Æn. 3: 93.

Summiſſi petimus terram.

vide & *petitus*. Sic Ennius lib. 7. de nautis ſe inclinantibus p. 72

Pone petunt, exin referunt ad pectora tunſas.

I: 93

Petissere, valdè *appetere*. nam hæc terminatio eſt ἀνξητικὴ, vimque verbi principis intendit. Cic. lib. 2. de Conſul.

Præcipites cæli partes, obituſque petiſſens.

ita leg. puto. Attius Armorum Judicio:

Cur vetera tam ex alto appetiſſis diſſidia Agamemnon?

Feſt. apud quem in fine legendum putem; *ne pitiſſant, ſæpius potant.* quamquam Priſc. *pitiſſo* à πιτύζω Græc. deducere videatur. libro 1. V: 808.

Petitus, antiquè pro appetitus, appetitio. vide *clinare*, & *conjectus. petitus terræ* tamen hic potius videtur intellig. ut Virg. Æn. 3: 93. dixit,

Summiſſi petimus terram,

pro inclinatione in terram. vide *Petere.* III: 173

Petulantes euri. gemina prorſus tranſlatione dixit Virgil. lib. 1. Æneid. 450

— Penituſque procacibus auſtris.

& Horat. lib. 1. Od. 26: 2

Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis.

& Epod. 16: 22

— Quocumque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.

A Græco autem fonte hæc cadunt. Pollux lib. 1. Εὔπολις δὲ καὶ ἄνεμον ἀσελγῆ εἶπε τὸν βίαιον *Eupolis*, inquit, *ventum impotentem & furioſum vocat* ἀσελγῆ, id eſt, *petulantem, protervum, procacem, laſcivum.* VI: 110

Petulci. vide Feſt. ubi verſus poëtæ noſtri adducit, ἀδεσπότως tamen, ac deeſſe quid.

quid notatur, cùm nihil deſit. quod & alibi in Feſto obſervavimus. II: 368

PHILEMA, φίλημα, oſculum. labra nimis exilia & tenuia vitio dabantur; ut & præter juſtum craſſa; & hodie *plenum* dicunt *oſculum* à labiis craſſiuſculis præreptum. Plaut. Plocio etiam reprehendit exilitatem labri apud Nonium: *Namque coloratum frontem habet, petilis labris.* IV: 1163

PHRYGIUS NUMERUS. de modulorum generibus copioſè Athenæus. II: 620

PIGRARE, tardare. ſic *cæcare*, &c. agendi vim habet apud Attium Erigonis:

Fateor. ſed cur propter te pigrem
Hæc, aut hujuſce dubitem parcere capiti?

vide Nonium. 14, 2.

PINGERE, exprimere, deſcribere. tralatione à muta pictura ad loquentem ſumpta. V: 3. 1395

PINGERE PALLORE. ita Virg. Culice:

Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos.

IV: 337

PINGERE TERRAM FLORIBUS, pro variare, ac diſtinguere. ita Plaut. Sticho: 2: 2: 29

— — — *Age tu ocius*
Pinge,

&c. ita Virg.

Flore ſolum vario depingit odoriferum ver.

II: 375. &c.

PINNA, pro penna. ita vet. lib. habebant. nec video, cur Fabii diſtinctio lib. 1. locum ſemper habere debeat contra omnes veteres libos, cùm ſciamus maximam inter *i* & *e* fuiſſe adfinitatem, & inter ſe commutationem. IV: 1001. VI: 834

PINNIGER AMOR. de quo Cic. V: 1074

PIX genus pœnæ. Plaut. Capt. καταπιτἶν dicebant Græci. III: 1030

PLANGERE, tundere. II: 1154

PLEBEIA VESTIS, id eſt, vilis, ut Cic. *plebeios* vocat *philoſophos.* idem lib. 1. Tuſc. 116. *veſtem famularem* ita dixit; & Valer. lib. 6. cap. 7. ubi de Sulpicia: *Nihilominus famulari veſte ſumpta.* ſic vet. cod. vulgo *familiari.* Propert. etiam *amictum plebejum* dixit. II: 36. V: 1428

PLENA, opponitur cavis. alibi *ſolida* vocat. VI: 1083

PLERUS f. id eſt, plenus. vide Feſt. à Græco πλήρης dictum puto. inde & *plerumque.* Cato 1. Orig. *Agrum quem Volſci habuerunt campeſtris plerus Aboriginum fuit.* VI: 1201.

PLETUS f. vide Feſt. *plentur*, pro repletus. ita *ventabant*, *miniſcitur*, *municas*, *mentum*, & id genus alia dicebant veteres ſine præpoſitionibus. vide Feſt. & hic *clarare*, &c. II: 631. VI: 1201

PLEXUS à Græco ſermone originem ducere monuit Feſt. *Plexa*, inquit, *colligata ſignificat, ex Græcis, qui id ἐμπεπλεγμένον dicunt.* eſt ergo id origine Græcum, ſed Romanum jam factum vocabulum, ut *inclutus*, *progra-xo*, &c. Virg. 4. Georg. 482.

— — *Cæruleos implexæ crinibus angues*
Eumenides.

valet ergo *plexus*, & *implexus*, *implicitus*, *innexus*, intortus. haud ſcio an etiam *plectus* dixerint veteres. hinc enim Lucilius apud Priſc. in libris veteribus:

Quin amplectetur qui velit, ego non ſinam
me amplectier.

vulg. ibi. *amplexetur.* conſimiliter *fictum*, *pectum*; *nectum*, &c. dixiſſe eos alibi admonui. ſic & *mictum* pro *mixtum* à *miſceo* extuliſſe videntur: nam apud Marcellum reperio *commictilis*, pro *compoſiti*, quo uſum dicit Pompejum comicum. hoc enim certè a *commictum*, ut à *fictilis fictum*, recte deductum ſit oportet. vide hic *implexum*, *compl. deplex. perplexum.* *Replexus* dixit Prudent. Periſteph. 10: 1013.

Mirè infulatus, feſta vittis tempora
Nectens: corona tum replexus aurea
Cinctu Gabino ſericam fultus togam.

ſic enim in tribus manu deſcriptis codicibus legi rectiſſ. *re*, tam eſt illi poëtæ familiaris, quàm noſtro *con*: etſi omnes poëtæ, *re*, ament. IV: 625. V: 1398

PLURIA. nomen hoc celebrarunt magis veteres quàm nos hodie: verùm depravatum ſæpe eſt in *plura*, aut *plurima.* vide Agell. I: 877. II: 1134. IV: 1083

PLUS. veteribus obſervavi hanc particulam interdum ſonare idem quod Græcis τὰ πλείω, id eſt, *ſæpius*; *plerumque.* Plaut. Truculento: Terent. pro *diutiùs* ſeu *ampliùs* poſuit, non abſimili ratione, in Hecyr. 2: 1: 39. *Ut cum matre una plus eſſet.* in qua comœdia (quam non recte quidam ultimam faciunt contra libros vet. omnes, & ipſam etiam rationem) in ea ergo fabula rectius ex v. c. legam, & interpungam hunc locum ita: 3: 1: 34

PAM. *Abi Parmeno intro; ac me veniſſe nuntia.* PAR. *hem:* PAM. *quid hoc eſt?*
PAR. *tace.*

Trepidari ſentio, curſari rurſum prorſum. agedum ad fores
Accede propius. PAM. *hem.*
PAR. *Senſiſtin?* PAM. *noli,*
&c. aut certè ut ea,
Accede propius. hem. ſenſiſtin?
omnia attribuantur Parmenoni. VI: 420

PLUS PARTE. conciſè dictum videtur, idemque valere quod Naſoni lib. 3. Metamorph. *media plus parte.* II: 200

PLUSCULUS, *a, um*, dicebant veteres. hinc Agell. lib. 17. cap. 2. recta enim iſtæc oratio eſt, & veteres *compluſculè* ita dixerunt IV: 620

POENICEUS, antiq. pro *puniceus*. ita olim Nævius elegantiſſimum poëma *de bello Pœnico* inſcripſerat. hodie depravatè *Punico.* ſic apud Nepotem Hamilc. bis ſcriptum inveni, & ſemel in vita Catonis. vide Feſtum *pavimenta.* mirè autem dixit *Pœniceus* pro *Pœnicus* ſeu *Punicus*, interjecto *e.* ſic variatum in *primigenus*, &c. II: 829. V: 939

POENIRE. Varro de Lingua Lat. *Pœna à puniendo vel à pœnitendo.* fort. *à pœniendo vel à pœnitendo. pœnire* pro *punire*, ut *mœnire*, *mœnera*, *mœri*, *œtier*, *cœrare*, &c. VI: 1238

POLERE. hodie *pollere.* veteres non geminabant conſonantes. Feſtus. V: 1

POLITUS. antiqui eo ſæpius utebantur, cùm de doctis hominibus, quique bonis artibus eſſent imbuti, eſſet ſermo. ita & hìc & Cic. ſæpe. III: 308

POLLENS FULMINE AUSTER. id eſt, valens. V: 744

POLLERE. miror hoc verbum vix hodie notum eſſe, quod antiquioribus hominibus tam fuit familiare, ipſi Ciceroni, pro valere. V: 744. &c.

POLVIS, pro pulvis, ut *volpes* quaſi *volipes.* hinc *polverulenta.* V: 741

PONDUS. ſuaviſſ. voce dixit τὸ ἐμβρυον, fetumque, qui in lucem nondum editus eſt. Ovid. 9. Metamorph. 684
Vexerat illa gravem maturo pondere ventrem.
Ibidem: ℣. 287.
Tendebat gravitas uterum mihi, quodque ferebam
Tantum erat, ut poſſes auctorem dicere tanti
Ponderis eſſe Jovem.
Arnob. lib. 3. *Avet inquam videre deas gravidas, deas fetas, gliſcentibuſque per dies alvis inteſtini ponderis moroſitate cunctari.* IV: 1244

PONTI MARE f. ſic *Oceani mare* dixit Ovid. lib. 7. Metamorph. Livius Helena:
Tu qui permenſus ponti maria alta velivola.
apud Macrob. lib. 6. V: 1441

POPULUS, δῆμος f. περὶ τῶ δήμων aliàs dicemus, ſi vita ſuppeditaverit. VI: 1245

PORGERE, pro *pergere.* ita ſcripſi ex v. l. etſi non ignorem *e* in *o*, & *o* in *e* commutatum ſæpe mendosè. id quod ferè ſemper *pigneri* accidit, & tamen veteres *pigneri* & *pignori* dixiſſe auctor eſt Priſc. lib. 8. hinc lib. 3 apud Juvenal. lego ex Priſc. 9: 141
— *Viginti millia fenus*
Pigneribus poſitis, argenti vaſcula puri.
&c. & apud Prud. ex vet. lib. Periſteph.
lego:
— *Dulcibus & cum*
Pigneribus rapidum carpere
&c. &
— — — *pignera*
Clariſſimorum liberûm.
Ovid. Metamorph. 7: 620. ex v. l. leg.
Accipio, ſintque iſta precor felicia mentis
Signa tuæ, dixi; quod das mihi, pigneror, omen.
elegantiſſ. quaſi pigneris loco accipio. de acceptis fulminibus non eſt hìc dicendi locus. Agel. lib. 16. cap. 10. *Sed quoniam res pecuniaque familiaris obſidis vice pignerisque eſſe apud Remp. videbatur.* ita vet. lib. videntur ergo veteres ambigue interdum extuliſſe quædam. hinc & *revorti* & *reverti*, *univorſum*, &c. monet etiam quid Priſc. lib. 1. aitque veteres dixiſſe *amplocti* pro *amplecti*, & *animadvorti.* hinc eſt quod antiqui *Apellinem* dixerint, pro *Apollinem*, teſte Feſt. ſic *forda bos* quaſi *ferda* apud Feſt. I: 931

E PORTIS OCCURRERE. tralatione militari, ut aliâs ſæpe, uſus eſt, pro *refellere.* è portis caſtrenſibus proruentes milites hoſtem proterrebant. VI: 31

POSITIVUS, ſeu prima conlatio pro tertia: & contrà tertia pro prima interdum à veteribus, teſte etiam Servio, uſurpari ſolet. ut hìc *Clara*, pro *clariſſima.* I: 120.

POSITURA, ſitus. Agell. lib. 5. cap. 3. *Et propè accedit, & juncturam poſituramque ligni ſcitè periteque factam conſiderat.* idem alibi *genituram* dixit. Varro *temperaturam*, *penſuram*, &c. *poſitura* autem pro poſitus, ut alibi *flexuram* vocat, quam etiam ſæpe dicit *flexum*, & ſimilia multa. vide *diſpoſitura.* I: 686. &c.

POSSIDO. vide *obſido*, IV: 340

POSSUM VERTERE, id eſt, verto. ita Virg. Æn. 7: 306
Aſt ego magna Jovis conjux nil linquere inauſum

Quæ potui infelix.
& lib. 12: 177
Quam propter tantos potui perferre labores.
Ovid. Helena: 200
Quid de me poterit Sparte, quid Achaia tota,
Quid gentes aliæ, quid tua Troja loqui?
hac de re elegantiſſimè admirabili doctrina expolitus Guil. Canterus noſter lib. 2. Novarum Lection. cap. 2. II: 139. V: 338. V: 920

POSTSCÆNIA VITÆ: tralatione eleganti appellat poëta actiones quas cælant homines. vox Romana civitate donata, ut *prologus, prologium, antilogium, elogium,* &c. IV: 1180

POSTERIUS, poſtea. hinc exiſtit vera interpunctio loci. Terent. in Adelph. de quo etiam veteres Grammatici litigarunt. II: 182. &c.

POSTHOC, antiquè pro *poſthac*: ita in lege Papiria apud Feſt. *Sacramentum*: *Quicumque prætor poſthoc factus erit*, &c. eum locum ut & hujus poëtæ, ignari antiquitatis mutarunt. vide & *hoc* & *adhoc*. II: 292

POST-INDE, ut deinde. ita *poſt-illa*. & in Jure noſtro *poſt-factum*, *poſt-delictum*: & apud Catull. 4: 10. *poſt-faſelus*. ita ait lepidiſſimus poëta, ludens in *poſt*, & *antea*:
Ubi iſte poſt-faſelus antea fuit. III: 528

POSTES elegantiſſ. pro oculis ipſis poſuiſſe videtur. Prudent. Hamartig. vocat *feneſtras* ℣. 870
Impediuntque vagas obducto humore feneſtras.
III: 370.

POSTES pro janua ſeu hoſtio ſæpe veteres poſuiſſe certiſſimum eſt, etiam extra verſum. IV: 276. &c.

POSTUM, poſitum. I: 1058. &c.

POTE. ſic & apud Catull. ex vet. lib. ſcribendum puto, in Acmen, 42: 16
Quod ſi non aliud poteſt, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
ubi *canis* pro copula ferrea, ut aliâs ſæpe, ut & *catulus* & κύων Græc. vide *potis*.

POTESSE, poſſe. Lucill. lib. 5
Nam ſi quid ſatis eſt homini, & ſatis eſſe potuiſſet,
Hoc ſat erat; nunc cùm hoc non eſt, qui credimus porrò,
Divitias ullas animum mi explere poteſſe?
ita lego apud Non. I: 666.

POTESTAS ANIMÆ, pro anima. III: 856

POTESTAS PLUMBI, mire dictum pro plumbo. ita *vis equi*. vide *Periphraſis*: ita *animos æris* dixit Virg. V: 1241

POTESTUR, poteſt. vide Non. & *Queatur*, verbum vetuſtum & egregium. ita *piniri*, *vetari*, & multa alia dicebant. III: 1023.

POTIRI MORTIS, id eſt, in mortis poteſtatem redigi, ut *potiri hoſtium*, *potiri ſervitute*. Feſt. IV: 770

POTIRI SCEPTRA. Non. Nepos Eumene: *qui ſummam imperii potirentur*. ita v. c. V: 371

POTIS, poſſibilis. I: 452

POTIUS, diſyllab. ut *mulier*. vide *fiat*. VI: 762

PRÆBERE. rei familiaris κ῾ τ῀ αὐτὸς τὸν βίον vocabulum. II: 597. III: 1004

PRÆCIPERE, occupare. ſic & Virg. lib. 10: 276
Haud tamen audaci Turno fiducia ceſſit
Litora præcipere, & venientes pellere terra.
ita enim ex vetuſtiſſ. cod. ibi leg. puto. ſic & Salluſtius lib. 1. *Quin tranſgreſſos omnis recipit mons, præceptus a Luſitanis.* ſic leg. ex vet. cod. in Noct. Attic. & Nonio. vulg. ibi *præcepturus*, vel *receptus*. VI: 1048

PRÆCIPITANTER. vide *præproperanter*. III: 1076

PRÆCIPITARE, abſolutè. vide *convertere*, &c. IV: 632. VI: 1038

PRÆCLUSIT ſpeciem videndi; idem eſt quod *præſtringere oculos*. Vide hic *Præſtringere*, & *Species*. I: 312

PRÆDITUS, ornatus. II: 607

PRÆDITUS CULPA, ubi *præditus* in malam partem accipitur. V: 200

PRÆDULCE f. vide *præpetere*. IV: 639. &c.

PRÆMIA VITÆ. ita ſuaviſſimè vocat vitæ omnes utilitates & commoda. alibi etiam *ſolatia* dicit. *præmium* ergo veteribus idem interdum ſonat, quod commodum & utilitas quælibet. id obſervatione digniſſimum. vide *præmiari* apud Suetonium pro lucrari; & fructum quærere: & *præmiator* pro prædone apud Nævium. quo etiam facit quod *præmioſus* pro pecunioſo accipit Feſt. III: 970. &c.

PRÆPANDERE LUMINA MENTI. mira phraſis & brevis, quaſi prælato lumine iter menti animoque pandere, viamque monſtrare. tali ferè tralatione uſus eſt M. Tullius in Lælio 23. *Tum illa nimirum præ-*

ſtat

ſtat omnibus, quod bonam ſpem prælucet in poſterum: &c. ita vet. meus optime. in eo tamen *m* eraſum. conciſa eſt dictio, ſuperiori conſimilis, *prælucere ſpem*, quaſi lumine prælato oſtendere ſpem ac dare bonam. nec turbet quod *prælucendi* verbum hic actionem ſonet. talia ſunt innumerabilia & in hoc & in aliis omnibus ſcriptoribus. ita *feſtinare pœnam* dicit Horat. ad Lollium. non poſſum quin eodem in libello illo aureolo ex vet. cod. reſtituam: *Niſi enim quod ille minimi putabat, immortalitatem optare vellet*, &c. ita ſine dubio leg. I: 145

Præpedire, impedire. verbum elegans. Cic. pro Rab. 21. *morbo præpeditus.* III: 365. 477.

Præpetere f. ut prædulce: nam locus de mendo ſuſpectus eſt, & haud ſcio an non melius *perpetere*, ut & *perdulce*: quandoquidem *per* ſæpiſſimè huic poëtæ augendi vim habet; rarius τὸ *præ:* & *præpetere* potius ante ſit petere, teſte Feſto. IV: 1146

Præportare, præ ſe ferre. ita Catull. 64: 194

Frons exſpirantis præportat pectoris iras:

II: 621

Præpositionum mira eſt apud Veteres, maximè poëtas, licentia ac varietas: nunc unam indicabo. Sæpe præpoſitioni dant caſum poëtæ, quem non habent alioqui, niſi junctæ verbis, aut certè dicendum erit junctum ibi manere verbum, etſi dejunctè ob verſuum leges ſit ſcriptum Heſiod. Oper. ℣. 603

Μή ποτε ὁ ἡμερόκοιτος ἀνὴρ ἀπὸ χρήμαθ' ἕληται.

ſic noſter:

Jacent corpora ſupra
Corporibus.

Super, & eadem ratione *Supra* junctum cum verbo, dandi poſtulat caſum. *Superponere, ſupereſſe, ſuperdicere*, &c. VI: 1213. 1254. 1255

Præproperanter. ſic *præcipitanter., fluenter*, aliaque multa. *cupienter* Att. & *celeranter.* III: 780

Præscripta calcis, ut *ſtrata viarum, clauſa domorum*, Græco more, quo modo ſæpiſſime locutus eſt C. Tacitus, ut doctiſſ. Rhenanus obſervavit. VI: 91

Præspargo. ita veteres ſcripſiſſe interdum videmus, ut *diſquæro, incapio, decarpo*, &c. Varro de Re Ruſtica; *Quidam ipſum triticum conſpargunt.* vide *exſpargi.* V: 738

Præstans labor, magnus. contra Virg. *improbus.* & noſter *eximius*, alibi. II: 12. III: 62

Præstare. ait omnia mortem præſtare, præter ſenſum & vitalem ſpiritum. migravit hoc eleganter à Jure: cujus Prudentes *periculum., cuſtodiam, culpamve præſtare* dicunt. III: 215

Præstringere, valet quaſi obnubere; præſtringere oculorum aciem, ἀμαυροῦν. hoc qui in *præſtinguere* mutant, non rectè meo quidem judicio faciunt, cum omnes omnium ſcriptorum lib. vet. repugnent, & ipſi Grammatici: ut hic mirer à Lamb. laudari Nonium, qui nihil minus quam illi opinioni ſuffragatur. idem fecit Lamb. in verbo *dedicandi.* Alibi poëta dixit *præcludere ſpeciem*, eadem prorſus ratione & origine. non abſimilis autem hujus verbi vis eſt apud Prudent. nempe pro occupare, obſidere, obumbrare, ut ſcriptura loquitur. verſus doctiſſimi poëtæ rectè, noſtro quidem judicio, & ex v. l. interpunctos adiciam. Apoth. ℣. 434

Altaria reges.

hic finita eſt ſententia. ſequitur alia. ℣. 435

Ex quo, (id eſt, *poſtquam*, Jam verò *poſtquam*) *mortalem præſtrinxit Spiritus alvum*
Spiritus ille Dei, Deus & ſe corpore matris
Induit, atque hominem de virginitate creavit;
Delphica damnatis jacuerunt ſortibus antra:
Non tripodas cortina tegit, non ſpumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris:
Perdidit inſanos,

&c. Summa eſt iſta: nato jam Chriſto, evaneſcebant falſa ethnicorum oracula: cujus rei cauſſam miſere ſcrutatur doctiſſ. alioqui & ſapientiſſ. Plutarch. integro libro. rectè autem vet. lib. *tegit*, ut & duumuiri noſtri rectè. nam operculum & integumentum æneum tripodis erat cortina. tripus erat ingens vas Delphis aureum, τρίπος Græc. dictum. hoc inſternebatur lamina quadam aurea ſeu menſa, in qua oracula fundens Pythia adſidebat. hinc *de tripode loqui.* eam laminam Græci ὅλμον vocant, teſte Polluce, lib. 10.

τῇ

τὸ δ' ἐπίθημα τοῦ τρίποδος, κύκλον, καὶ ὅλμον δεῖ καλεῖν. ἐπεὶ καὶ τοῦ δελφικοῦ τρίποδος τὸ ἐπίθημα, ᾧ ἐγκάθηται ὁ προφήτης, ὅλμος καλεῖται, ὡς τὰ μέσα τοῦ ἐμπύρου τρίποδος, γαστέρα καθ' Ὅμηρον. *Holmus* ille à Prudentio videtur mihi appellari *cortina*, ut & *æreas tripodum cortinas* nomine *Delphicas* commemorat Plin. lib. 34. cap. 3. quæ in Jure noſtro etiam *Delficæ* dicuntur, in l. 3. de ſupellect. leg. ubi menſæ genus quoddam videtur. idque conſentit cum ſuperioribus: nam *holmus* etiam dicebatur τράπεζα ob ſimilitudinem. immo omne planum corpus rotundum aut quadratum Græc. τράπεζα. Lat. *menſa* dicitur. Adyto autem aperto reddebantur oracula. hinc in Pompejana epitome Paullus: *Aperta dicebatur Apollo, quia patente cortina reſponſa ab eo darentur.* ubi Paullus *cortinam* pro ipſo adyto ſeu caverna accipit, quod etiam Servius fecit lib. 3. Æneid. non rectè, uti puto. repugnant enim tum loca ea ſuperiora, tum ipſe Virgilii è lib. 3: 90. locus, ubi hoc monuit Servius: qui locus mirificè ex ſuperioribus illuſtratur. verſus ſunt:

Vix ea fatus eram, tremere omnia viſa repente,
Liminaque, lauruſque dei, totuſque moveri
Mons circum, & mugire adytis cortina recluſis.
Summiſſi petimus terram, & vox fertur ad aures.

Adyton intelligitur crypta illa, ſeu ut Heſych. ait, σπήλαιον, id eſt *antrum*, & *locus ſubterraneus*, ubi diximus tripodem collocatum fuiſſe. Varro, ut & Servius Maurus, à *corde* dictam *cortinam* volunt. coacta profectò notatio. Perottus a *corte* legendum putat contra omnes libros, malè, ne dicam ineptè. Ait enim Varro *cortinam cæli* ab Ennio dictam ad ſimilitudinem *cortinæ Apollinis*. hoc non intelligo. ego *cortinam cæli* dictam puto, ut amictum cæli. Laurus etiam ibi non longè abfuiſſe videtur. hinc Virg. in verſibus ſuperioribus:

Liminaque lauruſque dei.

& noſter poëta:

Pythia quæ tripode ex Phœbi lauroque profatur.

Scio *adyta* etiam remotiora templi eſſe, ut *cortinam* etiam vas ingens, quod ipſum *tripus* appelletur, atque ita accepiſſe videri poteſt Virg. ſuperiori loco, cum ait *cortinam mugire*, & cum Propertius ait *cortinam Sibyllæ dicere.* etſi de menſa ipſa ſeu *holmo* ea etiam accipi poſſint non incommodè. alia igitur ea etiam ſignificant, ſed nos quæ ad hunc locum de adytis & fatis ſeu effatis & oraculis tantum faciebant, ſumus perſecuti, idque eo copioſius, quod res ſit perplexa & à veteribus involuta potius quam explicata: ut nihil dicam de recentiorum rixis. ego etſi rem fortaſſe non omnem ut cupio explicarim, viam certè muniiſſe ad meliora & certiora invenienda mihi videor. Ut redeam ad *præſtringendi* verbum, Ovid. quoque lib. 10. Metamorph. 495. ita uſus eſt: immo Prudent. ab eo ſumpſit:

Jamque gravem creſcens uterum præſtinxerat arbor.

id eſt obduxerat, circumvenerat. ſic ex v. uno reſtituo: in q. v. *perſtrinxerat.* qua in re variatum ſæpe. alibi quoque ita locutus eſt Prud.

— Verbo præſtrinxit viſcera puræ
Virginis, & verbo ſtruxit puerilia membra.

& ut totum hoc parergon tribuamus Clementi, etiam *ripas præſtringere*, ut præfluere, id eſt, ſecundum ripas labi ac fluere, dixit Prud. lib. 2. in Symmach. 927

Num refugus noſtras odit præſtringere ripas,
Amnis.

ita l. tres vet. nec video cur debeat reici. itaque ſ. leg. ex v. c. in Horat. od. 3. lib. 4: 10

Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt
Et ſpiſſæ nemorum comæ,

&c. circa Tibur enim plurimæ erant aquæ & rivi. unde & *udum* & *uvidum* id vocat idem poëta. I: 740. III: 1057

PRÆTERITA IN ERUNT BREVIA.

Etſi vulgo ea præterita quæ in *erunt* finiunt, longa faciant: ego tamen non dubito quin veteribus ea fuerint ancipiti intervallo. nam vix alioqui videatur poeta noſter tam licenter eorum intervallo abuſus, qui ſæpiſſimè ea corripuit, & alii veteres omnes. Plaut. Perſa: 1: 3: 79

Abs chorago ſumito.
Dare debet, præbenda ædiles locaverunt.

Varro Seſquiulyſſe apud Non. *Album*:

— Adverſi venti ceciderunt.
Quod ſi pergunt diutius mare volvere, vereor

Ne me quoque , quum domum ab Ilio cæſus revertero,
Præter canem cognoſcat nemo.

ita eos verſus ſenarios interpungo. Idem περὶ μέθης, apud Non.

Oino (id eſt, οἴνῳ, *vino*) *nihil jucundius quiſquam bibit.*
Hoc ægritudinem ad medendum invenerunt:
Hoc hilaritatis,

&c. ita legend. puto. Laberius apud Macrob. lib. 2. cap. 7

Neceſſitas, cujus curſus averſi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt.

Et mox:

Etenim ipſi dii negare cui nihil potuerunt.

hic in 1. verſu, *curs' averſi* metiendum erit. in quo pereleganti Laberii mimo ita legendum puto:

Eques Romanus lare egreſſus è meo
Domum revertar mimus: nimirum,

&c. Virg. lib. 2. Æneid. 774

— *Steteruntque comæ , & vox faucibus heſit.*

3. Æneid. 679

— *Quales cum vertice celſo*
Aëreæ quercus , aut coniferæ cypariſſi
Conſtiterunt,

&c. ita v. fere. vulg. *Conſtiterant.* III: 86. IV: 41. 304. 972. V: 194. 416. VI: 2. 1172

PRÆTER , QUAM. ita conciſe locuti ſunt veteres plurimis locis, ſed multimodis ea ſunt contaminata. ita & *præter , quod*, pro *præter quam quod* dicebant. Cæſar 1. de bello Gallico Commentario: *Frumentum omne, præter quod ſecum portaturi erant, comburunt.* ſic è veteri libro eum reſtituimus locum. Cicero ad Atticum libro. 5. *Ad quas litteras tibi reſcribi velis , neſcio; nullas enim adhuc acceperam, præter quæ mihi binæ ſemel in Trebulano ſunt redditæ.* ita πλὴν Græc. Ariſtoph. Plut. οὐ γάρ ἐστιν ἄλλος πλὴν ἐγώ. III: 836. IV: 813

PRÆTER JUSTUM. expreſſum τὸ Græc. παρὰ δίκαιον. Terent. *præter æquum* dixit. Cic. fere, *præter modum.* Horat. *plus æquo:* & noſter. *amplius æquo.* III: 965. IV: 813

PRÆTERRADIT VOX FAUCES. vide & *radere.* IV: 531

PRAVUS, turpis, deformis. ita Cicer. ſæpe. IV: 1149

PREMERE, abſolute, ut *vertere* & *reprimere.* IV: 450

PRESTER , fulminis genus. VI: 421. 444

PRETIUM pro præmio. aliâs pro pœna: eſt enim τῶν μέσων, ut & *gratia.* V: 963

PRIMA VIRORUM, ita dictum, ut ab Euripide Hercul. Fur. τὰ μέγιστα τῶν φίλων ὀλέσατο. juvat excurrere. elegans ac doctus poëta Valerius Flaccus initio operis ſui, miſere à multis tractatur. verſus eſt iſte. Lib. 1: 1.

Prima deum magnis canimus freta pervia nautis.

Alciatus, *prima*, accipit ut Græc. interdum πρῶτα , quod *primùm* valet ſæpe. ſed in 1. verſu non puto adfectaſſe talem inſolentiam doctum poëtam, neque etiam , ut opinor, debuit. deinde quid opus tali acumine, cùm prima illa fuerint maria , quæ ingreſſi ſint homines? & hoc quaſi admirationis excitandæ cauſſa puto adjeciſſe poëtam. Sic & Catull. de Argo 64: 11

Illa rudem curſu prima imbuit Amphitriten.

& ut libri primi verſus 1. à *Prima*, ita tertii incipit à *Tertia.* ſed valeant hæc acumina. Alii pro *nautis* legunt, *natis*, ut ſint magni deûm nati heroes. ut Catull. de iis loquens:

Hiroes ſalvete, deûm genus.

quod omnino non placet. primùm quia repugnat libris omnibus: deinde τὸ *magnis* eſſet pæne frigidum, etſi non ignorem Virgilium Ecl. 4: 49. dixiſſe, *magnum Jovis incrementum.* ubi *magnum* optime τῷ *incrementum* , adjunctum eſt. ad hæc non eſt vero ſimile, in veteres libros, & vulgatos tantum mendum potuiſſe irrepere , maxime initio operis. poſtremò , quod maximum eſt, nihil his emendationibus, aut explicationibus eſt opus: nam *deorum freta* erudite , niſi me fallit , doctus extulit poëta, quaſi indicaret mare & aquas non ſecus ac cælum & orcum , deorum fuiſſe regnum ac ditionem; terram verò hominum eſſe ſedem. auſi tamen ſunt illi nautæ rudem Amphitriten, ut Catullus loquitur , tentare & ingredi. quod heroum facinus, & aliena occupandi libidinem graviſſimè tulerunt dii omnes marini, ut poëta ipſe paullò poſt commemorat, adeò ut heroas jactaverint miſerrimè , adjutante Æolo. hinc illæ heroum querelæ ſe audaciæ acuſantium : 1: 627

Hoc erat illicitas temerare rudentibus undas.

Quod

Quod noſtri timuere patres, &c.
& mox: ỳ. 631.
— *Linquite terras*
Spe pelagi, ſacroſque iterum ſeponite fluctus.

vide ut *ſacros* appellet *fluctus*, quæ ante vocavit *deum freta. nautas* autem *magnos* elegantiſſimè vocat heroas: nam præter Orpheum omnes vel remum ducebant, vel quid aliud muneris habebant nautici, teſte ipſo poëta. I: 87

PRIMA; pro principiis. ita Virgil. Sileno, Ecl. 6: 34
— *Ut his exordia primis*
Omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis.

IV: 598

PRIMIGENUS, dies natalis. dixerunt etiam *primigenius*, ut alibi *ferrugineus* fere. Arnob. lib. 2. *Remittite hæc duo, atque ipſum ſcire concedite, quid, quare, aut unde ſit, debuerit eſſe, aut non eſſe: ſupernatum ſit aliquid, an ortus primogenios habeat.* & Varro ſæpiſſ. II: 1105

PRIMITUS, primùm. Lucil. lib. 5: 3
Sicuti cum primos ficos propala recentis
Protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos.

ſic enim eos elegantiſſimos verſus nobis apud Marcell. cum infinitis aliis, reddidit vir admirabili doctrina inſignis, Hadrian. Jun. noſtræ lumen Belgicæ. IV: 1024. V: 1092

PRIMORDIA, principia. Feſtus & alii ſæpe. vocat etiam *ordia*. Virgil. *exordia*. II: 177

PRIMORIBUS ELEMENTIS, primis. ita in Noct. Attic. l. 10. cap. 1. *primoribus litteris.* ſic lege, vulg. *prioribus*. & cap. 19. *Quod quidem in primori pueritia legerim.* ita ex veteri codice lego. VI: 1007

PRINCEPS, primus. ita omnes veteres ſcriptores. ſic & *deinceps*, id eſt, alter. Feſtus. V: 9

PRINCIPIALIS dixit poëta. vulgo *principalis*: ut *conjugalis* & *conjugialis*, &c. etſi *principialis* hic rectiſſime ita conformarit poëta à *principiis*, id eſt, primis corporibus ſeu atomis. *principalis lævor* ergo non valet magnus aut præcipuus lævor, ſed lævor à principiis lævibus, minuſque aſperis ſumptus, ut mox *ſqualor materiæ*. pro, *ſqualore principali* ponitur. At τὸ *principalis* à *princeps* deductum eſt. II: 423

PRINCIPIALIS, quod eſt principiorum ſeu atomorum. dicimus ferè vulgò *principalis*. ita *conjugialis*. & *conjugalis*. verum *principalis* à *princeps* potius deducatur. ut & modo. II: 423. V: 247

PRIVATA CARERE. hic τὸ *privatus* auget carendi notionem. id, quod ſolet eſſe munus participiorum ſæpiſſ. ut apud Horat. lib. 3. od. 7: 18
Magneſſam Hippolyten dum fugit abſtinens.
etſi pro nomine ibi accipi etiam poſſet. II, 31. vide & *Prædita conſtant.* I: 578. 633

PRIVUS. hoc verbum ab antiquis rectè acceptum, à junioribus non item, nos copioſiùs explicabimus. *Privos*, inquit Diaconus in epit. Feſti, *privaſque antiqui dicebant pro ſingulis. ob quam cauſſam & privata dicuntur, quæ uniuſcujuſque ſint. hinc & privilegium, & privatus.* dicimus tamen & privatum, cui quid eſt ademptum. Agell. lib. 10. cap. 20. *Lex eſt generale juſſum populi aut plebis, rogante magiſtratu. ea diffinitio, ſi probè facta eſt, neque de imperio Cn. Pompeji, neque de reditu M. Ciceronis, neque de cæde P. Clodii quæſtio, neque alia id genus populi plebiſve juſſa, leges vocari poſſunt. non ſunt enim generalia juſſa, neque de univerſis civibus, ſed de ſingulis concepta: quocirca privilegia potiùs vocari debent: quia veteres priva dixerunt, quæ nos ſingula dicimus.* Hæc veriſſ. eſt expoſitio. valet enim *privus* idem quod Lat. *ſingulus*, ut more vet. loquar, ſeu *ſingularis*; & ut Cic. ferè loqui ſolet, *unus* ac *ſolus*. Græc. μῖνος. ita quod μονόξυλον πλοῖον dixerat Polyb. id Livius ex *ſingulo ligno ſcapham vocat*. Atque ita M. Cato ſæpe loquitur in l. de Re Ruſt. *privas ſcopulas*, id eſt, *ſingulas*, *unas* dicit; & *priva doliorum* ac *ſeriarum opercula*. & cap. 3. monet, *ſi oletum ſit frequens ac bonum, trapetos eſſe debere bonos, privos & impares.* Livius extremo lib. 30. *Senatus conſultum in hæc verba factum eſt, ut privos lapides ſilices, privaſque verbenas ſecum ferrent.* id eſt, ut ſinguli legati ſilicem & verbenæ ramulum adferrent ſecum in Africam. Lucil. lib. 30: 48
Culcitulæ accedunt privæ centonibus binis.

id eſt ſingulæ. & lib. 1: 13
Ad cenam adducam abdomina, & primùm hiſce thunni
Advenientibus priva dabo.

eodem modo noſter etiam locutus eſt. verùm Horat. pro ſuo ac proprio uſus eſt. ut lib. 2. ep. 1: 92.
— *conducto navigio æquè*

Nauſeat; ac locuples, quem ducit priva triremis.

privam navem opponit conductæ. id eſt, ſuam alienæ. & lib. 2. ſerm. 5: 10

— — turdus
Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc, &c..

In quo Horatii ſermone ſeu dialogo ỳ. 37. ex v. c. libentius legerem:

— — ire domum atque
Pelliculam curare jube. Si cognitor ipſe?
Perſta, atque obdura. — —

Atque ita etiam Catonis duo loca poſteriora accipi poſſunt, non ut primum ſit κλητικὸν, ut apud Horat. ſed ſit, ut vulgò dicimus; ſuum, adcommodatum, congruens. Verum ea eſt, ut ita dicam, ſecundaria vis verbi. nam & poëta noſter uno loco pro privato & occulto tacitoque; non publico, non communi uſus videri poteſt; cum ait,

Priva pedum veſtigia quæque.

III: 390. &c.

Pro. hac particula utitur ancipiti Carus. ſæpe enim corripuit exemplo Græcorum, teſte Priſc. lib. 14. vide & *Recidere.* & *Ad.* Terent. etiam & reliqui comici, *prologi* prima longa utuntur, quaſi eam vocem uſu ſuam & Romanam jam fecerint. unde & *prologum* procuderunt. ſic *propola* produxit Lucil. 5: 3.

Sicuti cum primos ficos propola recentis
Protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos.

ita f. leg. apud Nonium. IV: 950

Pro Ponderibus, ratione ponderis & gravitatis. II: 231

Pro re, ut *pro* tempore, *pro* periculo, *pro copia rerum* dixit Salluſt. id eſt. prout res poſtulat, aut ſe dabat. aurea eſt hæc dictio vulgo non ſatis nota, Salluſt. Cicer. Cæſ. ejusque claſſis ſcriptorib. uſitata. IV: 836

Probeat, prohibeat. ita in v. q. monuit Lamb. ſic *probi*, velut *prohibi*, *qui ſe à delinquendo prohibent*, inquit Feſt. I: 976.

Procella. pro caſibus adverſis, tralatè. III: 806

In proclive. Cic. 4. Tuſc. 41. *Qui enim vitiis modum apponit. is partem ſuſcipit vitiorum: quod cùm ipſum per ſe odioſum eſt, tum eo moleſtius, quia ſunt in lubrico; incitataque ſemel in proclive labuntur, ſuſtinerique nullo modo poſſunt.* Terent. And. act. 4. ſcena 2. 18.

— — Sed ſi id non poterit,
Id faciam, in proclive quod eſt, per me ſtetiſſe ut credat.

ſic ibi v. o. l. ut mirer mendi in vul. libris pertinaciam. Ceterum haud ſcio an & apud Cic. & hîc rectius abeſſe debeat τὸ *in.* nam aliâs ſemper abeſt. ut noſter *proclivius decurrere.* Cic. Or. 191. *proclivius currit oratio* 3. de Finib. 84. *verba proclivius labuntur.* II: 454

Proclivus, ut *ſublimus*, *gracilus*, &c. Virg. 7. Æneid. 335

Tu potes unanimos armare in prœlia fratres.

ſic ex v. l. omnino leg. puto. VI: 728

Procreſcere. ut *progigni*, *procudere.* I: 716

Procudere, propellere; ut alibi, *concudere*, *cudere.* quæ tralatio obſervatione digniſſima eſt. ita ferè Martian. lib. 3. *excudere*: *T adpulſu linguæ dentibus impulſis, excuditur.* IV: 247. 281

Procudere. verbum eſt fabrûm ærariorum &c. tralatione autem pervenuſta ponitur à veteribus pro propagare; majus longiuſque facere, ut ferrum cudendo malleis extendunt fabri. eadem ratio eſt verbi προκόπτειν apud Græcos: unde ſuum fortaſſe conformarunt Latini. Varro apud Nonium: *legendo autem & ſcribendo vitam procudito.* Plautus *procudere dolos* dixit in Pſeud. Noſter, *procudit ignis ignem. procudere prolem*, & *ſæcula ſeu genus*, id eſt, propagare; &, ut alibi ait, progignere. & alibi *procudere voluptatem*, efficere amplius. alibi etiam proprie uſus eſt. II: 1114.

Procurſus, us. ut *progreſſus.* vide tamen *percurſus.* II: 454

Prodere, perdere. Feſt. III: 602. &c.

Proditus, perditus. Horat. 1. ſerm. 2: 15

Quanto proditior quiſque eſt, &c.

ſic v. c. III: 602. VI: 604

Proditus, projectus, editus. ita fere Virg. Ovid. VI. Met. ut in opt. cod. eſt. ỳ. 80.

Percuſſamque ſua ſimulat de cuſpide terram
Prodere cum baccis fetum canentis olivæ.

VI: 562

Profari. ut & *fari* & *effari*, vatum ſunt verba. V: 113

Proficere quid ſit vulgo, notum eſt. verùm poëta novo more videtur dixiſſe, *proficere*, pro longè & procul facere, id eſt, abicere ſeu proicere. *proficere robur*, procul amovere & reicere. aut certè abſolutè accipi debebit, pro deficere, relangueſcere; exemplo

emplo Græci ſermonis, ubi προκόπτειν plerumque valet id quod *proficere* vulgo; *progreſſum facere & habere*: ſed interdum pro *tranſire*, ac *præterire*; atque ita *abire* ac *deficere* ponitur: non ſecus atque Salluſtius in Jugurtha: *ſed ubi plerumque noctis proceſſit, obſcuro etiam tum lumine &c.* i. præteriit, abiit. Similem fere vim notavi in *Reparcere*. vide & *Confacere*. & certe has notiones hic omnino recipiendum eſt, niſi contra o. l. veteres etiam, pro *proficiunt* legas *proiciunt*. quod ab aliis tentatum ego non auſim facile ſequi. Nova multa & ſua ſunt apud Lucretium. V: 894

PROFUNDA PONTI, mare: ut *ſepta domorum* alibi &c. V: 418

PROFUNDÆ SILVÆ. imitatus Virg. l. 7: 514

— *qua protinus omne*
Contremuit nemus, & ſilvæ intonuere profundæ. V: 42

PROFUNDIT MEMBRA SOMNUS, inrigat, ut alibi loquitur. Sol dicitur omnia ſua luce *profundens* conveſtire. etſi locus ille varie legatur. ut *proluit* membra & *perluit* dicitur. II: 147. IV: 761

PROFUNDUM. βυθμήν. vide *Altum*. Ennius: p. 144

Fortes Romani quamquam cælus profundus.

Prudent. Pſychomach. 642

— *& patrium famulis aperire profundum.*

idem τὸν ἠέρα vocat *liquidum profundum*. I: 956. VI: 484.

PROGIGNERE. ut *procudere*. Tacitus *provivere*. & Plaut. Pſeudolo, I: 5: 77

Quia nolebam ex me morem progigni malum.

ſic leg. puto. IV: 674

PROGRAXE, *prograxiſſe*, id eſt indicaſſe. ſic alibi *abſtraxe*. Simplici verbo utitur Plaut. in prolog. Aſin. 5.

Age nunc reſide, cave modo ne graxis.

ita puto leg. etſi v. q. *gratis* leg. a *Graxo* præterit. *graxit*, ab ἔκραξα. ita ab ἔκαμψα, *campſo*, dixiſſe Ennium, notat Priſc. V: 1158

PROHIBEAT ſeu PROIBEAT poſuit poëta triſyllabon; ut *vemens* alibi. Sic & *proibia* dictum olim remedii quoddam genus a *prohibendo*; teſte Sex. Pompejo. quidam libri *præbeat*, *probeat*. ſed priora malim, I: 976

PROICERE CORPORIS ROBUR f. dixit poëta contra ac *ſumere robur*, id eſt, firmari membris, ac debilitari. *proicere* igitur eſt abicere, perdere, ita Virgil. fere VI: Æn. 435

— *lucemque peroſi*
Projecere animas: &c. —

& Plutarch. προέσθαι τὸν ἑαυτοῦ βίον dixit. Ego tamen aliquando putavi legi poſſe *proficiunt*. videtur enim veteribus tale quid in uſu fuiſſe. nam & in Prudent. & Ovid. libris manuſcriptis invenio *difficit*. Ovid. verſus ex II: 386. Metam. eſt iſte:

Difficit hos ipſos, colloque infuſa mariti &c.

ubi vulg. *Disjicit*. Prudent. de Laurentio Archilevita 2: 209

Cum membra morbus difficit,
Animus viget robuſtior,

vulg. *diſſecat*. q. v. *dificit*. Ceterum ut ingenue dicam quod ſentio, de his locis non liquere mihi profiteor. ſed mutationes odi. Apud Virg. quoque Æn. 7: 339.

Diffice compoſitam pacem. —

in v. l. conſtanter exaratum monuit doctiſſ. Pierius, aliiſque etiam in locis id ſe inveniſſe admonet. quærendum ergo amplius; vide autem hic *Proficere*. V: 894.

PROICERE, porro longeque jacere; inquit Macrob. lib. 6. cap. 4. Siſenna lib. 2. *Vetus atque ingens erat arbor ilex quæ circum projectis ramis majorem partem loci ſummi tegebat*. II: 283. IV: 280

PROJECTUS; *us*, *ui*. vide *Conjectus*. III: 1000

PROINDE, perinde, ſexcentis locis in Noct. Att. & apud Cicer. depravate legitur. III: 1048. &c.

PROINDE, etiam pro *ita*, & ſatis mire utitur. ut *diſſentiunt ſuperficie, proinde &*, id eſt, ita & principiis diſſerunt. IV: 652. 660

PROLIXUS, copioſus, largus, multus. ita conſtanter hac voce ſunt uſi veteres; pro longo numquam, aut certe rariſſime. Sed hoc protritum eſt, notumque omnibus antiquæ elegantiæ ſtudioſis. Sic & Virg. eclog. 8: 34

Hirſutumque ſupercilium, prolixaque barba:

ſic v. o. l. manu formiſque deſcripti, ut mirer unde *promiſſa* barba irrepſerit. nec tam barba longa turpitudinem & horrorem adducit, quam prolixa, id eſt, multa, denſa, & hirſuta, atque adeo negligenter circum mentum rejecta, ut ruſticorum & ſordidorum hominum eſſe ſolet. ſi quis tamen *promiſſa* malit, non magnopere illi repugnaverim. At apud Cornelium Nepotem in vita Datamis cap. 3. in v. c. ſcriptum recte eſt, *poſtero-*

que die Thuyn, hominem maximi corporis, terribilique facie, quod & niger, & capillo longo, barbaque erat promiſſa, optima veſte texit. vulg. *prolixa.* IV: 1239

Proluvies alvi, retrimenta, ſordes, idem inquit Donat. in Heaut. & Nonius, quod *illuvies.* ita & Virg. uſus eſt lib. 3. Æneid. 217

— fœdiſſima ventris
Proluvies. —

ſic & Arnob. utitur. elegantiùs Titus, nam alvus ea eſt pars ventris, per quam ſordium fit effuſio. Veteres etiam *proluvium* dicebant, ut & *diluvies, diluvium, eluvies* &c. Ceterùm apud Terent. Adelph. act. 5. ſcena ult. leg. contendo. ỳ. 28

Quod prolubium: quæ iſtæc ſubita eſt largitas?

qui ibi legunt *proluvium*, repugnant & Donato, & veteribus libris, & ipſi vocum notioni. nam proluvium cùm idem omnino ſit quod *proluvies*, id eſt, vel humor aut ſordes, & immunditia, minime illi loco convenire poteſt. ibi enim intelligitur, ut recte ait Donat. προθυμία, ſeu prolubido ad donandum. id autem *proluvium* neutiquam ſonat, eſſetque nimis coacta aut violenta tralatio. Nec me Nonii auctoritas movet, quem ſcio plurima male explicaſſe, maliſque ſæpe uſum exemplaribus. V: 948. VI: 1198

Promerita, id eſt, merita. vide & Nonium. Pacuvius Duloreſte:

Si ita ſunt promerita veſtra, æquiparare ut queam.

Prudent. etiam aliquoties eſt uſus. ut libro I. contra Symmach. 617

Denique promeritis terreſtribus æqua rependens
Munera, ſacricolis ſummos impertit honores
Dux bonus. —

ſic leg. & interpung. puto, id eſt, Imperator ſacricolas, quod eſt, paganos, non removet ab honoribus ac magiſtratibus, ut ſcilicet digna meritis & bene geſtis ethnicorum rebus tribuat præmia. & libro ſecundo: 209

Quæ mihi promeritis vel per tormenta rependat.

& eodem libro: 749

His ego promeritis quæ præmia digna rependam.

Sic enim habent libri manu non prælo deſcripti. nec dubito quin rectiùs. Facit ille, etſi recentior, libenter, ut antiquiores imitetur. hinc etiam eſt quod ait lib. I. contra Symmach. 390

Nonne pudet regem populum ſceptriſque potentem
Talia pro patriæ cenſere litanda ſalute?

ita v. l. fere, ſed cum litura. vulgatis libris nihil depravatius. nam Theodoſium præſtantiſſimum principem impietatis inſimulant. Sumpſit autem iſtud à Virgilio I. Æneid. 25

Hinc populum latè regem, belloque ſuperbum
Venturum excidio Libyæ.

Sed plura in eo poëta ſunt antiquitatis veſtigia, quàm ut uno in loco poni poſſint. Ovidius 4. faſt. 419

Sponte deæ munus promeritumque patet.

I: 62. II: 650

Promittere, pro præmittere, ante mittere aut longius mittere, ut *prodere*, IV: 685

Promittere, adfirmare. quod præclarum eſt. unde & Cic. *promittere* & *confirmare* ſæpe conjungit. III: 378. 889

Promptus, in promptu. Utitur poëta pro eo quod expoſitum eſt oculis. *manifeſtum* aliâs dicit. Græci φαινόμενον dicunt. vide *manifeſtum.* ſic veteres omnes locuti ſunt. Cic ſæpiſſimè. lib. 3. de Orat. 213. *Diſcutienda ſunt ea quæ obſcurant; & ea quæ ſunt eminentia & prompta ſumenda.* idem pro Muræna II: 978. *Quod omnibus patet, & æque promptum eſt mihi & aliis. Hic* (inquit pro Plancio 34.) *quod animo ſentiebat; & vultu promptum habuit & lingua.* III: 107. &c.

Proporro, nova duplicatio & venuſta. ita ferè *provorſus* Plaut. apud Varronem l. 7. de Ling. Lat. & *deſubito* &c. II: 978. &c.

Propritim. adverbia in *tim* Lucretio ſunt uſitatiſſima. vide *inſertim.* apud Nonium in vet. quodam lib. *proprietim.* Arnob. extremo lib. 3. *Uſque adeo res exigit propriatim deos ſcire, nec ambigere, nec dubitare de uniuſcujuſque vi, nomine.* ita ibi ſcriptum exſtat, eamque veram puto ſcripturam: atque ita in Tito ſcribendum, aut certè epiſynalœphe accipiendum, ut ſit à verbo *propriandi* ductum, uti *properatim* à *propero* apud Nonium. II: 974

Proprius amor, pro ſtabili & perpetuo. vide Non. IV: 1135

Pro-

Propter. juxta, prope, ſecundum, propter aras, terram, &c. Varro *atteſtatus eſt Fortunam, propter cujus aram ea hoſtia erat cæſa.* vide Nonium. II: 353. &c.

Propterea. alibi, *ea propter.* ut Catull. *Hercule me*, pro *me Hercule.* i *præ*, pro *præi*, κατ' ἀναςροφὴν IV: 314

Proquam, adverb. *quamde*, & *perquam.* quamquam mendo fortaſſe inquinatus eſt hîc Lucretius. nam τὸ *proquam* non ſatis intelligo, nec uſquam præterea legiſſe memini: docti viri loca animadvertent. II: 1136. III: 200

Prorumpi, prorumpere, ut alibi *erumpi.* ἐνεργητικῶς uſus eſt Maro lib. 3. Æn. 572

Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem. VI: 435

Protelum, impulſus, ſeu tenor. Donat. in Phorm. Nonius. II: 531. IV: 191

Protelum. hæc mihi ruſtica videatur dictio, & à re ruſtica ad alia tranferri. *protelum* autem in re ruſtica nihil aliud ſonat quam ductus ille & jugatio binorum boum, aut plurium: & æquabilis ille progreſſus & par impulſus dum ſimul incedunt ac propelluntur arantes. hinc apud Non. Lucilio & Catoni *protelo ducere.* i. uno ingreſſu ac niſu, ſeu ope & impulſu. hinc & pro adjumento poſuit Varro: *ut timor nimius ac perturbatio omnis eſt ad diſcendum impedimento: ita protelo contrà delectatio.* poëta noſter notationem ejus indicaſſe videtur Donato, cùm *plagarum protelum.* i. inquit, tenorem quaſi ab aſſiduo telorum factu dictum eſſet, ut quoſdam voluiſſe admonet Donatus: ipſe potius à πρὸ & ἐλᾶν dictum eſſe vult, quod eſt ante & trahere, quaſi protractus, idque noſtræ interpretationi magis convenit. atque ita commode tralatione quadam pro eodem niſu ac ductu poſſunt accipi poëtæ noſtri loca. ab eo eſt, ut opinor, *protelare*, uno impetu proterrere. Terent. Phorm. 1: 436

Ne te iratus ſuis ſævidicis dictis protelet,

ſic omnino legend. adſero ex v. c. etſi nihil dicat, ut ſæpe aliâs, depravatus Donatus. conſentit verſus ratio. IV: 191. &c.

Protollere fines fati. elegantiſſime, proferre terminum, τὸν ὅρον. *protollere* Plaut. & alii vet. utuntur ſæpe. ita alibi hic noſter, *extollere.* vide Non. V: 310

protrahere, in lucem trahere. I: 410

Protraxe f. *protraxiſſe.* ita Virgil. lib. 5. dixit *traxe.* V: 1158

PROVERBIA APUD LUCRETIUM.

Tota errare via, ſeu ut hîc, regione. quamquam de ſcriptura dubitetur, ſæpe *regionis* & *rationis* nomina inter ſe librariorum vitio ſunt depravata. Prudent. in apoth. ℣. 226

Sed regem ſummæ, & mediæ regionis, & imæ.

ſic leg. puto. vulg. *rationis.* VI: 66

Lampada tradere. II: 78

Ventis loqui. IV: 929

Facere vadimonia, pro æs alienum contrahere, videtur proverbialiter extuliſſe. IV: 1117

Pisce magis mutus. II: 349

Sibi sapere. III: 146

Gaudere sibi, seu in sinu. III: 146

Per manus traditum. IV: 1216

In altum Provehere. V: 1433

E tripode prolatum. I: 740. V: 113

Surdo fabulam. V: 1051

Terram cælo miscere. III: 854

Vivus videns se perire. vide Chiliad. Eraſmi de omnibus V: 999

Provomere, tralatè de preſtere quem ait provomere magnas tempeſtates & procellas in terram quaſi proicere, ita & *revomere*, &c. VI: 446

Proxima via, prima. hoc obſervatu dignum eſt. itaque locutus videtur Valerius l. 6. cap. de Severitate: *M. Curius conſul cùm dilectum ſubito edicere coactus eſſet, juniorumque nemo reſpondiſſet; conjectis in ſortem omnibus tribubus; Polliæ, quæ proxima exierat, primum nomen urna extractum citari juſſit.* ita eum locum ex v. codice meo reſtituo. de tribu Pollia meminit Valer. aliis locis, & in Roma Fabricius. ibid. ex v. c. leg. *cruci affixit* vulg. *crucifixit*: antiquioribus notum non puto. V: 104

Puelli, liberi, pueri. vide Non. IV: 1246

Pulli, pro arboribus novellis, tralatè. V: 1363

Pumilio, femin. vide Non. IV: 156

punctum tempus. ita eleganter & ſæpe Lucret. quod alias *temporis punctum* dicitur. Græc. ἐν ἀτόμῳ. Cicer. lib. 2. de Conſulatu.

At-

Atque una fixi ac ſignati temporis hora, &c. II: 263. 455. IV: 215

Puncto diei. hoc obſervatione dignum. IV: 201

Pupula. hoc vix notum. notius *pupilla*. illud tamen veteribus multo fuit uſitatius. III: 409

Puri f. pro *pueri*, ut ſit deminutum *pulli*, ut à *furvo fulvum*. ita dictum & contractum ut *vemens*, *probeat*, & conſimilia. IV: 1020

Purus aer, *per purum aëra*. Horat. & Virg. *per purum* dicunt. Græc. δι' αἴθρην. IV: 328

Putis f. antiq. verb. idem quod putidus, ut *putris* & *putridus*. hinc *putiſco* & *puteſco*, ut *putreſco* à *putri* apud Horatium lib. 2. in v. libro invenio ℣. 193

— *Cur Ajax heros ab Achille ſecundus*
Puteſcit toties ſervatis clarus Athenis?

vulg. *putreſcit*. τὸ *puteſcit* inhumano melius congruit. ſic apud Ciceronem de Natur. 160. lego ex vet. lib. & Nonio: *ut non inſcitè illud dictum videatur in ſue, animam illi pecudi datam pro ſale, ne puteſceret.* lib. 5. de finib. III: 583

Putum. ita apud Varr. lib. 2. de Re Ruſt. *Sole exorto puto propellunt ut redintegrantes rurſus ad pactum alacriores faciant.* ita vet. l. ut monuit Victor. vulg. *puro*. IV: 1069

Q.

Quadripedes. ita inveni alicubi, quod in Virg. aliiſque ſcriptoribus interdum invenitur, ut *monumentum, monimentum, manupretium manipretium*. vide Epiſt. ad lectorem. II: 536

Quæcum, pro quæcumque f. nam de mendo ſuſpectus eſt locus. ita *necumquem*, pro, *nec umquam quemquam*: ita enim apud Feſt. interpungendum. VI: 955

Quæque poſuit doctiſſ. poëta pro *quædam* ſeu potius *aliqua*. ita & *Quamlibet* alibi. & *Quidquid*. eaque, ut rariora, digna ſunt obſervatu. IV: 507

Quæsere, orare. Feſt. & Phocas. V: 1228

Quam magis, ita &c. pro quo, & alias, quam magis, tam. II: 586

quam magis tam magis. elegantiſſima hac loquendi formula uſi ſunt veteres, ſed ea vulgo ignota eſt, & in editionibus ferè depravata. peccant meo judicio & illi qui repugnantibus omnibus lib. veteribus eam etiam infercire Tito noſtro non ſunt veriti De hac Quinctil. lib. 1. aitque ea uſum Virgil. lib. 7. Æneid. IV: 1084

Quam magis, tanto magis, VI: 459

Quamde, pro quam. antiqua particula, ut Græc. ἤπερ. Feſt. *quamde* I: 641

Quamlibet, pro *aliquam* videtur uſus poëta. vide & *quæque*. I: 292

Quando, quoniam. I: 264. 266

Quamvis licet, conjunctè, talia parelca comicis ſunt familiaria. VI: 600. 602

Quanto levissimum, ita mobiliſſimum f. vide *ita*. III: 775

Quanto mage, tam magis. IV: 79, 80

Quanto magis, tam magis. V: 453. 484

Quanto plus, tam magis. IV: 252

Quapropter ubi, quare cum. II: 313

Quas ob res. ita dictum, ut *quamobrem*, *quare*. vide & *hac re*. I: 156

Quasi. hujus particulæ vis omnis non omnibus eſt nota. veteres autem hac ſæpe utebantur συγκριτικῶς & comparatè, pro *quemadmodum*. *veluti*, *ut*. ſic ferè Plaut. Sticho. 4: 1: 33

Fuit olim, quaſi ego ſum ſenex: & ei filiæ duæ erant,
Quaſi nunc meæ ſunt, eæ erant duobus nuptæ fratribus,
Quaſi nunc ſunt meæ vobis &c.

ita & Terent. Adel.

Ita vita eſt hominum, quaſi cùm ludas teſſeris.

id eſt, ut ſi ludas. II: 151. &c.

Quassare, caput movere cum indignatione, magnaque vehementia. vide & *conquaſſare*, & *raptare*. atque ita Virg. 7. Æneid. 292

Tum quaſſans caput hæc effudit &c.

vide Agell. lib. 2. c. 6. II: 1163. IV: 591

Quatinus, quia, Feſt. II: 926. &c.

Quattuor. exiſtumant nonnulli hanc vocem uno *t* ſcribendam ſemper, etiam in verſibus. quia in vet. libris ita fere inveniatur, & prima ſemper ſit producta. in quo certe falli mihi videntur. Ennius apud Cicer. 1. de Divinat. & p. 24

Cedunt ter quatuor de cælo corpora ſancta.
Avium. —

idem apud Fl. Soſipatrum lib. I. verbo *Partum*, pro *partium:*

Jamque adeo quatuor partum. VI: 1108

QUEATUR, queat. ita & *eatur*, *fitur*, *fiebatur*, multaque alia item efferebant. Priſc. lib. 8. vide & *poteſtur.* I: 1044

QUERELÆ. ita belle vocat ſuaves tibiarum ſonos. omneſque generaliter ſoni & cantus molliculi ac dulciores ita dicuntur. Horat. epod. 2: 26

Queruntur in ſilvis aves. IV: 550. 588. VI: 15

QUI pro quis, id eſt aliquis. Cic. *Num igitur aut aruſpex, aut augur, aut vates quis, aut ſomnians* &c. idem: *niſi qui, ut ſcis, Parthicus caſus acceſſerit.* ita in Piſonem dixit *nequi* pro *nequis.* & Cælius ad Cic. *cum qua ſit aliqui deprehenſus.* Sæpe videntur uſi veteres *qui*, *aliqui*, *ſiqui*, *nequi*, *quod*, *aliquod* &c. ubi nos ſemper *quis* & *quid* &c. utimur. verum loca ubique mutata ſunt. his indiciis tantum lumen prælatum diligentioribus & felicioribus cupimus. Attigit hæc etiam diligentiſſ. Victorius in ep. Cælii ad Cic. lib. 8. ep. 10. VI: 793

QUI pro *cui.* f. Antiquos enim ita ſcripſiſſe notat Donatus in Andr. ſcæ. 1. 140. his verbis:

— *Reſtat Chremes*
Qui mihi exorandus eſt.

legitur & *expurgandus.* ſi *expurgandus*, lege *cui* non *qui:* quia *cui* per *c* veteres ſcripſere. II: 17

QUIDQUID ID EST. ſæpe rem ambiguam & multiplicem ita claudit poëta. ut & Virgil. 2. Æneid. 49

Quidquid id eſt, timeo Danaos &c.

ita Liv. *utcunque erit.*
V: 577. 1252

QUIDQUID, pro *quidque* hoc poëtæ noſtro tritiſſimum eſt: ita fere & *quæque*, & *quælibet* uſus eſt. II 956

QUIDEM VERO. particula rarior. V: 899

QUIETES, cubilia ferarum dixit elegantiſſ. Homerum imitatus. qui κοῖτον etiam ἀντὶ τῆς κοίτης uſurpat. ὀδυσσ. β. 358

— εἰς ὑπερῷ ἀναβῆ κοίτου τε μέδηται. I: 406

ubi dicit

Intectas frunde quietes,

quæ *inſtrata cubilia frunde*, V: 985

QUIN. hac particula uſus videtur pro *etiam*; eſt enim ἀυξητική. ita fere uſus eſt Terent. Heaut. act. 3. ſc. 3: 15

Syre pudet me. SY. credo: neque id injuria:
Quin mihi moleſtum eſt. CLIT. pergin hercle?
SY. verum, dico quod videtur. —

ubi Donat. *quin pro etiam poſitum.* locus ille contra fidem vet. lib. & elegantiam aliter diſtractus eſt à quibusdam. ibidem *ſubigitare* reperitur in v. l. ut *defetigare*, *inficetus* &c. quæ certe reicienda non ſunt. *Aut* enim pro *certè* accipiendum hîc erit, ut & Plaut. interdum uſus eſt. prius malim. ſed hic locus varie legitur in lib. vet. III: 626

QUIN TAMEN. fere idem quod *Attamen* ſonat. quod obſervatione dignum. II: 29

QUIPPE ETENIM. obſervanda particula. VI: 1234

QUIPPE ITA. particula quædam, cujus ſententiam & vim commode verbis exprimere non potui. I: 152

QUIPPE UBI. particula rarior, eoque dignior obſervatu. ſonat idem quod *Nam*, ſeu *Quippe quæ.* ut τὸ *ubi* videatur pæne parelcon. ita fere Virg. lib. I. Georgic. extremo, ℣. 506

Quippe ubi fas verſum, atque nefas: tot bella per orbem,
Tam multæ ſcelerum facies &c.

I: 168 &c.

QUO MAGIS, tam magis. II: 199 &c.

QUO PACTO, id eſt, quemadmodum, verbi gratia, ut. II: 800.

QUOD pro ut, Græc. ὅτι II: 220.

QUOD, ALIQUOD, SI QUOD. vix perſuadere mihi poſſum mendoſos toties eſſe vet. codices, in quibus ea ſæpe invenio pro *quid.* &c. quin potius puto veteres interdum ita loqui ſolitos, quemadmodum & *aliqui* pro *aliquis.* vide *qui.* eadem enim omnino eſt ratio. Prudent. Periſteph. hymno de Romano 10: 251

At ſi quod uſquam vanitatis myſticæ
Nobis colendum eſt. —

ita v. o. vide & Feſt. *quod.* I: 613

QUOD GENUS, οἷον, quale eſt, cujus generis. ſæpe hoc uſurpat Lucret. ſumptum, ni fallor, à Lucilio, cujus hic profertur verſus è lib. 6.

Crebræ ut ſcintillæ in ſtructuris: quod genus olim

Ferventi in ferro &c. II: 194

Quod nunc. particula obſervatione digniſſima, indignè ab aliis ex divino hoc poëta ejecta. ſonat, nunc autem. *quod* pro autem. ut in *Quod ſi*, pro ſi autem. ita & Cic. *quod*, pro ſed, uſus eſt. & in Cœliana: *Quod quum accidiſſet, ut alterum nec opinatò videremus, ſurrexit ſtatim.* & lib. 1. de Finib. *Quod quia nullo modo ſine amicitia firmam & perpetuam jucunditatem vitæ tenere poſſumus* &c. I: 222

Quod superest. elegans eſt hæc particula, qua Titus mire delectatus eſt, ſonatque id quod Græcis τὸ λοιπὸν, ſeu denique, poſtremò; poſtea etiam, ac deinde. uſus eſt ea Virg. & antea etiam Attius Nyctegreſia (quod fabulæ nomen miror ab aliis in *Nyctegerſia* commutari, cùm illud ſit Latinum, aut certè Romanum jam factum; alterum omnino Græcum)

Tu nunc quod ſupereſt ſocium mittis leto: (f. lætum) an lucti pænitet. &c. II: 39. &c.

Quoi. antiq. *cui.* nomen hoc ſæpe depravatum fuit in *quod, cui,* aliterve. etiam apud Virg. antiquitatis ſtudioſiſſ. poëtam, teſte Quinctil. lib. 1. ut in Bucolico 4: 62

— *Quoi non riſere parentes.*

& lib. 3. Georg. 6

Quoi non dictus Hylas. —

aliiſque in locis. I: 617. &c.

Quoiquam, cuiquam. II: 715

Quoique. IV: 1026

Quoiusque, cujuſque. I: 593

Quondam interdum tempus incertum notat. Virg. 3. Geor. 99

Ut quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis &c.

ubi pro *ſemper* id accipit Servius. VI: 108

Quoquovorsum, particula rarior, eaque re obſervanda. II: 1052

R.

Rabies pro *rabiei.* ita *res* &c. de quibus in Noct. Att. monui alibi, in *ii* etiam dixiſſe veteres, ut *pernicii.* atque ita Cic. locutum. poſtea deprehendi Cornelium Nepotem etiam ita eum caſum extuliſſe in Vita Thraſybuli: *Quæ quidem res* (inquit) *& illis contemnentibus pernicii, & huic deſpecto ſaluti fuit.* ita ibi vet. meus codex rectiſſime IV: 1077

Radere ripas flumina dicuntur. Virg. 7. Æneid. 10

Proxima Circeæ raduntur litora terræ.

ita & *ſtringere.* quaſi dicas, pæne attingere. tralate. ut alibi, *præterradere.* nauticæ ſunt voces. IV: 535

Radix saxi, alibi *robur ſaxi*, ab immobilitate & firmitudine. videor ſimile quid in Odyſſea legiſſe. Q. Smyrnæus Paralip. lib. 5

οὐδ᾽ ἄρα πρόσσω
Ἔσθενεν ἀσχαλόων ἐπιειμένη, οὔτ᾽ ἄρ ὀπίσσω.
Ἀλλ᾽ ἔστη σκοπιῇ ἐναλίγκιος, ἥτ᾽ ἐν ὄρεσσι
Πασάων μάλα πολλὸν ὑπερτέρη ἐῤῥίζωται.

& lib. 8.

Ἀλλ᾽ ἅτε πρὼν εἱστήκει ἀπείριτος οὔρεϊ μακρῷ.
Τὸν ῥά διιπετέων ποταμῶν μένος, οὐδ᾽ ἅμα πάντων
Ἀψ ὦσαι δύναται. ὁ γὰρ ἔμπεδον ἐῤῥίζωται.

Virg. *viſcera montis* dixit 3. Æn. 575. II: 1002

Ramosus, ſolidus, firmus. II: 446. V: 1095. VI: 132

Rancere. ut *ægret, terret* &c. III: 719

Rapaces fluvii. inſigne epitheton, ut qui omnia ſecum agant ferantque. Sumpſit hoc etiam Virg. lib. 3. Geor. 142

— — — *Acri*
Carpere prata fuga, fluvioſque innare rapaces. I: 17. V: 342

Raptare. vide *Frequent.* ut hoc autem leviter moneam, hoc verbo major quædam vehementia ac vis ſignificatur. Virg. 1. Æneid. 487

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.

ita ἀνξητικὰ ſæpe ſunt Frequentativa. vide & *quaſſare.* I: 280. V: 399

Ratio. utitur doctiſſ. poëta hac voce pro doctrina, ſeu potius doctrinæ genere; ut ſi dicam, ratio Academica, Epicurea. hoc certè vulg. notum non eſt. & tamen præclarum eſt, Ciceroque uſus eſt lib. 1. Offic. 148. *Cynicorum vero ratio tota eſt eicienda: eſt enim inimica verecundiæ.* & in Academ. *Speuſippus autem & Xenocrates, qui primi rationem auctoritatemque Platonis ſuſceperant.* idque λόγος Græcis etiam ſonat interdum. & optimè lib. 2. de Finibus, ubi elegantiſſ. expreſſit epiſtolam Epicuri ad Idomenea ut Diogenes, ſeu ut ipſe ait, ad Harmachum: *Compenſabatur tamen cum his omnibus animi*

lætitia, quam capiebam memoria rationum inventorumque noſtrorum. Epicuri verba: Ἀντιπαρετάττετο δὲ πᾶσι τούτοις, τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον, ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων ἡμῖν διαλογισμῶν μνήμῃ. διαλογισμοὺς ergo vocat Epicurus. I: 942. &c.

RAUCISONUS. Catull. *raucisonos bombos* dixit. II: 619. &c.

RE. hic articulus veteribus nunc longus, nunc brevis fuit, ut & *pro.* vide *recidere*, *reducere*, *refugere* &c.

REAPSE, reipſa. Feſt. Hac elegantiſſ. particula multi veterum ſunt uſi, etiam ipſe Cic. non ſemel. II: 658

REBOARE eſt reſonare, quaſi per echo reddere vocem. imitatus eſt Virgil. 3. Georgic. 223

— *Reboant ſilvæ & magnus Olympus.*

vide & Macrob. lib. 6. II: 18. IV: 548

REBUS MULTIS. ſic elegantiſſ. reddidit Homeri πολλόν. vide *melior.* eadem dicendi forma, qua *multis partibus*, pro plurimùm, longe, dixerunt. Cicer. Cæſar, alii, ipſe Titus. III: 1044

REBUS RELICTIS, venuſta antiquorum dictio: id eſt, negotio ſeu re ſuſcepta de manibus depoſita: continetque celeritatem & ſedulitatem quandam; quaſi poſthabitis omnibus rebus, cuidam rei aut homini alii dare operam. Plaut. Epid. 4: 2: 35

Ego relictis rebus Epidicum operam quærendo dabo.

& in Perſa:

Omnis res relictas habeo, præ quod tu velis.

in Trinum.

Probus eſt amator qui relictis rebus rem perdit ſuam.

Ter. And. 2: 5: 1

Herus me relictis rebus juſſit Pamphilum
Hodie obſervare.

& in Heaut. 4: 7: 12

Mihi nunc relictis rebus inveniendus eſt aliquis.

ſic ibi v. l. habere monuerunt alii & ſervarunt recte. & ego ita inveni. ubi etiam prox. ſcænæ initio lego *Reſipiiſſe* pro *reſipiviſſe.* antiqui *pono poſui poſivi*, *ſapio ſapui* & *ſapivi* dicebant. hoc ex Priſc. obſervavimus. τὸ *reſipiiſſe* tamen in metiendo eſt tetraſyllabon, ut apud Horat. *vindemiator.* III: 1084

RECELLERE. Feſt. *recellicluntas vocat meretriculas Plotus.* VI: 572

RECEPTARE. vide Frequentat. II: 1000. III: 504

RECIDERE, RE long. vocabulum illud depravatum eſt multis modis; nunc *decidere*, nunc *reincidere*, nunc aliud aliis ſubſtituentibus. quidam etiam ſine cauſſa contra vetuſtos lib. ſcribunt *reccidere.* Propert. lib. 4. eleg. 9. ex v. l. Fabric. ỳ. 18

Recidat inque ſuos menſa ſupina pedes.

Ovid. lib. 10: 180

Recidit in ſolidam longo poſt tempore terram.

ſic ex 3. v. l. leg. vulg. *decidit.* & lib. 6: 211

— *Voſque eſt poſtponere natis*
Auſa ſuis, & me (quod in ipſam recidat) orbam
Dixit. —

ſic item v. l. & *mala in caput recidentia* dixit ſimili ratione Livius. I: 857. &c.

RECIPERE, rurſus incipere. hoc mire junctum. licet hinc intelligere *Capere* antiquis valuiſſe ordiri. unde & *ſuſcipere.* V: 324

RECONFLARE. tralatè dicit poeta *reconflari ſenſus*, id eſt denuo excitari, redire. tralatio ſumpta videtur ab igne, ut poeta ibidem indicat: qui ut excitetur & ardeſcat, conflari ſolet. *ignem conflante puero* dixit Plin. lib. 35. quamquam & à re metallica duci etiam potuit. atque ita Græci etiam ἀναχωνεύεσθαι transferunt. IV: 925

RECREARE, iterum creare. Cic. lib. 3. de Leg. 16. ubi de tribunatu pl. *cujus primum ortum ſi recordari volumus* &c. *procreatum videmus. deinde cum eſſet cito legatus tamquam ex* XII. *tabulis inſignis puer: brevi tempore recreatus, multoque cretior & fedior natus eſt.* ita locus ille, ut opinor, legi debet ex v. l. illud, *cito*, vel ut in v. q. *octo*, neſcio quid ſibi velit; niſi *cito* vulgariter accipias, aut pro tamen, ut alibi interdum apud Cic. vel legas, *ſcito*, id eſt, lege. *legare* autem veteribus idem ſæpe ſonat quod ablegare, amandare. & quod in vulg. libris exſtat, *ad deformitatem*, omnino ex gloſſa eſt, ad declarationem verbi *deformis. cretior*, id eſt turpior. niſi quis malit *tetrior.* V: 324. 758

REDDERE. ut Græc. ἀποδιδόναι, reſpondere, ob oculos ponere. ut & referre. II: 179

REDDERE, abſolutè, ut *præcipitare*, *con-*

vertere, *vertere*, *avertere* &c. hoc profectò rarum & obſervatione dignum. IV: 311

Reddita vitæ mors, id eſt, allatus vitæ interitus. mirè ac ſatis nove dictum. IV: 765

Redditum, datum, attributum. Ennius apud Feſt. & p. 79.

Ingenti vadit curſu, qua redditus termo eſt.

II: 511. &c.

Reducere. prima longa, teſte Velio, & veteribus libris; etſi Priſciano repugnet. ſic in v. l. Horat. lib. 2. ſat. 3. legi ℣. 191

Dii tibi dent claſſem capta reducere Troja.

I: 229. IV: 990

Redundare. campis, effluere & effundi in campos, ut *Abundare*. proprie. V: 602. VI: 713

Referre, pro oſtendere, inquit Non. verùm ea interpretatio mihi non placet. *Referre* militare eſt vocabulum, in eaque notione hîc optime convenit. Virgil. 4. Æneid. 93

Egregiam verò laudem & ſpolia ampla refertis.

Ita *victoriam referre* dixit Livius lib. 4. Cicer. *manubias referre*. inde potius ſumpta tralatio. I: 76

Referre, quo referemus enim, et, quo referentes. admirabili doctrina politiſſ. Carus verbis politicis eleganti migratione uſus eſt in tractatione rerum naturalium & occultarum. utebantur eo veteres in deliberationibus & conſilio capiendo: & ut *agere* cum populo; ita *referre*, ad ſenatum refertur. integra oratio eſt hæc: de re aliqua, puta ſupplicationibus, religione, ſeditione, lege, exercitu, vectigalibus, ſtatuis dedicandis &c. ad ſenatum referre. interdum conciſe, *Ad ſenatum referre*: interdum conciſius, *referre*. Hæc tam ſæpe apud Livium, Cæſarem & M. Tullium ſunt obvia, ut putidum pæne ſit locis adducendis immorari. *ad Apollinem etiam de rebus obſcuris & inclitis cenſeo referendum*, inquit Cic. lib. 1. de Divinit. Poëta ergo ſenſus quaſi judices & arbitros & quaſi conſiliarios ponit, ad quos referendum ſit de omnibus rebus obſcuris, id eſt, de quæſtionibus naturæ. & hoc principium eſt Epicureum non minimum. eoque referri debent Canonica Epicuri, ad quæ velut ad normam cætera omnia ille referri monuit. & ſic etiam poëta accipi poteſt. I: 425. 700

Refrenare, arcere, ſiſtere. tralate. ſic & Epicurus. ὁ γὰρ κατηνάλοντες αἱ τοιαῦται ἄτομοι &c. II: 276. &c.

Refugisse, *re* longa. vide *re* & *reducere*. niſi malis *reffugiſſe*. III: 69

Refutare, pro diſſentire, non admittere. ſimile quid in *Confugere* & *Diſcrepare* adnotavimus. ita fere Salluſt. *Celtiberi ſe regibus devovent, ut poſt eos vitam refugiant*. apud Serv. lib. 4. Georg. III: 351

Refutatus, refutatio. vide *Coniectus*. Nepos in Vita Alcibiadis: *Itaque & Siciliæ amiſſum, & Lacedæmoniorum victorias, culpæ ſuæ tribuebant*. in qua Vita ex v. c. ita ſcribendum puto: *quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo poſſet reſiſtere. dives, cum tempus poſceret, laborioſius* &c. & ibidem: *Socerum habuit Hipponicum, omnium Græcæ linguæ eloquentia ditiſſimum*. eleganter, ut Ovid. *dives ingenium* dixit. & in eodem codice. *Hæc Alcibiadi lætitia non nimis fuit diuturna*. ſed de illo opuſculo alias fortaſſe accuratiùs. cupio enim puriſſ. illum ſcriptorem aliquando caſtigatiorem edere; quem tum docebimus eſſe *Cornelium Nepotem*, non verò *Æmilium Probum*, ut vulgò putant. III: 351

Rehalare, id eſt, rurſus exhalare, & rejectare in altum, ut *revomere*. Arnob. lib. 2. *Auras accipiunt (beſtiæ) naribus, & per anhelitum reciprocatas reddunt:. & nos ſpiritum conſimiliter ducimus, & reſpiramus commeatibus crebris*. VI: 522

Rei, monoſyllabon interdum fit epiſynalœphe. ut apud Terent. And. *Quidnam hoc eſt rei* &c. ita leg. ex v. o. & Donato. ut ibidem: *huic rei caput*. & aliis multis locis. Lucil. lib. 6

Et id ſolum adverſæ fortunæ reique reſiſtit.

ſic apud Non. leg. ubi de caſib. Sic *fidei* diſſillab. apud Horat. ex v. c.

Conſtantis juvenem fidei.

lib. 3. od. 7: 4. nam *fide* antiq. pro *fidei* Horatianum non eſt. ſic Virg. 6: 280

Ferreique Eumenidum thalami. —

& *ſpei* apud Terent. prolog. Andr. ℣. 25

Ut pernoſcatis & quid ſpei ſit relliquum.

cui fabulæ non poſſum quin elegantiam reſtituam inſignem, act. 1: 5: 53

Nec clam te eſt, quàm illi utræque res nunc utiles.

Et

Et ad pudicitiam & ad rem tuendam ſient ubi quadam ironia, ſeu potius loquendi conſuetudine vulgari, *utilis* pro *inutilis* eſt poſitum: quaſi ferè illud Virgil. Æn. 4: 93

Egregiam verò laudem. —

ſic Horat. lib. 1. ep. 7: 91. *Vultei* diſyll.

Durus ait Vultei nimis attentuſque videris.

hoc etiam obſervavit Priſcian. lib. 7. ita & *Pompei* poſuit l. 2. od. 7: 5

Pompei meorum prime ſodalium.

vide & hic *potiùs*, *fiat*, & *defiat*. III: 931. IV: 881

REII. ita ex v. l. ſcripſi geminato *i*. ac tum prior eſt producta. qua de re diximus copioſe in *Eii*, ubi tamen omiſimus laudare Plautum. apud quem aliquoties exſtat *Eii* etiam vulgo. vide quæſo Priſcian. l. 7. ubi ait in vetuſtiſſimis ſcripturis iuveniri *eiius*, *Pompeiius*, *Vulteiius*; *aiio* etiam dixiſſe veteres monet initio lib. 10. I: 689. VI: 918

RELATIVO, ut vocant, nomini ſæpe adjungitur caſus idem qui verbo antecedenti. ut; *quam mihi rem eſt libido, eam cogito.* itaque ferè locutus eſt Nepos in Vita Cimonis: *Quibus rebus cùm unus in civitate maxime floreret, incidit in eandem invidiam; quam pater ſuus, cæterique Athenienſium principes. nam teſtarum ſuffragiis, quod illi ὀστρακισμὸν vocant, x annorum exilio multatus eſt.* ſic habet v. c. in qua eadem Vita ita locum alium ope v. c. reſtituo: *Cotidie ſic cena ei coquebatur, ut quos invocatos vidiſſet in foro, omnes devocaret.* vulg. ille locus fedè inquinatus eſt. IV: 461

RELICTIS REBUS. vide *Rebus relictis*.

RELIGIO videtur Lucretio à *religando* dicta. ſic & ſuperſtitionis notationem alibi indicavit. I: 931

RELINQUI, ſuperari curſu, celeritate, elegantiſſ. Græc. ἀπολείπεσθαι. Virgil. ſæpe. V: 625

RELIGIO pro metu & ſuperſtitione à Lucretio, Cic. Varr. Virg. vide Non. contrà, *metum* pro religione poſuit antiquitas, mutua ſcribendi ratione olim uſitatiſſima. Virg. initio lib. 7. de lauru. ỷ. 60

— *multoſque metu ſervata per annos.*

& Valer. lib. 2: 439

Hactenus in populos vates Samothraca diemque
Miſſa. mane. ſacriſque metum ſervemus opertis.

ſic locus ille ex v. lib. ſcribi debet ac interpungi. poëta cùm de ſacris Bonæ deæ (quæ in inſula Samothraca ſeu Samothracia, nam & *Thracia* & *Thraca* & *Thrace* dicunt veteres, primùm dicuntur inſtituta) ageret; eaque ſciret omnino nefas eſſe divulgare: conciſa (ut in rebus abditis fieri ſolet) oratione thyotem ſeu ſacerdotem narrare ſacra tentantem reprimit. Satis, inquit, ſeu hactenus nec ulterius miſſa ſit Samothraca, pro, ſacra & myſteria inſulæ, in vulgus, in populos, & in lucem ſeu diem. mane, reprime, ſile: ac ſervemus ſacris, quæ proferri eſt nefas, ſuum honorem, ac religionem. Excurrendum fuit, ut locus docti poëtæ mirificè depravatus, tandem vindicatus commodiùs accipi poſſet. I: 64. &c.

RELLATUM. ut relligio. vid. *Vacillo*. II: 1000

RELIQUUS. quatuor ſyllabarum hoc verbum fecit interdum poëta. ita apud Plaut. *deliquüs* poſitum videtur in Caſina. 2: 2: 33

Quando tibi nihil domi deliquüm eſt.

ita lego. vide Feſt. Sic puto, puto inquam, *milvus* nunc eſſe diſyllab. nunc triſyll. apud poëtas, ut ſit *miluüs*, *milvius* autem Latinum eſſe non puto, etſi ut à *vulturus vulturius*; ita à *milvus*, *milvius* conformari fortaſſe poſſet. Verùm ego *miluüs* tantum admittendum doceo à libris vet. admonitus. Terent. Phor. act. 2. 1: 16

Quia non rete accipitri tenditur neque miluo.

ſic lego ex v. l. & Donato. Ovid. 2. Met. in vet. c. optimo ỷ. 716

Ut volucris viſis rapidiſſima miluüs extis.

ita etiam Plaut. Aulul. 2: 4: 37

Pulmentum pridem ei eripuit miluüs.

& mox ỷ. 40

Ut ſibi liceret miluüm vadarier.

Horat. epod. 16: 32

Adulteretur & columba miluo.

ſic ubique habere v. l. teſtor. I: 561. II: 954. & f. IV: 973

REMARE, redire, quaſi remeare. Ennius apud Feſt. III: 69

REMORDENT PECCATA. tralate. III: 799

REMOSSE abſolutè, ut grammatici loquuntur, videtur uſus poëta, ut *recedere*. *remoſſe* ergo ſeu *removiſſe*, pro *receſſiſſe*. ſic & *movere* Cic. uſus eſt lib. 9. ad Att. 1. *Hæc autem ſcribebam pridiè Non.* XIIII. *die poſtquam*

ille Canuſio moverat. etſi hoc verbum hiſtoricorum videtur. III: 69

REMOTUS, prima longa, ut in *recidere* &c. quidam legunt. *remmotus:* quod antiquitati repugnat; & videtur ἄμουσον, ac agreſte. vide *Vacillo.* IV: 271. 288

RENUTARE, f. pro negare, renuere, nolle. Prudent. Hamartig. 774

Ille gradum celerat fugiens; contra ille renutat.

Feſt. *abnutare*, pro ſæpe abnuere dixiſſe vet. monet. Afranius Divortio:

Quin coner noctu clanculum
Bruſire (f. Surire) dotem ne renutet vafer,
Honeſte ut latites & nos ludas diutius.

locus necdum perpurgatus apud Non. *Vafrum.* III: 351. IV: 604.

REPARCERE. felix poëtæ, ut ita dicam, audacia. nam cùm non ignoret eam τοῦ *re*, particulæ inquam illius eſſe vim, ut ſimplici & non juncto verbo adverſam indicet cum verbo conjuncto notionem: τοῦ *parco* ea ratione contrarium procudit verbum. *parcit facere*, *parcit promittere* &c. dicimus omnes, id eſt, abſtinere à facto, promiſſo, nolle facere &c. At noſter contrà, *reparcit facere*, *reparcit promittere*, id eſt, non parcit facere, promittere, promittit inquam &c. quamquam *facere* hîc abeſſe poſſit. vide *facere.* Hujus ingenii complura reperiuntur. *refigere*, *reluere*, *reſuere*, *revelare*, *retegere*, *repignerare*, *reſtringere*: *retutrare* pro *aperire* Varr. *regelare* Colum. Harum rerum ignoratio vulnus graviſſ. poëtæ noſtro inflixit: quod nos tandem à v. l. admoniti purgavimus. nam quod Pius *reporcet* malit, *porcendum* autumo I: 604

REPENS, ſubitus & repentinus: verbum poëticum & hiſtoricum magis quàm oratorium, quo tamen Cic. uſus eſt 3. Tuſc. 32. *quamquam hoſtium repens adventus magis aliquanto conturbat, quàm exſpectatus; & maris ſubita tempeſtas, quàm* &c. & Varr. lib. 6. de Lingua Latin. *nam repens ruina aperuit.* V: 401

REPERTA, Græc. ut *inventa.* I: 733

REPETENTIA. Cic. *proſpicientia*, *beneficientia.* Arnob. ad hunc locum ut videtur alludens lib. 2. *Quod enim rebus*, inquit, *ingreſſis priorum repetentiam detrahit, & intra ſe geſta irrecordabili debet oblitteratione deperdere:* & paullo ante: *& oppoſitu corporis annitenti repetentiam priorum* &c. III: 863

REPETITIO familiaris veteribus eſt quædam, à librariis (quæ res menda peperit innumera) non intellecta; cum relationem ipſam unà cum ipſo nomine repetebant. ita in prologo Hecyr. in Adelph. act. 5. ſcæn. 4. in Cæſ. Salluſt. ſed omnia fere mendoſa. V: 1163

REPOSTUM. vide *poſtum.* III: 347

REPREHENDERE MENTE, ut *comprehendere.* III: 871

REPRENDERE, ἀναλαβεῖν, ſiſtere. *pallio reprehendit*, inquit Terent. VI: 568

REPTARE. vide *Frequentat.* II: 318

RES. pro imperio & regno. ut Virg.

Poſtquam res Aſiæ &c. V: 1127. 1163

RES f. pro *rei.* ut *rabies* ſuprà. III: 931

RES generaliter utitur hac voce interdum, pro toto eo de quo agit, vel inſtituta eſt oratio. II: 299. VI: 54. 1103

RES VENERIS, τὸ ἔργον. ita Ulpianus in L. quod ait lex, 23. ad leg. Jul. de adult. coërc. & Ovid. lib. 2. de Remed. Am. ℣. 35.

Ille quod à Veneris rebus ſurgente puella
Vidit in immundo ſigna pudenda toro.

II: 173. 437. V: 846

RESCINDERE. Juris eſt vocabulum. Terent. Phorm. 2: 3: 15

Mihi non videtur quod ſit factum legibus
Reſcindi poſſe. V: 59

RESCINDERE VIAM, id eſt, aperire ac facere ſeu munire viam. ita & *aperire*, *pandere*, *patefacere viam* dicebant veteres. Virg. lib. 10: 764

Cum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam ſcindens. —

& 3. Georg. 454

Quod ſi quis ferro poterit reſcindere ſummum
Ulceris os.

vide & *reſtringere.* II: 406

RESIDERE. vide *obſido.* V: 1424

RESPONDEAMUS tetraſyllab. ut *debeat* diſyll. vide *rei*, *fiat* & *ſcibam.* III: 963

RESPUITUR IMBER, eleganter. ita alibi *exſpuere.* ita Horat. Sat. 2: 5: 41

— *Cana nive conſpuit Alpes.* II: 388

RESTARE, reſiſtere. ita Saluſt. & alii. I: 111. II: 450

RESTRINGERE VIAM f. pro aperire, patefacere. *reſtringere* enim ſæpe nihil aliud eſt, quàm id quod conſtrictum eſt, ſolvere: ea eſt vis τοῦ *re.* Appulejus: *Jumentum reſtrinxit, abireque ſtabulo liberum ſivit.* vide & *reparcere.* ſic *refixa ſidera* dixit Horat. Cæterum

rum in hoc poëtæ loco varia eſt ſcriptura: quidam enim libri *reſcindere* habent, etiam bene: de quo vide, eadem variatio eſt apud Ovid. lib. 12: Met. 543:

— Quod me meminiſſe malorum
Cogis & obductos annis reſcindere luctus.

libri vet. quidam *reſtringere*, etiam rectè & forte verius. II: 406

RETENTARE CÆLUM A TERRA, diſparare, diſtinere. II: 728. III: 287

RETEXERE. ut *reparcere*, aliter texere, id eſt, id quod textum, quod confectum eſt & creatum, diſſolvere aut frangere, penitus immutare. I: 530. V: 390

RETINENTIA, ἀνάμνησις, conſervatio. vide *repetentia* & *variantia*. ita *decentia*, *valentia*. Nonius &c. II: 421. & f. III: 863

RETINERE TERRAS, poſſidere, incolere. IV: 415

RETRACTARE, viciſſim & contra tractare. idem ſonat quod *recellere*, in rebus Veneris, Plauto; qui & *recelliclunas* dixit meretriculas. Lucil. lib. 7: 11

Hunc molere, illam autem ut frumentum vannere cunnis.

& libr. 11: 14

Criſſavit ut ſi frumentum clunibus vannet.

Recellere igitur; retractare, criſſare, vannere idem ſonant. Donatus in Eunuch. act. 3. ſc. 1. *A parte ergo ſui meretrices ſcorta dicuntur; vel ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, quod Græcè palpitare dicitur; quod illæ faciunt ſaltando aſſidue; vel potius criſſando, ut Lucret. ait, ob eam cauſſam, ut concinniorem Venerem exhibeant viris; aut ſibi abigant conceptum, quod in vulvam feminæ in ipſo coitu non ſe moventis incidit.* ſed valeant hæc obſcæna. IV: 1194

RETRAHI, pro retineri; retardari, uſus videtur: pereleganter ſumpta tralatione ab eo quòd ii qui retrahuntur proficiſcentes, impediantur ac retardentur. II: 145. vide *retineri*. II: 446. verſum hunc adducit etiam Priſc. lib. 8. ubi docet dici *officio* & *officior*. utitur & *retrahi* pro *abſtrahi*. II: 154. V: 464

RETORQUERE, f. id quod contortum eſt evolvere. hinc poëta noſter tralatè pro ſcriptis ac diſputationibus quidquam exponere uſus videtur: eadem eſt migratio in *evolvere*, *explicare*. vide & *reparcere*. ſic & *retinere* dixit Terent. ſed locus de mendo habetur ſuſpectus. III: 30

RETROCITA TUBA, ultro citroque ducta. IV: 548

REVERTO. Nonius. III: 1074

REVISERE AD ALIQUEM. vide *viſere*. ſic *adire ad aliquem*, quod & alibi indicavimus. Nepos in Vita Hannibalis: *tempore dato adiit ad regem*. ſic ibi leg. ex v. c. Plaut. Caſina. Prol. 41

Adiit extemplò ad mulierem
Quæ illam exponebat.

In eadem autem Vita leg. ex eodem c. vet. *claſſe pauci diebus erant decreturi*. & in extrema Vita. *Cn. Bæbio Tamphilo*. & mox *M. Bæbio Tamphilo*. ex v. c. & Faſtis Capitol. vulg. *Pamphilo*. V: 635

REVOMERE, tralatè, ut alibi *exſpuere*, *provomere*. de aqua; quæ materiem in aquam magna vi dejectam; recellit. II: 199

RHADINE, ῥαδινὴ, mollis, tenella, & ut Catullus ait. 17: 15

— tenellulo delicatior hedo.

hac vocē ſolitos uti ait poëta adoleſcentes, dum aſſiduam amicularum tuſſim & morbum extenuant. Heſych. ῥαδινόν; λεπτὸν, ἰσχνὸν, εὐκίνητον, ἁπαλὸν, ἐνδιάστροφον. egregiè. nos etiam eodem utimur ὑποκοριστικῶς. *Teneram & ceream amiculam* laudat Varro *Hecatombe*, apud Non. IV: 1161

RICTUM ET RICTUS, vetereribus dicebantur, teſte etiam Nonio. Cicer. VI. lib. in Verrem: 94. *Uſque eo judices, ut rictum ejus ac mentum paullo ſit attritius*. loquitur orator de Herculis ſimulacro quodam. Sic autem in v. c. perſcriptum inveni, & Non. atteſtatur: ita ergo ibi lego. vulg. *rictus*. ſic *pileum* & *pileus*, *piſtillum* & *us*, *puteus* & *puteum* apud Varronem &c. & hîc *vultum*. V: 1063. VI: 1193

RIDERE, tralatione venuſta, ut & *renidere* II: 27. quaſi hilaritate quadam diffuſæ dicuntur res pulcerrimæ & quàm ornatiſſimæ. ita hic domus, cauda pavonis, æther, Sycionii, calcei pulcri, tempus vernum; *rident*. Catull. de nuptiis Pelei 64: 284

Quis permulſa domus jucundo riſit odore.

ita γελᾶν veter. Græci etiam ſunt uſi. II: 502. &c.

RIDERE de mari placato & tranquillo, quaſi ſplendere dicas. ut Virg. 7: 9

— Splendet tremulo ſub lumine pontus.

Hinc Catull. 64: 273. *maris cachinnos* dixit: quamquam illud de motitatione & fluctuatione leviore accipiend. potius exiſtimem.

ver-

verſus laſcivi poëtæ eſt iſte:

— Leviterque ſonant plangore cachinni.

quam explicationem juvant Attii verſus è Phœniſſis:

Simul & circum magna ſonantibus excita ſaxis
Sæva ſonando cum crepitu clangentis cachinnant.

Non. in *Cachinnare.* I: 26. II: 559. &c

RIDO. *is*, ut *ſtrido*, alia infinita. de quibus uberiùs agit Priſc. lib. 10. Brutus de Patientia. *Irridunt horum lacrimæ.* Diomed. lib. 1. III: 22

RIGARI, manare. II: 262

RIGOR AURI, id eſt, aurum. ita *glacies æris* &c. hinc Virg. 1. Georg. *rigor ferri*. & Prud. *æris ac ferri rigor.* in quibus omnibus *rigor* pro duritie ponitur, teſte Servio. I: 92

RIGOR PIGER. imitatus Ovid. *ignavum* & *iners frigus* appellat. hinc *frigidus* pro ſegni & ignavo. vide Nonium. V: 745

RITUS, QUO RITU, quomodo, quemadmodum. ſic *ritu* gigantum & quadrupedum, id eſt more. ut Cic. 2. Philip. 62. *Erat ei vivendum latronum ritu.* & in Lælio, 31. *pecudum ritu ad voluptatem omnia referre.* Virg. Ciri.

Tum ſuſpenſa novo ritu de navibus altis &c.

in quo carmine leg. puto:

Supprimite ô paullum turbati flamina venti.

hæc notio ritus, pro more ſimplici ac modo, protrita non eſt. V: 118. VI: 1154

ROBOR, pro robur. de hac ſcriptura veterum Chariſ. & Phocas de Nom. II: 1130

ROBORARE, de corporis firmitudine ac viribus & Cic. ita ſæpe & Virg. IV: 1032

ROBUR genus ſupplicii, eculeus ſeu equuleus à poëta intelligitur, in quo inſidentes miſerrimè torquebantur homines. ita hîc *robur* videtur accipiendum. in robore ergo ſedentes videntur torqueri ſoliti rei, quo facit quod Prudent. equuleum ſæpe appellet *carceris ſtipitem.* Apud Lacedæm. *in robore accumbere*, aliud eſt. *Robur* aliàs locum in carcere quaſi cataſtam ſignificat, conſæptum olim robuſteis locis. nunc generaliter omne, ut ita dicam, barathrum, in quod demittuntur, & adſervantur malefici; *robur*, ſeu, ut Cato & antiquiores loquebantur, (quod tamen Dionyſius Lamb. etiam hîc inſtituit contra v. l.) *robus* dicitur. Feſt. III: 1030

ROBUR SAXI, pro ſaxo: ut *vires agricolarum* alibi. alibi *radix ſaxi.* I: 884

RODIT FLUMEN RIPAS. latenter exedit. Horat. II: 22: 7. ita ferè.

— Vel quæ fabuloſus
Lambit Hydaſpes.

& Virg. *ſtringentem ripas* dixit Tibrim. V: 257. 259

RORARE, ſtillare. II: 64. &c.

RORIFERA NOCTIS UMBRA. δροσοφόρος. hinc *roſcidam lunam* dixit Virgil. 3. Georg. auctore Servio, repugnantibus recentioribus quibuſdam. VI: 1184

ROS à veterib. pro humore, & aqua ponitur ſæpiſſ. quod obſervatu dignum tamen fuit. interdum *rorem aquæ*, *rorem liquorum* dicit periphraſticè, pro aqua. ita *rorem lacrimarum* dixit Naſo, & *ſanguinis rorem* Lucanus. Horat. *maris rorem* dixit, pro aqua marina. & alibi. 3: 4: 61

Qui rore puro Caſtaliæ lavit crines ſolutos.

Græcis quoque δρόσος id valet interdum. Eurip. ἐναλίαν δρόσον dixit, & κρηναίαν &c. I: 771. 777. &c.

ROTA SOLIS, pro ſole. Græc. Δίσκος. ſed obſervatione dignum eſt, quod Δίσκος ſine adjectione ulla, corpus ſolis ſignificat Græcis. Alexand. 2. problem. Ἐλάττων ἡ σελήνη τοῦ ἡλίου τυγχάνουσα τῷ μεγέθει, τὸν δίσκον πάντα κρύπτειν οὐ σθένει. ſic locuti ſunt & Cic. Arato, & Virg. de ortu ſolis:

Emicat Oceano Phœbi rota clara relicto.

Attius autem Bruto apud Cic. lib. 1. de Divinat. Lucret. Virg. & alii *orbem* vocant vulgo. V: 433. 565

RUERE, adfligere, proruere, & eruere. *ruit arenam* hîc dixit poëta. & Virg. 1. Georgic. 105

— Cumuloſque ruit male pinguis arenæ.

vide Nonium, & hîc *Clarare* &c. hinc porrò *corruere*, pro congerere dixit Varro lib. 4. de Lingua Lat. *Corbes*, *inquit*, *ab eo quòd ſpicas aliudve quid corruebant.* vide & hîc *Corruere.* I: 273. &c.

RUMPERE SILENTIA, id eſt, retenta proferre. Virg. lib. 10: 63

— Quid me alta ſilentia cogis
Rumpere? —

vide Non. ita ῥῆξαι φωνὴν dixit Demoſt. 3. Phil. IV: 587

RUS-

Ruſſus, ruber. verbum vetus & egregium, ſed pleriſque locis ita malè acceptum, ut maletractationis in grammaticorum comitio agere *jure* poſſit. Apud Catull. in Egnatium. 39: 18. ita leg. puto ex Appulejo 1. Apolog.

Quod quiſque minxit, hoc ſibi ſolet mane
Dentem atque ruſſam pumicare gingivam.

ubi mos ille Iberorum turpiſſimus etiam perſtringitur. IV: 73

S.

S EXTRITA. olim ſolet hæc littera elidi ſæpiſſimè in metiendo, ut: *infantibus parvis*; *infantibu' parvis.* hoc Cic. Quinct. & Victorinus etiam confirmant. tamque eſt notum, ut putidum ſit immorari. Interdum verò unà cum proxima adjunctaque vocali exteri ſolet: id quod inſolentius eſt ac rarius. Lucil. l. 30: 68. apud Non.

Aut operatus aliquo in celebri cum æqualibus fano:

in quo verſu utraque exterendi ratio eſt. Terent. Eunucho. 3: 1: 27

Jugularas hominem. quid ille? TH. mutus illico.

niſi in, *ille*, quis alterum *l.* in metiendo dicat liqueſcere, ut alibi ſæpe apud Terent. idem in Andr. 1: 1: 38

Numquam præponens ſe illis; ita ut facillimè
Sine venia laudem invenias & amicos pares.

ſic eos verſus legend. affero, conſentientib. libris vet. Priſciano lib. 1. & aliis. Catull. 19: 11

Primitus & tenera virens ſpica mollis ariſta,

ſic leg. Virg. libro 12. Æneid. 709

Inter ſe coiiſſe viros & decernere ferro.

ſic ibi v. q. l. itaque Priſc. lib. 1. legit. & 7: 568

Hîc ſpecus horrendus, & ſævi ſpiracula Ditis.

ſic v. c. ait ipſe Servius. & Georg. 2: 196

Aut ovium fetus, aut utentes culta capellas.

ita enim & ibi o. fere l. v. & grammatici legunt. Non temerè ſunt ſuis ſedibus permovenda antiquitatis inſignia, tam idoneis teſtibus ac tabulis corroborata. IV: 895. & f. III: 524. V: 879. 1155. VI: 762. in *potius*, niſi *potius* facias diſyllabon, de quo alibi.

Saccatus humor corporis, venuſtè ſuoque more Titus pro urina per corpus quaſi ſacco percolata. Arnob. lib. 2. *Inter ſtercoris hos utres, & ſaccati obſcœniſſimas ſerias.* Arnobio autem Lucretius perfamiliaris fuit. Ita verò & σακκίζεσθαι vina dicuntur. IV: 1022

Sæculum. utitur hac voce poëta, pro genere, ſubole, multitudine. ſic hominum *ſæcla*, muliebre, ſcriptorum, ferarum. expreſſit credo poëta doctiſſ. Græc. γενεάν, qua & xxx. annorum ſpatium, ut & *ſæculo* interdum, & genus ſignificatur. I: 21. &c.

Sæpe, plerumqne. vide *perſæpe.* VI: 714

Saepta Domorum. per *ſæpta domorum* parietes videtur elegantiſſimè accipere poëta. vocat etiam *diſſæpta.* niſi quis Græco more ut *ſtrata viarum*, *munita viæ* &c. malit. *Sæpire* autem, *ſæptus*, *diſſæptus*, ſemper ſcripſi ex auctoritate vet. libr. hinc emendari poteſt liber Feſti: *Penus vocatur*, inquit, *locus intimus in æde Veſtæ tegetibus ſæptus, qui.* vide ibidem *Penem*, in fine. VI: 859. 951.

Sævibam: ut alibi, *ſcibam*, aliaque innumerabilia. Virg. 4. Æneid. *Lenibant curas.* Diomed. lib. 1. ait veteres verba hæc ſine *e* pronuntiaſſe. V: 1001

Sævus valet veteribus durus, immitis, aſper, violentus, vehemens, acer, animoſus, & de quo alibi dixi, fortis: & ut pro vehementi *fortis*, ita pro forti *ſævus* ponitur in bonam partem. Virg. Æneid. 1: 103

Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector. —

poëta noſter *ſævum bellum* dixit. Virg. lib. 10. *durum.* Lucilius utrumque lib. 30: 40.

Et ſævo ac duro in bello multo optimus hoſtis.

idem *ſævas tempeſtates* dicit, ut noſter *ſævas procellas.* & Cicer. *ventus ſævus ac turbines ſævi.* eleganter etiam Titus dixit *ſævas* ſecures magiſtratuum R. inexorabiles. Longè autem tetrius eſt verbum *crudelis.* vide Nonium. I: 476. &c.

Sagax animus. *ſagaces*, inquit Feſt. appellantur *multi ac ſollertis acuminis.* adducit hunc poëtæ noſtri locum & Afranii Brundiſina:

Quis tam ſagaci corde, atque ingenio unico?

quæ verba me admonent, ut Ciceroni in libello de Senectute ſuum reſtituam nitorem, ſuamque ni fallor elegantiam. *quanta*, inquit Cato, *in L. Cælio Metello; quanta in Atilio Calatino; in quem illud elogium unicum:* Plurimæ Cons. &c. ſic ex o. v. l. eum locum legendum & interpungendum puto. *Unicum* veteribus video idem ſonare ac valere quod egregium, præcla-

n rum

rum, & ut vulgo dicimus, ſingulare: ita Afranii ea verba accipio, & Ciceronis. Turpil. Demetrio: *homo unica eſt natura & ſingularia*; apud Nonium *ſingularia*. Plaut. Aſinaria: 4: 1: 3

Nam poëta es prorſus ad eam rem unicus.

& ipſe Feſtus: *Sardanapalus*, inquit, *rex Aſſyriorum fuit unicæ luxuriæ*, &c. in verb. *Sardanapalus*. Qui autem eum locum ad Tuſc. Quæſtionum exigunt ſcripturam, non rectè faciunt. nam eadem ratione omnes omnium ſcriptorum libri poſſent immutari: & ſunt multimodis inquinati. qua de re hic I: 742. quædam diximus. Feſti autem explicationem confirmat Cic. lib. 1. de Divinat. *Sagire*, inquit, *ſentire acutè eſt. ex quo ſagæ anus, quia multa ſcire volunt.* II: 839.

Sal merum, dicitur puella parvula ab amantibus. ſumptum id ex Afranio in Compitalib. apud Priſc. lib. 5.

Aut quidquid loquitur, ſal merum:

Sal pro lepore & ſermonis ϛωμυλία tritiſſ. eſt. hinc de Calvo, in Vatinium acri, & exigua ſtatura oratore Catullus: *Di magni Salipuſtium diſertum.* ſic enim leg. puto, cùm in lib. vet. & Seneca ſit *ſaluputium*: quod non intelligo. nam τὸ *Salicipium*, quod quibuſdam tantopere placet, longiùs recedit à vet. ſcripturæ veſtigiis. Ad Titi autem locum illuſtrandum mirificè conducunt verba Plutarchi l. 5. Symp. c. 1. Διὰ τοῦτο δὲ ἴσως καὶ κάλλος γυναικὸς, τὸ μήτε ἀργὸν, μήτε ἀπίθανον, ἀλλὰ μεμιγμένον χάριτι καὶ κινητικὸν, ἁλμυρὸν καὶ δριμὺ καλοῦσι. IV: 1156.

Saltus Heliconis, ſaltu incluſit montem. Cæſar lib. 1. de Bello Civili: *celeriterque Pirenæos ſaltus occupari jubet.* III: 133

Salus à Lucretio ſemper opponitur interitui, vide & *clades* & *periculum*. II: 570. & aliis locis.

Samothracia ferrea. ita olim anuli quoddam genus vocabant, teſte Plinio. verum è ſolido ferro facta indicat poëta. Plinius aliter ait l. 33. cap. 1. ubi de anulis. *Nec non & ſervitia jam ferrum auro cingunt: alia per ſeſe mero auro decorant. cujus licentiæ origo nomine ipſo in Samothrace id inſtitutum declarat. Samothracia*, ut ab eodem *Samium*. (quod eſt teſtæ ſeu poculi genus) & hîc, alibi, *Sicyonia*, *orum*, & *Stymphala* dicta puto οὐδετέρως. VI: 1042.

Sanguen pro *ſanguis*. Nonius & Soſipat. lib. 1. Ennius: *timido refugiat ſanguen.* & : *pergunt lavere ſanguen ſanguine.* ſic alibi videtur *vermen* dixiſſe noſter, pro *vermis*. I: 837.

Sanguinis. etſi *ſanguis* retinendum putem; videndum tamen ac tentandum putavi, an pro *ſanguis*, *ſanguinis*, quod in vet. lib. hîc etiam exſtare monui, admitti poſſit. video enim veteres multa nomina ita in recto extuliſſe caſu, ut nos in patrio. indicavit hoc olim Caper antiquitatis doctiſſ. ſcrutator; cujus utinam obſervationes aliquando tandem ederentur. ita *immemoris* Cæcil. apud Priſc. l. 6: *glandis* fortaſſe Maro 4. Georgic. 81. apud Priſc. eodem lib.

Nec de concuſſa tantum pluit ilice glandis.

memoris etiam, *celeris*, *concordis*, *diſcordis*, multaque alia in eundem modum veteres dixiſſe ex Capro adnotat Priſc. lib. 7. Eodem referri poteſt quod *plebes*, *trabes*, *adipes*, *ſcrobis* eos dixiſſe omnes norunt. ſic & *ſuppellectilis* & *ſenis*, pro *ſupellex* & *ſenex*. *mentis* etiam pro *mens* dixit Ennius, teſte Priſc. & *Oſcinis* pro *Oſcen*, Chariſio teſte. multiſque ſimilibus uſos veteres monuit Feſtus. Cato etiam *vomeris* dixit pro *vomis*; *vomeris indutilis* in l. de Re Ruſt. ut Vict. admonuit, nec dum receptum eſt. His admonitus omnino reſtituendam Numæ legem puto; Si hominem fulminis occisit, ne supra genua tollito, *id eſt*, *ſi fulmine occiſus eſt, ei juſta nulla fieri oportet.* ſic enim totum eum locum leg. puto apud Feſt. *Occiſum.* pro, *& alibi*, repoſui, *id eſt*: cùm ſciam eam particulam ſæpiſſ. depravatam eſſe. ut, in Feſt. *Nuncupata: Lex eſt* XII. *tab.* Cum nexum faciet mancupiumque: uti lingua nuncupassit, ita ius esto. *id eſt, uti nominarit locutuſque erit, ita jus eſto. Vota* &c. ſic leg. puto & in *Numero*: *Numquam numero matri faciemus* *] *volui. id eſt, numquam nimium* &c. vulg. *idem eſt.* Sed hoc ab aliis rectè animadverſum monuit vir clariſſimus Antonius Auguſtinus. ſic etiam peccatum erat in l. 20. D. de act. empti. ubi pro *idem eſt*, Fr. Hotomanus politiſſ. Ic. *id eſt*, rectè reponendum docuit. ſic & in l. ſi arbiter D. de probat. & præſumpt. pro, *& hoc ita*, nos reponend. putamus, *& hoc id eſt.* vide *hic enim*. ita in Nonio *Tricæ*: *extricabor aliquai inde*:

inde ex Imped. leg. *id eſt*, *ex* &c. Hæc commentatio etſi extra rem ferè ſit, neceſſaria tamen viſa eſt, ut antiqua illa meliùs renovarentur & conſtituerentur: videatque lector an *ſanguinis* eodem modo non potuerit dicere poëta pro *ſanguis*, ſeu *ſanguen*. I: 853

SANGUIS. Apud antiquos hujus verbi poſterior ſpatio fuit anceps. id quod etiam obſervavit flos Germaniæ Fabricius. ad illud Virg. ex lib. 10. Æneid. 487

Una eademque via ſanguis animuſque ſequuntur.

quem locum mutarunt alii, reſtituit vir ille præſtantiſſ. Tito etiam noſtro idem perpeſſo nos ſuccurrimus. Valer. lib. 3: 232

— modo tela ſacerdos
Porrigat, & juſta ſanguis exuberet unda.

I: 853

SANGUIS MATERNUS. ſic appellat poëta menſtruum ſemen: vel à colore vel è philoſophorum quorundam ſententia, qui feminarum menſes cum ſanguine confundunt. IV: 1208

SANIES. f. pro ſanguine: ut & alii ſcriptores ſunt locuti. I: 867

SATIAS, pro ſatietas. Lucilius lib. 29: 26

Quid mihi proderit, quem ſatias jam omnium rerum tenet.

vide Nonium. II: 1037. &c.

SATYROS indicare cuiquam videatur poëta ſimos fuiſſe: quibus vulgo aduncos naſos attribuunt. ego de iis nihil legi. puto potiùs adluſiſſe poëtam ad totam Satyrorum formam ridiculam & deformem; ſatisque habuiſſe ſi proxima ſimis jungeret Silenos verè ſimos: & mox Satyros, æquè indecoros, eorum quaſi comites illis adjunxiſſe. Heſych. σάτυροι, μορφαὶ ἀπρεπεῖς. ſimile quid monuimus ubi de Gratiis egimus. vide & *Silena*. IV: 1163

SAUCIUS AMORE. Virg. 4. Æneid. 1

At regina gravi jamdudum ſaucia cura.

Enn. Medeam *amore ſauciam* dixit. IV: 1041

SCAPHIUM, σκαφίον vas ex ære ad retrimenta alvi: muliebre fere; ut *laſanum* virile. qui pro matula accipiunt, verbo abutuntur. *Sellam* vocat Varro, ut & patrio ſermone nos hodie. VI: 1044

SCAPTENSULA, μεταλλικὰ Macedoniæ. ut *Laurea* Atticæ, Tarentinorum *Crius*. Feſt. & Heſych. & ita hoc verbum in vet. lib. & Feſto ſcribitur. *Scapteſulam* facit Lamb. ſed hoc oppidi nomen in Thracia ponit Stephanus: σκαπτησύλη, πόλις Θρᾴκης μικρά, ἀντικρὺ Θάσου, τὸ ἐθνικὸν σκαπτησυλῖται. VI: 810

SCAPUS, videtur eſſe quod Græcis σπάθη de quo Pollux; inſtrumentum textoris, cujus pulſu tela denſeri atque coartari ſolet. V: 1352

SCATERE, pro *ſcatère*. ita *olere* dixit Plaut. Moſtell. initio. 1: 1: 41. teſte etiam Priſc. l. 8.

Non omnes poſſunt olere unguenta exotica.

alioquin ibi creticus admittendus eſſet, contra ingenium jambi. vide & *fulgere*. V: 41. &c.

SCELEROSUS. ita Lucilius lib. 1: 6

Non tamen ætatem, tempeſtatem hanc ſcelerosi
Mirentur.

Non. & Agell. I: 84

SCEPTRA POTITUS inter poëtas Homer. elegante tralatione. ſic *regnare in foro* dicebatur Cic. & hic. III: 1051

SCIBAM. pro ſciebam. ita alibi *ſævibam*. Terent. Eunuch. 4: 7: 35

Scibis: principio eam eſſe dico liberam.

ubi & Donat. id monuit, in Heaut.

Ita timui. CLIT. at ego nihil eſſe ſcibam Clinia.

& Hecyr. prol. 16

Quia ſcibam dubiam fortunam eſſe ſcænicam.

& in Phorm. act. 4. ſc. 1: 16

Scibam: ille ſi me alienus affinem volet.

ita quidem tria illa loca in quibuſdam libris ſunt edita, verum cum vet. libri omnes repugnent, & Donatus ubique ſileat, qui tamen illud *ſcibis* obſervavit, & ſtudioſe admonuit; nihil mutandum puto, & ubique leg. *ſciebam*. ita tamen ut epiſynalœpha quadam ſit diſyllabon. ut in *Fiat* diximus; ubi de *Fuit* omiſimus hunc Terentii verſum è ſc. 1. act. 1. And. 25

Liberiùs vivendi fuit poteſtas: nam antea.

qui maxime eo facit. nam quem ſupra adduximus, accipi poſſet etiam vulgariter. vide *Reſpondeamus*: ſic autem & Catull. dixit *cuſtodibant calathiſci*. V: 932. 951

SCILICET, ſcire licet. Donat. in Adelph. act. 3. ſc. 4. *Videlicet*, inquit, *confirmativum eſt: ut videlicet, videre licet; ſic ſcilicet, ſcire licet; ilicet, ire licet. Ter. Heaut. Scilicet facturum me eſſe. & ibid. Continuo injeciſſe verba tibi Dromonem ſcilicet.* Feſt. *Sultis*, & *Cu-*

Cumalter. vide & *Videlicet.* II: 468

SCINDERE, tralate. de curis exedentibus animum. *remordere* dixit Maro l. I. Æneid. Non poſſum quin ex Plauto locum emendem, conjectura ductus, cujus verſum hunc in Pſeudolo, 3: 2: 42. ita legend. puto:

Nam ego cicilendrum quando in patina ſciſcidi.

ſic ibi leg. puto, atque ita Afranium, Attium, Nævium, Ennium, adductis locis, vetereſque alios locutos monuit diligentiſſ. Priſcianus lib. 10. vulg. *ſcindidi.* quod nuſquam lectum eſt præterea. *Scindo* nunc *ſcidi*: vet. *ſciſcidi*, Priſc. aut *ſceſcidi*, Agell. III: 1007

SCIPIADES, Scipio. uſum eo invenio Lucilium apud Feſt. *ſcurræ*:

Cornelius Publius noſter Scipiades. &c. III: 1047

SCRUPOSA RATIO, difficilis. ita & Ennius apud Nonium. IV: 526

SCYMNUS, catulus, propriè leonum. σκυμνὸς. Pollux lib. 5. καλεῖται δὲ τὰ μὲν τῶν λεόντων ἔγγονα, σκύμνοι. τὰ δὲ τῶν ἄρκτων, ἄρτυλοι. &c. V: 1035

SE. pronomen iſtud elegantiſſ. uſus eſt poëta quaſi παρελκῶς. atque ita omnes vet. ſcriptores locuti ſunt. Terent. Eunuch. act. 2: 2: 17

Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt;
Nec ſunt. —.

id eſt, primi eſſe volunt. & in prologo ℣. 1

Qui placere ſe ſtudeat bonis quam plurimis.

Cic. 2. Tuſc. *Eſt enim quoddam genus eorum qui ſe philoſophos appellari volunt.* Terent. And. Act. 4. ſc. 6: 2.

Quæ ſeſe inhoneſte optavit parere hic divitias.

ſic v. l. quidam ibi *ditias* malè. *divitias* eſt triſyll. ut *fiat* monoſyll. vide *Fiat*, *Defiat.* & in Heaut. act. 3. ſc. 2: 16

Vicinum hunc noſtin? at quaſi is non divitiis
Abundet. —

ſic o. v. & Donat. mutatum ab aliis, *ditiis.* ſic Lucilius lib. Sat. inc. fr. 3.

Græcum te Albuti, quam Romanum atque Sabinum
Malviſti dici: Græce ergo prætor Athenis &c.

vide & *Me.* Enn. pag. 144

Omnes mortales ſeſe laudari exoptant.

vide *Me.* f. II: 250. III: 696. 704. 883

SECTA. SECTAM SEQUI. ita locutus eſt elegantiſſ. poëta de Berecynthia: 63, 15

Sectam meam exſecutæ duce me &c. V: 1114

SECUNDUM HAS RES, id eſt, poſt. ſed hoc multaque alia vulgaria ſunt & protrita, quæ tamen ut poëtæ elegantia eſſet in promptu, adnotanda putavimus. III: 35

SED MAGIS, ut Græc. ἀλλὰ μᾶλλον, id eſt, ſed potius, quin potius. I: 482. 606

SED VERO; *ſed etiam*, *verum etiam.* obſervatione digna particula. IV: 983

SEGES pro agro poſuiſſe videtur. *Seges*, inquit Feſt. *dicitur ea pars agri quæ arata & conſita eſt.* ſic veteres multi ſunt uſi. cujus ignoratio rei Horatii libro fuit fraudi od. 31. lib. 1: 3.

Non opimæ Sardiniæ ſegetes feraces.

id eſt, fructuoſa arva, ac lætas ſegetes. ita enim eum ſcripſiſſe teſtis eſt v. noſt. opt. & aliorum libri, vide & Non. apud quem verſus Attii. Oenomao, ita leg. mihi videntur:

Forte ante auroram radiorum ardentum indicem,
Cum ſomno in ſegetem agreſtis cornutos ciet
Ut rorulentas terras ferre perfidas
Proſcindant, glebaſque arvo ex molli excitent. V: 1371

SEMINIUM ET SEMEN, pro eodem poſuit poëta, nempe pro fetura & progenie. Varro lib. 2. de Re Ruſt. ubi de capellis: *De ſeminio dico eadem, quæ Atticus in ovibus: hoc aliter, ovium ſemen tardius eſſe, quo hæ ſunt placidiores. contrà caprile mobilius eſſe.* Atticus autem *feturam* dixerat. III: 742

SEMPER FLORENS. Donat. in Andriam act. 1: Sc. 2: 4

Et heri ſemper lenitas.

An *ſemper-lenitas*, ut ſit ὑφὲν. Lucretius: *ſemper-florentis Homeri*, ita ibi leg. vulg. *honoris*: ſic *nec-opinato*, *non-ſenſus* &c. hic ita *prope-dies* teſte etiam Donato. Hinc probatur mihi eorum conjectura, qui apud Virgo 1. eclog. legunt, *Semper-deus.* ſic dixiſſe Catullus videtur. 4: 10

Ubi iſte poſt-faſelus antea fuit &c.

ſem-

ſemper-florens autem Græco ἀειθαλὴς reſpondet. Porrò de hoc Ennii ſomnio Cic. lib. 2. Acad. Quæſt. *Num cenſes Ennium, cum in hortis cum Ser. Galba vicino ſuo ambulaſſet, dixiſſe; viſus ſum mihi cum Galba ambulare: at cum ſomniavit, ita narravit: viſus Homerus adeſſe poëta.* Haud ſcio an eò referendum ſit quod apud Feſt. exſtat: *memini* (inquit Ennius) *me firi pavum.* ſic leg. enim puto. vulg. *fieri pavum.* de *firi* pro *fieri* Priſcian. l. eodem id Perſii adlègo. Sat. 6: 10

— *Quinctus pavone ex Pythagoreo.*

ut dicat Perſius ex pavone factum Ennium ſeu Quinctum Ennium, Pythagoreum autem vocat pavonem, non quòd Pythagoras ſe pavonem aliquando fuiſſe dixerit; nam hoc falſum eſt; ſed quia eam μετεμψύχωσιν primus confinxerit Pythagoras. Sic eum locum Perſii leg. & explicandum puto. I: 94

SENESCERE, τὸ γηράσκειν, id eſt, ſenecta. ſic *Licere* alibi. V: 313

SENECTUS, *a*, *um*. Sall. lib. 4. *Omnes quibus ſenecto corpore animus militaris erat.* III: 773. V: 884. 894

SENSIFER, ut *peſtifer* &c. III: 246

SENSILE, id quod ſentit. Priſc. lib. 1. *Ex præſenti, doceo docibilis* &c. *ex præterito; plauſi plauſibilis, ſenſi ſenſibilis vel ſenſilis, Lucret.* &c. II: 887. &c.

SENSUS *us*, pro ſententia Cicero *ſenſa* vocat de Orat. *quod exprimere dicendo ſenſa poſſimus.* II: 886

SENSUS ANIMI, pro animo. vidè *tactus.* III: 99: 577

SENTENTIA DEMOCRITI; pro Democrito. Horat. 1 Sat. 2: 32.

Sententia dia Catonis,

pro Catone. Tenere hîc me non poſſum quin emendem puriſſimi ſcriptoris, Cornelii Nepotis, in vita Phocionis locum, hoc modò: *Hic ab Agnone accuſatus, quod Piræum prodidiſſet, ex conſilii ſententia in cuſtodiam conjectus, Athenas deductus eſt.* ita v. optime. quid ſit, *ex*, ſeu *de conſilii ſententia*, omnibus notum eſt. vulg. *ex conſimili.* perabſurde. *Agnonem* autem vocat, quem Plaut. *Agnonidem.* V: 604

SENTISCERE. ita *perſentiſcere* alibi. III: 394. &c.

SEORSUM CORPORE, ANIMA, pro *ſine corpore* &c. ut Græc. ἄνευ. mira & felix poëtæ imitatio. Adverbiis jungebant caſus præpoſitionum veteres. ut Terent. *clanculum patres* dixit Adel. act. 1. ſcæn. 1. 27

— — *Poſtremo alii clanculum*
Patres quæ faciunt, quæ fert adoleſcentia.

in cujus comœdiæ inſcriptione legendum, *tibiis ſarranis.* docui in Noct. Atticis. Sed de Terentio aliâs fortaſſe accuratiùs. III: 563. 633

SEORSUS pro *ſeorſum* dixiſſe antiquos admonuit Soſip. li. 2. ita etiam *rurſus* & *rurſum*, & Livius *demus* pro *demum*, teſte Feſto. V: 449

SEPELIRE, tralate. penitus delere. II: 570

SEPULCRUM COMMUNE, TERRA. ſic Catull. ad Manlium. 68: 89. Trojam vocat

Commune ſepulcrum
Europæ Aſiæque.

vide *Commune.* V: 260

SEPULTUS, coopertus, abditus. V: 1269

SEPULTUS SOMNO. Virg. Æn. 2: 265.

Somno vinoque ſepultam. V: 973

SERENA CÆLI, ut *ſcepta domorum*, *profunda ponti* &c. & alibi *prompta* & *aperta cæli.* II: 1109

SERENA VITA, tranquilla, quieta. elegantiſſ. ab aëris ac cæli tranquillitate, &, ut ita dicam, malacia, tralatio. II: 1093

SERERE VULNERA. Tacit. l. 21. *Et ſequentibus diebus crebra pro portis prœlia ſerebant.* Livius lib. 32. *Et temperatum ægre eſt, quin miſſilibus, quia dirempti medio amne fuerant, pugnam inter ſe conſererent.* Adluſum autem videtur ad id quod dicebant, *manum conſerere.* Plaut. *ſerere pugnos in faciem* dixit in Aulul. Simili etiam dicendi genere *librare vulnera* dixit Statius, quaſi librato & jacto telo inferre. V: 1289.

SERESCERE, ſiccari. atque ita etiam Nonius recte accipit. nam *ſerenus* veteribus etiam ſonat ſiccus; hinc Virg. lib. 1. Georg. 461

— *Unde ſerenas*
Ventus agat nubes. —

quas alibi vocat *arida nubila*, id eſt, ſicca. Plaut. Mercat. 5: 2: 35

Hic favonius ſerenus eſt, hic auſter imbricus.

Origo autem hujus verbi perobſcura eſt. puto veteribus *ſerus* pro arido, priore brevi, in uſu fuiſſe, atque inde *ſereo* deductum: hinc porro *ſereſco*: à *ſerus* etiam manaſſe *ſerenus*. Sic non dubito quin *vuus* dixerint; unde *vueo*, *vueſco*, & *vuidus* manarint: *Arus*, *areo*, *areſco*, *aridus*; *rubus*, *rubidus*, *rubor*; *madus*, *mador*, *madidus*, *madeo*, *madeſco*; *humus*, *humidus*, *humeo*, *humeſco*; *torpus*, *torpidus*, *torpeo*, *torpeſco* &c. Hæc ut ſuſpicer, facit Feſt. qui monet veteres protuliſſe *torrus* & antiquiſſ. *torus*, unde *torridus*, *torreo*, ac *torreſco* apud hunc poëtam profecta ſint. *Torrere*, inquit Feſt. *à torro deductum*. ſic omnino leg. ibi adſtipulante v. c. vide & ibid. *Torum*: & *formus*, *a*, *um*, dixiſſe antiquiores, unde poſteà factum ſit *formidus*. *Sereſco* igitur à *ſero*, ut *toreſco* à *toro* eadem ratione & vi deducta puto. nam & *torus* ac *toridus*, olim ſiccus aridusque valebant, ut & verbum *torrendi*. Feſt. nec eſt quod alia deductionis ratio quem turbet, ut quia à *ſerus ſerenus*, non *ſeridus*: item & à *torus toridus*, non *torenus* fiant. nam deductionis ratio multiplex eſt. ut à *virus a*, *um*, *viridis*, *vireo*, *vireſco*, derivata putem. I: 307

Sermo, pro familiari conloquio. eadem eſt vis verbi *fabula*. unde *fabulari*. quod & elegans & veteribus eſt pervulgatum: hodie vix notum in eo ſignificatu. hinc Ter. ut uno hoc verbo admoneam, *lupus eſt in fabula*, dixit, quod M. Attius (à quo ſuos omnes fere ſales ſumpſit Terentius) Sticho, *Lupus eſt in ſermone*. Donat. & alii minus recte accipiunt, niſi me fallit. V: 1396

Setigeri sues. & hoc ſumpſit Virg. 12. Æneid. alibi *ſpumigeros* vocat. V: 968

Severum pro *triſti* uſos veteres adnotavit etiam Marcell. ita ſilentia noctis & ſigna noctis vocat *ſevera* Titus. Varro Eumenid. *Tertia pœnarum infamia, ſtans nexa in vulgi pectore, fluctuanti, intonſa coma, ſordido veſtitu, ore ſevero*, hinc judex à Cicer. nunc *triſtis*, nunc *ſeverus* dicitur ille qui inculpatus eſt. vide ſuprà *Sævus*. IV: 462

Severum mare, id eſt, ſævum & implacabile. ita & Virg. lib. 3. Georg. 35

Invidia infelix furias, amnemque ſeverum.

vide Nonium. V: 21

Sevidere. f. nolim temere nova procudere, aut alios in errorem inducere. tantùm indico me dubitare, potueritne poëta eo uti vocabulo; ubi nos *vindicit* repoſuimus, cùm in lib. vet. ſit, *neque enim ſe vidit hilum*, quàm facile enim librarii, ſi eadem vox bis eſſet ab ipſo ſcriptore eodem loco poſita, alteram omittere conſuerint, norunt omnes qui veteres membranas triverunt. & cur non liceret dicere *ſevidere*, ut *ſecernere* &c. ſed nihil adfirmo. III: 894

Sex, septem. elegans dictio. Horat. I. Ep. 1: 56

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſint;
Plebs eris.

& Terent. Eunuch. 2. 3: 38

His menſibus ſex ſeptem prorſum non vidiſſe
proxumis.

ibi tamen in q. lib. *Sex vel ſeptem*. ſimile quid hic alibi notavi. IV: 581

Si non, niſi. Græc. εἰ μὴ expreſſit, ut alias particulas multas. II: 40

Sibi parelcon. videtur abundare & de more additum, *ſibi*. ut alibi *tibi*, *nobis*, *dum* &c. III: 606. 899

Sicyonia, *orum*, muliebre calciamenti & ſolearum genus nobile & venuſtum. Heſych. Σικυώνια, ὑποδήματα γυναικεῖα, καὶ ψέλλια. Pollux etiam lib. 7. inter ὑποδήματα γυναικεῖα numerat Σικυώνια. ait τὰ Σικυώνια τὸ ὄνομα δηλοῖ τίνων τὸ ἐύρημα. Lucilius Sat. inc. 37

Et pedibus læva Sicyonia demit honeſta.

hinc apud Cicer. lib. I. de Orat. 231. Socrates: *Sed*, inquit, *ut ſi mihi calceos Sicyonios attuliſſes; non uterer, quamvis eſſent habiles & apti ad pedem, quia non eſſent viriles: ſic illam orationem* &c. *Sicyonia* autem neutro genere dicebant, ut hic alibi *Samothracia* pro *anulis Samothraciis*. IV: 1119

Sidera mundi, id eſt, *cæli*. ita ſæpe poëta noſter, & Virg. & Att. vide *Mundus*. Varro etiam dixit, *ſidera cæli*. I: 788. &c.

Sidere, inſidere. vide *deſido* &c. III: 383

Sideribus fixum cælum, dicit doctiſſ. poëta, ut Virg. *ſtellis aptum*. hoc ab Anaximene philoſopho ſumptum: qui, ut eſt apud Plutarch. de Philoſoph. Decretis lib. 2. cap. 14. *ſtellas clavorum modo cælo adfixas eſſe* dicebat. hinc & Horat. ad Canidiam dicit, *refixa ſidera*. V: 1204

Siet, *ſit*. ita antiquiores fere loquebantur, ut in ſcriptis Plauti, M. Catonis, Terentii &c. videre eſt etiam hodie. III: 102

Signa. videtur poëta uſus pro commentariis ſeu ſcriptis aut philoſophiæ decretis. ut *ſigna* Epicuri, Platonis, id eſt, ſenten-

tiæ,

tiæ, dogmata. ſic ait eloquentiſſ. poeta ad Epicurum:

— *inque tuis nunc*
Trita pedum pono preſſis veſtigia ſignis.

tralatio fortaſſe ſumpta eſt à medicis, qui ſigna & σημεῖα vocant ea, quibus perſpectis & cognitis, alia porro faciliùs cognoſci poſſunt. aut ab eo quòd notas & ſigna imprimebant ſcriptis. hinc & Cic. ſæpe *litteris conſignare*. Dicit autem poeta, *ſigna preſſa*, *impreſſa*: Græci τυπὸν & χαρακτῆρα uſurpant. III:4

SIGNIFER ÆTHER. alibi *igniferum* dixit, utrumque rectè. Lucanus item lib. 3: 254. *polum* vocat *ſigniferum*. V: 459. VI: 480

SILANUS, tubus, fiſtula, aquæ ductus vel fontis. Celſ. lib. 2. cap. 19. *confert etiam aliquid ad ſomnum ſilanus juxtà cadens.* Feſt. *Tullios*, inquit, *alii dixerunt eſſe ſilanos, alii rivos* &c. ita enim ibi legendum. Pluribus credo locis inveniri poſſet ea vox, ſi corrigentium manus exiiſſet. Marull. hic pro *ſilanos*, poſuerat, *ſic amnis*. VI: 1263

SILENAS vocant ſuas delicias amatores quæ ſimis ſint naribus. conſolantur ſe miſeri forma divina, licet maximè ridicula. De Silenorum repandis & præſimis naribus plena ſunt omnia. Non poſſum tamen quin præſtantiſſimi regis, naribus tamen ſimis, Antigoni, avi Alexandri Magni dictum aureum verbis Senecæ ex lib. de Ira adferam: *Is igitur* (inquit Seneca) *cùm in parvulo quodam caſtello Græci obſiderentur, & fiducia loci contemnentes hoſtem, multa in deformitatem Antigoni iocarentur; & nunc ſtaturam humilem, nunc colliſum naſum deriderent: gaudeo, inquit, & aliquid boni ſpero: in caſtris meis Silenum habeo.* Doctè autem junxit *Sileno Saturos* poëta: nam Saturorum turpiſſima erat & ridicula ſpecies; & eos Sileni habebant ſemper, apud veteres, comites ac diſcipulos. Satyri auditores erant, Silenus doctor. atque ita in veteri tabula pulcerrimè expictum vidi. Eo referendum quod Lycophron Menedemo fecit Silenum loquentem Satyris, ſuis, inquit, filiis. Adſcribam ex Athenæo lib. 10. p. 420. verba, ubi de Menedemi philoſophi frugalitate agit: Μαρτυρεῖ δὲ καὶ περὶ τούτων Λυκόφρων ὁ Χαλκιδεὺς, γράψας σατύρους, Μενέδημον, ἐν οἷς φησὶν ὁ Σειληνὸς πρὸς τοὺς σατύρους: Παῖδες κρατίστου πατρὸς ἐξωλέστατοι, Ἐγὼ μὲν ὑμῖν ὡς ὁρᾶτε στρηνιῶ. Δεῖπνον γὰρ οὔτ' ἐν Καρίᾳ μὰ τοὺς θεοὺς. &c. Scilicet non ignorabat ille doctiſſ. ſcriptor Lycophron & fabulam de Silenis ac Satyris, & rationem. Ipſumque Menedemum facit Silenum; auditores, & ſectatores, convivas Satyros. id quod imitatus feliciſſimus ille imitator Maro, in ecloga 6. Silenum introducit explicantem de rerum principiis ex Epicuri præceptis ac ratione. ſic enim illud accipiendum exiſtimo, quod Silenus ibi dicitur doctor. Verùm quòd vinctum faciat Silenum à pueris, aliaque adfingat quædam; ſumpta ſunt, uti puto, ex veteri illa narratione de Numa, quam egregiè commemorat è lib. 2. Valerii Antiatis Arnobius initio lib. 5. Adverſus Gentes. Verba etſi pluria ſint, adſcribenda putavi tamen, ut doctiſſimi poëtæ conformatio intelligatur: *In ſecundo Antiatis libro talis perſcripta eſt fabula: Numam illum regem, cùm procurandi fulminis ſcientiam non haberet, eſſetque illi cupido noſcendi, Egeriæ monitu, caſtos duodecim juvenes apud aquam celaſſe cum vinculis; ut cùm Faunus & Martius Picus ad id locorum veniſſent hauſtum, (nam illis aquandi ſolemne iter huc fuit) invaderent, conſtringerent, colligarent. Sed quo res geri expeditiùs poſſet, regem pocula non parvi numeri, vino mulſoque compleſſe, circaque acceſſus fontis inſidioſam venturis oppoſuiſſe fallaciam: illos more de ſolito bibendi appetitione correptos ad hoſpitia nota veniſſe: ſed cùm liquoribus odoratis offendiſſent fragrantia pocula, vetuſtioribus antepoſuiſſe res novas, invaſiſſe aviditer, dulcedine potionis captos hauſiſſe plus nimio, obdormiviſſe factos graves. tum biſſenos incubuiſſe ſopitis, injeciſſe madidatis vincula: expergitoſque illos ſtatim perdocuiſſe regem, quibus ad terras modis Juppiter poſſet ſacrificiis elici: & accepta regem ſcientia rem in Aventino feciſſe divinam, elexiſſe* (*f. elicuiſſe*) *ad terras Jovem, ab eoque quæſiſſe ritum procurationis: Jovem diu cunctatum, expiabis, dixiſſe, capite fulgurito; regem reſpondiſſe, cæpitio: Jovem rurſus, humano: retuliſſe regem, ſed capillo: deum contrà, anima: ſubjeciſſe Pompilium, piſcis: Tunc ambiguis Iovem propoſitionibus captum, extuliſſe hanc vocem: decepiſti me Numa: nam ego humanis capitibus procurari conſtitueram fulgurita, non capillo cæpitio. quoniam me tamen tua circumvenit aſtutia, quem voluiſti, habeto morem; & his rebus, quas pactus es procurationem ſemper ſuſcipies fulguritorum.* Hæc ille. ex quo vides *procurare* & *expiare* ſæpe idem valere. & *expergitus* pro *expergefactus*, de quo ſuprà. jam vero Virg. Ec. 6: 13. non-

nonne his gemina prorſus attulit?

> *Pergite Pierides, Chromis, & Mnaſylus in antro*
> *Silenum pueri ſomno videre jacentem,*
> *Inflatum heſterno venas, ut ſemper, Iaccho.*
> *Serta procul, tantum capiti delapſa, jacebant,*
> *Et gravis attrita pendebat cantharus anſa.*
> *Aggreſſi (nam ſæpe ſenex ſpe carminis ambos*
> *Luſerat) iniciunt ipſis ex vincula ſertis* &c.

Sic puto ingenium ac diligentiam Maronis patefieri poſſe. Huc etiam pertinent Sileni Alcibiadis. Alcibiadi, ille Silenus, à Platone egregie fingitur, Socrates. Ceterum ab Horatio dicitur Bacchus eſſe Satyrorum doctor: lib. 2. od. 19: 1. his verſibus:

> *Bacchum in remotis carmina rupibus*
> *Vidi docentem, credite poſteri;*
> *Nymphaſque diſcentes, & aures*
> *Capripedum Satyrorum acutas* &c.

ſed & hoc optime. nam ut Silenus, ita & Bacchus ebrius ſemper fingitur; quorum pectora nempe fuerint madida & plena doctrinis præſtantiſſimis. itaque locus ille Horatii explicandus mihi videtur. Jam cur Satyris attribuantur aures acutæ & longæ, perſpicuum eſſe puto. nam id auditoribus maxime eſt oportunum & utile. Verum ſatis evagatum, redeamus domum. Apud Plaut. Ciſtell. invenio puellæ nomen *Silenium*, quod ad hanc rem facit vel maxime. vide & *Satyra*. IV: 1163

SILENTIA NOCTIS, ambitu pereleganti pro nocte. ita Catull. *tacentem noctem:* Virgil. *ſilentem* dixerunt. idem lib. 2. Æneid. 255

> — *tacitæ per amica ſilentia lunæ.* IV: 462

SILVÆ FERARUM, in quibus ferarum ſunt luſtra ac domicilia. mira dictio, non abſimilis illi, *ſpeculum oris*, de quo infra. *Sol cœli* &c. V: 202

SILVESTRIS MUSA. imitatus Virg. Bucolico 1: 2

> *Silveſtrem tenui muſam meditaris avena.*

V: 493

SILVIFRAGUS. epitheton venti. ita alibi *fluctifragum litus*. I: 276

SIMUL, pro *ſimul ac*, aut *ſimul atque.* Cic. ad Att. 8: 11. *Simul aliquid audiero, ſcribam ad te.* Varro: *Sed nos ſimul in ſummam ſpeculam pervenimus.* ita lego apud Non. *Specula.* Horat. ſerm. 1: 1: 36

> *Quæ ſimul inverſum contriſtat aquarius annum.* VI: 1022

SIMULACRA BELLI. Livius lib. 29. *Quo die venerunt; hoſpitio comiter accepti. poſtero die terreſtrem navalemque exercitus, non inſtructos modos, ſed hos decurrentes, claſſem in portu ſimulacrum & ipſam edentem navalis pugnæ oſtendit.* &c. *ſimulacra ciebat.* II: 42. 324

SIMULACRA SEU IMAGINES, FIGURAS ET FORMAS vocat poëta ea quæ Catius philoſophus *ſpectra*, teſte Cic. Epicurus vocabat εἴδωλα, καὶ τύπους, & ut videtur ὄγκους: etſi ὄγκοι etiam pro ipſis corpuſculis accipi poſſint. De his ita eleganter Appulejus Apolog. 1. *Cum, ut ait Epicurus, profectæ à nobis imagines, velut quædam exuviæ jugi fluore à corporibus manantes, cùm læve aliquid & ſolidum offendunt, illico reflectantur, & retrò expreſſæ controverſim reſpondeant* &c. vide hîc totum lib. IV. & maxime ℣. 39. & 879. Eo pertinet illa Caſſii ad Brutum conſolatio, quàm Plutarchus in vita Bruti expoſuit: ὑμέτερος οὗτος, εἶπεν, ὦ Βροῦτε, λόγος, ὡς οὐ πάντα πάσχομεν ἀληθῶς, οὐδ' ὁρῶμεν &c. *veſtra*, inquit, *hæc eſt ratio, Brute, non omnia nos percipere, vereque videre* &c. ſic enim ibi leg. & vertendum eſt. male alii, *noſtra* ſeu ἡμέτερος. Caſſius Epicuri ſectator ejuſque rationum defenſor Bruto Academico ſuadet nullum tale viſum ei obici potuiſſe, nihil inquam vidiſſe Brutum: ſed ut in ſomniis apparent neſcio quæ viſa interdum, ex eo quod animus ea ſibi fingit, cùm reapſe tamen non ſint: item Bruto accidiſſe iſtud. nihil ergo timeret Brutus. Volunt Academici obici nobis ſæpe viſa quædam & ſpectra, quæ an vera ſint an falſa; an inquam ea quidquam ſint, illi ambigunt: Epicurei nihil tale fieri poſſe contendunt: certiſſimos eſſe ſenſus, nihil iis accidere, quod non ſtatim ita ſit, & eſſe ſciant. Brutum porro fuiſſe Academicum, Caſſium Epicureum, præter Plutarchum, locupletiſſimus eſt teſtis M. Cicero, multis in locis. Ita ergo intelligi debet ea Caſſii conſolatio, non recte, uti puto, ab doctiſſimis Plutarchi Interpretibus accepta. Id facile videbunt qui in Epicuri rationibus, quas noſter poëta diligentiſſime explicatas conſervavit, non

non erunt prorſus hoſpites. vide totum lib. IV. & V: 1168. &c.

SIMULATUM, ſimile, alibi *adſimulatum*, pro *ſimilatum*. I: 688

SINGILLATIM. Lucil. lib. 19

SINGULARITER, contractè *ſingular.* vide *Syncope*. VI: 1055

Sic ſingillatim noſtrum unuſquiſque monetur.

apud Non. IV: 87

SIS, pro *ſuis*. Feſt. *Sos*. III: 1038

SISTERE, abſolute, pro conſiſtere, permanere, eſſe. vide & *conſtare*, & *ſtare*. Cicer. 5. Verr. 223. *Qui rempub. ſiſtere negat poſſe, ut ad equeſtrem ordinem iudicia referantur.* I: 1015. 1056.

SITUS, funebris vox. Cicer. lib. 2. de Leg. III: 904

SITUS. de quacumque re dicitur. Horat. lib. 3. od. 10: 5

Audis quo ſtrepitu janua, quo nemus
Inter pulcra ſitum tecta remugiat Ventis.

ubi tamen ex vetuſtiſſimo libro *ſatum* (ſic enim ibi dicente) malim, I: 422. IV: 348

SMYRNA. ita antiqui myrrham ſæpiſſ. vocarunt. Horat. *murrheum crinem*. ut v. c. Athenæus lib. 14. Τῷ δὲ τοῦ μύρου ὀνόματι πρῶτος ἀρχίλοχος κέχρηται λέγων:

οὐκ ἂν μύροισι γρηῦς ἐοῦσ' ἠλείφετο. καὶ ἀλλαχοῦ δ' ἔφη:
Ἐσμυρισμένας κόμας καὶ στῆθος ὡς ἂν γέρων ἠράσσατο.

μύῤῥα γὰρ ἡ σμύρνα παρ' αἰολεῦσι, ἐπειδὴ τὰ πολλὰ τῶν μύρων διὰ σμύρνης ἐσκευάζετο, καὶ ἥγε στάκτη καλουμένη διὰ μόνης ταύτης. Frequens apud Dioſcorid. Plin. & etiam Theophr. lib. 4. *ſmyrnæ* eſt mentio. Hinc C. *Helvius* Cinna (ita etiam ſcribend. ubique, non *Ælius*, quod nomen malè ſemper acceptum fuit. nam & Imp. *Helvius* Pertinax, vulgo *Ælius*, & *Helvius* Mancia, apud Quinctil. lib. 6. & Valer. lib. 5. vulg. *Helmius*, *Ælius* ſcribitur) C. igitur Cinna elaborato poëmati ſuo, quo miſeram Myrrhæ libidinem deſcriberet, *Smyrnæ* fecit indicem. quod ex uno ejus verſiculo qui eſt apud Priſc. lib. 6.

At ſcelus inceſto Cinyræ creſcebat in alvo:

deprehendi. Cinyras enim Myrrhæ fuit pater. Ovid. II: 504

SOL CÆLI, ut *ſidera cæli*, *mundi*: *ſilvæ ferarum* &c. V: 121

SOL FONS CALORIS ac luminis largifluus à poëta dicitur, quod ſine dubio ab Heraclito accepit, qui ut Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. cap. 20. commeminit, *ſolem lucis cæleſtis fontem* appellitabat. V: 597

SOLA TERRÆ. *ſolum terræ* dixit ut Homer. ἔδαφος τῆς νεώς. Enn. lib. 3. p. 55

Tarquinio dedit imperium, ſimul & ſola regni.

& alibi p. 134

Sed ſola terrarum poſtquam permenſa parumper.

& apud Cicer. idem Ennius, & p. 25

Auſpicio regni ſtabilita ſcamna, ſolumque.

Arnob. lib. 2. *excavare alia telluris ſola, in foſſilibus foveis tutamina ſibimet & cubilia præparare.* Catull. de Berecynthia & Att. 63: 7

Etiam recente terræ ſola ſanguine maculans. II: 592. V: 1288. 1294

SOLA LOCA, ſic veteres omnes vocant loca deſerta, infrequentia, quæ nemo inhabitet. ſed hoc protritum eſt. Nepos in Eumene cap. 8. *Sin per loca ſola contenderet, ſperabat ſe imprudentem hoſtem oppreſſurum.* In eadem Vita, cap. eod. ut hoc uno admoneam verbo, ita leg. eſt: *Hic in Parætacis cum Antigono conflixit, non acie inſtructa ſed in itinere, eumque male acceptum in Mediam hiematum coëgit redire.* ſic planiſſ. in v. c. ſcriptum erat. opt. *in Parætacis*, id eſt, in regione Parætacænæ, de qua Strabo, Steph. Plin. omnes. vulg. hic *impar ætatis*. quod certè alieniſſimum eſt. nam annos jam habebat Eumenes fere quadraginta, ut de ætate non debuerit fieri mentio. Sed hæc extra rem. Terent. *ſolas terras* dixit in Phorm. Virg. in *ſolis nemoribus*, *ſola acta*, *montibus*. Salluſt. *ſolis viis*. Auſon. *ſolas oras* dixit, his verſibus:

Quis fuit ille dies? non omnis longior ille eſt,
Attica quem docti collegit cura Metonis:
Deſertus vacuis, ſoliſque exerceor oris.

Verum nequid erres lector, aliter ibi pervulgatum eſt. id quod nos adducimus, debetur P. Pithæo, viro omnis antiquitatis callidiſſimo. VI: 395. 1017. 1036

SOLES pro æſtu. Horat. epod. 2: 41

Sabina qualis, aut peruſta ſolibus
Pervincit uxor Apuli. —

Græcis quoque τὸ ἥλιοι idem ſonat. V: 253

SOLES pro diebus. ita Virg. Mœri. 9: 52 — *Sæ-*

— *Sæpe ego longos*
Cantando puerum memini me condere ſoles.
& Æn. 3: 203
Tris adeò incertos cæca caligine ſoles
Erramus. —

vide Servium. VI: 1217

Solicitare, nihil eſt aliud quam loco ſuo permovere. *Solum* enim quin locum ſignificet, quis dubitat? inquit Donat. in Heaut. cujus hæc ſunt verba: *Solicitos habui) variis officiis & miniſteriis diſtrictos.* nihil ſignificantius dicere potuit. quid enim aliud eſt *ſollicitare*, quàm ſuo loco movere? *Solum* autem quin ſignificet locum, quis dubitat? cùm exſules quoque dicantur *ſolo* patriæ ſuæ pulſi. *Solicitos* igitur habuit omnes domeſticos, qui hinc & inde ad miniſtrandum deſtinabantur. Hæc Donatus ad verbum ſumpſit ex Sex. Pompejo: *Solicitare*, inquit, *quidam dictum putant*, &c. *Solicitare* igitur motum in ſe continet; ſuiſque ſedibus quid emovere, valet. eaque vera hujus verbi & prima eſt notio. Tibull. 1: 8: 30.

Et teneram ferro ſollicitavit humum.

ita Lucilius uſus eſt lib. 27: 1

Non cum benignitate ſollicitarier
Propoſito.

vide *Eadem una.* & Ennius lib. 15.

Hiſtri tela manu jacientes ſolicitabant.

ita Virg. 12. Æneid. 403

— *Nequidquam ſpicula dextra*
Sollicitat.

elegantiſſimè Ovid. Met. 11: 170. dixit *ſtamina ſollicitare pollice*, & *arcu ſollicitare feras.* II: 964. V: 163.

Sollicitus, inquietus, mobilis, celer. ita Terent. Heaut. *Solicitos habui*, id eſt, exercui eos. vide *ſolicitare*; & hæc princeps hujus verbi vis eſt ac poteſtas. Virg. 4. Georg. 262

Ut mare ſollicitum ſtridet refluentibus undis.

I: 344. &c.

Solida vocat poëta corpuſcula prima. Epicurus πλήρη. Cicer. in Lucul. *Leucippus*, inquit, *plenum & inane.* idem enim ſonat quod *plenus.* hinc quod Virg. 5. Æneid. 745

— *Et plena ſupplex veneratur acerra.*

Prudentius (qui à Marone mutuatur multa) id extulit Apoth: 197

Nemo Cloacinæ aut Eponæ ſuper aſtra deabus
Dat ſolium, quamvis ſolidam perſolvat acerram.

ea ſcriptura videtur mihi veriſſima. exſtat in libris v. nihil ergo mutandum. de Epona ſtabulorum & equorum dea non eſt dicendi locus. Non poſſum quin ejuſdem Chriſtiani poëtæ (cui quantum hæc commentandi ratio patitur, ſedulo interdum operam dedimus) proximos verſus adſcribam, ut in vet. lib. exſtant, eoſque ipſe legendos putem. ỳ. 202

Conſule & hircorſus Cynicus quos ſomniat, & quos
Texit Ariſtoteles torta vertigine nervos.

optime. impuri erant ac fœtidi Cynici: nervoſi, & in diſputionibus firmiſſimi ac acerrimi, Peripatetici. hinc Cicer. *quid Ariſtotele nervoſius?* I: 487

Solis anni lustra. ita eleganter annos ſolares expreſſit. I: 312. V: 929

Solium, vas balnei, Feſt. *ſella.* leg. puto *ſolia.* ut *Incillæ*, *remillum*, *ravillæ*, & *cæſullæ.* ubi alterum *l* in *i* mutandum eſt meo quidem judicio, uti in Notis ad C. Cæſarem dicemus. VI: 800

Solstitium doctiſſ. poëta appellat τὴν θερινήν, ut brumam τὴν χειμερινήν. hoc omnes veteres ſervarunt, a minoribus depravatum. Cic. lib. 2. de Natur. Deor. 19. *ſolis acceſſus diſceſſuſque ſolſtitiis, brumiſque cognoſcitur.* ſic & Virgil. dixit *ſolſtitia* lib. 1. Georg. 100

Humida ſolſtitia atque hiemes optate ſerenas.

V: 616

Solum pro pede, ſeu imo pede potius. Cicer. Tuſculan. lib. 5. 90. in epiſt. Anacharſis ad Hannonem: *Mihi amictus eſt, Scythicum tegmen: calceamentum, ſolorum callum; cubile, terra.* Varro lib. 2. de Re Ruſt. ubi de canibus: *ſolo*, inquit, *ne ut corneo, ne ut nimium duro.* Feſt. *Solea à ſolo pedis.* I: 926. IV: 2

Sonere pro *ſonare.* Nonius adducit Attium, Pacuvium, Ennium, & Lucret. ita *tonere*, &c. dicebant antiqui. III: 157. 886

Sonor. ſic alibi *canor.* apud Nonium *Soni*, lego: *ſoniti*, & *ſonu*, pro *ſonitus*, & *ſono.* I: 645. &c.

Sordi pro *ſorde.* ut *orbi*, *parti*, *urbi*, *colli*, &c. VI: 1269

Sorsum f. pro *ſeorſum*, ut *vemens*, *probeat*, &c. III: 632. 633

Spatium amoris, elegantiſſ. curriculum.

lum & ſtadium amoris. id enim *ſpatium* veteribus etiam valere notiſſimum eſt. IV: 1190

SPECIES pro ἐπιφανία, vel inſpectione. idem fere quod *facies*. de quo Agell. alibi etiam vocat nitorem. Cicer. Arato:

Conſimili ſpecie ſtellas ſimilique nitore,

& pro θεωρία. II: 60. &c.

SPECIES pro oculis ſeu adſpectu; & viſus vi, poſuit. hoc autem ad exemplum Græci fecit ſermonis, ubi ὄψις etiam ita variat. IV: 237. 243. V: 570

SPECIMEN, argumentum, indicium, ἐπίδειξις. pereleganter uſus eſt. alibi vocat *exemplare*. IV: 210. V: 186

SPECULUM AERIS f. pro ſpeculo æreo. ex ære, & poſtea ex argento ſolent fieri ſpecula. Plin. l. 33: c. 19. *Speculum* autem *æris* dixit, ut Græc. τραπέζων λίτρε, &c. IV: 167

SPECULUM ORIS: ſic videtur appellaſſe ſpeculum, quod uſitate & abſolute plerumque ſpeculum dicitur. quo ora ac facies animantium rerumque redduntur. ceteroqui *ſpeculum* generale nomen eſt, ut *ſpeculum vitæ*, *ſpeculum naturæ*. omne inquam id ex quo quid (ut ita dicam) *ſpecitur*: conformatum ut *ferculum*, etſi locus hic de mendo ſit ſuſpectus. IV: 157

SPISSESCERE, cogi, concreſcere. ita Nævius *forteſcere*, &c. VI: 175

SPLENDIDUS proprie eſt lucidus, clarus. hinc noſter ſolem, oculos, ſidera, &c. vocavit optimè & puriſſimè *ſplendida* & Horat. *ſplendidam bilem*. tribuitur quoque humori ſplendor a poëta noſtro, ut aquæ, ſudori. & Virg. dixit Æn. 7: 9

— *Splendet tremulo ſub lumine pontus.*

Id ideo fortaſſe, quod, ut lumen a poëta noſtro *liquidum* ac *fuſum* dicitur, ita contra liquor ſeu humor *ſplendidus*; ſitque mutua inter ea tralatio. ut in *volare*, aliiſque multis alibi diximus. IV: 212. &c.

SPOLIUM ANIMANTIS, pellis. proprie & elegantiſſime. IV: 6. V: 952

SPUMIGER SUS. ſic alibi *ſetiger*. V: 983

SQUALIDUM, aſperum. vide Agell. II: 468

SQUALOR lævori ἀντίθετος, ut τραχύτης λειότητι. optimè. a *ſqualus*. ut æquor ab *æquus*. niſi a verbo malis cum Eutyche. vide Agellium, & Nonium. II: 425

STACTA unguenti genus optimum, quod ex ſola myrrha temperari ſolet, teſte Athenæo libro 14. Dipnoſoph. II: 846

STARE, pro eſſe. ita Græc. ἕστηκεν ἀντὶ τοῦ ἐστι ſæpe. vide & *conſtat*, *exſtat*. I: 565

STATUS PACATI ÆRIS. ita egregiè vocat ingenium nec fervidum nec frigidum nimis, ſed iis interjectum, moderatum ſcilicet, in quo aër & calor ſit temperatus. fortaſſe poëta reſpexit ad Ennii ſui *ſtatam formam*, p. 280. de qua in Noct. Attic. III: 293

STELLANS CÆLUM dicit, ubi ſereno cælo *ſtellant*, id eſt, lucent ſidera ac ſtellæ. heroicè profecto Maro libro 7: 210

Aurea nunc ſolio ſtellantis regia cæli Accipit. IV: 213

STERILUS, antiqu. Feſt. ut *ſublimus*, &c. II: 844

STERNIT PERCURRENS. Vide *Participia*. Ita Ennius lib. 15. p. 108

Hiſtri tela manu jacientes, ſollicitabant

I: 274. 275

STINGUERE. monui jam ſæpe veteres verbis originis & verbis non junctis uſos eſſe plurimis. in his eſt *ſtinguo* pro *exſtinguo*. uſum eo Cicer. Arato monuit etiam lib. 10 Priſcianus. verſus Marci ſunt iſti:

Quem neque tempeſtas perimet, neque longa vetuſtas
Interimet, ſtinguens præclara inſignia cæli.

& in Prognoſticis:

Ut cum luna means Hypetionis officit orbi,
Stinguuntur radii cæca caligine tecti.

I: 667. II: 827

STIPATUS, denſatus. vide Feſtum. I: 665. II: 66

STRATA VIARUM, viæ. uti *ſtructa* & *exſtructa domorum*, utuntur omnes poëtæ. minores *ſtratam* etiam ipſam viam nominarunt. auctores ſunt libri Juris, & Procop. lib. 2. de Bell. Perſico. ſimiliter & Horat. l. 4. od. 12

— *Amaraque*
Curarum eluere efficax.

& l. de Arte Poët. 48

— *ſi forte neceſſe eſt*
Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum, &
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia. &c.

ſic enim eum locum ex libro quodam pervetere ſcrib. & interpungend. puto. *Continget*, elegantiſſ. abſolute, non malè cadet:

aut, jungetur cum *licentia*. In eodem lib. v: 360

Verum operi longo fas eſt obrepere ſomnum.

Eodem quoque in lib. verſus hi aliter quam vulgo interpuncti ſunt verſu 451

— *Hæ nugæ ſeria ducent*
In mala deriſum ſemel exceptumque ſiniſtrè,
(Ut mala quem ſcabies aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error, & iracunda Diana)
Veſanum tetigiſſe timent, fugiuntque poëtam
Qui ſapiunt. &c.

& mox: 457

Hic dum ſublimis verſus ructatur.

id eſt, elatus, tumidus, & Suffenus quaſi. τὸ *ſublimes*, quod in vulg. eſt, vix Latinum puto: ſed hoc jam Canterus noſter monuerat. reſpondet τῷ *ſublimis* optimè quod adjungit poëta, *decidit in puteum*. ibid. v. l. ℣. 462

Qui ſcis an prudens huc ſe projecerit.

Prudent. quoque ita dixiſſe videtur, *inſignia regum*: niſi per *inſignia* ipſos accipias reges. verſus Chriſtiani poëtæ ex lib. I. in Symmach. 232. ſunt iſti:

Aſſiſtunt etiam priſcorum inſignia regum,
Dux Italus, Ianuſque bifrons, genitorque Sabinus,
Saturnuſque ſenex, maculoſo & corpore Picus.

ita vetus liber rectiſſimè. vulg. *Tros Italus.* non rectè: nam de antiquiſſimis Italiæ regibus agit, ut Saturno, Pico, Jano, Sabino, Italo. eumque optimè appellat, ut principem auctorem nominis terræ Italiæ. I: 316

STRIDO: ita *vido*, *claudo* & *claudeo*, &c. dicebant. de quibus egregie Priſcianus. VI: 148

STRINGERE ſæpe idem valet quod deſtringere, deradere, avellere. itaque Virgilius 9. Egloga. ℣. 61

— *hic ubi denſas*
Agricolæ ſtringunt frondes, hic Mœri canamus.

aliiſque multis in locis. *Stringere* etiam *oculos* apud Valerium inveni libro 2. de majeſtate Marii: *Sed claritate viri occæcatus, abjecto ferro, attonitus inde ac tremens fugit: Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis ſtrinxit*, &c. ita enim vet. codex habebat planiſſime, & hinc perſpicuum eſt *perſtringendi* verbum id etiam valere. de quo vide & Nonium. I: 487

STRINGOR AQUÆ, ut *rigor*, pro frigore, quod dentes perſtringat. mira nominis conformatio. III: 693

STUPPA. Feſtus. Servius etiam *ſtipa* ait dici, epiſt. ad lectorem, VI: 880

STYMPHALA, *orum*. Stephanus ait Stymphalum urbem eſſe Arcadiæ, campum, & fontem. urbem & maſculino & feminino genere dici. Plin. urbem etiam neutro genere poſuit, ſi modo emendati ſunt codices: at noſter multitudinis numero & in neutro genere dixit *Stymphala*, *orum*, pro campo ſeu lacu agris, vel urbi circumjectis. ut *Iſmara* hic, & Virg. Propert. *Boſpora*. V: 32

SUADERE. vide *ſuêre*. tetraſyllabum. Catullus ad Ortalum 66: 74

Condita quin veri pectoris evoluam.

IV: 1151

SUAPTE abſolute, pro ſua vi & ſponte. VI: 755

SUAPTE. duo ſunt loca in hoc poëta, in quibus hoc *Suapte* reperitur; verum lege de peregrinis ejectum à Dionyſio Lambino. ego tamen libros omnes veteres ſequor, dum meliora didicero. multa Titi ſunt ſua, adeo ut dixerit fortaſſe *ſuapte*, pro *ſua ſponte*. multæ etiam veterum ſunt conciſæ locutiones hodie ignoratæ. quidquid ſit, ampliandum potius quam damnandum iſtud *Suapte* cenſeo. VI: 755

SUAVIDICUS. ſic Cic. *veridicus*. Plaut. *vanidicus* & *blandidicus*. IV: 181

SUAVILOQUENS CARMEN. ita Enn. *ſuaviloquenti ore* dixit *Cethegum*: ſed hic in q. l. erat *ſuave loquenti*. ut apud Virgil. *ſuave rubens hyacinthus*. vide tamen *Omnituentes*. dixit etiam *ſuaviloquus*, ut Plautus. Cicero *grandiloquus*: & tamen *grandiloquentia*, quo idem utitur Tullius, a *grandiloquens* manare videtur. ſic & *benivolus* vulgatiſſimum eſt: *benivolens* tamen veteres etiam dicebant. Cicer. lib. 2. Vet. Rhet. extremo: *Pietas perquam ſanguine conjunctis, patriæque benivolens officium, & diligens tribuitur cultus*. ita eum locum reſtituo. vulg. peſſime, *patriæque benevolis*. quid hoc ad rem? in patria & ſanguine conjunctis numeratur pietas, ut pluribus locis Cic. ita Prudent. dixit *incruens*, Peri-ſteph. de Laurent. 10: 1094

Sed

Sed martyris Laurentii non incruente prœlio. ita v. l. ibi & *opulens* dicebant. Cornel. Nepos in vita Chabriæ, cap. 3. *neque animo æquè pauperes alienam opulentium intuuntur fortunam.* ita v. c. rectè. IV: 20

Suaviloquus. Vide *Suaviloquens.* II: 528

Suavis: nomen eſt diſyll. hinc *ſuavium* pro oſculo deducunt vulgo. non ut opinor, rectè. nam in antiquiſſ. l. Plauti, Ter. Hor. Priſc. &c. *ſavium* conſtanter ſcriptum exſtat. atque ita prorſus ſcribend. puto. judicent doctiores.

Sub divo. vide ſuprà, *Divus.* Nepos in Pauſania, cap. 5. *Quo facilius ſub divo interiret.* ita v. rectè. & Horat. lib. 3. od. 2: 5

Vitamque ſub divo. —

ita enim vetuſtiſſ. codex habebat.

Subare, vel ſubire. Feſt. *ſuillum,* hîc pro ὀργᾶν, ad homines tralatum. IV: 1193

Subcavus. hîc τὸ *ſub* auget, ut apud Prudent. *ſubtacitus.* VI: 556. 682

Subditare stimulum. Livius libr. 6. dixit *ſubdere:* VI: 603

Subesse, latere, intùs & infrà eſſe: novè & tamen uſitatiſſime ac proprie. Plancus ad Cic. lib. 10. ep. 18. *Sed non poſſum non exhorreſcere, ſi quid intra cutem ſubeſt vulneris, quod prius nocere poteſt, quam ſciri, curarique poſſit.* Virgil. etiam omnis antiquitatis fons uberrimus Georg. 2: 49. ubi de ſilveſtribus agit ſtirpibus:

Quippe ſolo natura ſubeſt. —

in quo libro, ut verbo, hoc antiquitatis veſtigium reprimam in doctiſſ. poëta, ita leg. puto ℣. 222

Illa ferax olea eſt: illam experiere colendo.

&c. ſic habent libri veteres. & ita omnino legit Nonius: ait enim hîc Virgilium ſextum caſum pro patrio poſuiſſe. III: 274. 285

Subiectare, ſurſum jacere. Virgil. lib. 12. Æneid. 287

— *Aut corpora ſaltu.*
Subiciunt in equos. —

vide Nonium. VI: 700

Subigere, cogere, impellere: verbum egregium, omnibuſque veteribus familiare. Virg. Ciri:

Nec levis hoc facere, neque enim pote, cura ſubegit.

ſic enim ibi leg. puto. *re* ob inciſum produxit; ut in eodem poëmatio:

Credere, quam ſcelere tanto damnare puellam?

vide & Non. II: 193

Subiungere uno. pro *uni ſubjungere, jungere & ponere ſub uno.* duo inquit illa vocabula *animæ* & *animi* idem ſonent, idemque valeant. Hic autem, ut alibi monuimus, præpoſitio juncta eundem habet caſum quem non juncta: vide & *Adjacere.* ita & *inſtare*, quarto caſui ſolet jungi ab antiquis. Cornelius Nepos in Eumene, cap. 4. *Neque eo magis ex prœlio exceſſit, ſed acrius hoſtis inſtitit.* ſic enim v. c. habet. optimè. vulg. *hoſtibus.* in qua Eumenis Vita cap. 5. ex v. c. ita etiam legend. puto: *Tenuit autem ſe uno loco, quamdiu hiems fuit, quod caſtra ſubſidio habere non poterat.* vulg. ibi peſſimè. ita verò & Virg. illud è lib. 4. Georgic. defendi poteſt ut in v. q. exſtat. ℣. 261

Frigidus ut quondam ſilvas immurmurat auſter.

ubi vulg. *ſilvis.* Aut, certè *uno*, antiq. dictum erit, pro *uni.* vide *uno.* III: 422

Sublime. ut apud Virgil. *immane*, id eſt, *immaniter.* II: 206. &c.

Sublimus. Priſc. & Non: Salluſt. libr. 3. *ſublima nebula cælum obſcurabat.* ſic *ſterilus*, *bilarus.* &c. I: 341

Suboles. non ſcribo quidem ὀρθογραφικῶς; reprimere tamen, meq. continere non potui, quin teſtatum relinquerem, hanc vocem vulg. perperam ſcribi, *ſoboles*, cùm in v. libris Lucret. Cic. Virg. Horat. Prudent. Pandectis Flor. Feſto, aliorum denique omnium, *ſuboles* ſcriptum invenerim: eamque ſcripturam, notatio ipſa confirmat planiſſimè, nam ab *oleſcere* & *ſub* deductum eſt, teſte Feſto: ut *adoleſcens*, ab *ad* & *oleſcere*, id eſt, creſcere. neque ignoro harum literarum *v* & *o* magnam inter ſe olim fuiſſe permutationem: adeo ut omnino conſentiam illis, qui *aduleſcens* veteres etiam ſcripſiſſe adfirmant, libris vet. ei liquidò atteſtantibus: verùm in *ſuboles* non idem admiſero, cùm veteres libri conſtanter repugnent. Hæc leptologemata ſunt, & ab aliis etiam admonita. ſcio. ſed ſæpe cogimur & minuta & ab aliis tractata inculcare. IV: 1226. &c.

Subortus, *us:* ut *exortus* &c. eleganter *ſuboriri*, in alterius locum oriri & exiſtere. V: 304

Subsidere verbum eſt ad res Veneris pertinens. femina dicitur *ſubſidere.* alibi *ſuccumbere.* Horat. Epod. 16.

O 3 Mi-

Mirus amor, juvet & tigres ſubſidere cervis:

in quo carmine ex vet. lib. leg. puto:

Eamus omnes execrata civitas.

& mox:

Nos manet oceanus circumvagus arva beata:

Petamus arva &c. —

circumvagus arva, venuſtè & antiquè, ſolent veteres verbi caſum ſæpe cognato adjungere nomini. & oceani certam partem indicare ſine dubio voluit poëta, nempe mare Atlanticum, ubi fortunatæ ſunt inſulæ. IV: 1192. V: 494

Substernere, efficere, ſubicere, comparare. tralatè. Arnob. lib. 5. *Deinde ſi illi rationis alicujus, & religionis metu myſteria illa convolvere tenebroſa obſcuritate noluerunt; quantum nobis audaciæ eſt, ut quod illi noluerunt, vos velitis intelligere; vos ſcire & cunctorum ſubſternere nationi, quod illi fruſtra verbis minus verum ſignificantib. occuluerunt.* Atq. ita ferè Valerius, etſi hoc turpius quid ſonet: *Spernis quos genuiſti, nubis effera. teſtamenti ordinem violenti animo confundis: neque erubeſcis ei totum patrimonium addicere, cujus pollincto jam corpori marcidam ſenectutem tuam ſubſtraviſti. ergo dum ſic te geris* &c. eleganter ibi *pollinctum* corpus ſenis jam decrepiti & capularis dixit: ſic enim eum locum ex v. c. non male, uti puto, reſtitui. nam vulgatum *polluto* quid ad rem? neq. enim inquinatum & pollutum corpus, ſed ſenectute confectum, & jam prope ſepultum dixit gravis ille ſcriptor. & ut totum illud de Septicia judicium Auguſti reſtituam, ſic lego ex v. c. *Publicio ſeni admodum nuper teſtamento etiam utroque præterito. A quibus aditus Divus Auguſtus & nuptias mulieris, & ſuprema judicia improba, quia non creandorum liberorum cauſſa conjugium intercesserat, virum retinere vetuit.* II: 22

Subtexere. ita & Virgil. 3. Æneid. *fumo cœlum ſubtexere.* V: 467. VI: 481

Subus, ſuibus. ita loquebantur ſæpe antiqui, ut & *bubus*. Varro lib. 1. de Re Ruſt. cap. 38. *Ego arbitror præſtare ex aviariis turdorum ac merularum quod non ſolum ad agrum utile, ſed etiam ad cibum, ita bubus, ac ſubus ut fiant pingues.* ita ibi leg. ex v. c. Feſtus etiam *Suculas*, hac voce eſt uſus. VI: 974. 977

Succedere, adſcendere. ut Virg. de oppido in monte poſito:

— *Parvæ ſuccedimus urbi.* III: 608. VI: 401

Succedere soli, pro ſubire, & ſuccedere ſub ſolem. V: 287

Succidere artus. Ita Plautus, Curc. 2: 3: 30

Tenebræ oboriuntur, genuæ ſuccidunt. III: 157

Succinctæ canibus scyllæ. ita & Cicer. Virgil. id imitatus eſt. V: 890

Succurrere; ut alibi, *ſuccedere ſoli.* V: 764

Sudare, pereleganter; pro humidum eſſe. ita alibi, *Flere*. I: 176. &c.

Sudor, pro humore. II: 464. &c.

Suere, triſyll. ut alibi *Suadere*, tetraſyll. I: 55. &c.

Sufficere, ſubminiſtrare. III: 704

Sulcus, pro natura muliebri. alibi *arvum* vocat, à Varrone in l. de Re Ruſt. *porca* eodem ſignificatu dicitur, Ariſtoph. χοῖρος, Arnob. *ſcrobs*. hinc τὸ μόριον *viri vomerem* vocat. IV: 1267

Sumere verbum eſt dialecticorum, ut apud Græcos λαμβάνειν. id valet, ponere aliquid ſibi, & ſuo quaſi jure tanquam firmum certumque ſumere. noſter etiam *arripere* dixit. Cicero etiam ſuas illinc *ſumptiones*, id eſt, λήμματα conformavit. II: 547

Summa. pro numero certo. II: 339

Summa, τὸ πᾶν: quæ & *ſumma ſummarum*. I: 952. &c.

Summa rerum. τὸ πᾶν. I: 757. &c.

Summa rerum, ac minima; pro ſumma ſeu maxima re & minima. quo loquendi modo ſæpe utuntur Græci. I: 613

Summa summæ. VI: 679

Summa summarum. aliàs fere *ſummam* vocat. V: 362

Summatus, ut *primatus*: *ſummares*, *principes*. Fulgent. V: 1141

Summe, valde. IV: 255

Summittere, efferre, producere, procreare. quod certe annotatione fuit dignum. in quo *Sub* idem valet quod in *Subjectare* alibi diximus. ita Virg. Eclog. 10: 74

Quantum vere novo viridis ſe ſubicit alnus.

i. creſcit. I: 8. 194. &c.

Summum corporis. ita vocat τὰ ἔξωθεν τοῦ σώματος, id eſt extremitatem corporis. ſi mo-

modò vera ſit ſcriptura. nam aliâs *ſummum corpus* ſemper dicit: atque etiam legend. puto. Tacitus tamen *ſumma navium* dixit. VI: 1162

SUPER, deſuper. V: 502

SUPER dicebant veteres, pro *ſuperus*, multaque alia ſimilia. Cato de Re Ruſt. *Prato ſicco decedat, ubi prius florere cœperit; prato irriguo, ubi ſuper inferque vicinus permittit, tum decedito* &c. Similiter dixiſſe eos *exter*, *infer*, monuit Priſc. Cato: *Citer agnus alligatus ad ſacra erit. exter* etiam dicitur à Papiniano noſtro. & contra, Ciceroni de Rep. lib. 6. *proſperus*. quod antiquitatis ignari circumſcribere non ſunt veriti, repugnantibus lib. vet. & Priſc. *Deinde*, inquit Cic. de Somn. 9. *eſt hominum generi proſperus & ſalutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis.* Atque ita Titus, *ſuper ignis*, *ſuperus*, *cœleſtis*. poſſet etiam *ſuper* adverbialiter accipi, Græco more, ut alibi *infra locus* & *ſurſum loca*. I: 650. V: 662

SUPER pro *ſupra* dandi caſum aliquando habet, vide *Præpoſitio*.

SUPER ÆQUORA. ita Enn. apud Macrob. lib. 6. cap. 1. *navis labitur ſuper undas*. V: 1226. VI: 107

SUPERA pro ſuprà, vet. uſitata particula. Cicer. Arato:

> *Jam ſuperà cernes Arcti caput eſſe minoris.*

Cic. Arato:

> *Sed tantum ſupera terras ſemper tenet ille*
> *Curriculum.*

ſic & Virg. locutum puto lib. 4. Georg.

> *Illis ira modum ſupera eſt.* &c. —

cùm in v. libris fere ſit, *ſuper eſt*. vulg. *ſupra*. I: 430. &c.

SUPERANTEACTA ÆTAS. III: 672

SUPERANTIOR, pro ſuperior. ita *viridans*, *varians* &c. vide *participia*. V: 395

SUPERARE, abundare. V: 804

SUPERARE, ſupereſſe. II: 750

SUPERBA SCEPTRA. ſuperbus, auguſtus. magnificus. ita Virg. alii ſæpiſſ. V: 1136. &c.

SUPERSTITIO. Lucret. videtur dicta quod *ſuperſtet*, vel *ſuperinſtet* mortalib. horribili aſpectu, ſive ut Serv. in l. 8. Æneid. *ſuperſtitio & ſuperſtantium rerum, id eſt, cœleſtium & divinarum, quæ ſuper nos ſtant, inanis & ſuperfluus timor.* I: 64. &c.

SUPERINSIDERE, ut alibi *ſuperanteactum*. III: 914

SUPERIRE, obſervatione dignum verbum. III: 1044

SUPPEDITARE, abſolutè, *ſuppetere*, ut *præcipitare* &c. II: 1137

SURGERE, oriri. ita Virg. ſæpiſſ. VI: 476

SURPERE, pro ſurripere, adimere, minuere. verbum hoc ita contractum in uſu veteribus videtur fuiſſe, ut *ſurgo* pro *ſurrigo*. utitur Horat. 4: od. 13: 20

> *Quæ me ſurpuerat mihi.*

& alibi, 2. Sat. 283

> *Unum me ſurpite morti.*

ſurpere motus. pro adimere. Sic *præbere* ſemper ferè dicitur. Plautus tamen uſus eſt *prœhibere* in Pſeud. Cujus mentio verbi facit ut locum Cic. purgem de ſignis: *Tamen tum ſe in illo conventu c. r. dare, donare, dicare, conſecrare Jo. o. m. teſtemque ipſum Jovem ſuæ voluntatis ac religionis perhibere.* ita v. c. opt. vulg. *adhibere*. & in Ulp. tit. 20. teſtimonium *perhibetote*, leg. puto. vulg. *præbitote*. II: 314

SURSUM LOCA, Græc. id eſt editiora loca, ut Virg. l. 1. 202

> *Ignari ſumus ante malorum.*

& hìc *infra locus*. vide & *ſuper*. VI: 467

SUSPENSUS, levis. ut apud Terent. *ſuſpenſo gradu*. Virg. 1. Georgic. 68

> *Arcturum tenui ſat erit ſuſpendere ſulco.*

III: 197. V: 1068. VI: 1126

SUSTOLLERE. Catull. de nuptiis Pelei, 64: 210

> *Dulcia nec mœſto ſuſtollere ſigna parenti.*

IV: 904

SUUS οἰκεῖος. ut vul. dicimus, pro *proprius*. *ſua* lux *notho* lumini ἀντίθεται. Ter. Eunuch. 2: 2: 34

> *Viden os ſuum, & cibus quid faciat alienus?*

ita eum locum leg. eſſe didici ab homine incredibili antiquitatis ſcientia inſigni & ad veterum monumenta inſtauranda nato Dn. Karolo Langio. nam vel *os*, vel *oſſum*, quod editum eſt, quid aliud quam riſum movet? V: 768

SYNCOPE. video veteres nomina multa mutilaſſe; integra tamen ſcripſiſſe, ſi fides habenda eſt vet. lib. ut hic *copulata*, *ſingulariter*, *univerſus*. apud Horat. *periculo* &c. & apud Virgil. *oraculum*. Enn. *aſpera*: &c. VI: 1086

T.

T.

TABES NIMBORUM, id eſt nimbi noxii & peſtiferi, elegante periphraſi. *tabes* veteribus nihil aliud quam peſtis valet ſeu perniciès. vide Feſtum. I: 807

TABIFICI RADII SOLIS, liquefacientes, τηκτικοὶ. Cic. lib. 2. de Nat. Deor. 26. *Itaque & aquilonibus, reliquiſque frigoribus adjectis, durescit humor; & idem viciſſim mollitur, tepefactus, & tabeſcit calore.* ubi tamen & pro *abſumi* poteſt accipi. ita *nivem tabidam* dixit Livius. & *ſal tabeſcere* Cato. hæc vulgo ignorantur. VI: 737

TABO. apud Cic. antiquus poëta:

Saxa ſpargens tabo, ſanie & ſanguine atro.

III: 661

TACTILE. ſic alibi *ſenſile*, *inſenſile*, V: 152

TACTUS ANIMI, pro *animo*, more Lucretiano. ponebant enim philoſophi tactum exteriorem, & interiorem, corporis & animi. Cic. in Lucill. 4. Acad. 20. *Quid de tactu & eo quidem quem philoſophi interiorem vocant, aut doloris aut voluptatis, in quo Cyrenaici ſolo putant veri eſſe judicium, quia ſentiatur.* ita alibi *tactus corporis*, *ſenſus animi*, *motus animi*, pro animo. II: 1446

TACTUS CORPORIS, pro corpore, ut *tactus animi*, pro animo. ſic *vires agricolarum* noſter poëta, & *vires aceti* Virgil. dixerunt. uſitatiſſimum eſt, & Virg. & noſtro poetæ, tali uti periphraſi, & Ennio principi: p. 40

Olli reſpondet ſuavis ſonus Egeriaï.

vide *Periphraſis.* IV: 1276

TAMEN f. pro tandem. Salluſt. lib. 3. *Nam qui errare conati fuerant, icti ſæpe ferramentis navium: tamen, aut vulnerati à ſuis, aut adflicti undarum vi, mulcato fedè corpore, poſtremo periere.* apud Marcel. *Tamen.* II: 541. 858. III: 552

TANDEM videtur poſitum pro *ſemper*, etſi apud alios id nondum legerim. idque propterea obſervatu digniſſimum eſt. V: 138

TANTUM QVOD. vetus particula vulgo non ſatis nota. valet idem quod commodum: ut, *commodum diſceſſerat*, *cum* adeſt. Cic. l. 15. ad Att. *Hæc cum ſcriberem tantum quod exiſtimabam ad te orationem eſſe perlatam* &c. & l. 7. ep. ad Fab. Gallum, 23. *Tantum quod ex Arpinati veneram, cum mihi à te litteræ redditæ ſunt.* ſic ibi v. l. habent, teſte Victorio & accuratè explicante. Uſus eſt & Vellejus l. 2. & rurſus Cic. in Verr. 3: 116. pro *niſi*, *Ut quivis intelligere poſſit, unius hominis cauſſa conſcriptum eſſe: tantum quod hominem non nominat.* Hic autem ponitur pro *ut tantum*, *ut ſolum.* II: 220

TEGMEN CÆLI. ut *amictus* alibi. utitur Cic. Arato. I: 988. II: 661

TEGMEN CORPORIS, pro corpore: *tegmine ſaxi.* Cic. III: 575. 576, 603

TELA, æ, pro ipſo inſtrumento textorio, cui accommodatur tela: uſus eſt hic poëta & Tibull. lib. 1. eleg. 7: 85

Firmaque conductis adnectit licia telis.

Vitruv. noſtri poëtæ perſtudioſus l. 10. cap. 1. *Attendamus enim*, &c. *quemadmodum telarum organicis adminiſtrationib.* &c. ubi hunc locum expreſſit Ulpian. c. 70. initio, De legat. lib. 3. *Lanæ appellationem eatenus extendi placet, quoad ad telam perveniſſet.* & cap. 22. De auro & argent. *Quod in tela eſt, nondum detextum: contextum appellatur.* *Telum* vult Lamb. contra hæc omnia, & vet. libr. V: 1340

TELA DIEI. ſic venuſtè & doctè appellat radios ſolis, quod iis tamquam telis in omnes partes projectis, orbis terrarum compleatur & illuſtretur. imitatus Auſonius Moſella:

Luciferæque pavent letalia tela diei.

Hinc & Apollo à Græcis ἑκηβόλος & ἑκηβελέτης dicitur. ſic P. Varro *jacula ſolis* dixit:

— Cetera ſolis
Lumina, qua major jaculis radiantibus exit.

& Prudent. Cathem. hymno 2: 6

Caligo terræ ſcinditur,
Percuſſa Solis ſpiculo.

Certè radius Latine nihil eſt aliud quam haſtile, ſeu haſta ac telum, ſive ex ferro, ſive ex alia materia. item Prudentius in Hamart.

Oppoſitus quoties radiorum ſpicula nimbus &c. I: 148. II: 59

TELUM pro ſecuri, aut ſimili inſtrumento. Juriſconſulti dicunt hanc vocem eſſe πανδέκτων. ſic Homer. ὅπλα Iliad. 6. uſurpat ἀντὶ τῶν χαλκευτικῶν ἐργαλείων. V: 1265

TEMPESTAS CÆLI LIQUIDA. tempeſtas ἐκ τῶν μέσων eſt, ut *dolus*, *venenum.* IV: 170. VI: 375

TEMPESTAS FLAMMÆ. elegantiſſ. tra-

la-

lationé, ut alibi *flos flammæ.* VI: 642

Templa cæli. Ennius:

Contremuit templum magnum Jovis altitonantis. II: 1038. V: 491. 492

Templum poſuerunt veteres pro cælo, & rurſus pro quovis etiam loco, domo quavis hominum & inferorum. vide Varr. lib. 6. de Ling. Latin. hinc & contra *palatium cæli*, Ennius, & *domum cæli* noſter poſuit. vide & *Acheruſia*, ubi pro inferorum loco. & ut Virg. pro ſepulcro lib. 4: 457

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui.

Nonius, I: 121. II: 28. III: 25

Templum pro loco edito, quem intueri liceat. Varro l. 6. I: 1013. II: 8

Templum linguæ, palatum, egregia tralatione. οὐρανὸς Græc. & cælum, templum eſt. IV: 628

Templum mentis. V: 104

Templum mundi. V: 1435. 1204

Tempus, κρόταφος, pro capite (in quo veteres nonnulli animum ponebant) toto. ita & Catull. epithal. Manlii, & Virgil. 4. Æneid. in unitatis numero ſunt uſi. II: 46

Tempus horæ, tempora anni. pro hora, anno, ut alibi *punctum diei*, & alius antiquus ſcriptor, *punctum horæ.* I: 1015

Tendere cursum, augere. ita alibi *contendere.* V: 630

Tendere oculos, pro tollere & attollere ait uſum eſſe poëtam Marcellus, ſed libris omnibus repugnantibus, ejus ſcripturam in orationis ſeriem & quaſi contextum nondum admiſi. eodem tamen modo locutus eſt Aelius ille Tubero: *In atras*, inquit, *& profundiſſimas tenebras eum claudebant, ac diu poſt, ubi erat viſus ſol ardentiſſimus, repentè educebant, & adverſus ictus ſolis oppoſitum continebant, atque intendere in cælum oculos cogebant.* ita variatum etiam apud Ovid. initio lib. 15. Metam. 38

Squalidus ad ſuperos tollens reus ora, manuſque.

ita fere v. l. vulg. *tendens.* I: 67

Tendit se mundi plaga, porrigit. V: 482

Tener aer. cur *tener* dicatur aër, digladiantur multi I: 208. II: 145

Tenerascere, *tenerum eſſe*, inquit Nonius. III: 766

Tenere, eſſe, habitare, incolere, abſolute. IV: 648. VI: 862

Tenere, pro *impedire.* I: 1008

Tenere, pro *continere*, id eſt, conſervare incolumem. antiq. Feſt. *ventabant.* II: 530. III: 831

Tenor stomachi, conſuetudo, natura. IV: 636

Tenorem unum servare. *uno tenore* dicunt ſæpiſſ. veteres. V: 509

Tenta tympana. Non. II: 618

Tentare. elegantiſſ. uſus eſt poëta, pro eo quod Græc. ψηλαφᾶν nos *taſten*, Romani etiam *contrectare* dicunt. ſic & Cic. *pede aquam tentare* dixit lib. 1. de Legib. *hoc admonui, ne quis ſcripturam tentet.* IV: 235

Tentari morbo, periculo, dolore. ita omnes veteres loquuntur, venuſte. I: 531. &c.

Tenues aures, non hebetes, aut obtuſæ, ſed ſubtiles, acutæ. IV: 910

Tergere, ut alibi *pertergere*, *tranſire*, *radere.* VI: 118

Tergeri, deradi, decedere. ſic alibi *abſtergere* dixit. IV: 70

Tergum terræ, extremitas. ita Prud.

Ut terga calcans equoris
Siccis mearet pedibus.

& alibi in Sym. 2. Pr. ỳ. 43

Tergum pertumidum freti.

ut *gremium* pro *medio.* ita *ſupercilium* Virgil. VI: 539

Terminus heret, *utque alte terminus hereat*, id eſt, quamdiu res creatæ permanere poſſint, quando mutari & interire debeant, reſque ad extremum creſcendi finem pervenerint. tralatio ducta à *terminis* ſeu *ſtipitibus*, ut ait Tibullus 1. eleg. *in agris deſertis*, id eſt, defixis, deſtitutis, deſtinatis, depactis. Virgil. 4. 614. ubi Dido de Jovis mandato:

Et ſi fata Jovis poſcunt, hic terminus heret.

id eſt, inquit Servius, *ſi hoc immutabile. herere* enim contrarium eſt τῷ *moveri.* I: 78. V: 91

Terræ. ita ſæpe numero multitudinis vocat poëta orbem terrarum, ſeu terram ipſam, atque ita veteres omnes ſæpè ſunt locuti. II: 256. &c.

Terræ italiæ. *terra Italia* dicunt veteres perſæpe. Calliſtratus IC: *Epiſtula*, inquit,

D. Trajani ita cavetur, ut extra terram Italiam decem annis relegentur. ita ſæpe Agellius. ut, verbi gratia lib. I. cap. I. *Cetera quoque ſtadia in terra Græcia*, &c. ſic enim ex vet. cod. ibi reſtitui. Ennius etiam apud Varronem lib. 4. *terra Græcia* dixit: ſic enim lego. Hæc etſi vera ſint ac certa, non ideo tamen negandum eſt hoc loquendi genus eſſe Latinum: *terræ Italiæ, terras Ægypti, terrarum Græciæ*, &c. pro regionibus Ægypti, ſeu regione. ſic ipſe Titus locutus eſt. dixit *terrarum Italiæ*, quod tamen ab aliis, invitis libris vet. immutatum eſt in *terrai*. ſic idem dixit *terræ Ægypti*, & Silius *terras Siciliæ* lib. 14. Virgil. autem imitatus hunc de Sicilia & Ætna poëtæ noſtri locum, ſimili modo dixit lib. 3: 396

Has autem terras, Italique hanc litoris oram
Proxima quæ noſtri perfunditur æquoris æſtu,
Effuge.

Nihil ergo mutandum. I: 722. VI: 713.

TERRIFICUS. ut *lætificus*. II: 632

TERRIFICARE pro *terrere* dixit, ut *magnificare*, &c. Virg. lib. 4. Æneid. 210

— Cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos. I: 134. IV: 38.

TERRIGENAS vocat primos homines. ſic *Grajugena*. V: 1410. 1426

TETER, turpis. Horat. lib. I. Serm. 3: 107.

Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Cauſſa.

ſic ibi v. l. vulg. *deterr.* & Satyr. 5: 7:

Hic ego propter aquam, quod erat deterrima.

Sic vet. lib. formis manibuſque deſcripti. contrà apud Prudent. lib. I. in Symmach.

Monet ut deterrimus error.

Sic tres vet. libri, rectius quàm ut in vulg. *teterrimus*. in eadem ſatyr. I: 21. *Mænius abſentem Nonium*, leg. ex v. cod. nam *Nævius* ut vulg. repugnat verſuum rationi. ibidem ex v. l. interpuncta ſunt hæc. ℣. 29.

Iracundior eſt paullo minus aptus, acutis
Naribus horum hominum rideri poſſit, eò quòd
Ruſticiùs tonſo toga defluit. II: 421

TETULI, antiqu. ſic & antiquo & ſimplici ſermone Tityrus videtur dixiſſe. Ecl. I: 25

Verùm hæc tantum alias inter caput extulit urbes,

pro *effert*. VI: 672

TEXTA FERREA, opus ſeu res ex ferro contexta, confecta. Catul. 64: 10

Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.

Prudent. Romano:

— inque texta pontis ſubditi
Fundit vaporum flumen.

& Vincentio:

Funale textum conſerit.

Attius Nyctegreſia:

Scindit aurea laterum texta
Volcanus vorax.

ſic legendum puto apud Nonium *textus*. VI: 995. 1052

TEXTURA. idem vocat ſtatim *textus*. vide *poſitura*. IV: 661.

THALASSINA VESTIS. Plaut. Milite X: 4: 4: 43.

Palliolum habeas ferrugineum: nam is color thalaſſicus. IV: 1121.

THRACE. Græco more θρᾴκη. hinc Horat. *Thraca*. vulgo dicitur *Thracia*. ita *Samothraca, Samothracia*: & Catul. *Samothrace*. veteres etiam *Thræciam* vocarunt. Nepos in vita Chabriæ cap. 3. *Itaque Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thræcia, Timotheus Lesbo, Chares Sigaeo.* ita vet. cod. ibi. in quo etiam paullò pôſt ita ſcriptum erat, ubi de morte Chabriæ: *Hinc refugere cùm poſſet, ſi ſe in mare dejeciſſet, quòd ſuberat claſſis Athenienſium, quæ exciperet natantis, perire maluit*, &c. multo melius quàm in vulgatis. idem in Miltiade cap. I. *Namque tum Thræces eas regiones tenebant.* ſic vet. cod. & in Alcibiade cap. 9. *At Alcibiades*, &c. *penitus in Thræciam ſe ſupra Propontidem abdidit.* & mox: *Nam Thræces poſtquam.* ſic & alibi idem locutus eſt. ſed omnia mendoſa vulgo; de quibus alias fortaſſe. V: 30

THYRSO PERCUSSUS. admirabilis hæc eſt migratio. olim thyrſo percuſſi à Libero Patre, furore Bacchi ſtatim rapiebantur: eos Græc. θυρσοπλῆγας, ναρθακιῶντας, & quia νάρθηξ ſeu thyrſus hedera ab extrema parte obducta erat, κισσοπλήκτους vocant. hinc Lucret. ſe quaſi thyrſo ictum & furore quodam poëtico percitum ait rapi ad immortale nomen ſibi comparandum. furor autem ſeu ἐνθουσιασμὸς quidam in poëta neceſſarius eſt, auctore Platone in Apolog. Ad hunc Lucretii thyrſum ſeu ἐνθουσιασμὸν alluſiſſe videri poteſt Papin. eo verſiculo:

Et docti furor arduus Lucreti.

De iis via Ovid. 3. Metamorph. 666.

Ipſe

Ipſe (Sc. *Bacchus*) *racemiferis frontem circumdatus uvis*
Pampineis agitat velatam frondibus haſtam.
Exiluere (ſic vet. lib.) *viri, ſive hoc inſania fecit,*
Sive timor, &c.

Ejus ictus metuebant olim graviter ob furorem. Prudentius, ubi de Romano martyre 10: 278
Injecit atram territis formidinem,
Ut fulmen æris, ceu Tonantis, horreant:
Tremant venenum ſibilantis Gorgonæ:
Putent ephebum (ſeu ut vet. q. *ephibum*) *poſt triumphos Indicos*
Ferire thyrſo poſſe, cùm ſit ebrius.

huc facit elegantiſſimus locus, qui eſt in epiſtola Juliani Imperatoris ad Jamblichum: *Ἐπεὶ δ' αὐτὸς ἡμῖν τοῦ μέλους τὸ ἐνδόσιμον μνηστεύεις, καὶ οἷον ῥάβδῳ ἑρμοῦ κινεῖς καὶ διεγείρεις καθεύδοντας. φέρε σοὶ καθάπερ οἱ τῷ Διονύσῳ τὸν θύασον κρούσαντι πρὸς τὴν χορείαν, ἄνετοι φέρονται, οὕτω καὶ ἡμεῖς τῷ σῷ πλήκτρῳ τὸ εἰκὸς αὐτηχήσωμεν, ὥσπερ οἱ τῷ χοροστάτῃ πρὸς τὸ ἀνάκλημα τοῦ ῥυθμοῦ συνομαρτοῦντες.* I: 992.

Tibi parelcon ut *ſibi*. II: 1037. IV: 33

Timefactus, ut *terrefactus*. rarum eſt hoc verbum, egregium tamen. Pacuvius Periboea apud Nonium:
Triplici pertimefactus mœrore animus incertè errans vagat.

D. Brutus Ciceroni lib. 11. epiſt. 20. *Nam de tuo periculo, crede mihi, jactatione verborum, & denuntiatione periculi, ſperare eos, te pertimefacto, adoleſcente impulſo, poſſe magna conſequi præmia.* ſic ibi vet. lib. habent, ut indicavit primus Victorius, & ipſe inſpexi, ut mirer eum locum hactenus depravatum manere: vul. enim, *te perterrefacto:* raritas verbi ſcilicet quoſdam movit: verùm cùm & Titus noſter ita ſit locutus, quem tamen Marullus etiam vitiaverat, & ipſe Pacuvius, de Cicerone ambigi non debet ampliùs. II: 44

Tinguere. ſic aliquando ſcripſi ex vet. lib. conſentientibus Grammaticis. Priſc. lib. 10. *Tinguo vel tingo tinxi. ſic unguo vel ungo.* ita apud Horat. in vet. c. vidi lib. 3. od. 23: 12
Pontificum ſecurim cervice tinguet.

ubi etiam ſcriptum erat. ℣. 19
Mollivit averſos penates.

Prudent. de Caſſiano:
Tinguant magiſtri, &c.

& Romano:
Scalpella tinguit, &c.

& Hippolyto:
Tinguere juſtorum, &c.

de Petro, & Paulo Apoſtolis:
Supernè tinguet undas.

& Hamartig. prologo:
Cæde tinguit impia.

ſic ubique vet. cod. quæ nolim perduci. vide & *urgueo*. I: 933. 937. 946. IV; 9. 22

Tinguere loca lumine, illuſtrare, ut *rigare*, *inrigare*, & *continguere* alibi. VI: 172

Titillare. ita eleganter expreſſit Epicuri *γαργαλισμόν*. Athenæus lib. 12. *καὶ ἵνα μὴ τοὺς καταιγισμοὺς λέγω, καὶ τὰ ἐπεντρώματα, ἅπερ πολλάκις προφέρεται ὁ Ἐπίκουρος, καὶ τοὺς γαργαλισμοὺς, καὶ τὰ νύγματα.* ita enim ibi legendum eſt. verbum illud Lucretianum Cicero diligenter in his rebus retinuit. *lædere*, ſeu *læſiones* vocat *ἐπεντρώματα*. II: 429

Tmesi utitur poëta plurimis locis, imitatus Ennium, & maximè Lucilium, de quo illud Auſonii obſervatione dignum.
Reſciſſo diſce componere nomine verſum:
Lucilii vatis ſic imitator eris.

Tollens. videtur abſolutè poſitum, quaſi ſuperans, præſtans. etſi mendi arguatur locus. VI: 236

Tollere oculos contra. expreſſit, ni fallor, Græc. *ἀνταίρειν*, quod verbum eſt pugilum manus tollentium, ac ſurgentium in adverſarios: etſi de oculis noſter, Græci ferè de manibus intelligant. I: 67

Tonare tympana. ita Varro:
Tibi tympana non inani ſonitu Matris deûm tonimus.

ubi Nonius, *tonimus*, inquit, *poſitum, ſonamus cum modo, à tono.* frigide ut puto. etſi Phrygios modos ſervaſſe eos non ignorem. nam Catull. ait 63: 21
Ubi cymbalum ſonat vox, ubi tympana reboant.

ibi fort. leg. *cymbalo inſonat vox*. II: 618

Tondere, carpere herbas. ut capellæ, oves, &c. tralatione perdulci. remotius, egregiè tamen Cic. Tuſcul.
Conſiliis noſtris laus eſt attonſa Laconum.

II: 317. 659

Tonitralia templa cæli, id eſt, cælum in quo tonitrua fiunt. admirabile nomen. reiciant hoc alii, ego a libris veteribus non recedo: nec indignum Lucretio verbum. I: 1098

Tonitrus pro tonitru. Plaut. Amphit.

 Stre-

Strepitus, *crepitus*, *ſonitus*, *tonitrus*. Nonius. VI: 163

TONSÆ, remi. II: 554

TORMENTA ÆTATIS, ut *injuriæ cæli*. V: 318

TORNUS, AD TORNUM. ſic vocat poëta ſtructuram rotundam. ita Vitruvius lib. 9. *Circum eorum cardinum oculos, tanquam circum centra ut in torno perfecit, qui Græcè poli nominantur, per quos pervolitat ſempiternò cælum.* Heſych. τόρνος, ἐργαλεῖον τεκτονικὸν, ᾧ τὰ στρογγύλα σχήματα περιγράφεται. IV: 362

TORPEDO CURARUM, mora. curæ te torpedine ſua quaſi infixæ, & inherentes exedunt. III: 1005.

TORQUERI NECE, pro jam ſentire mortem, ac illi vicinum eſſe. eleganti tralatione & Epicureo congruente. vide & *tortari*. IV: 549

TORRERE ad animum tralatum. Arnobius lib. 3. extremo: *Omniaque hæc mala, quibus uror, terreor, vexor, veſtri numinis averruncare clementia.* ita leg. puto. vulg. *terreor*. Catull. ad Mallium. 36: 14

Nam mihi quàm dederit duplex Amathuntia curam
Scitis, & in quo me torruerit genere.

ſic ibi legendum puto cum doctiſſimo Turnebo. vulg. *corruerit*. in quo genere, id eſt, quemadmodum, quod nove dictum eſt. vide & hîc *Quod genus*. III: 1032

TORRESCERE, torreri, uri. III: 903

TORTARE, torquere. Pompon:

Et ubi inſilui in cocleatum equuleum, ibi tolutim tortor. Pacuvius item *tortum* pro *tormento* dixit. III: 661

TOTUM, τὸ πᾶν, *omne* aliâs vocat. II: 89

TRACTARE VITAM, trahere, ducere. V: 930

TRACTARI, dilaniari, à traho. ut *raptari* à *rapio*, *vexari*, &c. Ovid. lib. 13. Metamorph. 410: ut in v. lib. exſtat pereleganter:

— tractata comis antiſtita Phœbi
Non profecturas, &c.

de iis verbis in Agel. verbum *tractandi* in hac notione rarum & inſigne eſt. III: 902

TRACTUS ÆVI, intervallum & longitudo temporis, ac vitæ. *trahere* enim & *extrahere tempus* veteres dixiſſe certum eſt. atque ita cùm *tractus* ferè ſit longa rerum aliarum extenſio, etiam ad tempus id retulit novitate quadam inſigni. I: 1003

TRACTUS CORPORIS. f. pro corpore, quod profectò mire dictum eſſet. ſed vide *tactus*. venuſte etiam dixit Cornelius Nepos in vita Miltiadis cap. 5. *Namque arbores multis locis erant raræ: hoc conſilio ut & montium altitudine tegerentur, & arborum tractu equitatus hoſtium impediretur, ne multitudine clauderentur. tractum arborum* vocat ductum & ſitum ac propagationem longiorem. & quia hæc attulimus, libet politiſſimi illius ſcriptoris Vitam imperatoris præſtantiſſimi aliquot maculis inquinatam vindicare. lego ergo cap. 2. *Neque eo ſecius Athenienſibus, à quibus erat profectus, officia præſtabat. Quibus rebus*, &c. peſſimè ibi vulgo & inepte. mox: *Hîc cum crebri afferrent nuntii*, &c. &: *ne à fortuna datam*, &c. &: *Cujus ratio etſi non valuit; tamen magnoperè eſt laudanda*, &c. & mox: *Phydippumque curſorem ejus generis qui hemerodromoe vocantur.* De *hemerodromis*, qui etiam δρομοκήρυκες dicebantur, deo volente dicemus in Commentariis de Rep. Athenienſium. Græc. ἡμεροδρόμοι dicuntur. vulg. ibi *hemerodromi*: ſed male. cenſuerunt Romani eam Græc. diphthongon etiam extremam ita ſæpe ſua *œ* reddere; ſic recte in Feſt. ſcriptum exſtat, *Demoe*, δῆμοι. ita nos apud Cic. 6. Verr. in commentariis illis noſtris reſtituimus, *Canephoroe ipſæ vocabantur*: & ibid. *Canephoros*. vulg. *Canephoræ*, &, *Canephoras*, ſimiliter apud Plaut. Caſina in prologo:

Clerumenœ vocatur hæc comœdia Græcè, Latinè Sortientes.

ſic leg. puto: nam pater & filius inter ſe ſortiuntur. ſors adjuvat ſenem, verùm decipitur dolis, ut ait ibidem perioche. ſic in Terentii codice ſcribendum omnino aſſero Adelphoe Terentii, conſentientibus etiam libris calamo exaratis, quos & alii & nos inſpeximus. tribuamus quæſo aliquid antiquitati, ipſique veritati. Ut redeam autem ad Nepotem, in eadem porrò vita legendum c. 4. *utrum mœnibus defenderent, an obviam irent hoſtibus, acieque decernerent.* & mox: *ejus ergo auctoritate*. vulg. peſſime ibi. verum jam defeſſi, reliqua alii loco reſervemus. II: 207. VI: 117

TRACTUS LONGI FLAMMARUM. expreſſit eleganter Arati ῥυμοὺς, *longos temones*: διαῤῥοίας vocant vulgò. imitatus Virgil. I. Georgic. 367

Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.

ſæpe nimis familiariter Tito noſtro utitur Maro. ſimili tralatione doctiſſimus poëta vocat

cat *ſulcum* ipſum fulmen lib. 2. Æneid. 697

— tum longo limite ſulcus
Dat lucem.

ſic eum locum accipio, & hoc voluit Feſt. *Sulci*. ibi, *fulmen quoque* &c. II: 207

TRADERE, tranſicere. IV: 303. VI: 790

TRAFERRI. ita ſcribebant ſæpe veteres. Cic. libro 5. epiſt. ad Rufum: *docuerunt enim me periti homines, in his cùm omnium peritiſſimus tum mihi amiciſſimus C. Camillus, ad Voluſium traferri nomen à Valerio non potuiſſe*. ſic. v. lib. ut etiam monuit doctiſſimus Victorius. & lib. 4. ad Lentul. *Cauſſam enim frequenti ſenatu non magna varietate, magnaque invidia eorum qui à te cauſſam regiam aliò traferebant, obtinebamus.* hæc profectò mutanda non ſunt, quod hîc tentavit Marullus, in aliis ſcriptoribus alij. adferit eam ſcripturam etiam Donat. in Phorm. Silius lib. 14

Ardet & Europe nivei ſub imagine tauri
Victa Jove, ac prenſo tramittens æquora cornu. III: 516

TRAHERE pro *contrahere*, ut *minere*, &c. VI: 966

TRAICERE OCULOS. tralatio ſumpta à telis miſſilibus. *muros traicere ſagittam* dixit Livius. IV: 427

TRALATIONES GEMINATÆ SEU DIVERSÆ. Grammatici veteres vitioſum eſſe aiunt tralationes permiſcere, & in uno ambitu alienas includere tralationes: potius perſeverandum in eadem tralatione. miror unde eum canonem excuderint, cum veteres ſcriptores eum minimè ſervarint. Catull. 4: 11

— nam Cytorio in jugo
Loquente ſæpe ſibilum edidit coma. I: 6. III: 681. &c.

TRAMEARE, dixit ut *traferre*, &c. ſic & Varr. lib. 4. de Lingua Latina: *Trama quod trameat filum. denſum, genus veſtimenti, à dentibus*, &c. ſic enim ibi nos reſtituimus. ut & ibidem paullo ante *inſcitia* (apud Arnob. lib. 7. *iſicia*) *ab eo q. i. c. v. i. c. s.* eſt; *quod in e. d. n. profectum Murtatum a. m. q. e. l. fartum. Inteſtinum craſſum, Lucanicam.* hæc etſi cum aliis olim communicarim privatim, quia tamen ab iis non ſatis rectè accepta video, publicare volui. IV: 606. & f. VI. 348.

TRAMITTERE CAMPOS, tranſire. Virgil. 4: 154

Tranſmitunt curſu campos,
Macrob. II: 326

TRANARE, tranſire, tralatè, ita Cicer. Arato: IV: 178. &c.

IN TRANQUILLO. ita Ter. Eunuch. act. 5. ſcæn. 9: 8

Meo fratri gaudeo amorem eſſe omnem in tranquillo.

Lucil.

Quòdque te in tranquillum ex ſævis transferi tempeſtatibus. V: 12

TRANSPECTUS, διόρασις. vide *conjectus*. IV: 273

TRANSPICERE, ut *tralucere*, &c. IV: 272. 273

TRANSVOLARE, tralatè, ut *tranare*. IV: 563

TRAVIARE uſus videtur hoc verbo copioſiſſimus poëta, pro *tranſire*, ut *obviare* dicimus ἀπαντᾶν, & *viare*. etſi de mendo ſuſpectus ſit locus. VI: 348

TRAULIZEI, Τραυλίζει. poëta minus quiddam eſſe vult Τραυλίζειν quàm *balbutire*. illud *liſpen*, hoc *ſtamelen* dicimus Germanicè: IV: 1158

TREMERE, moveri. VI: 594

TREMOR, propriè pro *motu*. Græc. τρόμος. V: 587. &c.

TREMOR IGNIS, micatio. V: 587. 299

TREMULI IGNES SOLIS. vide Macrobium lib. 6. cap. 4. Virgil. Æn. 7: 9

Splendet tremulo ſub lumine pontus.

Ennius p. 279:

Lumine ſic tremulo terra, & cava cærula candent. IV: 406

TREMULUM JUBAR SOLIS. ita alibi *tremorem ſolis* dicit. ſic & Cic. in ſecundo Conſulatu dicit:

— claro tremulos ardore cometas. V: 696

TRIPECTORUS, pro *tripector*. ſic *unicolorus* pro *unicolor* dixit Pruden. Hamartig. 819.

Sic animas cæli de fontibus unicoloras, &c.

ita vet. cod. ibi ut alibi *verſicolorus paries*. V: 28

TRITONIS, Pallas. vide Feſt. non rectè quidam conati ſunt mutare apud eundem *Itonida*: quaſi legendum eſſet *Itonis*. vetuſtè enim *Itonida*, ut *caſſida*, &c. VI: 750

TRIVIA VIRGO. epitheto aptiſſimo ornavit Dianam poëta. nam id ſibi illa ab Jove optarat, ut eſt apud Callimach. hinc doctiſſim. Maro Æn. 4: 511

Tria virginis ora Dianæ.

& appoſitè M. Cicer. 6. Verr. *Verres temperatiſſimi, ſanctiſſimique viri monimentum, Dianæ*

ſimulacrum virginis, in ea domo collocabit, in qua ſemper meretricia lenonum flagitia. ſic in v. c. erat, rectiùs, uti puto, quàm quod editum eſt, *flagitia verſantur.* ex eod. autem cod. initio ejuſdem libri lego: *Rem vobis proponam: vos eam ſuo, non nominis pondere penditote.* hoc non dubito quin ipſe Cicer. ſcripſerit. non vult Cic. ex nomine rem & ſcelera perpendi aut ponderari; ſed ex ipſius rei ac facinorum atrocitate ac pondere. Minerva porrò *virgo* etiam dicta fuit. unde Cicer. ibidem: *Hic ornamenta Minervæ virginis in meretriciam domum tranſtulit.* I: 85

TROJUGENA, Trojanus. vide *Grajugena.* I: 465

TRUCIDAT NUBES IGNEM. ab animalibus ad inanima facta tralatio. ſic & *interficere meſſes* dixit Virg. *fragmenta panis.* Lucil. *herbas* Cic. noſter elegantiſſ. nam ignis *vivere* dicitur migratione venuſta & celebri. VI: 146

TUA SINE PARTE PERICULI. ſic doctiſſ. poëta exemplo Græc. locutus eſt eleganter. Euripid. Phœniſſ. τὸν ἐμὸν ὠδίνων πόνον, pro τὸν πόνον ἐμῶν ὠδίνων. ſic & alias ſæpe illi. *tua ſine parte periculi*, id eſt, ſine parte tui periculi: quod ad te attinet, ſine periculo. hanc phraſim Marul. hîc ſuſtulerat. alii non aſſecuti videntur. II: 6

TUDITARE. Feſt. *Tuditantes, tundentes negotium*, id eſt, agentes ſignificare ait Cincius. II. Ennius lib. 2. p. 52.

Hæc inter ſe totum tuditantes.

& Lucret. *Tuditare* nihil aliud eſſe puto, quàm propellere, protrudere, impellere. Eadem tralatione dixit alibi *procudere*, quaſi malleo impellere. nam à *tudes tuditis* (quod malleum ſignificat) *tuditare*, ut ab *eques equitis, equitare* dictum puto. II: 1142. III: 395

TUM PORRO. particula Tito perfamiliaris, ubi alterum fortaſſe abundat more veterum. *videlicet quamvis.* II: 787. &c.

TUOR, παθητικῶς. vide Priſc. IV: 362

TUOR pro *tueor.* Feſt. *Vide & contuor.* I: 301

TURBARE. abſolute. ut *mutare*, &c. Sic Virg. 6. Æneid. ℣. 800.

Turbant trepida oſtia Nili.

V: 503. 505. VI: 369

TURBARE pro errare, vagari. Donat. in Hec. 4: 4: 12

Turbent porrò quem velint.

& ipſe Lucret. mox vocat *errorem.* ſic & mox *turba* pro *navigatione.* ita accipio illud Virgil. lib. 9: 339

Impaſtus ceu plena leo per ovilia turbans.

II: 125. 126. 438

TURBO pro motu & vertigine ac circumactu elegantiſſ. uſurpatur à Caro: à Virgilio etiam ſæpe. e Græco fonte hauſit hoc noſter, ubi ῥόμβος idem ſonat. V: 505. 623. 631

TURICREMÆ ARÆ. imitatus Virgil. Æn. 453

Vidi turicremis cùm dona imponeret aris.

II: 353

TURRITUM CORPUS ELEPHANTORUM. putat vulgus arces & caſtella corporibus eorum imponi poſſe, aut ſolita eſſe. errat. turres imponebantur, quæ erant machinæ quædam, unde armati milites depugnabant, ut omnibus notum eſt. V: 1301

V.

VACEFIERI, pro vacuum reddi, fieri: ut calefieri, &c. verbum rarum. ſed multa ſunt hujuſmodi in Tito, ut veteres dicebant, gloſſemata: quæ ſtatim ſuis è ſedibus non debent ſolicitari. VI: 1003. 1015

VACESCERE. f. idem quod *vaceſieri* & iiſdem in locis. nam variat in codicibus ſcriptura.

VACILLO. hoc verbum vulgo primam habet brevem. Titus videtur produxiſſe. & certè dubium eſſe non debet, quin veteres poëtæ in verbis quibuſdam ſyllabas aliquas habuerint longas, aut breves, quibus poſteriores aliter ſint uſi. vide hîc verſus in *Sanguis, Glomus, Ferus, Britannus, Re, Pro.* Sic Plauto, Terentio, veteribus comicis, *ſuſpicio, ſuſpicioſus*, quod immutant quidam non rectè in *ſuſpectio, ſuſpectioſus*, contra libros omnes vet. *prologus, fieri*, &c. ita μέλος, ἑλώρια, &c. produxit Homer. ſic ergo in Perſio leg. ex omnibus vet. Prol. ℣. 14

Cantare credas Pegaſeium melos.

non ut ſubjecit Politianus, *nectar.* quam viam ingreſſus Lamb. & hic pro *vacillans*, ſuppoſuerat *Talipedans*: ſed hæc nimia eſt licentia. vide *taliped.* monui etiam ad oram libri, poëtam fortaſſis vacillantem feciſſe verſum, ut ſententiæ congruerent numeri, quod alias factum ſæpiſſimè. vide *Verſuum numeri.* hoc inſuper addo, in v. q. ſcriptum eſſe *vaccillans.* quod etiam recipi poteſt. ſcio enim veteres non rarò literam vel ſyllabam addidiſſe, vel ademiſſe verbis quibuſdam.

quæ

qua de re ita Quinctil. lib. I. *Tertium eſt illud vitium barbariſmi, cujus exempla vulgò ſunt plurima, ſibi etiam quiſque fingere poteſt, ut verbo cui libebit, adiciat literam, ſyllabamve, vel detrahat, aut aliam pro alia, aut eandem alio, quam rectum eſt, loco ponat. ſed quidam ferè in jactationem eruditionis ſumere illa ex poëtis ſolent; & auctores quos prælegunt, criminantur. Scire autem debet puer, hæc apud ſcriptores carminum, aut venia digna, aut etiam laude duci: potiuſque illa docendi erunt minus vulgata.* &c. at in eadem vitii geminatione *Metieo Fufetieo* dicens Ennius, poëtico jure defenditur. Ita enim dixit Ennius p. 49. pro *Metio Fufetio.* hæc equidem non ignoro, verùm cautione hîc opus eſt, ne quid temere contra v. l. & elegantiam confingamus. *Relligio, relliquus, alituum, buceriæ, reji, rellatum, repperi,* & ſimilia quædam admittam facile, ut Græc. ὅττι, &c. apud Homer. *remmotus, vaccillo, ſubbigit, reffugere, reccidere, Apulliæ,* & etiam *redducere* non item. verum ſuo quiſque hîc utatur judicio. neque enim res hæc tanti eſt, ut concertare propterea cum quoquam velim. videtur enim neſcio quid Titus hîc ſibi indulſiſſe. hinc & *cuppedo,* ſatis nove. III: 503

VACUUM INANE. mirum nec tamen otioſum epitheton. *plenum* enim ſeu *nec vacuum inane* eſt illud, quod à corpore occupatum eſt; quod etiam tum *inane* dicitur, ſed, ut dixi, *non-vacuum*, quod à Virgilio in Ætna dicitur *ſolidum inane*, ubi de terra loquitur:

Quod ſi ſpiſſa foret, ſolidoque inſtaret inani.

idem alibi Æn. 12: 906. noſtrum imitatus dixit.

Tum lapis ipſe viri vacuum per inane volutus.

& Prudent. Cathem.

Nec ſi vaga flamina & auræ
Vacuum per inane volantes.

idem alibi dixit *inane concavum* de gula. I: 524. II: 850

IN VACUUM CADERE, AUT FERRI. II: 1164. &c.

VADA LETI ADIRE. mori. geminata tralatione. vide *tralationes.* V: 1231

PER VADA TRANSIRE PONTUM, vado. I: 201

VAGARE, pro *vagari* dicebant antiqui. ita *auguro, opino, execro,* &c. de quibus diligentiſſime ex Capro Priſc. lib. 8. Nonius de verbo *Vago* adducit Plautum, Attium, Pacuvium, Ennium, Turpilium, Pomponium, Varronem, & multò ætate poſteriorem Serenum. quo loco Nonii ita leg. puto: *Turpilius Leucadia: Vecordi vagas inſania. Ennius Hector.* &c. mox: *Pomponius Pappo præterito: populi voluntas,* &c. ſic enim & Novius fabulæ fecit titulum, apud eundem Marcellum, *Capulum*, ubi ſic leg. *Novius Pappo præterito: dum,* &c. & quia cepi, reſtituam etiam alios indices, in verb. *genitivus caſus,* &c. lego, *à te veretur maximè Att. Gratula.* &c. & in *Collabel. Laberius, Anna Peranna: Collabell.* &c. & in *Amnem: Attius epi nauſi mache: Cum Andrum undique ſalo cinctam obtexti ſanguine, atque acernos,* &c. in *præſente: Non. Mania medica: Te volumus,* &c. ut in *Piſtillus: Nonius Mania medica, Manius, & Mania* prænomen Romanis uſitatiſſimum. Prudentius etiam hoc *vagandi* verbo in ea terminatione eſt uſus Cathem. hym. 6: 29. ut recte v. l. & vulg. q.

Liber vagat per auras
Rapido vigore ſenſus, &c.

III: 628. IV: 130

VAGOR pro *vagitu.* Enn. lib. 16. p. 112

Qui clamos oppugnantis vagare volanti.

ſic legendum puto apud Feſtum. meminit & Nonius. apud Feſt. autem ibi in verbo *Victimam* leg. *aut quæ ob hoſtis,* &c. vulg. *ad.* ſæpe *ad, ab, ob* commutarunt locum, vitio librariorum. in Feſt. *Abiiſſe*, legendum *obiiſſe*. *Ob* pro *ad* utebantur. ſic apud Priſcian. lib. 5. Trogus lib. 22. *Papiſius propter mortem Flaminicæ, Flaminio abiit.* ſic ibi leg. Et ut hanc emanſionem expenſam feramus totam Feſto, in verbo *Vindiciæ* ſic leg. opinor: *at Ser. Sulpicius nomine jam ſingulariter formato, vindiciam eſſe ait, qua de re controverſia eſt, ab eo quod vindicatur. ut in duodecim: Si vindiciam falſam tulit, rei; ſive litis arbitros tres dato. arbitriis fructi duplione damnum decidito*, vel *deciditor.* verùm lex hæc à doctiſſimis viris, mihique amiciſſimis jampridem eſt reſtituta. II: 576

VALERE, pro eſſe, ſupereſſe, eſt uſus, ut alibi *vigere.* V: 562

VALESCO. jam fere *convaleſcere* dicimus ſeu *invaleſcere.* ſic *clarare*, &c. I: 941. IV: 17

VALLUM EBURNUM. Sic appellare videtur dentes elephanti. II: 538

VAPOR pro *calore* apud optimos quoſque ſcriptores, Lucret. Varr. Virg. Horat. &c. ſæpe ponitur. Virg. Æn. lib. 5: 683

— — Lentuſque carinas
Eſt vapor.

Ho-

Horat. epod. 3: 15

Nec tantus unquam ſiderum inſedit vapor
Siticuloſæ Apuliæ.

II: 149. &c.

VAPORARE, calere, ardere. Hor. lib. 1: 16: 6. epiſt. ad Quinctium:

Sed ut veniens dextrum latus adſpiciat ſol;
Lævum diſcedens curru fugiente vaporet.

ubi ἐνεργητικῶς, pro *calfacere* poſitum. vide & *vapor*. V: 1130

VAPOS pro *vapor*. ita & *colos*, multaque dixerunt alia. Ennius dixit *clamos*. vide hîc *vagor*. & apud Varr. lib. 6. de Ling. Latin. idem Ennius: p. 82

Clamos ad cælum volvendus per æthera vagit.

ſic legend. puto. *labos* apud Salluſt. Catilin. *igitur talibus viris non labos inſolitus*, &c. ſic ex vet. cod. leg. Nævius Lycurgo. *Jam ibi nos implicat advenientis* (pro, *tes*) *timos*, *vapoſque*. ita leg. niſi quis ex doctiſſ. Junii libro malit, *timos*, *pavos*: quod & ego malim. vide Non. *vapos*, & hîc *colos*. VI: 952. 965

VARIANS, pro varius. vide *participia*. V: 823

VARIANTIA. non debet hoc verbum notari ut minus Latinum & elegans, cùm ea conformandi ratione antiquis nihil magis ſit uſitatum. hinc apud Ciceron. *negantia*, *repugnantia*, *decentia*, *profluentia*, *audientia*, *deſpitientia*, *coherentia*, *curantia*, *diſcrepantia*. Salluſt. *properantia*, *loquentia*. Attius, *faventia* apud Non. Plaut. *incogitantia*. vide & Nonium. I: 654. III: 319

VAS pro corpore. ſatis mire ac nove dictum. Horat. comparatè. Ep. 2: 54

Sincerum eſt niſi vas.

Prudentius autem eodem planè modo, pervenuſte Peri-ſteph:

Pone hoc caducum vaſculum
Compage textum terrea, &c.

quo in libro omnino leg. adſero, ubi de Romano:

Tundatur terga crebris ictibus.

ſic enim omnes vet. lib. & ratio metri idem poſtulat, namque in eo carmine præſtantiſſimus Clemens hoc ſervavit perpetuò, ut quarta ſedes haberet jambum, *Tundatur*. ſc. *Romanus terga.* Græcus eſt ſermo, ut ibidem:

Foresque primas virgo cuſtodit Fides:
Innexa crines vinculis regalibus.

Virg. Æn. 1: 593

Os humerosque deo ſimilis. Ovid. Ep. Heroid. 13: 39

Ipſa comas pectam, galea caput ille premetur. V: 138

VASUM pro *vas* dixiſſe antiquos certum eſt. Cato: *Neque mihi ædificatio, neque vaſum, neque veſtimentum*, &c. Pictor lib. 16. *Polubrum ſiniſtra manu teneto, dextera vaſum cum aqua.* Capella l. 3. *Vaſum an vas* dici debeat quæritur, &c. ſed hoc nomen per anomaliam declinatur, & erit ſingulari *vas*, genitivo *vaſis*, &c. Lucretius tamen genitivo *vaſi*, ut:

Raraque facit lateramina vaſi. VI: 232

UBERA LACTIS, pro lacte, poſitum quadam metonymia videtur. ita fere Virg. 3. Georg. 309

Quàm magis exhauſto ſpumaverat ubere mulctra,
Læta magis preſſis manabunt ubera mammis.

ſic legi debet poëtæ illius doctiſſ. locus ex v. l. vide & hic, *Quàm magis*. I: 886

UBI, relate ponitur ſæpe. Virg. 1. Æneid. 103

Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector.

ita hîc; *ubi*, id eſt, in qua re, in qua ratione, præceptis, via, philoſophia. III: 28

UBI ENIM, pro cùm enim, Græco more, ὅπου γὰρ. ita Cæcina videtur uſus in epiſtula ad Cicer. *Ubi hoc omnium patronus facis; quid me veterem tuum, nunc omnium clientem ſentire oportet?* etiam levia & minuta perſequi rariora non eſt improbandum. III: 163

VEGERE. conjectura ductus reſtitui hoc verbum Lucretio: nam ut apud Non. ita & hîc in *vigere* proximum omnino ſcriptura & notione verbum migrarat. *vigere* autem eſt abſolutum, *vegere actionem* notat. valet autem, incitare, impellere, vegetare, movere, agitare. Enn. Ambracia p. 295

Æquora ſalſa veges ingentibus ventis.

Varro ὄνος λύρας:

Quem mobilem divum lirans ſol,

Harmoge

Quadam gubernans motibus diis veget.

ita præclare nobis eum locum reddidit erúditiſſ. mihique amiciſſ. Hadr. Junius, apud Non. *diis*. Ennius apud Feſt. Metonymia:

Cum magno ſtrepitu Volcanum ventus vegetat.

Sic legen. videtur apud Nonium, *provegere*, non, ut vulg. *providere*: & in verbis Pacuvii, *provegeam gradum*. etſi *videndi* verbum etiam curare

curare interdum ſonet, & efficere, comparare. IV: 989. V: 533.

Vela Pennarum, egregiè. Aeſch. Agam. *temos pennarum* dixit, πτερύγων ἐρετμοῖς. atque ne diſſimulem, τὸ *pennarum* etiam potiùs ad remigii vocem, quæ hîc apud poëtam noſtrum eſt, referendum videtur. de quo in *Remigium*. VI: 743

Velatus colore. obſeruanda tralatio. II: 796

Velivolæ naves, quod elegantius eſt, quàm *mare velivolum*. vide Macrob. & Serv. in 1. Æneidos V: 1441

Vemens pro *vehemens*. ita hîc in vet q. c. ſcriptum admonui. ſic & apud Cic. Arato ſcribendum videtur:

— jam vero clinata eſt ungula vemens.

& in Flacco lib. 2. ep. 2. ex vet. cod. ℣ 120.

Vemens & liquidus, puroque ſimillimus amni.

ſimile quid in *Probeat* indicavimus. atque ita *prendo*, *caldum*, &c. dicebant ſæpenumerò. ſic etiam *lamna* videntur extuliſſe veteres, pro *lammina*. hanc enim ſcripturam veriorem puto, quàm quæ vulgò habetur, *lamna*, & *lamina*. quòd eam miro conſenſu cofirment chirographa. ut apud Hor. lib. 2. od. 2: 1.

Nullus argento color eſt avaris
Abditæ terris inimice lammæ
Criſpe Salluſti, &c.

ſic ibi vet. cod. Prud. lib. 1. in Symmach.

Si formam ſtatuæ lammis commiſit aënis
Lima terens.

ſic & ibi vet. c. & de Vincentio:

Igni, grabato, & lamminis
Exerceatur quæſtio.

ita ibi v. l. immo omnibus aliis, quibus ea voce utitur Clemens, conſtanter item exaratum in vet. lib. vidi. docti judicabunt, de re licet exigua. vide & de *Epiſynalœpha verſuum*. III: 153

Venæ pro arteriis, in quibus eſt motus corporum vivorum. Cicer. de Fato: *Si cui venæ ſic moventur, is habet febrim.* Perſius 3: 107.

Tange miſer venam. III: 574

Venantes pro venatoribus. ita alibi *medentes*, &c. vide *participia*. IV: 988

Venerare cælum, corrumpere, inficere. Matius pro *colore contingere* poſuit:

quos concha purpura imbuens venenavit. VI: 820

Venenum. alibi peſtem, cladem vocat, contrarium ſaluti. I: 760. &c.

Ventis profundere verba. Ἀνέμῳ διαλέγειν. ita alibi *vento captare* ſeu *raptare ſimulacra*, fruſtra, incaſſum. videndum autem an non rectiùs legi poſſit ac debeat in elegantiſſ. poëta Catullo: 70: 3.

— — Sed mulier quod dicit amanti,
In vino & rapida ſcribere oportet aqua.

Xenarch. Pentathlo: ὅρκον δ' ἐγὼ γυναικὸς εἰς οἶνον γράφω. de aqua meminerunt omnes; de vento nuſquam puto reperiri. nihil tamen mutand. temere. ego nihil aliud quam doctiores excito. IV: 929. 1090

Ventigeni crateres. ita egregiè appellat fauces illas in ſumma Ætna fumos ac nebulas & auras copioſe evomentes & expirantes: κρατῆρες enim etſi ignem ac favillas ejectent, hoc tamen maximè fit animarum ac ventorum vi & impulſu. ut multis verſibus oſtendit Maro. Etſi autem locus hic de mendo ſit ſuſpectus, Adriano tamen Turnebo adſentior libentiſſime: nam quod ab aliis evulgatum videmus, Marulli eſt. & illud, *item*, non eſſe eo loco Latine ſatis poſitum puto. Quid ſi παθητικῶς *Ventigenum* accipiamus. ut *primigenius* interdum accipi videtur; & *cæcigenus* apud noſtrum; quaſi indicaret poëta craterum originem. nam quin ex vehementia ventorum terræ motu concuſſus fuerit mons, ac diſturbatus, ſeu divulſus, & ita dirupto monte facti ſint crateres illi ſeu fauces, nemo dubitat. & eleganter exponit ibidem Maro, & noſter poëta his luculentiſſimis verſibus:

Eſt hæc ejuſdem quoque magni cauſſa tremoris
Ventus ubi, atque animæ ſubitò vis maxima quædam,
Aut extrinſecus, aut ipſa ab tellure coorta,
In loca ſe cava terraï conjecit, ibique
Speluncas inter magnas fremit ante tumultu,
Verſabundaque portatur: poſt incita cum vis
Exagitata foras erumpitur, & ſimul altam
Diffindens terram, magnum concinnat hiatum.

& hæc poſterior explicatio melior videtur. VI: 701

Ventorum vires. Vide *Vis ventorum*. I: 272

Venus pro ipſa μίξει. vide & *Res Veneris*. ſic accipi videtur iſtud Terentii, Eun. 4: 5: 6

Sine Cerere & Libero friget Venus.

nec diſſentit Donat. IV: 1101

VENUS VERIS COMES. vide Macrob. de Adonide. V: 736

VERATRUM. ait poëta *veratro* pingueſcere capellas. IV: 644

VERBERA RADIORUM. V: 1103

VERBERA VENTORUM, colliſio, concurſatio, qualem Virgil. initio Æn. deſcribit. Græci eam ἀνέμων πληγὴν vocant eleganter ἀνεμοφθορίαν. Columell. Hortulo:

Verberibus gelidis iræque obnoxia cauri.

V: 955

VERBERARE. eleganter dicit poëta pontum *verberari* ponto, & alibi aliter. vide & hìc *verbera*. Plaut. non abſimili ratione dixit in Amphit. I: I: 177. *vox aures mihi verberat.* magis mire Q. Cicero Ep. 16: 26. *Verberavi te cogitationis tacito duntaxat convitio*, &c. & Valer. ubi de neceſſitate: Itaque *Campanæ urbis qui Punicam feritatem deliciis ſuis cupide fovit, in propinquo ſitum Caſilinum modo rarum, virtute clarum perſeverantis amicitiæ pignore, impios oculos verberavit.* ita leg. puto ex v. ubi etiam ex v. cod. ita ſine dubio ſcripſiſſe Valerium puto: *Cannenſis clades adeo urbem noſtram vehementer confudit*, &c. mox: *addictorum etiam & cap.* &c. mox: *Quæ ſi per ſe adſpiciantur, aliquid roboris habeant.* &c. vulg. *contudit adjudicatorum roboris.* primum retineri poteſt. altera duo minime: nam *addictorum* multo eſt elegantius. qui ſint *addicti*, omnibus notum eſt. I: 272

VERBI CAUSSA. ita venuſtè veteres, quod vulgò ſemper *exempli cauſſa*, vel *prout*, efferunt. Cic. lib. de Fato: *Siquis verbi cauſſa, oriente canicula natus eſt, is in mari non morietur.* & aliis multis locis. idem dicit *verbi gratia.* III: 423

VERGERE, in ſacris inferorum; in ſuperorum *libare*, hoc patera recta manuque ſupina; illud inverſa & in lævam partem converſa fiebat. hinc generaliter interdum pro *fundere* vide & *invergere* apud Ovid. & Virgil. 6. Æneid. ubi Servius, & hinc Galli ſuum *verſer* habent. vide *Liquidus*. II: 212. V: 108

VERIDICUS. Attius *falſidicus*. VI: 6

VERMINA SÆVA. indicat poëta vermibus conſumptos multos ob medicinæ inſcientiam. nam vulneribus putreſcentibus vermes exiſtunt paullatim toto corpore. εὐλὰς vocant Græci. Herodot. de Cyrenenſ. regina Pheretima: ζῶσα γὰρ ἐξέζεσε εὐλέων. Tales hic deſcribit primos homines Titus. Suid. ait has εὐλὰς dictas κατὰ θηλεία. hinc recte *Vermina ſæva.* obſervatione digniſſ. quod *vermen* dixerit, pro *vermis*, ut *ſanguen* alibi. V: 995

VERRENTES ÆQUORA VENTI. hac oratione plurimum utitur Maro. ut verear ne recte ſe habeat verſus ille de Æolo, I. Æn. 47

Evertitque æquora ventis.

ac leg. potius ſit, *everritque.* ſic in Noctib. Attic. lib. 20. capite ultimo: *Namque illi omnes, & eorum maxime Græci, multa & varia lectitantes, in quas res cumque inciderent*, &c. *converrebant.* vulg. *convertebant. evertere, percellere* ſonat. doctiores conſiderabunt. ceterùm ut hoc ſtrictim admoneam, eleganter luſit Cicero in *Verris* nomen. omnes norunt. itaque leg. fortaſſe eſt apud Cic. 3. Verr. *Quibus probemus iſtum in quæſtura pecuniam publicam Cn. Carboni conſuli averriſſe.* & lib. 5. *Quid ſi doceo, non minus domum tuam averriſſe, quàm Romam miſiſſe.* ſic n. & Macer pro Tuſc. *Quos oportuit amiſſa reſtituere, hiſce etiam reliquias averrerunt.* id adducit Priſc. l. 10. V: 389. VI: 624

VERRIT VENTUS ENDOPERATOREM. id eſt, jactat. ita apud Virg. l. I: 108. cælum ac terram *verrit* ventus V: 1226

VERSABUNDUS. ut *errabundus*, qui multum verſatur, volvitur, agitatur. vide A. gellium lib. II. cap. 16. VI: 624

VERSATILE CÆLUM. ut Plin. *verſatilem molam* dixit. V: 1439

DE VERSIBUS HEROICIS, ET RARIS EORUM NUMERIS, ACCURATA EXPLICATIO.

ETSI ſæpenumerò jam promiſerim aliquam de Verſuum ratione commentationem, jamque tempus eſſe videam, me ut, fidemque meam apud omnes liberem: monitos tamen velim lectores, me non omnia quæ de verſibus, aut etiam de ſolo hoc verſuum genere dici poſſent, perſequi conſtituiſſe: ſed breviter indicare ea quæ ſunt rariora, minuſque pervulgata: De numeris dico & pedibus rarioribus, & vulgò ferè ignotis. Quod propterea mihi faciundum hic fuit, ut caſtigandi T. Lucretii ratio omnis plane pateſiat lectoribus. ſæpe enim ex numeris creata menda deprehendi, & ſuſtuli, idque non apud Titum ſolum, verùm etiam in aliis qui-

quibuſdam poëtis præſtiti, quod ne quis miretur, aut ſtatim damnet, volui hac de re quidquam accuratiùs commentari. ex quo id etiam videbunt illi qui antiquitatis cognitionem admirantur, & ad veterum regulam ſuos exigere verſus cupiunt: quàm licenter numeris uſi ſint majores. Diſcent, inquam, antiquos illos elegantiæ omnis magiſtros, de doctrina & elegantia in verſus, ut ita dicam, conferendis & illigandis, plus laboraſſe, quàm de anxia numerorum aut pedum obſervatione. videas plurimos contrà, qui, ut grammatice de numeris ac pedibus, ſyllabarumque intervallis, canones omnes curioſè ſervent, mirifice eſſe ſolicitos, adeo ut in pedum obſervatione toti occupentur: eaque re malint eruditionis & elegantiæ amittere inſignia, quàm ut verſum procuderent ſcabroſum, non bene, ut illi loquuntur, currentem aut ſonorum. Alia certè erat, uti dixi, antiquorum ratio, non quòd poëtæ eſſe nollent, aut certis ſua non adſtringerent numeris: ſed ut doctrinam magis quàm numeros in verſibus ſuis quærendam & ſpectandam oſtenderent. Idem ſpectarunt comici, verum licenter nimis & contra morem majorum, hoc eſt, Græcorum, quos imitabantur. de quibus nihil aut pauca hic dicturi ſumus, quod & veteres & recentiores multi de iis ſcripſerint, & res ſit à noſtro inſtituto alienior. hoc tamen quin moneam, continere me non potui: minimè illorum mihi probari rationem, qui contra antiquorum Grammaticorum obſervationes, quos hîc plurimum laboraſſe multos video, Scaurum, Firmianum, Probum, Baſſum, Victorinum, Terentianum, Aſperum, Rufinum, Priſcianum, &c. alios pedes aut numeros comminiſcuntur in verſibus jambicis aut trochaicis: deinde, qui, ut ſuis certis regulis aut numeris Plauti, Terentii, aut aliorum veterum arrogantius alterum adcommodent, verſus ſcripturam, quæ in vet. codicibus conſtanter exſtat, facilè immutant, & verba trajiciunt. nam alterum videtur fieri audaciùs quam par eſt: & tamen hîc tam liberè quoſdam egiſſe video, ut profiteri auſim in ſolo Terentio me poſſe oſtendere ſexcentis locis (more Romano loquor) id eſſe admiſſum. Hujus judicii noſtri rationem & veſtigia quædam in his Conlectaneis paſſim impreſſa reliquimus. accuratiorem explicationem aliud tempus, locus alius poſtulant. Nunc igitur ad noſtra. quæ prius etiam quàm proferam, monitum jam rurſus cupio lectorem, me dum rariores hos numeros & pedes inuſitatos veteres uſurpaſſe volo ac doceo, nihil tamen ſine veterum Grammaticorum auctoritate acturum, & teſtimoniis verſibuſque auctorum aliorum: ut eadem ratione & de fide noſtra lectori conſtet, & aliorum etiam ſcriptorum loca confirmentur, vel reſtituantur. Ut autem planius haec & breviter conſtitui poſſint, in tria membra hanc tractatiunculam partiri melius viſum fuit. Primum enim dicemus de iis verſibus, ubi quid videatur ex vulgari verſuum ratione deſiderari; ut ſi jambus, choreus, tribrachus, vel quis alius pes ejus intervalli reperiatur. Deinde de iis in quibus ſuperſit quidquam, nempe ubi Creticus, Palimbacchius, Moloſſus, aut alii pedes majores exſtant. Poſtremo de aliis, ut ita dicam, verſuum adfectionibus (nam Euſtathius *πάθη μέτρων* venuſtè appellat) generatim. cujuſmodi ſunt de Inciſo, Hiatu, Epiſynalœphe, Syncopa, Nova quantitatis ſeu ſyllabarum quarundam intervalli ratione: & quædam alia generis ejuſdem. Primi generis tres ſunt verſus, Miuri, Acephalœ, & Lagari.

Miurum versum vocant antiqui, in quo extremo jambus eſt loco ſpondei, aut chorei. nomen habet *παρὰ τὸ μειοῦσθαι τὴν οὐρὰν*, quod quaſi cauda illi ſit deminuta. i. e. extremitas claudicet. de quo egregiè Athenæus lib. 14. his verbis ita ait: *Ὅτι δὲ περὶ τὴν μουσικὴν οἰκειότατα διέκειντο οἱ ἀρχαῖοι, δῆλον ἐξ Ὁμήρου, ὃς διὰ τὸ μελοποιηκέναι πᾶσαν ἑαυτοῦ τὴν ποίησιν ἀφροντιστὶ τοὺς πολλοὺς ἀκεφάλους ποιεῖ στίχους, καὶ λαγαροὺς, ἔτι καὶ μειούρους. Ξενοφάνης δὲ καὶ Ζόλων, καὶ Θεόγνις, καὶ Φωκυλίδης, ἔτι δὲ Περίανδρος ὁ Κορίνθιος ἐλεγειοποιὸς, καὶ τῶν λοιπῶν οἱ μὴ προσάγοντες πρὸς τὰ ποιήματα μελῳδίαν, ἐκπονοῦσι τοὺς στίχους τοῖς ἀριθμοῖς καὶ τῇ τάξει τῶν μέτρων, καὶ σκοποῦσιν ὅπως αὐτῶν μηδεὶς ἀκέφαλος ἔσται, μήτε λαγαρὸς, μήτε μείουρος. ἀκέφαλοι δὲ εἰσὶν οἱ ἐπὶ τῆς ἀρχῆς τὴν χωλότητα ἔχοντες.*

> *Ἐπειδὴ νῆάς τε καὶ ἑλλήσποντον ἵκοντε.*
> *Ἐπίτονος τετάνυστο βοὸς ἶφι κταμένοιο.*

Λαγαροὶ δὲ οἱ ἐν μέσῳ, οἷοι·

> *Αἶψα δ' ἄρ Αἰνείαν υἱὸν φίλον Ἀγχίσαο.*
> *Τῶν αὖθ' ἡγήσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδες.*

Μείουροι δὲ εἰσὶν οἱ ἐπὶ τῆς ἐκβολῆς, οἷον·

> *Τρῶες δ' ἐρρίγησαν ὅπως ἴδον αἰόλον ὄφιν,*
> *Καλὴ Κασιέπεια θεοῖς δέμας ἐοικυῖα.*
> *Τοῦ φέρον ἐμπλήσας ἀσκὸν μέγαν ἐν δὲ καὶ ἤια.*

De iiſdem etiam quædam adnotavit Euſtathius in Iliad. Terentianus autem eleganter verſum miurum ita deſcribit:

Dactylici finem verſus ſi claudit jambus,
Hoc eſt pro longa brevis ut penultima fiat.

Deinde hæc addit:

Auribus acciderit novitas inopina, melius.
Verſus ut hic reſonare poteſt, ita ſi cecineris:
Ite domum ſaturæ, venit heſperus, ite ſaturæ.
Nile pater propera. ſitiunt ſata, Nile propera.
Heus puer ut mea ſint tibi vilia carmina vides.
Si nuſquam hoc aliquis lectum putat, ecce dabitur.
Verſus Homericus Auſonio reſonans ita modo,
Quem μείουρον Achaica gens vocitare ſolita eſt:
Attoniti Troës viſo ſerpente pavitant.
Livius ille vetus Graio cognomine ſuæ
Inſerit Inonis verſu puto tale docimen.
Præmiſſo heroo ſubjungit namque μείουρον,
Hymnum quando chorus feſto canit ore Triviæ:
Et jam purpureo ſuras include cothurno;
Baltheus & revocet volucres in pectore ſinus,
Preſſaque jam gravida crepitent tibi terga pharetra:
Dirige odoriſequos ad cæca cubilia canes.

Eadem fere habet Victorinus lib. 2. de Ratione Carminum, ubi de vitiis verſuum. qui hoc quoque addit, hunc verſum etiam Teliambum, quod jambo claudatur, vocitari, & Homerum non tantum in duobus corpuſculis Iliados & Odyſſ. his verſib. Teliambis frequenter uſum, ſed & in eo carmine cui Margite nomen eſt, eundem herois hexametris trimetros jambicos tamquam pares numero miſcuiſſe. Hodie in Homeri rapſodiis pauca exſtant, depravatis credo multis locis. quod & huic noſtro & aliis poëtis accidit. uſus eſt enim Ennius aliquando his verſibus, ut lib. 7. p. 77 apud Feſt. *Sos.*

Dum cenſent terrere minus, hortanturve ſos.

& alibi apud Cic. Catone majore, & p. 140

Ille vir haud magna in re, ſed plenus fidei.

ſic leg. ex v. eſt ibi hiatus de quo mox. audio eſſe qui hunc pervulgatum Ennii p. 141. verſum putent miurum,

Vulturis in ſilvis miſerum mandebat homonem.

& ita legi debere:

Vulturis in ſilvis miſerum mandebat hominem.

quibus equidem neutiquam adſentiri poſſum. nam Priſc. lib. 6. adducto hoc verſu docet veteres *homo homonis* extuliſſe. mihi ſi quid liceret, ita liberet ſcribillare:

Vulturus in ſilvis miſerum mandebat homonem.

Vulturus, habent antiqui libri Priſc. & Servii. hinc porrò manavit *vulturius*, ut ab *Octavus*, *Octavius*, &c. nam *vulturis* omnino Latinum eſſe nego. deinde *hemonem* puto ſcripſiſſe Ennium, admonitus à Feſto. Eodem refero illud Lucilii:

Tantalus qui pœnas ob facta nefantia luit.

apud Non. *nefantia.* ubi male editum contra l. vet. *nefantia pendit.* Ciceronem quoque reperio Teliambo uſum in Arato. ait enim:

Quos tenet Aegæo defixa in gurgite Chius;
Bacchia quam viridi conveſtit tegmine vitis.

ſic enim leg. eos verſus puto. Arat.

Ἑλλήσσῃ πεπλοῖο χίῳ ὅτε θήεια πάντα, &c.

vulg. ibi *Echineis. Brachia. vini*, quæ non intelligo, & falſa eſſe puto. *Bacchia* pro *Bacchica* more Romano. Item *Laconius* dixit Horat. lib. 2. od. 18. ad avarum, ut in vet. cod. repperi:

Nec Laconias mihi
Trahunt honeſtæ purpuras clientæ.

& Virg. *Mæotiam undam* dixit, quam Græci μαιωτικήν. verſus doctiſſimi poëtæ eſt hic è 3. Georg. 349

At non qua Scythiæ gentes, Mæoniaque unda, &c.

ſic certiſſime ibi ſcribend. ex vet. lib. conſenſu. Auſim pæne adfirmare Maronem etiam uſum verſu miuro lib. 2. Æneid. 12

Quamquam animus meminiſſe horret, luctuque refugit.

qui numerus ibi mire congrueret. ſed aliter Servius. judicabunt eruditi homines, qui ſciunt poëtam eum antiquitatis ſtudioſiſſimum, & pedes adhibuiſſe rariores ſuis interdum verſibus, uti hîc vulgo docemus. Hic porro Miurus verſus dicebatur etiam Hexameter Catalecticus, teſte Victorino lib. 3. IV: 264. 950. V: 103. VI: 420. ubi tamen *è* potius producitur ob ſequentes conſonantes pl. vide *E.* VI: 805

Acephaloe versus dicuntur ii quorum initium pro conditione propriæ legis nequaquam integrum proceſſerit, quaſi capite imminuto, ut ſi anapæſtûs initio ponatur vice

vice dactyli, aut ſpondei, quod in verſibus longis uſitatius fuit antiquis quam vulgo putant. Ennius lib. 1. Annal. p. 24

Cedunt ter quatuor de cælo corpora ſancta
Auium, præpetibus ſeſe pulcriſque locis dant.

& libro 10. p. 93

Veluti ſi quando vinclis venatica Venox.

Horat. lib. 2. epiſt. 2

Vehemens & liquidus, puroque ſimillimus amni.

quamquam ibi ſcribi rectius debeat *vemens*, de quo hîc, vel epiſynalœphe fieri poſſit ſpondeus, ut & in illo Virg. 1. Georg. 482. *Fluviorum rex Eridanus*, &c. ut *fluviorum* ſit triſyllab. vide hic paullo infra. etſi Victorinus anapæſtum ibi velit, Neque ego repugnem. idem hic vult eſſe anapæſtum: Æn. 11: 354

Adicias, nec te ullius violentia vincat.

de quo in Noctib. Attic. Homer. etiam anapæſto eſt uſus. ut Iλ. ι. 5

Βορέης, καὶ ζέφυρος, τώτε Θρήκηθὴν ἄητον. & Iλ. ψ. 194

Στὰς ἀνάπευθε πορῆς δοιοῖς ἠρᾶτ' ἀνέμοισι Βορέῃ & ζεφύρῳ.

& ὀδ. π. 127

φθινύθουσιν νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσῃ.

enimvero ut libere dicam quod ſentio, non puto Achephalum eſſe verſum, ubi pes æqualis cum dactylo intervalli reperitur primo loco, cujuſmodi eſt anapæſtus, adeo ut falli Victorinum exiſtimem. Tum vero Acephalœ mihi verſus eſſe videntur, cum pedes ſpatio impari eo loco ſunt poſiti. hoc ex Athenæo colligo, qui exempli loco adducit duos Homeri verſus, quorum in altero primus pes jambus, in altero tribrachus eſt. eos adduximus modo, ubi de Miuris. Tales eſſe puto qui primo loco habent choreum: quod genus eſt Lucilii lib. 30: 41

Quod tuas laudes culpes, non proficis hilum.

ut apud Non. exſtat *Hilum*, & apud eundem Nonium, *privum* ex eodem lib. Lucil. 48

Culcitæ accedunt privæ centonibus binis.

ubi tamen alii reponunt, *Culcitulæ*. ſi ex fide vet. c. rectè. alioqui non temere mutandum. & eodem lib. 66

Publica lege ut mereas, præſto eſt tibi quæſtor.

niſi malis, *Publicia*. ejuſdem claſſis eſſe cenſeo hunc Ennii verſum. p. 119

——— *viroſque valentes*
Contudit crudelis hiems.

licet Priſc. l. 10. velit à vetuſtiſſ. productam penultimam præteriti *tutudi*, adducto hoc verſu Ennii, mihi non probat. talem & hunc eſſe puto ejuſdem Ennii lib. 2. Annal. p. 52. unde etiam aliter ſe explicat Priſc.

Annuit ſeſe mecum decernere ferro.

ex eo numero eſt Virgil. verſus iſte 2. Georg. 98

Tmolus adſurgit quibus & rex.

&c. ſic fere o. v. c. hujuſmodi apud Lucret. Acephaloe ſunt pag. 111, 11. ubi choreus eſt vice dactyli, qui tamen locus de mendo etiam ſuſpectus habetur. ita f. II: 661 *Buceræque*. vide hic *Buceriæ*. Ceterùm de Anapæſto quia dicere inſtiteram, id etiam hic pertexam. Virgil. eo pede ſemel uſus putatur hoc in verſu 1. Georg. 482

Fluviorum rex Eridanus campoſque liquentis.

verùm poteſt ille aliter etiam accipi, ut *fluviorum* ſynæreſi quadam reddatur triſyllabon, *vio* ſit una ſyllaba, ut hic in *fiat*, & infr. de *Epiſynalœphe*, & tum prima ſit longa, ut hic in *fluvidus*, atque ita primo loco ſit ſpondeus. uſus eſt & noſter eo numero, 2 loco, Lib. II: 938. & 1 loco Lib. IV: 1020. & 3 loco f. V: 1266

Versus lacari dicuntur, qui, ut Victorinus ait, in media parte ſunt læſi: puta qui in medio verſu, id eſt, non in primo aut ultimo loco ſive ſede, pedem habent non tanti intervalli, quanti vel ſpondeus eſt vel dactylus; ut ſi jambus, choreus, aut tribrachus, ſint pro ſpondeo aut dactylo. quales modo protuli ex Homero duos, cùm tractarem de verſu Teliambo. nam prior tertia ſede jambum habet ſpondei vice: poſterior quarto loco choreum vice dactyli aut ſpondei. quibus addi poteſt & iſte Il. ε. 343

ἡ τὴν μέγ' ἰάχουσα ἀπὸ ἕο κάββαλον υἱόν.

ubi 4 loco tribrachus. Talem facit Victorinus hunc Virg. Æn. 3: 179.

Anchiſen facio certum.

&, Æn. 1: 383.

Claſſe veho mecum.

quæ tamen excuſari ab aliis dicit. huc referri poteſt ille Virg. 2. Georg. 428

Vi propria nituntur opis haud indiga noſtræ.

ſic vet. q lib. quamquam aliter excuſari id etiam poſſit. vide verſus in *is*. talis eſt Virg. iſte lib. 9. Æneid. 13

Rumpe moras omneis, turbataque arripe caſtra.

niſi hiatum hic malis. & 2. Georg. 5

Muneribus tibi pampineo gravidus autumno. ſed vide mox de verſibus in *us.* ſic Ennii p. 327. apud Auſonium Monoſyl. clauſula:

— replete lætificum gau.

ſic apud Titum noſtrum III: 46. *fera voluntas*; ubi tribrachus erit pro dactylo, niſi in *fĕrus* productam priorem ſyllabam dicamus. vide *Ferus.* & IV: 965. ſi legas, *gerere bellum.* ſic III: 503. *Tum quaſi vacillans*; ſecundo loco jambus erit pro dactylo, ſi non producas *vă* in *vacillans.* vide *Vacillo:* uſus eſt & tribracho pro dactylo in 2. ſede. II: 1060

VERSUS DIPHILIUS SEU CHOERILIUS eſt herous, cui una deeſt ſyllaba, ut:

Alma parens genitrix divûm decus Oceano.

Talis fortaſſe eſt ille Ennii apud Cicer. de Senectute: & p. 59

Antehac dementes ſeſe flexere via?

& ejuſdem alius apud Priſc. l. 5. & p. 110

Æſtatem autumnus ſequitur, poſt acer hiems.

ſed apud Servium in l. 6. Æneid. legitur *hiems fit.* & certe mihi ipſe non ſatisfacio in hujus verſus tractatione, quando Victorinus requirat ſemper tertio loco ſpondeum; & loca omnia, etiam ipſius Titi, de mendo, ut quæ maximè, ſint ſuſpecta. nihil ergo adfirmo, & tamen quid magis mihi probetur, indicandum putavi. III: 910.

HACTENUS ea verſuum attulimus πάθη, Victorinus quæ vitia appellat: quæ fortaſſe alii copioſiùs tractaſſent. nos ſuo quidque loco reſervamus. & quæ vitia vulgo putentur, non eſſe, variis oſtendimus in locis. Quare videndæ erunt ſuprà, vocales *a e. o. fac.* & infrà, de in *is*, *us*, & *t* deſinentibus, deinde, de *hiatu.* Nunc ea perſtringamus πάθη (ſi modo hæc ita dici debent) quæ augent numeros heroi verſus.

HYPERMETRI primùm, ſic vocant eos verſus in quibus extremis ſyllaba abundat idque tum demum licet, inquiunt, ſi proximus verſus à vocali incipiat: ut ea redundans ſyllaba trahatur, & abſumatur à vocali proximi verſus. Virgil. Æneid. 7: 160

Jamque iter emenſi, turres & tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes.

Hoc perpetuò ſervari volunt Grammatici vulgo. ego plurimum ſanè dubito, tum quòd veteres grammatici plerumque ſcribant ita fieri, quaſi indicarent, aliquando inveniri aliter: tum quòd pes Moloſſus in verſu heroico loco dactyli, vel ſpondei, veteribus in uſu fuerit, ut mox dicam: atque ita nihil vetet, cur in extremo verſu tam productum pedem non admittamus interdum: tum denique quòd in hoc poeta noſtro duo ſint loci de mendo imprimis ſuſpecti. qui è veterib. lib. veſtigiis optimè reſtitui poſſent, ſi tales hypermetros probemus. prior eſt. lib. II: 630

Quos memorant Phrygios, inter ſe forte catervatim
Ludunt:

Sic enim legendum putarem. alter. lib. V: 1338.

Ut nunc ſæpe boves Lucæ ferro malè mactatæ
Diffugiunt, &c.

Ita & ibi legerem. nihil hîc adfirmo. tantùm quid dubitem, eruditis & diligentibus hominibus expono. Neque verò video cur Moloſſum, vel Palimbacchium extremo loco ponere non liceat, quos aliis locis ſine dubio uſurparunt veteres omnes. qua de re mox. de vulgatis hypermetris nihil eſt operæ multa dicere, aut loca adducere. V: 847. &c.

SUNT ALII VERSUS, ſuperioribus conſimiles, qui initio abundant ſyllaba quam præcedentis verſus ultima vocalis præcidit. talis eſt Horatianus iſte 1. Carm. 2: 18.

— vagus & ſiniſtra
Labitur ripa, Jove non probante,
Uxorius amnis.

& alius ejuſdem melici lib. 3. od. 2: 17

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Incontaminatis fulget honoribus.

ſic in v. l. repperi. itaque leg. puto. vulg. *intaminatis*, quod Latinum fortaſſe non eſt, ex eoque manavit, quod hæc abſumendi primam ſyllabam ratio non ſit omnibus nota. Enn. apud Cic. de Orat. & p. 298

Suarum rerum incerti, quos ego mea ope
Ex incertis certos, compoteſque conſili
Dimitto.

Terent. prolog. Eunuch. verſu 7

Qui bene vertendo, & eas deſcribendo malè
Ex Græcis bonis, Latinas fecit non bonas.

ſic ibi o. v. l. optimè. & in prolog. Hecyr. ut in vet. lib. eſt verſu 42

Ego interea meum non potui tutari locum.

& in vet. epitaphio:

OBTESTOR MANES MERITÆ SANCTÆQUE PATRONÆ,

ET

ET COMPRECOR UT LENI TERRA TEGAT TUMULO. male quidam contra vet. lib. & morem majorum ſyllabam eam quæ abſorbetur, & quam initio ſequentis verſus collocandam diximus, appingunt verſui præcedenti. hoc etiam doctiſſimus Fabricius obſervavit. poëta quoque noſter eſt uſus. IV: 973.

DACTYLICI VERSUS. hoc & generis, & formæ nomen eſt: nam cùm omnes heroi ita vocantur, tum hi proprie; qui loco ultimo pro ſpondeo pedem habent dactylum. de quibus nos hîc pauca nunc perſtringemus. Servius, Priſcianus, Bedas, omneſque fere veteres, qui de verſibus ſcripſerunt, hujus verſus meminerunt. uſus eſt, ut à principe auſpicemur, eo Homerus. ut ὀδ. 9: 212

Τοῦ φέρον ἐμπλήσας ἀσκὸν μέγαν, ἐν δὲ καὶ ἤϊα
Κωρύκῳ..

niſi ſi quis ἤια diſyllabon faciat. quòd ego certe malim, qui videam eo nomine plerumque ita uſum poëtam, ut ὀδ. β. 289

Ὁπλίσσοντ᾽ ἤϊα, καὶ ἄγγεσιν ἄρσον ἅπαντα. & ὀδ. ε.

Ὡς δ᾽ ἄνεμός τε ζαὴς ἠΐων θημῶνα τινάξῃ
Καρφαλέων.

Ita Ennius p. 50

At tuba terribilem ſonitum procul excitat horrida.

Talem ait Servius eſſe Virg. é lib. 3. Georg. iſtum, verſu 449

Et ſpumas miſcent argenti, vivaque ſulpura;

ſic & lib. 2: 69.

Inſeritur verò ex fetu nucis arbutus horrida.

quamquam iſti verſus ita ſint dactylici, ut ſiquis concertare velit, poſſit aliter excuſare, nam proximi verſus incipiunt à vocalibus, quibus extrema ſyllaba abſorbeatur. Verùm hunc oportet facias vere dactylicum, lib. 6: 33

Bis patriæ cecidere manus. quin protinus omnia
Pellegerent oculis.

ſic enim ibi ſine dubio leg. ex v. q. Priſc. & Macr. qui verſus depravatus fuit, ut alii multi, ignoratione numerorum. ita etiam leg. fort. ex v. cod. l. 4. Georg. 436

Conſedit ſcopulo medius, numerumque recenſiit.

vulgò *recenſet.* & 6. Æneid. 653

Per campos paſcuntur equi quæ gratia curruum.

etſi aliter ibi excuſari poſſit. vide Priſc. lib. 7. extremo. ceterum alios ejuſdem poëtæ verſus, ut Æn. 10: 116

Hic finis fandi. ſoliorum Juppiter aureo;

& conſimiles, quia epiſynaloepha vulg. excuſantur non incommode, hic præteribimus. uſus eſt autem Titus noſter hoc numero perſæpe, niſi & ſynæreſin in quibuſdam velis. I: 78. II: 511. 718. III: 84. 94. 449. 890. 930. V: 921. 1022. & f. II: 981

DE CRETICO.

Et hoc pede conſtat augeri numeros hexametri verſus ſi admittas. quem ſane doctiſſ. grammatici veteres in hunc verſum recepe-runt. Memineris autem (inquit Victorinus ubi de verſu heroico agit) ſæpe Græcos huic metro Moloſſum & Palimbacchium, & Creticum loco dactyli ſub lege ſyllabarum communium admiſcere. nam & apud nos ſimilis verſus reperitur, in quo primus amphimacrus eſt. ut eſt, Æn. 3: 211

Inſulæ Jonio in magno.

qui tamen certa ratione creticus non eſt. nam tertiam longam, id eſt, æ. diphthongon, quæ creticum pro dactylo dedit, ſequens ſyllaba à vocali incipiens, dum tempus prioris ad ſe trahit, produci non patitur: atque ita productam vocalem ſuperveniens alia elidit. hæc Vict. cujus poſteriorem ſententiam in eo quidem verſu amplector. de quo mox. Terentianus vero elegantiſſ. verſibus ita:

Leges quippe datas heroica carmina poſcunt,
Quis acta Homerus heroum cum ſcriberet,
Verſibus oſtendit: quas æquè ſermo Latinus
Cuſtodit omnes, & pedes ſolos probat,
Quos ſuprà poſui. Græcis & Creticus aptus.

Bacchius etiam ponitur pro dactylo.

Creticus in noſtris, ſi lævia carmina pangas,
Raro invenitur: qualis hic Maronis eſt:
Inſulæ Jonio in magno, quas dira Celæno;
Creticus offendit pes primus & aſperat aures.
Dabo & latentem Creticum;
Solus hicc' inflexit ſenſus: tam primus & iſtic
Pes longiorem tertiam dat ſyllabam:
Cc geminum quoniam ſermonis regula poſcit,
Ut fiat, hicce plena vox [excluditur
Vocalis] dabitur: nec conſona pellitur ulla,
Niſi quæ duabus obſtat una vocibus.

Victorinus ergo in eo verſu Virg. Æn. 3: 211

In-

Inſulæ Jonio &c. probat Creticum. & lib. 4. ita legit. ỳ. 22

Solus hicc inflexit ſenſus, animumque. &c.

Et ſic alii etiam vet. grammatici ibidem legunt. erit ergo & ibi Creticus. Eodem uſus eſt numero Virgilius lib. 8: 402

Quod fieri ferro, liquidove poteſtur electro.

ſi quidem v. q. c. ſequaris. & lib. 1: 615

Ilionea petit dextra, lævaque Sergeſtum.

Sic omnino leg. puto lib. 4: 243. Geor. ex v. l.

Stellio, & lucifugis congeſta cubilia blattis.

poſſet tamen & hic eſſe craſis vocalium. ut apud Ovid. 11. Metamorph. 599

Dixerat. induitur velamina mille colorum
Iris, & arcuato cælum curvamine ſignans
Tecta petit. —

v. l. habent ferè *arcuto*. Sed *arcutus* ab *arcu* deduci commodè poſſe non puto. reſtitui ergo *arcuatus*. quod eſt uſitatiſſ. bonis ſcriptoribus vocabulum. vulg. ibi *arcatus*. peſſimè q. vulg *arquatus*. ne hoc quidem rectè, tum quòd ſit contra v. l. tum etiam quòd *arquatus* aliud valeat. niſi *arquatus* terraſyll. facias ab *arquus* pro *arcus*. quem vetuſtum morem hîc affectaſſè Naſonem veriſimile non eſt. ſed de Epiſynalœphe infra. Ceterùm lib. 5: 143. & 8. Æneid. 690. non dubito quin ſcripſerit poëta.

Convolſum remis, roſtriſque ſtridentibus æquor.

Sic enim ferè o. v. c. & numerus ille mirificè congruit undarum fragori & ſonitu; qua de re infra. erit ergo ibi Creticus, aut etiam Moloſſus ob ſtructuram. Atque eo pede uſum puto Homerum in 1. verſu.

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηλειαδέω Ἀχιλλῆος.

licet alii aliter ſe explicent. Ennius quoque uſus eſt apud Feſt. *ſas.* p. 32

Virgines nam ſibi quiſque domi Romanus habet ſas.

Mirum ergo videri non debet, ſi & noſter eo pede ſit uſus. Planè in comicis eum minimè admiſerim; cùm omnes grammatici veteres repugnent, & res aliter explicari poſſit commodè, ut ad mutationes, aut ſyllabarum trajectiones, contra lib. v. quod minime probo; etiam non ſit confugiendum. exempli gratia apud Terent. Andr. 4: 6: 4.

Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.

ea ad in metiendo fit una ſyllaba, ut Ennius: *Eorundem nec* &c. & ibidem 2: 6: 18

Quidnam eſt? puerile eſt. quid eſt? nihil.
quin dic, quid eſt.

ubi in *quid eſt?* fit eliſio litteræ *d.* ut admonui alibi. in eadem fabula. 5: 3: 8

Adeon' impotenti eſſe animo, ut præter civium &c.

in *impotenti* prima eſt brevis, ut in *tympanum* apud Catull. de Berecynth. ſimile de reliquis omnibus eſto judicium. nam ego hîc veteres plurimos grammaticos exſequi, quàm recentiores paucos, qui hanc explicandi rationem fortaſſe non viderant, malim. verſus noſtri poëtæ eſt iſte:

An cælum nobis ultro natura corruptum.

Quidam hic *cruentum*. alii alia ſupponunt. Ego τὸ *corruptum* retinendum dico. ne verſum contra v. l. fidem corrumpamus. V: 1133. & f. IV: 263. & V: 1268. ubi tamen Syncopen præſtat recipere. vide *Syncopen*.

DE MOLOSSO.

Et hunc pedem non excludit verſus heroicus; uti ex Victorino modò oſtendimus. Homer. 1. loco eſt uſus eo pede, ὀδ. η. 316

Φαιήκων, μηδ' ὕτω φίλον δὶ πατρὶ γένοιτο.

Apud Latinos nondum inveni, niſi forte in Virg. verſu de quo modo, eum pedem malis. admonendum tamen & hoc fuit. ut nequis de aliis pedibus rarioribus tractationem hanc noſtram damnet.

DE PALIMBACCHIO, ET BACCHIO.

Docui ſuprà ex Vict. & Terentiano, hos pedes uſurpaſſe antiquos pro dactylis aut ſpondeis in herois. De Bacchio nihil dum apud alios repperi. Titus ſemel eſt uſus perleganter, qui locus vulgo tamen eſt immutatus. V: 608. Palimbacchio uſus eſt etiam noſter uno loco, qui ab aliis quoque adhuc mutati fuerant. II: 193. & f. I: 19

PAEON.

De hoc pede non meminerunt, quod ſciam, grammatici veteres. poëtas tamen uſos comperior. Enn. p. 137. & apud Feſt. *Sibinam*:

Illurici reſtant ſicis ſibiniſque fodientes.

ſic ibi leg. & apud Nonium, & p. 96

Sic mulier erubuit, ceu lacte & purpura mixta

ita leg. Lucil. lib. 30: 51

Quid dare, quid ſumpti facere ac præbere potuiſſet.

Sic leg. apud Non. *Sumpti.* & apud Plin. lib. 35. in antiquo epigram.

Marcus ludius Eotas Ætolia oriundus.

In quibus omnibus tamen ſynizeſi adhibita vul-

vulgares pedes efficere quis poſſit; ut, *fodientes*, *potuiſſet*, *oriundus* triſyllaba fiant; *mulier*, duarum ſyllabarum. qua te expediendi via etiam hìc uti poſſis, nam II: 990. *oriundi* triſyl. IV: 70. *faciet* diſyll. & 18. *ferruginea* tetraſyllab. eſſe poſſint. Unus eſt apud Virg. lib. 4. Georg. verſ. 311. locus, ubi talis elabendi ratio non eſt:

Miſcentur, tenuemque magis ac magis aëra carpunt.

ſic enim v. q. l. habent. ſed melior videtur vulgata ſcriptura *magis magis*, ἀσυνδέτως. ut contrà apud Ennium: p. 99

Ergo magiſque magiſque viri nunc gloria claret.

Sic leg. admonui alibi. Unus eſt item locus hìc, unde te aliter etiam non expedias, quàm ſi ipſa poëtæ verba commutes. Docti conſiderabunt. IV: 965

Choriambus, et Ionicus. Ne de his quidem meminerunt antiqui grammatici; Iovem lapidem tamen, ut dicitur, jurare auſim, iis uſum poëtam Virg. lib. 3. Æneid. 553

Cauloniſque arces & navifragum Scyllaceum.

ſic verſus ille in optimis quibuſque manu exaratis codicibus invenitur deſcriptus. etiam in perveteri illo qui Lovanii in bibliotheca artium adſervatur. Et numeri, ut ita dicam, fracti & naufragi, optime loco & ſententiæ conveniunt. quod certè poëtas interdum quæſiviſſe mox indicabo. De Ionico duo ſunt loci apud Virg. nam lib. 1. Æneid. 205. o. v. l. habent:

Acceſtis ſcopulos: vos & Cyclopeia ſaxa.

accomodati omnino ibi ſunt confragoſi, &, ut ita dicam, ſcopuloſi numeri. quale eſt verbum *Acceſtis*. Deinde lib. 2. Æneid. 778.

Eveniunt, nec te comitem hinc aſportare Creuſam.

ſic & ibi v. q. l. & Servius. cujus hæc ſunt verba: *Hic verſus caret ſcanſione. unde multi, hinc; multi as ſyllabam detrahunt. ſi tamen vis fide ſervata hunc ſcandere, fit converſio: ut:*

Eveniunt, nec te hinc comitem. —

& poteſt ſcandi per ſynalœpham. aliter nec eclipſim, nec hiatum, nec ſynalœpham recipit. An talis admittenda ſit converſio, eaque ſit fides, quæ ſervari debet in ſcriptis veterum; haud ſcio an conſentiant eruditi.

Hi ſunt ergo pedes rariores omnes, quibus veteres interdum uſos exiſtimo. quibus addi poterunt etiam illi qui dicuntur ſpondiaci verſus: de quibus jam paucula.

Proceleumaticus.

Hunc vicem dactyli aut ſpondei aliquando tenere norunt omnes. Ennius apud Nonium: & p. 135

Capitibus nutantes pinos, rectoſque cupreſſos.

Virgilius hoc pede ſicubi uſus creditur (putatur autem ſæpiſſimè.) in 4. 5. 6. tantùm verbis eſt uſus, *tenuia* & *tenuis*, *abietibus* & *abiete*, *parietibus*, *reice*, *ariete* & *arietat*. ut Georg. 2: 121

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

& Geor. 2: 180

Tenuis ubi argilla, & dumoſis calculus arvis.

& Æn. 9: 674

Abietibus juvenes patriis, & montibus æquos.

& Æn. 2: 16

Ædificant, ſectaque intexunt abiete coſtas.

& Æn. 2: 443

Herent parietibus ſcalæ, poſteſque ſub ipſos.

& Æn. 12: 706

Mœnia, quique imos pulſabant ariete muros.

& Æn. 11: 890

Arietat in portas, & duros obice poſtes.

Verum commodè nec inſolenter accipi verba ea ita poſſunt; ut *tenuia*, *abiete* &c. ſint triſyllaba, nempe ut in *tenuia* n littera applicetur vocali præcedenti, *ten*: & *u* proxima fiat conſonans, vi monoſyllabus *tenvi-a*. & ſic *ab-ie-te*. *ar-ie-tat* &c. *reice* verò fit diſyllab. Hujus rei argumentum habeo firmum ex Tito noſtro. qui *extenuantur* quatuor ſyllabarum fecit Lib. IV: 1257

Atque aliis extenuantur, tabentque viciſſim.

niſi anapeſtum quis hìc eſſe dicat. quod equidem non puto. & alibi. vide & IV: 101. 732. 1090. 1168. 1218. 1236. &c. ſic *eicit* diſyllabon fecit noſter. III: 890. IV. 1268

Spondiaci versus.

Vitioſum putant vulgo ſi duo ſpondei ponantur ultimi, non præcedente dactylo. ut hic: II: 87

Ponderibus ſolidis, neque quidquam a tergis obſtet.

falſa eſt ea grammaticorum præceptio: quæ multis bonorum ſcriptorum locis fuit fraudi. nàm docti etiam viri ea inducti, poëtarum

tarum veterum loca ſæpe immutarunt. verbi gratia verſum, quem modò adduxi, M. Marullus ſcripſerat, contra v. l.

Ponderibus ſolidis, neque quidquam à tergibus obſtet.

Multa ſunt alia loca in hoc poëta, quæ mox indicabimus. Falſa eſt ergo ea grammaticorum regula, cùm veteres ſæpe iis numeris uſos videamus. non tamen nego modum adhibendum. Homer ἰλ. ἱα. 339

Πρός τε θεῶν μακάρων, πρός τε θνητῶν ἀνθρώπων.

& β. 658

Ὃν τέκεν Ἀστυόχεια βίη ἡρακληείη.

& π. 744

Τὸν δ' ἐπικερτομέων προσέφης πατρόκλεις ἱππεῦ. &c.

Ennius, 7. Annal. p. 76

Tempore commodus & verborum vir paucorum.

& lib. 2. p. 77

Dum cenſent terrere minis, hortanturque ſos.

& lib. 6. p. 69

Arbuſtum fremitu ſilvaï frondoſaï.

Virg. 3. Georg. 276

Saxa per & ſcopulos & depreſſas convalles.

in Bucol. 8: 44

Iſmarus aut Rhodope, aut extremi Garamantes.

& lib. 7: 634.

Aut leves ocreas lento ducunt argento. I: 210. II: 87. & f. III: 600. 706. 920. IV: 1099

INCISIO SEU INCISUM.

Sic vocant Cic. & Vict. quam vulgo *cæſuram*, non male, Græc. τμῆ & κόμμα. Ejus genera apud grammaticos exſtant. Volunt ferè eam ejus eſſe vim ac poteſtatem, ut ſyllabam brevem non corripiat. quod apud veteres grammaticos legiſſe non memini. & haud certè conſtitui verùmne ſit axioma illud an ſecus. Videtur habere veri ſpeciem, quòd in multis verſibus id tenuiſſe videantur poëtæ. proferam aliquot, qui ferè depravati ſunt in libris pervulgatis, propterea quòd correctores eam poëtarum conſuetudinem non conſiderarint ſæpenumerò. Virg. lib. I. Æneid. 505

Fert humero, gradienſque dea ſupereminet omnis.

ita v. q. vulg. *deas* & ibid. 632

Litora jactetur, odiis Iunonis iniquæ.

in q. v. *jacteturque.* ibid. 710

Qui dapibus onerant menſas, & pocula ponunt.

ita ferè v. l. vulg. *menſas oner.* lib. 2: 371

Androgeus offert nobis, ſocia agmina credens.

ſic v. c. o. vulg. *Androgeos.* ibid. 542

Supplicis erubuit, corpus exſangue ſepulcro.

vulg. *corpuſque*, contra l. v. fere lib. 3: 91

Liminaque lauruſque dei &c.

ibid. 272

Effugimus Ithacæ ſcopulos, Laertia regna.

ita vulg. & q. v. ſed alii *ſcop. Ithacæ* lib. 5: 521

Oſtentans artem pariter arcumque ſonantem.

ſic v. pl. & Aſper. lib. 12: 23

Multa manu, nec non animus aurumque Latino eſt.

ita q. c. v. ſed pl. ut vulg. *animuſque*. Ovid. lib. 10. Met. 262

Liliaque pictaſque pilas, & ab arbore lapſas.

Sic v. q. c. rectè. ibid. 359

Illa ſilet, primoque patris in vultibus hærens.

ita opt. v. c. vulg. *primo patriſque*. & lib. 11: 290

Peleuſque, comiteſque rogant. —

ſic v. l. o. vulg. *Et Peleus.* Prudent. in Symm. lib. I. 476

Plena puellarum patribus ergaſtula ſævi Principis. —

ſic omnino leg. ex v. l. & lib. 2: 525

— *calcataque ſacra domare.*

Difficilis operis fuit, immenſique laboris.

ita optimè v. l. & ibid. 870. ex v. l. lego:

Hos tu Nile colis, illos tu Tybris adoras.

& ibidem: 117

Pauper & infirmus, & ſummo indignus honore

in Pſychom. 752

Contiget exſtincta multo certamine ſæva.

Barbaries &c.

ſic v. c. de Hippolyto:

Ergo ſit Hippolytus; agitet, turbetque jugales.

ita v. l. vulg. *quatiat*; non ſatis Latine, uti puto, in Apoth.

— *vetus illa tamen de crimine avorum*

Dicitur illata, quoniam concreta veterno eſt.

ita v. c. rectiſſ. uti puto.

Protuli teſtimonia tantùm ea, quæ in codicibus vulg. aliter perſcripta exſtant. ab aliis abſtinui, quæ omnibus ſunt in promptu. potuiſſem verò pluria etiam adferre. Sed quia recentiorum ille canon mihi non omnino probatur, & brevitati ſtudemus, ad ea quæ de quarundam ſyllabarum intervallis mox dicturi ſumus, reliqua reiciemus: nam quæ modò adduximus, omnia eò etiam pertinent.

HIA-

HIATUS.

Amarunt hunc antiqui plurimùm poëtæ. Cic. in Oratore, ubi cùm dixiſſet voces hiulcas eſſe non debere nec aſperas; & Græcos vocum illa concurſatione delectatos, quam tamen ut vitioſam fugerit Demoſthenes; ait: *Sed Græci viderint: nobis ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere voces conceditur. Indicant orationes illæ ipſæ horridulæ Catonis; indicant omnes poëtæ, præter eos, qui ut verſum facerent, ſæpe hiabant. ut Nævius:*

Vos qui accolitis Hiſtrum fluvium, atque Algidam.

& ibidem:

Quam nunquam nobis Graii atque barbari.

At Ennius ſæpe:

Scipio invicte.

Et quidem nos.

Hoc motu radiantis eteſiæ in vada ponti.

Hoc idem ſæpius noſtri non tuliſſent quod Græci laudare etiam ſolent. Hanc vet. poëtarum multi dum non animadvertunt, multa in eorum libris peccarunt. Attuli quædam teſtimonia ſuprà, A, E, I, O, nunc plura adſcribam. Terent. Eunuch. act. 1. ſcæn. 2: 113

Dies noctesque me ames, me deſideres.

ita vet. lib. Adelph. act. 5. ſc. 7: 22

Quid tu ais Æſcine? AES. ſic opinor. D. multo rectius eſt.

ſic ibi ex v. c. leg. non poteſt quidem ille verſus ita reſtitutus eſſe ſenarius: ſed propterea contra lib. v. traicienda non ſunt verba. nam ſæpe ſenariis verſibus adiunguntur verſus qui pedem unum aut dimidiatum habeant amplius, teſtibus vet. grammaticis ad unum omnibus, Perperam faciunt, meo quidem judicio, qui verbis contra vet. l inverſis aut trajectis, ſæpe unam, ut ita dicam, ſcænam complent integris ſenariis aut octonariis. ſed hac de re aliâs. & in Eunuch. act. 3. ſc. 3: 3

Ita me ab ea video aſtute labefactarier.

ſic v. l. Virg. Eclog. 2: 53

Addam cerea pruna, honos erit huic quoque pomo.

vulg. *& honos.* Eclog. 5: 25

Frigida Daphni boves ad flumina ulla. &c.

ſic vet. lib. vulg. *nulla* ibidem. 66.

Ecce duas tibi Daphni, duo altaria Phœbo.

ſic vet. libr. fere, vulg. *duoque.* Eclog. 8. 69.

Carmina e cælo poſſunt. —

ita v. q. ſed q. c. v. & *è cælo.* vulg. & etiam Serv. *vel cælo.* 1. Georg. 4.

Sit pecori, apibus quanta experientia parvis.

ita v. l. vulg. *atque apibus.* eod. lib. 341

Tum pingues agni, & tum molliſſima vina.

ſic leg. ex o. v. vulg. *agni pingues.* lib. 2: 144

Implevere, tenent oleæ, armentaque læta.

vulg. *oleæque.* lib. 3: 96

Deficit; abde domo, & turpi ignoſce ſenectæ.

ſic eum locum reſtituit doctiſſ. Canterus noſter. vulg. ibi *nec turpi.* & ita etiam v. l. & Serv. ſed ſenſu contrario. & libro 12. Æneidos: 31

Promiſſam eripui genero, arma omnia ſumpſi.

ita leg. ex v. l. vul. q. *atq. arma.* q. *& arma.* Sic in Prudent. l. 2. in Symm. 158. ex v. leg. puto:

Spemque in me omnem ſtatuat.

& in præfat. in Pſychom. 60

Parente natus alto & ineffabili.

ut in v. q. l. exſtat. Lucilius apud Nonium *Samium*, ut leg. puto:

Hanc ubi vult malè habere, ulciſci pro ſcelere ejus;
Teſtam ſumit homo Samiam, ſibi inlico telo
Præcidit caulem, teſtisque una amputat ambo.

Perſ. Sat. 6: 51

dic clare. haud audeo inquis.

ita vet. q. & Satyr. 3: 66

Diſcite o miſeri & cauſas cognoſcite rerum.

Sic leg. puto. vulg. *Diſciteque ô* & in v. c. q. *Diſcite & o.* an non ſubolet mendum; Poſſent huc referri ea in quibus M. non exteritur. Sed ad ecthlipſim nos illa relegamus. Egregiè etiam Iohan. Rivius in verſibus comicis de hiatu commentatus eſt.

ECTHLIPSIS, ET DE M. NON EXTRITA.

Sic vocant veteres cùm eliditur conſonans cum ſua vocali. ut Æn. I: 7

Multum ille & terris. &c. —

De S. ut veteres eam interdum abjecerint, diximus & in Epiſt. ad lectorem, & in littera S

De M. etiam pauca attulimus, quemad-

modum ſæpe non ſoleat elidi, in littera M. de qua nunc addemus paucula teſtimonia à nobis ex v. c. reſtituta. Lucil. apud Nonium *Attendere* lib. 29: 11

Præterea ut noſtris animum attendere dictis.

ita leg. puto. idem lib. 7: 7. apud No. *Contendere*:

Huncne inquam Hyacintho hominem cortinipotentis
Deliciis [*f. Deliacis*] *contendi?*

& 30: 15. apud Non. *dicare.*

— ſic ubi ad aures
Fama tuam pugnam claram adlata dicasſet.

Varo Eumenid.

Quid quaſi non curat tantidem Ariſtoteles.

Prudent. in Romano: 270

Natura veſtrûm atque origo cælitum.

Ita v. q. recte, ibidem ỳ. 885

Hydrina ſuetus uſtum ire vulnera.

ita vet. lib. optime. *uſtum ire*, id eſt, urere. q. vet. *uſtuire*. etiam recte. & rectius fortaſſe. ut in jure civili *credituiri*, *debituiri* &c. de quib. Ant. Auguſt. l. 2. cap. 2. vulgo *uſtulare*, quod ex gloſſa contra vet. l. irrepſit. in eodem Romano: 913

Nil in deorum oblatraret dedecus.

ſic lib. vet. 3. recte. vulg. *oblacteraret*, quod illi loco minime convenit. imò *oblaterare* dicimus. vide Feſt. *blaterare*. etſi *deblácterare* ſcribatur in eod. Feſt. male. Lucilius lib. 30: 27

Deblaterat blennus bonus ruſticus, concinit unà.

apud Nonium, *deblaterare*. & lib. 2. in Symmach. 109

Muneris auctorem ipſo de munere pendas.

Sic leg. ex vet. lib. ſequitur enim *æternus*, *mortalis*, & ibi eſt *muneris*. Teren. Eunuch. act. 3. ſc. 2: 42

Unà ire cum amica imperatorem in via.

ſic leg. ex vet. l. & ſc. 3: 21

Non major, Thais, quàm ego ſum, majuſcula eſt.

ſic ex vet. leg. ut multis aliis locis vulgò mutatis. Lucil. lib. 1: 21

Prætextæ ac tunicæ Lydorum opus ſordidum omne.

Ennius Lib. 10. p. 91

Inſignita ferè tum millia militum octo.

Virgil. Lib. 6: 746.

— purumque reliquit
Æthereum ſenſum, atque auræ ſimplicis ignem.

ita fere vet. lib. vulg. tamen, & Probus, *auraï*. idem lib. 1: 34

Troas relliquias Danaum, immitis Achilli.

ita vet. fere. vulg. *atque i. Achillis.* & lib. 4. Georg. 368

Et caput unde altus primum erumpit Enipeus.

ſic veter. q. alii ut vulg. *ſe erump.* etiam recte. immò elegantius.

SYNECPHONESIS, SEU EPISYNALOEPHA.

ITA appellari dicit Victorinus cùm duæ vocales in unam ſyllabam coëunt, & coguntur, ut P. Varro:

Cùm te flagranti dejecit fulmine Phæton.

& Virg. Æn. 5: 352

— villis onerosum atque unguibus aureis.

& lib. 5: 269

Puniceis ibant evincti tempora tæniis.

ibidem 697

Implenturque ſuper puppes, ſemiuſta madeſcunt.
Robora.

lib. 12: 365

Ac velut Edonii boreæ. ſic vet. lib. & ibidem ỳ. 605

Filia prima manu floreos Lavinia crines.

ita vet. q. ut & Servius ait. vulg. *flavos*. lib. 3: 578

Fama eſt Enceladi ſemiuſtum fulmine corpus.

ſic omnes vet. vulg. *ſemuſtum*. Prudent. Diptychio: 32.

— jam deerant vina miniſtris.

ſic leg. ex vet. cod. Catull. de Cœlio, & Quinctio. 98: 2

Flos Veronenſium, depereunt, juvenum.

ſic vet. cod. recte. ſic etiam legend. puto illum ejuſdem ad Calvum 14: 18.

Curram ſcrinia, Cæſios, Aquinios.

vulg. *Aquinos.* Aquiniorum gentem apud Romanos fuiſſe ex eo etiam liquet, quod Macrob. lib. 1. Sat. cap. 16. Aquinii cujuſdam auguris, &, quod maxime huc facit, ipſe M. Tull. Aquinii hujus ut mali poëtæ commeminit lib. 5. Tuſculan. *Adhuc* (inquit) *neminem cognovi poëtam* [*& mihi fuit cum Aquinio amicitia*] *qui ſibi non optimus videretur.* Sic

&.

& Virg. dixit Æn. 6: 818
Vis & Tarquinios reges.
ut τὸ *Tarquinios* fit triſyll. Et quia apud Catullum hanc gentem reſtituimus, illuſtremus apud eundem & aliam. ait lepidiſſ. poëta 12: 1.
Marrucine Aſini, manu ſiniſtra, &c.
Aſiniam hanc gentem apud Marrucinos fuiſſe nobilem conicio ex epit. Livii 73. *Sed* & [inquit Florus] *C. M. prœlio Marſos fudit, Hirnio* [*f. Hirco*] *Aſinio prætore Marrucinorum occiſo. prætorem* vocat ibi στρατηγὸν: recta eſt ergo eo in loco v. c. ſcriptura, ubi ſubjecerunt alii, *Inter cœnam Aſini*, ut apud Sophoclem ἐν δείπνοις παρ' οἴνῳ. ſed nihil mutandum facile ſine vet. lib. Nunc ad rem. in vet. epitaphio:
Luctuoſumque mihi, quid ſcio quid fueris.
& in alio:
Unanimi Calpurniano ſociata marito.
Lucil. incert. 3
Maluiſti dici Græcè ergo prætor Athenis.
Cic. lib. 2. de Conſul. *Semianimum & varia*, &c. Prudent. Pſychom. *pulcerque topazion.* ita leg. ex vet. cod. τοπάζιον & ὠάζιον, lapis pretioſus. vide Heſych. vulg. *topazon*, male. Hor. l. 2. Sat. 2: 245
Luſcinias ſoliti impenſo prandere coemptas.
idem lib. 1. Sat. 7: 30
Vindemiator, *& invictus*, &c.
Sic vet. lib. & in Perſio Satyr. 2. leg. puto ex v. cod. ℣. 10
— *ô ſi*
Ebulliat patrui præclarum funus.
nam vulg. *Ebullet*, Latinum non eſt. *Ebullire* dicimus, non *ebullare*. & Sat. 5: 21. fortaſſe rectiùs legatur ex v. c.
Hereat in ſtultis brevis ut ſemiuncia recti.
& Satyr. 3: 97
Iampridem hunc ſepelii.
in eod. c. Sat. 6: 56
Clivumque ad Virbii.
Et Prol. 10
Magiſter artis, ingeniique largitor.
Verùm de hujuſmodi caſibus & duobus iis concurrentibus, an exprimi in ſcriptura debeant, diligenter ſcripſit primò Pierius in libr. Æneid. 1: 251
Hic tamen ille urbem Patavi.
&: 1: 536
Oenotrii coluere viri.

aliiſque in locis, quibus hoc addas licet Martiani judicium: M. littera etiam neutra finiuntur, ut telum, ſcamnum. Sed hoc animadvertamus, cùm nominativo i ante ultimam ſyllabam habent genitivo ſingulari, item dativo & ablativo pluralibus eandem geminare debent, ut *lilium*, *folium*, &c. Sed conſuetudo (inquit) & auctoritas veterum *ingeni*, *conſili*, *imperi* per tres ſyllabas maluit dicere. De hac ſynecphoneſi exempla quædam repeti poſſent ex iis quæ de dactyl. verſu, & aliis quibuſdam rarioribus pedibus diximus, ſi quis ita malit.

DE INTERVALLIS VOCALIUM RARIORIBUS.

Ostendi ſuprà A ſæpe produci. adiciam unum aut alterum teſtimonium. Ennius lib. 8 p. 81
Jamque ferè pulvis fulva volat.
Virg. Æn. 3: 464
Dona dehinc auro gravida, ſectoque elephanto.
Vide hîc & de E. & adde hunc Prudentii verſum periſteph. hymn. 4: 15
Civitas quæque pretioſa portans.
De E. adverb. brevi adde & hos numeros II: 1115. ubi *perficè*. & VI: 957
Ubi *mire* corripuit. vide etiam teſtimonia quædam in o. Verùm hoc admonitione digniſſimum hîc viſum, quòd vetuſtiſſimi, ut inquit Priſcianus libro 7. in quibuſdam Latinis, quæ nominativum in *es* productum terminant, paresque cum genitivo habent ſyllabas, in tertia declinatione ſolent producere ablativum, more quinctæ declinationis, vel more Græc. *Euphrate*, *Ariſtotele*, &c. ut, *à mole*, *fame*, *tabe*. Virg. in 6: 421
— *ille fame rabida tria guttura pandens.*
Hujus rei exemplum repperi inſigne apud Prudentium in Romano, qui *ſorde* produxit. ait enim: 508
Sorde tumeſcit, liquitur, fœtet, dolet;
Inflatur ira, ſolvitur. &c.
Sic reſtituo eleganter, uti puto, adjutus à veteri codice. vulg. *ſordet*; malè. de *tabe* vide hîc, I: 806.

IN R. DESINENTIA.

Existimo veteres interdum longa hæc verba feciſſe, nulla habita ratione ad inciſionem, aut litteram quam aliam, ſeu elabendi rationem. Enn. p. 119

Interea fugit albus jubar Hyperionis curſum.
& Lib. 16. p. 112
Qui clamor oppugnantis vagore volanti.
& lib. 17. p. 115
Imbricitor, aquiloque ſuo cum fulmine contra.
ibidem: p. 116
Tollitur in cælum clamor exortus utriſque.
&: p. 124
Poſt illa germana ſoror errare videbar.
Lucil. lib. 10
Languor oppreſſitque pigror, torperque quietis.
Virg. lib. 5: 284
Olli ſerva datur, operum haud ignara Minervæ.
ibidem: 521
Oſtentans artem pariter arcumque ſonantem.
& lib. 2: 411
Noſtrorum obruimur, oriturque miſerrima cædes.
idem Ecl. 9: 66
Deſine plura peur, & quod nunc inſtat agamus.
Multiſque aliis locis *r.* finita brevia fecit Maro. Prud. Roman. 302
Quos lana terret diſcolor in ſtipite.
ita leg. ex v. l. uti alibi dixi. Lucil. apud Non. *Interfici:*
Intereunt, labuntur, eunttur omnia verſum.
ita leg.

Is TERMINATA.

Puto hæc nunc brevia nunc longa habita apud antiquos, ut & hæc alia. niſi ſi quis aliam rationem ſequi malit, vel ob inciſum vel ob *h* litteram, quam vice conſonantis poſitam ſæpe, ait Bedas. Enn. lib 8. p. 81
Iamque ferè pulvis ad cælum vaſta videtur.
Idem alibi: p. 39
Et quis exſtiterat Romæ regnare quadratæ.
Virg. lib. 11: 522
— vallis accommoda fraudi.
ſic v. ferè. idem lib. 2. Georg. 428
Vi propria nituntur, opis haud indiga noſtræ.
& lib. 1. AEneid. 482
Per terram; & verſa pulvis inſcribitur haſta.
Contrà, Prudent. in *es* finita ſæpe facit brevia, ut in Pſych. 479
— ſpoliatque ſuos fames impia natos.
& Vincentio: 10
Conluces inſigni ſtola. —
ſic enim v. c. ibi.

Us. TERMINATA.

Et hæc ſæpe producta invenio, niſi item ad vulgares excuſationes & effugia confugias. Enn. lib. 2. p. 25
Præpetibus hilares ſeſe, pulcrisque locis dant.
& lib. 9. p. 89
Filius is dictus ollis popularibus olim.
Virg. Eclog. 8: 54
Ille latus niveum molli fultus hyacyntho.
& 2. Georg. 417
Iam canit effetus extremos vinitor antes.
ſic leg. puto ex v. l. vulg. *extremos effetus.* lib. 12: 23
Multa manu, nec non animus, aurumque Latino eſt.
ita v: q. ſed pl. v. ut vulg. *aurumque, animusque.* idem libr. 2. Georg. 5
— tibi pampineo gravidus auctumno.
lib. 5. Æneid. 337
Emicat Euryalus, & munere lætus amici.
lib. 2. 563
Et direpta domus, & parvi caſus Iuli.
Georg. 3: 389
Invalidus etiamque tremens. —
& lib. 9: 610
Terga fatigamus haſta: nec tarda ſenectus.
& lib. 4: 64
Pectoribus inhians &c.

T. DESINENTIA.

Martianus ait ea quæ in T. finiuntur verba, ancipiti intervallo habita eſſe. quod multi viri eruditi etiam probant: mihique veriſſimum videtur. cujus rei confirmandæ cauſſa proferam aliquot loca. Enn. lib. 3. p. 56
Inde ſibi memorat unum ſupereſſe laborem,
& lib. 1. p. 25
Nec pol homo quiſquam faciet impunè animatus.
& lib. 2. p. 51
Si quid me fuerit humanitus, ut teneatis.
& lib. 6. p. 72
Alter nare cupit, alter pugnare paratus.
& lib. 10. p. 94
Senſit voce ſua, nictit, ululatque ibi acute.
& lib. 11. p. 62
Inſit o cives; quæ me fortuna fero ſic.
&c. lib. 14. p. 108

Con-

Configunt parmam, tinnit haſtilibus umbo.
& lib. 16. p. 112
Tunc timido manat ex omni corpore ſudor.
lib. 17. p. 117
It eques, & plauſum cava concutit ungula terram.
alibi: p. 62
Vos ne velit an me regnare hera, quidve ferat fors.
&: p. 140
Quæ nunc te coquit, & verſat in pectore fixa.
&: p. 40
Menſes conſtituit, idemque ancilia.
Prudent. in Romano: 1078
His membra pergunt urere, ut ignIverint.
ita v. q. vulg. *utque.* & in Hippolyto: 111
Prorumpunt alacres, cæco & errore feruntur.
ſic & ibi v. c. vulg. *terrore.* male. *error cæcus* dicitur, non *terror.* Lucil. lib. 17: 2
Cetera contemnit, & in uſura omnia ponit.
& lib. 30: 4
Quid ſibi vult; quare fit intro verſus ut ad te.
Spectent, atque ferant veſtigia ſe omnia prorſus.
ſic leg. puto apud Non. *ferre.* Terent. Heaut. act. 1. ſc. 1: 63
Putavit me & ætate, & benivolentia.
ſic leg. ex v. l: o. Varro apud Non *protium*:
Qua murum fieri voluit, urgemur in unum.
Virg. lib. 4. Georg. 343
Atque Ephyre atque Hebrus & Actias Orithya.
ſic enim v. q. vulg. *atque Actias.* ibidem: 483
Eumenides, tenuit inhians tria Cerberus ora.
vulg. *tenuitque.* lib. 5: 167
Cum clamore Gyas revocabat ecce Cloanthum.
ita leg. ex v. l. vulg. *& ecce.* ibidem: 480
Arduus, effractoque illiſit oſſa cerebro.
ſic v. l. vulg. *in oſſa.* lib. 9: 24
Multa deos orans oneravit æthera votis.
ſic fere v. l. vulg. *oneravitque* lib. 7: 398
Suſtinet, ac natæ, Turnique canit hymenæos.
lib. 9: 418
Dum trepidant, it haſta Tago per tempus utrumque.
& lib. 10: 394
Nam tibi Tymbre caput Evandrius
&c. Ovid. lib. 1. Met. 114
Sub Iove mundus erat, ſubiit argentea proles.
ita omnino leg. adſero. vulg. *Subiitque.* male. ſic & apud Valer. lib. 2. ex v. c. leg. autumo:
Portum demus, ait, hæc hoſpita credite puppis
Adveniet Lemno; levior deus æquore flexit
Huc Mynias. — τὸ *adveniet* vaticinanti convenit optime. Hæc de intervallis. ſiqui cæſuræ adſcribere malit omnia, ſuo quidem is utatur judicio: mihi non facile probabit. Quæ præterea huc faciunt, in adverſariis hic & illic admonuimus.

ABSURDIORES QUIDAM NUMERI, NON OBSERVATA INCISIONE.

Hoc etiam admonere volui. Video enim quoſdam ea re turbatos, mutare ſcriptorum veterum libros. Ennius & Lucilius ſæpe: Lucretius, Horat. & Virgil. interdum ſunt uſi. Ennius in Scipione: p. 169
Sparſis haſtis longis campus ſplendet & horret.
alibi: p. 68
Fraxinus frangitur, atque abies conſternitur alta.
lib. 7. p. 71
Poſte recumbite, veſtraque pectora pellite tonſis.
& lib. 8. p. 84. 105. 132. 124
Amplius exangere obſtipo lumine ſolis
Labitur uncta carina, volat ſuper impetus undas.
Tardaque veſtigare & quærere te, neque poſſe
Corde capeſſere; ſemita nulla pedem ſtabilibat.
Lucil.
Nec ventorum flamina flando ſuda ſecundent.
& lib. 11
Primo adoleſcens, poſterius directius ſeſe.
alibi:

Pul-

Pulmentaria ut intybus, aut aliqua id genus herba. &:

Scito enim bene longinquum mortalibus morbum
In vino eſſe, ubi qui invitavit dapſilius.

ſic leg. puto apud Non. *Invitare.* Virgil. Ec. 2: 53

Addam cereâ pruna. & honos erit huic quoque pomo.

NUMERI CONGRUENTES SENTENTIÆ.

Hæc ſola particula integrum occuparet librum, ſiquis pro re tractare & explicare vellet. nos faculam tantum præferre voluimus ſtudioſis. Video autem veteres mirifice hac in re luſiſſe: neque ſolum in numeris, verùm in verbis id ſervaſſe decorum, ut gravioribus rebus & perſonis tribuerent graviora verba & numeros. In hoc autem excellere mihi videtur Virgilius. Ennius: p. 135

Capitibus nutantes pinos.

capite nutat ibi verſus, ut arbores mobiles. quàm graviter de Egeriæ deæ reſponſo idem ait: p. 40

Olli reſpondet ſuavis ſonus Egeriai.

idem remigum pulſum & laborem expreſſit, dum ait: p. 71

Poſte recumbite, veſtraque pectora pellite tonſis.

de ſonitu arborum: p. 69

— omne ſonabat
Arbuſtum fremitu ſilvaï frondoſaï.

Virgil. l. 1. Georg. 449. elegantiſſimè grandinis ſalientis crepitum expreſſit:

Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.

quàm horrendè illud: Æn. 3: 658

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

& magnifice l. ſexto: 552

Porta adverſa ingens, ſolidoque adamante columnæ.

Mezentium & conſiſtere facit hoc verſu Æn. 10: 771

Hoſtem magnanimum opperiens & mole ſua ſtat.

tremorem haſtæ expreſſit hoc verſu Lib. 2: 52

— ſtetit illa tremens, uteroque recuſſo,
Inſonuere cavæ, gemitumque dedere cavernæ.

& equitum curſum 8: 596

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.

idem ſcopulos & impedita loca deſcribens, mire intricatum fecit carmen lib. 1: 112

Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus &c.

Quam graviter Jupiter, 10: 108

Tros Italuſve fuat. —

& Juno ad Venerem, 4: 116

— nunc qua ratione quod inſtat
Confieri poſſit. —

ſed admirabilis in eo genere, ut dixi, eſt Virgil. qua etiam laude non caret noſter poëta. vacillantem verſum fecit alibi ob ſenſum, & procubantem.

De monoſyllabis porro quibus veteres omnes liberrime uſi ſunt in extremis verſibus, de Tmeſi, de Syncope, aliiſque nonnullis quia hæc farrago nimium excrevit, & tempore excludimur; neque res magni eſt momenti; dicere plura ſuperſedimus.

VERTERE pro *evertere.* Virg. 1. Æn. 24

— Tyrias olim quæ verteret arces.

Multis jam locis admonui veteres originis, & non junctis verbis uſos ſæpenumerò. Tale eſt illud Pruden. admirabile ſane, l. 1. in Symmach. 583

Et quem panis alit gradibus diſpenſus ab altis,

id eſt, diſpenſatus, deſtributus. agit enim de annona quam plebi dividebant ædiles, ut lib. 2: 948

Quæ regio gradibus, vacuis jejunia dira Suſtinet.

In eo autem Prudentii loco recte ſcriptum eſt in vet. lib. 1. in Sym. 572

Iam quid plebicolas percurram carmine Gracchos.

non *poplicolas*, ut in vulg. q. nam Gracchi plebi potius quàm toti populo ſtudebant. Intelligit autem ibi familiam Gracchorum illuſtrem ea ætate: invenio enim Gracchum P. P. imperantibus Valente, Gratiano, & Valentiniano, l. 3. C. Th. de Quæſtionib. In eodem autem l. ex vet. cod. ℣ſ. 259. legend. puto rectius;

Vitricus antevenit tardum præfervidus ortum,

ut in Apoth.

Imperat: antevidet, perpendit, &c.

ſic enim & ibi v. c. vulg. aliter. & ut Clementem purgemus, ſi poteſt, omnino legend. dico ex vet. cod. l. 2. in Symmach. 511

Sed nec difficilis fuit, aut ſatis ardua genti
Natæ

Natæ ad procinctus victoria, frangere inertes, &c.

vulg. *Natæ procinctus.* malè. ubi paullo antè Palladem Argivam intellige, quæ σάλπιγξ dicebatur & colebatur Argis, de qua Euſtath. in lib. 6. Iliad. In hymn. de Hippolyto 10: 106. ex vet. cod. leg.

Martyris ad pœnam verbera, vincla, feros.

Id ſanè apud Chriſtianum hunc poëtam obſervatione dignum eſt, quòd *feros* pro equis ponat, non addito nomine. etſi paullo antè ℣. 88. dixerat:

Intereatque feris dilaceratus equis.

Sic illud de Eulalia 3: 117. accipi poſſet:

Aut laniabere membra feris.

vulg. hic, *vincla, feras.* malè: tum quia v. l. repugnat, tum quod *ferarum* nomen eſt nimis generale, nec equis rectè convenit: tum denique quia ſequitur: ℣. 110

Hi rapiant artus, tu rape Chriſte animam.

Sic & ibi leg. ex vet. lib. vulg. *rapiunt.* malè. id quod ſinè dubio de equis intelligi debet. In Agne porrò dixit *ſubictus, us,* ſatis nòvè. ait enim 14: 89

Uno ſubictu nam caput amputat.

ita vet. Male & barbarè vulg. *Subictu.* ita *ſubtacitus* dixit alibi, & Titus noſter, *ſubcavus.* I: 106

Vertere. ad res ſacras olim pertinebat hoc verbum. Conſuerunt enim deos veneraturi ethnici dextroverſum ſe vertere: immo aras circuire dextroverſum, ſeu ἐπὶ δεξιά. Plaut. Curcul. I: I: 70

Si deos ſalutes, dextrovorſum cenſeo.

apud Athenæum lib. 4. Poſſidonius de Celtarum moribus: οὕτως διακονοῦνται, καὶ τοὺς θεοὺς προσκυνοῦσιν ἐπὶ τὰ δεξιὰ στρεφόμενοι. ita videtur ſpatiata Dido l. 4: 62

Aut ante ora deûm pingues ſpatiatur ad aras.

Sic Valerii illud accipio lib. 8: 244

— pariterque precati
Incipiunt: ignem Pollux undamque jugalem
Prætulit; ut dextrum pariter vertantur in orbem.

Plin. lib. 28. cap. 2. *In adorando, totum corpus circumagimus.* V: 1198

Vertere, abſolutè, ut convertere, reddere, præcipitare, ut alibi. Salluſt. Catilin. 6. *Poſt ubi regium imperium, quod initio conſervandæ libertatis, atque augendæ reip. fuerat, in ſuperbiam, dominationemque convertit.* ita leg. ex vet. l. V: 616. 829. & f. VI: 1169

Verutum, genus pili. Feſt. & Non. Virg. *verutum Sabellum* nominat lib. 7: 665. vide Chariſ. lib. I. IV: 411

Vesci auris vitalibus, sermone. id eſt, uti. imitatus eſt Virg. lib. I. Æneid. 550

Quem ſi fata virum ſervant, ſi veſcitur aura Æthereà.

Attius *inclutis Achilli armis veſci* dixit. Cicero *veſci voluptatibus.* V: 72

Vescum sal. Agell. lib. 16. cap. 5. *Ve* particula ſicuti quædam alia, tum intenſionem ſignificat, tum minutionem &c. *Veſcum* autem quod ex *ve* particula, & *eſca* copulatum eſt, utriuſque diverſæ ſignificationis vim capit. aliter enim Lucret. *veſcum ſalem* dicit ex edendi intenſione; aliter Lucil. *veſcum* dixit ex edendi faſtidio. Lucilii (26: 52.) verba adfert Nonius hæc:

Quàm faſtidioſum ac veſcum cum faſtidio vivere.

Agellio conſentit Feſtus. I: 327

Vestigia ponere. à gladiatoribus ſumpta oratio. Cicer. de Antonio Philipp. 3: 10. *Ille autem ex Myrmillone dux, ex gladiatore imperator, quas fecit ſtrages ubicunque poſuit veſtigia?* Virg. de equo cùm primum ingredi diſcit compoſitis gradibus, lib. 3. Georg. 195

— vix ſumma veſtigia ponat arena.

alibi Lib. 7. 689 de pugnantibus dicit:

— Veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituere pedis.

Fixa autem dixit poëta, ut & Cic. in Seſtiana 31. *Cujus ego nuper in Macedonia vidi veſtigia, non preſſa leviter ad exigui prædicationem temporis; ſed fixa ad memoriam illius provinciæ ſempiternam.* Sic & Marò lib. 6: 197. de Ænea:

— Sic effatus veſtigia preſſit.

III: 5

Vestire, tralatum ad primam barbæ lanuginem. ita *ripas gramine veſtitas* dixit Columella. Plin. *Quæ pilo*, inquit, *veſtiuntur, animal pariunt*, &c. mire dixit Prudentius 2. in Symmach. 934

Unde ſeges latè crinitis fluctuet agris,
Denſius & gravidis ſe veſtiat æquor ariſtis.

Virgil. autem omnino hunc locum expreſſit lib. 8: 160

Tum mihi prima genas veſtibat flore juventas.

Sic enim ex q. v. ibi malim, cùm ſynepeia ſit certiſſima. In eodem autem lib. Prudentii ℣. 365. ex vet. l. leg. ajo:

— Quodcunque ſacrorum eſt,
Exulat; externûmque inimicam venit in urbem,

pro *externorum.* vulg. *æternum* ἀπροσδιονύσως. Sic in Hamartig. 430

— & nebuloſûm
Spirituum juſſis ſervire ferocibus optant.

ita leg. ibi *nebuloſos* eleganter vocat ſpiritus lucifugas. vulg. *nebulonum*, quod certè nequam eſt. Ibid. in Symm. 2: 888. ex v. l. & q. vulg. omnino leg.

Multiplici dux dæmon adeſt.

dicimus Latinè *ducem eſſe alicui* & *alicujus*: ut *præfectus urbi* & *urbis*, &c. vulg. ferè

Multiplicis dux dæmon at eſt,

malè. quia *at* initio poni ſolet. & vet. l. adverſatur ea ſcriptura. ibid. ex vet. lib. malim: ℣. 911

Caſtiſque choris alimenta negentur.

cœtus Veſtalium ita vocat venuſte. leg. etiam ſine controverſia ex v. lib. ℣. 923

Aut veniat ſicco qui flumine nuntius adfert. &c.

Si, inquit, falſa commemoro, prodeat aliquis qui dicat ſicco jam Nilo Ægyptum fame perire. eleganter etiam ibidem ℣. 731

Date, vincula demam
Captivis gregibus.

date, concedite, ſinite: vulg. *data.* male. In eod. lib. elegantiſſ. dicit *glaciem aquilonis* pro borea gelidiſſimo. hoc non male accommodetur noſtri poëtæ phraſi *glacies æris.* ſed jam fere Prudentium expolivimus. V: 887

VESTIS, lanugo, barba tenera. hinc *inveſtes* quidam dictos putant adoleſcentes, quaſi imberbes dicas. ego, qui veſtem virilem non ſumpſerant: ut *veſticipes*, qui ſumpſerant. Virg. etiam *veſtis* pro lanugine barbæ uſus eſt libro 8. Æneidos. 659

Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis.

Veſtis, ut verbo dicam, videtur generaliter continere omne tegimentum, aut quidquid operit rem quamcumque. ita arbores, gramen, herbæ, ſegetes dici poſſunt *veſtes terræ.* capillus *veſtis capitis*, etſi hoc non tam recte, quòd capita velentur alio integumento: barba genarum; ſpolia & pelles animantum, plumæ avium, ita hic *veſtem araneæ* dixit poëta, *veſtem anguis*, ut Virg. *exuvias anguis:* mira venuſtate. Prudentius autem non minore elegantia dicit in Pſychomach. ℣. 788.

Sed tamen & niveis tradit deus ipſe columbis
Pennatum tenera plumarum veſte colubrum, &c.

in quo Prudentii carmine ℣. 529. lego ex v. c.

— nonne triumphos
Egimus ex Scariot.

Sic enim veteres loquutos eſſe certum eſt. & mox ℣. 532

Haud quaquam ignarum, dextramque parapſide jungit.

De *parapſide* Heſych. Ibid. 297

Dum ſeſe oſtentat, clypeo dum, &c.

Sic interpungo. ibid. 634

Veſtis & uſque pedes deſcendens. &c.

ita leg. ex v. c. *uſque* pro *aduſque* veteres uſurpant. ejus ignoratio credo mendum peperit. lego etiam ℣. 120

Nec doleas, quia turpe tibi gemuiſſe dolore.

In prologo autem ℣ 33. recte v. c. habent, *bacis*, aut quod idem eſt, *bagis*; ut docte etiam monet Fabricius ibi:

Attrita bacis colla liber erigit.

nihil ergo mutand. De veſte porrò vide *Veſtire*, & *Iuventas.* III: 387. 613. V: 672

VESTIS CIA, MELITENSIS. dixi ſuprà, veteres Romanos ει Græcorum in *i*, ſæpe in *e* commutaſſe. Sic πρυτανεῖον ſæpe *prytaneum*; ego etiam *prytanium* comperi. Cic. de ſignis: *Nam Sappho quæ ſublata de prytanio eſt,* &c. Sic in vet. cod. ſimiliter pocula θηρίκλεια Cicer. ibidem dixit *Thericlia.* verba Tullii ſunt hæc: *De hoc Verri dicitur, habere perbona toreumata, in his pocula quædam, quæ Thericlia nominantur, Mentoris manu ſummo artificio facta.* Sic enim eum locum ex vet. cod. legend. adſero, in quo eſt *Theridia*: namque multis locis *d* pro *cl.* ſcriptum inveni. Sic *Androclum* lego in Agell. lib. 5. cap. 14. ut in annotationibus in Noct. Attic. docui. vulg. *Androdus.* De *poculis* autem *Thericliis* erudite & copioſe Athenæus lib. 11. Nepos in vita Thymoleontis: *Neque ita multo pòſt Seleucus à Ptolemæo Ceraùno dolo interfectus eſt, quem ille à patre expulſum, Alexandrea alienarum opum indigentem receperat.* Hæc iterum hîc monere volui, ut ne deleantur hæc antiquitatis veſtigia etiamnum in vet. lib. expreſſa.

preſſa. Unum eſt antiqui oris dictum in eodem Cic. lib. in Verr. 6: 99. ſed vulg. eraſum, quod hîc etiam adſcribam, ut cum aliis deinde communicari poſſit: *Poſtridie ſacerdotes Cereris atque illius fani antiſtitæ majores natu, probatæ ac nobiles mulieres, ad magiſtratus ſuos deferunt*, ſic leg. etiam ex Priſciano lib. 5. & Agellio lib. 13. cap. 19. vulg. *antiſtites majores ſuos.* De *Melitenſi* autem veſte Cicer. lib. 4. in Verr. 59. *Dico te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ, plurimam veſtem Melitenſem, plurimam ſtragulam, &c. Syracuſis exportaſſe.* & lib. 6: 103. *Inſula eſt Melita judices, ſatis lato ab Sicilia mari periculoſoque disjuncta: in qua eſt eodem nomine oppidum, quò iſte* [Verres] *nunquam acceſſit: quod tamen iſti textrinum per triennium ad muliebrem veſtem conficiendam fuit.* Vide *Melitenſis* ſuprà.

VESUVUS mons eſt Campaniæ, ab æſtu & igne nobiliſſimus. dicebatur *Veſævus*, *Veſuvus*, & *Veſuvius*, ut *vulturus*, *vulturius*, &c. quidam *Veſujus* ſcribunt, fortaſſe non rectè. itaque in Valer. Argon. lib. 3: 210. ſcribendum:

> *Veſuvus, attonitas ater cùm ſuſcitat urbes.*

ubi tamen *Veſulus* eſt in v. c. q. quaſi olim fuerit *Veſujus*, ut ſæpe *i* in *l.* & contrà mutatum ſcimus. in quo Valerii libro ℣. 35. legendum exiſtimo:

> *Et te jam medio flaventem Rhundace ponto,*
> *Spumoſumque legunt fracta Scyllaceon unda.*

ſic enim eſt in vet. cod. *Rhundacus*, ſeu ut Græci ῥύνδακος, urbs eſt inter Phrygiam & Helleſpontum ſita, teſte Stephano. Scyllaceon vocat quam σκυλάκην alii, quod Cyzico vicinum eſt oppidum, eodem teſt. In Valerio porrò Maximo, ubi nomina propria mire ſunt contaminata, l. 4. cap. de Abſtinentia leg. *Atque huic animi ejus judicio Q. Fabius Gurges, N. Pictor, Q. Ogolnius ſe ſubſcripſerunt, quæ legati ad Ptolemæum*, &c. vulg. ibi peſſime. N. id eſt, *Numerius*, *Pictorum* eſt prænomen. *Ogolnia* gens in Romana hiſtoria nobilis. Reſtitutionem hanc id confirmat, quòd olim legati fere mitterentur à Romanis tres; numquam (quod equidem ſciam) quatuor: vulg. tamen ibi commemorantur quatuor, & dicitur unus *C. Numerius*, quaſi diceres *C. Marcus*, *P. Aulus*, quæ ſunt deridicula. Sic lib. 3. De Patientia, leg. ex vet. cod. *In Theodoto quoque, viro graviſſimo. Theodoti* nomen ubique ferè depravatum in *Theodori*, cùm utrumque apud Græcos celebretur: ſed permiſcenda non ſunt. Victorius quoque *Theodoti* nomen reſtituit Ciceroni, ubi & antea ſemper *Theodori* erat ſubjectum. Ceterum ut ad Titum redeam, ſi *Veſuvus*, ſeu ut in q. c. antiquis, *Veſubus*, *b* pro *u* more pervulgato, & *Veſuvius* tantum recipimus, uti libri vet. volunt. haud ſcio an à mendo liber hîc ſit Lucretius. nam à *Veſuvus* fit patrius caſus *Veſuvi*: à *Veſuvius*, *Veſuvii*, deinde τοῦ *Veſuvus* prima apud alios poëtas eſt longa. Statius lib. Silvar. 4: 4: 79

> — *fractas ubi Veſuvus egerit iras.*

Sic ibi leg. vulg. *Vesbius*. ex quo etiam loco apparet veteres dixiſſe *Veſujus*, nam *b* mutato in *u*, fit *Veſujus*. Si locus ergo mendo vacat, dicendum erit *Veſuvus*, *Veſuvius*, & *Veſujus* dixiſſe, ut à *Veſujus*, in patrio caſu, conformetur *Veſuji*, & craſi *Veſuî*, ſitque vox diſyllaba. verùm locus Lucretii de mendo maxime eſt ſuſpectus. quem utinam conſtituere aliquando poſſim. In v. q. l. eſt:

> *Is locus eſt Cumas apude triſui per montis*
> *Oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti.*

& in alio v. q. *apud ecris vi per montis.* Hinc Marullus fecit: *apud Etruſcos & montis.* & ita vulg. fere, quod perabſurdum eſt: nam in Etruria nullus mons commemoratur eo ingenio. Ianus Parhaſius item legebat:

> *Is locus eſt cùm apud Etruſcos per montes, &c.*

Lamb.

> *Qualis apud Cumas locus eſt, montemque Veſævum.*

Ego à doctiſſimo Hadriano Turnebo adjutus legerem libentius:

> *Is locus eſt Cumas apud ocris vi per montis*
> *Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.*

id eſt: talis apud Cumas eſt locus, ubi *auctus*, id eſt aquarum ſcaturigines, oppleti calidis fontibus fumant, ac vapores exhalant magna vi & impetu per *ocres montes*, id eſt, *altos.* *Ocris* epitheton montium explicatur diligenter à Sex. Pompejo. VI: 747

VETERINUM SEMEN. veterinæ animantes ſunt equi, boves, aſini, &c. Feſt. *Veterinam beſtiam jumentum Cato appellavit à vehen-*

bendo. Opilius veterinam dici putat, quaſi venterinam, vel uterinam, quod ad ventrem onus religatum gerat. hinc veterinarii medici V: 863. 888

VEXAMEN MUNDI. *vexationem* vocat Cicero. vide *lateramen.* V: 341

VEXARE. vehementiam magnam continet hoc verbum, de quo in Noctibus Atticis. II: 3. &c.

VIÆ LETI, ut *janua leti.* II: 916

VIAS pro *viæ.* f. Ennius 7. Annal. p. 72. *dux ipſe vias. familias* pro *familiæ.* Livius: *eſcas, & monetas* pro *eſcæ,* &c. vide Priſcian. lib. 6. ceterùm ego malim ibi *relliquas* tetraſyll. ut *vias* acquirendi caſus ſit. IV: 973

VIBRANTE LINGUA. imitatus Maro lib. 2. Æneid. 211

Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

III: 657

VICTUS. utitur hoc verbo multis locis poëta, pro labefactatus, fractus. convulſus, violatus. ita vi, æſtu, fragore, vulnere, & ratione aliqua *victus.* Sic Arnob. lib. 4. *habitudinem fictilibus contribuit vaſculis, ne flammarum diſſiliant vi victa.* ex cujus lib. 3. Prudentii locum reſtituo. verba Arnobii ſunt hæc: *Quid ergo dicemus? deos procreare? deos naſci? & idcirco his additas genitalium membrorum partes, ut ſufficere prolem poſſent, & nova quaque ſuboriente fetura, quidquid prior ætas abſtuliſſet, recidiva ſubſtitutio ſubrogaret?* unde liquet quid valeat *recidivum.* & ſic apud Prud. rectiſſ. legitur in v. l. lib. 2. in Symm. 821

— corpora tantum
Gignit, alit, reparat, recidivaque ſemina ſervat.

vulg. *redivivaque.* peſſ. Virg. lib. 12: 254

— Donec vi victus, & ipſo
Pondere defecit.

& lib. 1. Georg. 180

Ne ſubeant herbæ, neu pulvere victa fatiſcat.

lib. 3: 560

Aut undis abolere poteſt, aut vincere flamma.

Sic fortaſſe melius ex q. v. c. ſcribetur verſus ille Virgil. e Georg. 2: 93

— tenuiſque Lagæos
Tentatura pedes olim, victuraque linguam.

Sic etiam apud Donat. in Eunuch. ſcriptus eſt. & lib. 7. Æn. 440

Sed te victa ſitu verique effeta ſenectus,
&c.

ita etiam Cicer. fere: *Hic primùm opes ipſius civitatis victæ, comminutæ, depreſſæque ſunt.* Sic accipio *victi* pro abiecti, afflicti, in illo Virg. Ecloga 9: 5

Nunc victi triſtes [quoniam fors omnia verſat] &c.

Alibi quoque *pulſus* dicit noſter pro *victus.* ſic *victus* pro de ſententia motus, eleganter Virg. Æn. 2: 699

Hic verò victus genitor, &c.

& aliis in locis. quæ omnia obſervatione viſa ſunt non indigna. I: 856. III: 828. V: 110. 1103

VICTUS & DEVICTUS VULNERE. hoc genus eſt dicendi veteribus uſitatum, cujus origo & explicatio pendet ex iis quæ modò ſunt dicta, quaſi fractus, impulſus, &c. Virg. lib. 10. Æneid. 841

At Lauſum ſocii exanimum ſuper arma ferebant,
Flentes ingentem, atque ingenti vulnere victum.

& lib. 12: 640

Oppetere ingentem, atque ingenti vulnere victum.

Sic etiam certiſſime ſcribendus eſt verſus Bibaculi, poëtæ doctiſſimi, e lib. 1. apud Macrob. lib. 6

Ille, gravi ſubito devictus volnere, habenas.
Miſit equi.

vulg. *devinctus.* V: 1320

VICTUS, VINCTUS, DEVICTUS, & DEVINCTUS amore, & vulnere amoris. hæ omnes loquendi formulæ ſunt bonæ. Virg. lib. 12. Ænei. 29

Victus amore tui, cognato ſanguine victus.

idem lib. 8: 304

Tum pater æterno fatur devictus amore.

Sic vulg. fere omnes l. & q. v. atque ita Servii verba exaudienda puto. in q. v. tamen & vulg. *devinctus.* Ita variatum in codicibus Terentii Hæc. act. 1. ſcæn 2: 91

Hìc animus partim uxoris miſericordia devinctus, partim victus hujus injuria.

Sic v. q. fortaſſe rectiùs, quam vulg. *devictus:* etſi Donatus ita videatur legiſſe. idem Virg. Ecl. 10: 69

Omnia vincit amor.

& lib. 6: 822

Vincet amor patriæ, laudumque immenſa cupido.

Vin-

Vincula amoris dixit Cicer. & hîc *compages ac nodi Veneris.* Eſt magna tamen inter *victus*, & *vinctus amore*, differentia: nam *victus* ſeu *devictus amore* cauſſam in ſe habet, ut vocant inpulſivam, id eſt, adductus, impulſus, coactus: *vinctus amore* & *devinctus* nihil eſt aliud quam amans, ſimpliciter. I: 34

VICTUS & VINCTUS, DEVICTUS & DEVINCTUS SOMNO. Et his omnibus uſi ſunt antiqui. Catull. 64: 122

> *Aut ut eam, dulci devinctam lumina ſomno,*
> *Liquerit immemori diſcedens pectore conjux.*

ubi tamen in q. l. *devictam.* Theocritus de ſomno dixit. πεδᾶα μαλακῷ καὶ φάεα δεσμῷ. At Hom. Il. 10: 2. μαλακῷ δεδμημένω ὕπνῳ Valer.

> — *Sopor alligat artus.*

Vinctus ſuaviorem & in tenellis ſomnum; *victus* altiorem & graviorem videtur ſonare, ex laſſitudine puta, aut alia qua moleſtia. Oſtendi jam varios uſus horum verborum *victus* & *vinctus*, & magnopere codicum in iis variare ſcripturas. Libet nunc addere duo etiam paria, de quibus etiam mirifice diſſentiunt libri: *dirus, durus*; & *rapidus, rabidus.* de *abſcindere* & *abſcidere* dixi alibi. Et primùm quidem apud Cicer. lib. de Senectute ex conſenſu omnium lib. vet. leg. adfero: *idque cum in vita, tum in ſcæna intelligi poteſt ex his fratribus, qui in Adelphis ſunt. quanta in altero duritas, in altero comitas?* nec multum Nonii auctoritas me movet; multa ille & male intellexit, & perperam deſcripſit: ut *devorare* legit apud Att. Æneadis, & exponit *abſumere.* quod valde eſt abſurdum. leg. *devotare*, ut admonuit Ioannes Cauchus vir doctiſſ. Sic male ſcribit *proſſerari* (niſi cod. hîc vitiatum quis dicat) *impetrari*, cùm dicendum ſit *propetrari, impetrari.* Lucil. l. 26: 62

> *Nec minimo propetratur pax, quòd Caſſandram*
> *Signo deripuit.*

Etſi ergo Demea ille eſſet agreſtis, ſævus, triſtis, parcus, truculentus, tenax: nihil ea tamen ad diritatem. *Diritas* complectitur peſtem quandam fatalem, & perniciem inſignem aliquam. *durus* potius erat Demea, duriter, ut ipſe ait Terent. ſe habebat, non ſectabatur clementem vitam. homo ergo erat ille vehemens, aſper atque durus: *ſenex*, ut ait Cic. pro Cælio, *durus ac agreſtis.* Deinde in Virg. 4. Georg. 246

> *Aut durum tineæ genus.*

ita v. fere lib. q. v. & vulg. *dirum*; neutrum ſatis intelligo: *dirum* tamen hîc mallem. lib. 12. Æneid. 199

> *Vimque deûm infernam, duri ſacraria Ditis.*

ita o. l. v. fere & Servius. eaque eſt veriſſima ſcriptura. nam lib. 7: 568. ait:

> *Sævi ſpiracula Ditis,*

quod idem omnino eſt. vide ſupra, *Sævus.* inexorabilem Plutonem intelligit. vul *diri.* male. Sic quam Virg. 3. Georg. *ſævam* dixerat novercam, Valerius *duram* dixit l. 3. 609. ubi ait Herculem

> — *duræ referentem monſtra novercæ*
> *Junonis.*

quam *ſævam* etiam vocat Virg. 1. Æneid. Sic ergo in Val. ex v. l. etiam. vulg. *diræ.* peſſime. Sic & l. 7. 308: malim ex v. c.

> — *Rupta condi tellure premique*
> *Iamdudum cupit, ac duras evadere voces.*

vulg. *diras.* Horat. l. 2. od. 12: 2

> *Nec durum Annibalem, nec Siculum mare.*

ita vet. noſter. vulg. *dirus.* uti *Vlyxes* & *durus* & *dirus* dicitur, item Annibal *durus* & *dirus* dici poteſt. *dirus* etiam alibi vocatur; hic magis convenit *durus*, ut oſtendat poëta dura & ſæva bella non poſſe commode aptari mollibus citharæ modis. In ea autem ode reſtituamus age poëtæ ſuam dominam, quæ vulgo ſcribitur ac vocatur *Licinia*; *peſſime.* nam & contra l. v. eſt, & non convenit cum ratione intervalli: ſiquidem in *Licinia* ſecunda ſyllaba eſt brevis, ut alibi:

> *Heſterno Licini die otioſi.*

leg. ergo *Lycymniæ* ex vet. cod. noſtro. Virg. Horat. &c. perfamiliaris, *Lycymniam* etiam amiculam quandam regis Mæonii operi ſuo (ubi non temere ſolet etiam hominum & locorum uſurpare nomina) inſeruit. ait enim lib. 9: 546

> *Mæonio regi quem ſerva Lycymnia furtim*
> *Suſtulerat.*

Ælius etiam Feſtus libro de Carminum Appellationibus, *Lycymnii* cujuſdam meminit, viri eruditi; ſic enim ait: *Melos autem quod ex his naſcitur, dictum putant à Meline Oceani filia, quam primùm quatuor chordis uſam adfirmat Lyſanias, ſive, ut Lycymnius,* ἀπὸ τοῦ μελεάζειν, τοὺς ἐστὶν θρηνεῖν. Hæc adduxi, ne quis ſuam poëtæ eripiat *Lycymniam*, ea de cauſſa quòd nomen videatur inauditum. Apud Prudent.

quoque *dira* editum eſt pro *dura*, hymn. 1. Peri-ſteph. ℣. 22 ſic ait:

— *Quos nec catenæ, dura nec mors terruit.*

ſic omnino leg. ex vet. l. nam de horrore mortis agitur, ideoque durum dicit: non de genere mortis; id quod τὸ *dirum* poſtulat. De *rabidus* & *rapidus* paucula dicam: Apud Horat. de Arte Poëtica ℣. 393. ex vet. cod. leg. putem:

Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.

vulg. *rapidosque*. Prud. Peri-Steph. 9: 71. de Hippolyto:

Quos ubi ſuſceptos rabidum malè ſuta per æquor
Vexerit, & tumidis cæſa labarit aquis.

ita vet. l. rectè, uti opinor. tralatio à re militari. navis icta a tumidis undis (tum autem *rabidum* eſt mare) *labat*. ut Virgil. Æn. 2: 492

— *Labat ariete crebo*
Janua.

labat ergo, deficit, diſſolvitur. *Cæſa* etiam *tecta* ibi conſimili fere modo extulit. vulg. *rapidum lavarit*. Et quia hic reſtrictiores fuimus; unum præterea locum de verbo *Afore* (quod Latinum & egregium eſſe, ſed ignotum vulgo, & hinc illinc ejectum ſupra diximus) proferam. Eo igitur verbo ipſum Virgilium uſum deprehendi lib. 7. Æneid. ubi de Aſcanio, qui tela ad configendum cervum coniceret, agit, ℣. 498

Nec dextræ erranti deus afuit, actaque multo
Perque uterum ſonitu, perque ilia venit arundo,

Sic admonitus a vet. l. ibi leg. autumo. in q. l. eſt *affuit*, in aliis aliter, perperam & male. vulg. *abfuit*, etiam non recte. quia contra v. l. & quod, ut & Cic. lib. de Orat. ad Brutum monuit, *a* fere jungunt verbo, ſi eam excipiat conſonans: *ab*, ſi vocalis. dicimus tamen *abſum*. IV: 1021

Videlicet, videre licet. hoc digniſſimum quod hiſce Conlectaneis adſpergatur. Plautus Stich. 4: 1: 49

Videlicet parcum illum fuiſſe ſenem, qui, &c.

& 51

Videlicet illum fuiſſe nequam adoleſcentem.

vide & *Scilicet*. I: 211

Videre, pro *vigilare*, mire dictum. Virg. Ecloga 6: 22

— *Jamque videnti*
Sanguineis frontem moris & tempora pingit:

Sic enim Donat. explicat apud Terent. Eun. 1: 1: 28

Vivus videnſque pereo.

III: 1059

Viduata manuum. ibidem ait *orba pedum*. Græcus eſt hic ſermo. ſic Ovidius lib. 12. Metamorph: 512

— — *Nudus*
Arboris Othrys erat.

Horat. 1: 10: 11

Viduus pharetra Riſit Apollo.

Feſt. *viduertas*. V: 838

Vietus, mollis. Donat. in Eunuch. act. 4. ſc. 4: 21. ad illa verba Terentii:

Hic eſt vietus, vetus, veternoſus ſenex.

Lucretius, inquit, *araneæ dixit vietam veſtem, id eſt, putri mollitie præditam.* In quo Terentii loco puto optime legi poſſe ita ℣. 13

Nam quem alium? habui neminem.

τῷ *nam* ita utebantur ſæpe numerò veteres. vetuſto etiam more hoc ibidem dictum: *& eam eſt indutus?* ſic ex eodem cod. leg. opinor. III: 386

Vincere. argumentis docere, obtinere, confirmare, evincere. Sic M. Tullius cum alibi ſæpe, tum in Paradox. 4. *Sed* (inquit) *dementem & inſanum rebus te vincam neceſſariis.* ita enim locum eum quidam legunt contra omnes veteres libros. nos ita ex vet. lib. *Sed dementem & inſanum* (vel, *te inſanire*) *rebus advincam neceſſariis. rebus neceſſariis* venuſte pro rationibus efficaciſſ. de *Advincere* vide hic *adopinari*, poſſet tamen retineri vulg. *addicam*; nam in q. v. vidi *addictam*, ſi modò ita etiam accipiatur. Reſtituamus etiam proximi Parad. locum perdifficilem, quique multos exercuit viros eruditos. ait ergo Cicero: *Atque ut in magna familia ſunt alii lautiores, ut ſibi videntur, ſervi, ſed tamen ſervi. paris ſtultitiæ ſunt, quos*, &c. ita v. l. niſi quòd pro *pari* fecerim *paris*, adſumpto *s*. quod ſine dubio perierat (ut ſæpe aliàs) quod ſtatim eadem exceperat id verbum littera. Deinde illa quæ in vulg. & q. l. varie exſtant *Atrienſes actu, ac tu, acto*, abieci, ut e gloſſa profecta. quò enim *Atrienſes* hic; qui haud ſcio an fuerint honeſtiores, cùm Ulpianus 10. eos in *mediaſtinis* numeret. Et ut fuerint ex honeſtiorum numero (ex quo certe erant *columellæ, cancellarii* ſeu *tabelliones, actores, diſpenſatores*, &c.) hinc tamen ut canes e balneo pellendi ſunt. Sententia autem planiſſima nunc eſt: ut tales, inquam, ſervi ſunt ſtul-

ſtulti: paris ſtultitiæ ſunt, id eſt, item ſeu itidem ſeu conſimiliter ſtulti ſunt, quos tabulæ pictæ, &c. nimium delectant, nam quia ſuppellectilem habent lautiorem, quidam ſe efferunt in r. p. viri; uti ſervi in familia, opera fungentes honeſtiore, ſuperbiunt. Simili, hoc eſt, turpiſſima gloſſa contaminatus eſt Cic. locus quidam lib. I. Offic. 31. quem eadem opera nunc purgabo. *Sed incidunt* (inquit Cic.) *ſæpe tempora, quum ea quæ maximè videntur digna eſſe juſto homine, eoque quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria: ut non reddere depoſitum, nec promiſſum facere, quæque pertinent ad veritatem & ad fidem, ea migrare interdum, & non ſervare, ſit juſtum.* Hoc modo reſtituo, à v. l. & ipſa veritate quaſi manu ductus, locum inſignem. vulg. & in v. l. aderat hæc gloſſula, *etiam nec furioſo promiſſum*, &c. quidam ita: *depoſitum enſem furioſo*, &c. ſed *enſis* vox eſt poëtica. In lib. quoque Cic. de Legib. gloſſam ejeci ſupra in verbo *Recreare*. quæ omnia ita amice conſpirant, ut mihi omnino perſuadeam, hanc eſſe veram eorum trium locorum ſcripturam. V: 734. VI: 497. 708

VINDICIT f. ut *ſonit, verberit, tonit, dolit*, &c. pro *vindicat.* verùm locus de mendo eſt vel maxime ſuſpectus. vide & *Sevidere.* Et tamen *vindicit* prope omnino abeſt a veſtigiis vet. lib. Sic autem in 12. Tab. locuti videntur decemviri: *Ni judicatum facidt, aut quis endo jure em vindicit; ſecum ducito.* ita apud Agell. leg. puto ex v. l. III: 894

VIRGINALES COMPTUS. Sic vocare videtur vittas, quas veteres dicunt *virginales.* nam inter nuptarum & virginum comptus differentia erat etiam in ipſo capitis comptu & vittis. id quod etiam hodie Belgæ, & in his Propantii maxime ſervant. Virg. lib. 2. Æneid. 167

— manibusque cruentis
Virgineas auſi divæ contingere vittas.

Quod autem ait *infula* redimitum fuiſſe Iphigeniæ caput, eò pertinet quòd hoſtiæ ſoleant vitta ſeu infula cingi. Virgil. ibid. 155

— vos aræ, enſeſque nefandi
Quos fugi, vittæque deûm, quas hoſtia geſſi.

I: 88

VIRIDANS. Sic & Prudent. Periſteph. ubi de Emerita urbe Hiſpaniæ, ubi ſepulcrum Eulaliæ remanſiſſe ſcribit ℣. 188

Quam memorabilis amnis Ana
Præterit, & viridante rapax
Gurgite mœnia pulcra lavat

In eo autem de fortiſſima illa puella eleganti carmine ex v. c. ſcribendum puto ℣. 101

Quam cuperem tamen ante necem,
Si potis eſt, revocare tuam
Torva puellula nequitiam.

Si potis eſt, venuſte. Terent. & antiqui. *Si poteſt, Si poterit*, &c. fere dicunt. de quibus in Cæſarem. vulg. *ſi potis es*, minime placet; ratio apparet vel cæco. *revocare* autem *nequitiam*, ſatis ſordide, ut ingenue dicam, protulit. utque totam eam Oden illuſtremus, ait eam 12. ætatis anno proximam thalamo, & jam jam nubilem ſupplicio affectam juſſu tyranni teterrimi Maximiani Imper. eo enim & Diocletiano imperantibus miſerrime in Chriſtianos eſt ſævitum. Norunt hoc omnes. illud non æque obvium eſt & promtum omnibus, quòd cum duo fuerint imperatores Maximiani, alter Herculius, alter Galerius cognomine, hujus juſſu Eulalia potius ſit mortua. Male quidam tres Maximianos faciunt: nam in Oroſio lib. 7. cap. 28. omnino leg. contendo, & aliâs docebo latiùs: *Ita nunc reſpub. ſub novis quatuor principibus fuit, Conſtantino & Maxentio filiis Auguſtorum, Licinio autem & Maximino, hominibus novis.* & mox: *Maximinus perſecutionis*, &c. vulg. *Maximianus.* peſſime. Sed jam ſatis evagati, receptui canamus: vide *Varians*, &c. *Participia.*

VIRUS. ait Priſc. lib. 6. quoſdam eſſe qui dicerent non inflecti nomen iſtud, alios qui dicerent inflecti, fretos auctoritate Lucretii. nam & *viri* & *viro* a *virus* extulit. apud alios nondum inveni. II: 475. 852

VIRUS IONIUM f. vocant *virus* id veteres quod aqua marina vetuſtate ſordidum ac tetrum deponit. Plin. lib. 31. ut autem *virus adſpergere*, ita & Virg. ſed alia in re dixit Georg. 3: 419

Peſtis acerba boum, pecorique adſpergere virus.

I: 720. II: 475. VI: 635

VIS ANIMI, animus. I: 73. III: 772

VIS CANUM, canes. ita Virg. 4. Æneid. 132

Maſſylique ruunt equites, & odora canum vis.

VIS EPICURI, id eſt, ſumma ingenii ejus vis, & ut de Antonio oratore ait Cicero.

in-

incredibilis quædam & prope ſingularis ac divina vis ingenii, ſeu præſtantia. III: 29

Vis equi, equorum. pro equo, equis. Sæpe cum aliis, tum equo *vis* adiungitur. Cic. Arato:

Serius hæc obitus terrai viſit equi vis.

Sic reſtituo ex Priſc. manuſcriptis lib. 7. ubi vulg. & in lib. Cicer. *juſſit equinis*, *& equinus*. II: 264. III: 8

Vis flammea, maximus ignis, aut flamma. II: 215

Vis magna. Sic vocat doctiſſ. poëta imperium & poteſtatem, qua in metallum & ad opus metalli damnantur quidam, ibique adſervantur diligentiſſime. Eodem fere modo Prudent. in Pſychom. 445

— quoniam vis major acerbam
Compellit tolerare fugam.

Eum poëtam Criſtianum, quia nunc, ut opinor, fere totum vindicavimus a mendis innumerabilibus, addamus & aliquot ut ita dicam manticas; & hanc in primis e lib. 2. in Symmach. ỳ. 138. ubi ſic leg. & interpung. ex vet. lib. adſero:

Non ut captus homo [in q. v. *humo*] *ſtudiis & inaniter ardens*
Duceret omne bonum poſitum in dulcedine rerum,
Et ſpecie tenui, quas currere tempore juſſi &c.

Vetat nos bonum omne collocare in voluptate quæ ex rebus, & earum tenui ſpecie ſeu nitore capitur. vide hîc *ſpecies.* vulg. *q. ſpecies tenues*, nullo ſenſu. in Jure porrò Civili *vis major* ponitur pro injuria cæli, aut qua alia calamitate fatali & naturæ. VI: 815

Vis morbi, morbus. VI: 664

Vis venti. I: 272

Visere ad aliquem. hoc elegantiſſimum dicendi genus veteribus perfamiliare hodie vix notum eſt. Plaut. Captivis. 4: 3: 113

Poſtremò Hegio, ſi parva jurijurando eſt fides,
Viſe ad portum.

Terent. Adelph. 5: 6: 1

Hera, ego hinc ad hos proviſam.

& in Hecyra I: 2: 114

Noſtra ilico it viſere ad eam.

ibid. act. 2. ſc. 1: 40

Quod heri nemo voluit viſentem ad eam te intro admittere.

qui locus fæde inquinatus eſt in vulg. q. l. Sic & alibi in Hec. 3: 2: 4. dixit:

Nunc ad eam viſam.

Agel. lib. 13. cap. ult. *Cùm valebo ab oculis, reviſe ad me.* idem cap. 26. l. 2. *Phavorinus philoſophus cùm ad M. Frontonem Conſularem pedibus ægrum viſeret.* vide & *Reviſere.* V: 635. VI: 1236

Visu pro viſui. de his caſibus copioſè Nonius. apud Terent. Adelph. 1: 1: 38

Veſtitu nimio indulges, &c.

legend. ex veter. lib. Vulg. *nimium.* Sic & in Prudent. Diptychio 37. ex vet. cod. omnino leg. puto:

Implentur nimio micarum fragmine corbes.

vulg. malè, *minimo.* V: 102

Visus pro oculis, ut ὄψις. ita Virg. l. 2: 604

— quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat viſus. I: 37

Vitalia rerum, res vitales, vitamque tuentes. ita ferè Valer. lib. 3: 199

Qua ſtomachi ſecreta ferit, lætuſque profatur.

ubi leg. paullo antè ỳ. 196

— & extrema ſonuit cita caſſide cuſpis.

extrema rectè dicitur caſſis ſeu galea. id eſt, ſumma, ἀκρωτάτη. cuſpis ſeu haſta optime, *cita. volat ocior Euro*, inquit Virgil. de haſta. vulg. inverſo ſcribitur ordine *cita cuſpide caſſis.* tum quòd ſit contra veteres libros, tum quòd caſſis non recte diceretur *cita.* Similis inverſio putatur facta hic II: 802. ſed male: nam ibi de coloribus variis plumarum columbæ agitur, ut exprimi debuerit *rubra* de ipſa pluma, non verò *clara.* In eodem porrò libro Valerii ỳ. 537. ex v. c. legendum aſſero:

Vidiſti roſeis hæc per loca Bacchus habenis
Cùm domitas acies, & Eoi pocula regni
Duceret.

Ita eleganter doctiſſimus poëta. Baccho pocula & canthari tribuuntur, immò ex Orientali plaga & Aſia, ubi magna ſemper poculorum erat multitudo, teſte Athenæo, in Europam rediens victor, triumpho quaſi duxit ſecum domitos populos, & cantharos quaſi manubias. quò pertinet quod alter Valer. lib. 3. cap. 6. ubi de C. Mario: *nam inquit, poſt Iugurthinum, Cimbricumque, & Theutonicum triumphum cantharo ſemper potavit, quòd Liber pater inclitum ex Aſia ducens triumphum,* hoc

hoc uſus poculi genere ferebatur. vul. ibi *& Eoi pericula*, *ſpicula*, malè, & ne dicam abſurdè. In eodem Valerio ŷ. 161. ex v. c. legendum eſt:

— *ſocia ſed diſſicit agmina clava.*

vulg. *diſicit.* uſus eſt eo verbo & Valerius Maximus lib. 3. cap. 5. ubi de Q. Fabio Q. F. *dolenter enim homines ferebant pecuniam, quæ Fabiæ gentis ſplendori ſervire debebat, flagitio diſſici.* ſic ibi legend. ex veteri codice. vulg. *disjici.* ita Virg. 7. Æneid. 339

Diſſice compoſitam pacem, &c.

Ita veterem librum habere monuit doctiſſimus Pierius. putat ille autem *diſſice* pro *diſice* ſcriptum duplici *ſ.* ut celeritas major indicetur. malim ego fateri verbi originem & vim me ignorare, quàm talem adſuere explicationem, quæ certè Valerii loco minimè congruit. Sed de hoc verbo & alibi diximus. Quia autem Valerii Maximi facta eſt mentio, in eo etiam reſtituamus locum unum & alterum l. 3. ubi de conſtantia Piſonis ſic leg. puto ex vet. c. *In hoc miſerando pariter atque erubeſcendo ſtatu civitatis, tantùm non manibus tribunorum pro roſtris Piſo collocatus eſt.* elegantiſſime indicat vim & ardorem tribunorum cupientium Paliganum renuntiari conſulem. vulgò *tantummodo.* frigide, *τὸ tantùm non*, male acceptum errori dedit cauſſam. ibid. lego ex eodem codice, *tam abſciſo reſponſo.* vulg. *abſciſſo. abſciſo*, id eſt, *conciſo, præciſo.* Utitur ſæpe ea voce Valerius, ſed ubique fere mutata in *abſciſſo.* Proferam nunc duo tantùm loca. lib. 6. ubi de Charonda: *Sed aliquando Charondæ Tyrii præfractior & abſciſior juſtitia:* ſic vet. c. recte. ubi & mox ſcribend. exiſtimo. *Idem, inquit, ego illam curabo, qui ſauciavi.* Sic venuſte in v. cod. legem à ſe læſam curaturum ſe dicit. & l. 2. cap. 7. ubi de L. Calpurnio Piſone: *L. quoque Calpurnius Piſo conſul, cùm in Sicilia bellum adverſus fugitivos gereret, Titium præfectum equitum, quòd fugitivorum multitudine circumventus, hoſtibus arma tradidiſſet, his ignominiæ generibus affecit: cum toga laciniis abſciſis amictum, decinctaque tunica indutum*, &c. Sic ibi legendum puto ex veteri cod. & mox: *Magnum profectò dedecus patriæ, horum dedecore, vindicatum eſt.* Et hæc res confirmat reſtitutionem noſtram Valerii Flac. cùm pro *acciſa* legeremus *abciſa* vel *abſciſa.* Idem in Pru. Apoth. ŷ. 950. mutatum:

Cum Chriſto abſcidere quidquam

Et reſecare deo partem.

Sic v. c. vulg. *abſcindere.* ubi etiam leg. paulo ante, ŷ. 933

& innocui geſtatur corporis unus.

Naturam, &c.

vulgò aliter. & in Romano ŷ. 975

Nervos nec omnes uſquequaque abſcideret.

Sic tres vet. l. optime. vulg. *abſcinderet.* Ut verbo dicam, verbum *abſcido, abſciſum*, fere exulat à civitate Romana. ſed ita reſtituendum paullatim. Multa ſunt in Valerio Maximo antiquitatis veſtigia, verùm oppreſſa pleraque omnia. Unum præterea hîc indicabo; l. 2. ubi de Catonis cenſura: *nec penſi duxerat, iiſdem imaginibus adſcribi*, &c. ſic v. codex. *penſi ducere*, mire venuſta majorum dictio. ut *minoris ducere* Salluſt. vulg. *indignum penſi.* quod inſulſum videtur. Sed omiſſis tandem Valeriis revertamur ad Titum. per *Vitales res* intelligit *motus*, ut loquitur, *genitales* & *auctificos*, quibus opponit *exitiales.*

VITIGENUS LIQUOR, LATEX, pro vino, venuſte. Alii ſcriptores *vitigenius* dicunt: ſic enim ſcribend. apud Catonem, Plinium, aliosque antiquos rerum ruſticarum commentatores exiſtimo. Eadem ratione *primigenus* dicit Titus; alii *primigenius.* Sic & *cæcigenus, terrigena*, & *ventigenus* extulit idem poeta. V: 14. VI: 1070

VIVA CORPORA, animalia, animata. Virgil. libro 6: 391

Corpora viva nefas Stygia vectare carina.

V: 477

VIVATUS, vegetus, vigens. Feſt. *Vivatus, & vividus à poëtis dicuntur à vi magna.* ita noſter dixit *vivatum* animum & corpus, quaſi in optima conſtitutione & ἕξει. III: 557. 616

VIVESCERE, augeri, creſcere. miræ & venuſtæ tralationes. Virg. 3. Georg. 455

Ulceris os alitur vitium, vivitque tegendo.

& lib. 4. Æneid. 66

— *eſt mollis flamma medullas*

Interea, & tacitum vivit ſub pectore vulnus.

idem lib. 5: 681

— *udo ſub robore vivit*

Stuppa vomens tardum fumum.

IV: 1062. 1132

VIVI a *vivor* in patiendi voce. Ovid. Met. 12: 187

Vixi Annos bis centum, jam tertia vivitur ætas.

V: 18

VIVIDUS, idem fere quod vivatus, vehemens, fortis, acris, impiger. Virg. lib. 12: 753

— — *At vividus Umber*
Heret hians.

ubi Servius, *acerrimus Tuſcus.* I: 5: 754

Exigui numero, ſed bello vivida virtus.

idem lib. 10: 609

— — *Non vivida bello*
Dextra viris, animusque ferox, patienſque pericli.

ubi Servius *vivida, id eſt, fortis.* in eo autem lib. 10: 786. lego ex vet. c. & Soſip.

— *ocius enſem*
Æneas viſo Tyrrheni ſanguine lætus
Eripit à femine.

etſi Auſon. videatur legiſſe *femore.* Sic ex vet. codice. Apud Valer. lib. 3. ubi de fortitudine *M. Cæſii Scævæ* (ſic enim in vet. codice optime dicitur fortiſſimus ille centurio) leg. *cujus corpus capite, humero, femine ſaucium, oculo eruto,* &c. I: 73. 179

VIVIT IGNIS. Hæc tralatio celeberrima eſt apud veteres. Plaut. Aulul. I: 1033. IV: 1132

VIVIT TERRA. mire dictum, niſi mendoſus hic eſt Titi codex, pro eſt, permanet. ut alibi ſæpe *vigere.* V: 539

VIVUS pro vivido, id eſt, acris, vehemens. Sic Virg. lib. 1. Æneid. 725.

— *& vivo tentat prævertere amore*
Jampridem reſides animos.

& ſic ibi explicat Servius. VI: 887

VIVUS VIDENS SE PERIRE. proverb. Cicero in Quinctiana: *vivo videntique ducitur funus.* V: 991

ULLÆ pro ullius. ita *illæ, nullæ,* &c. de quibus Priſc. lib. 6. ita *totæ* dixit Cic. ad Heren. & Nepos in Thymoleonte cap. 3. *Ex maximo bello tantum otium totæ inſulæ conciliavit.* ita recte vet. cod. in qua vita elegantius etiam ibid. ita idem codex: *Et patriæ parêre legibus quàm imperare ſatius duxerit.* utque aliud etiam antiquæ elegantiæ inſigne reddamus illi ſcriptori caſtiſſimo; ita ibidem cap 5. ſcribendum puto: *Idem cùm quidam Lamyſtii ſimilis nomine Demænetus in concione populi de rebus geſtis ejus detrahere cœpiſſet, ac nonnulla inveheretur in Thymoleonta, dixit, nunc demum ſe voti eſſe damnatum: namque hoc à diis immortalibus ſemper precatum,* &c. ſic in veteri codic. exaratum erat perſpicue. quid ſit *voti damnatum eſſe,* omnes norunt. vulg. ibi, *voti eſſe compotem.* quod certe gloſſam redolet. I: 688

ULTIMA CÆLI. ita vocat poëta occiduas cæli partes, ubi ſol occidere putabatur, & exſtingui, ut vulgus & philoſophi quidam putant. ita *primæ partes* cæli & quaſi janua erit in orientali cæli plaga. V: 650

UMBRA NOCTIS, pro nocte. Virg. Eclog. 8: 14

Frigida vix cælo noctis diſceſſerat umbra.

ita Valer. lib. 2: 349

— *Dapibus cœptis mox tempora fallunt*
Noctis, & in ſeras durant ſermonibus umbras.

quod totum epulum Hypſipylæ & Jaſonis conformavit ad epulum Didonis & Æneæ. miror tam aperte veteres inter ſe imitatos eſſe. plurima ſumſit Valerius a Marone. IV: 441. VI: 864

UMBRÆ CALIGINIS. III: 305

UMBRÆ FRIGORIS. ſic dicitur a poëta bruma, & tempus hibernum, admirabili venuſtate. de noctis umbra & frigore manaſſe videtur hæc oratio. V: 640

UMBRARE. alibi dixit *inumbrare.* II: 628

UNÆ f. De hac ratione Priſc. lib. 6. vide ſupra *ullæ.* Cœlius lib. 5. Hiſtor. *Nullius aliæ rei, niſi amicitiæ eorum cauſſa.* ita leg. ex vet. cod. Cato in 1. Orig. *nam de omni Tuſculana civitate ſoli Lucii Mamilii beneficium gratum fuit.* Sic leg. idem: *Qui tantiſper nullæ rei es, dum nihil agis.* ita leg. ex vet. Salluſt. Catilin. *Aliter ſine populi juſſu, nullæ earum rerum conſuli jus eſt.* ſic leg. puto. vulg. *nulli,* & ita q. v. q. etiam v. *nullius.* Nepos in Eumene, cap. 1. *Noviſſimo tempore præfuit etiam alteræ equitum alæ, quæ hetærice appellabatur. utrique autem in conſilio ſemper affuit.* Sic totus ille locus legi debet, adſtipulante v. c. vulg. ibi perabſurde. II: 778

UNCUS VOMER, labrum, incurvus. Virg. 2. Georg. 223

— — *& patientem vomeris unci.*

I: 314. IV: 592

UNDÆ AEREÆ. ſic vocat aërem liquidum. poſſet etiam accipi pro aëre multo & copioſo, ſeu multitudine aërea. *Unda* enim an-

antiquis multitudinem & copiam ſonat. Sic Virgil. egregie l. 2. Georg. 413. ubi de variis hominum ſtudiis agens, expreſſo loco Lucretii l. 2. initio:

Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam,
&c.

In quo Maronis libro non ita longe ante eos verſus ex vet. lib. quem inſpexi, lego:

— nec non etiam aſpera ruſti
Vimina per ſilvam, & ripis fluvialis arundo
Cæditur, &c.

& Eclog. 7: 42

Horridior ruſto, projecta vilior alga.

Ruſtum eſt, inquit Feſtus, *rubus, ſeu rubi genus.* rubus maxime horret & aſpera eſt; quæ duo epitheta doctiſſ. poëta *ruſto* attribuit. & hinc eſt quòd ex *ruſto* ſæpes muniri & implecti conſuerint, teſte Columella, ut & hodie fieri videmus. Eodem refero *falculas ruſtarias*, ut in vet. libris Catonis & Varronis exſtare monuit doctiſſimus Victorius, quibus *ruſta* ſcilicet excidantur. *Ruſcum* porrò aliud videtur fuiſſe, de quo idem Feſtus. Servius autem *ruſtum* pro *pedamine vitis* accipit, non recte, uti puto. *Vomere* in eadem notione uſus eſt etiam Prudentius, Virgilium ſine dubio imitatus, Pſychom:

— animaſque
Viventes liquido lux evomit alta profundo.

idemque *undam* pro copia & affluentia dixit non invenuſte in Pſych. ỷ: 367

Ite ad nocturnas epulas, ubi cantharus ingens
Deſpuit effuſi ſpumantia damna falerni,
Immenſam cyathis ſtillantibus undam, ubi multo
Fulcra mero, veterique toreumata rore rigantur.

Sic enim vet. lib. ibi. rectiſſ. ubi doctus ille poëta *rorem* etiam vocat vinum. vide hîc *ros.* ſic & in Diptycho Ep. 32

— unde meri veteris defunditur unda.

& Virgil. lib. 8: 258

Qua plurimus undam
Fumus agit.

etſi uſitate ibi poſſit accipi, quia fumus humidus eſt. idem in Hippolyto ỷ. 199

Urbs auguſta ſuos vomit effunditque Quirites.

in Romano autem pro ſanguinis copia poſuit *undam*, ubi de matre quæ filioli ſui, ſecure percuſſi, ſanguinem excipiebat, ait ỷ. 841

Talia retexens explicabat pallium,
Manuſque tendebat ſub ictu & ſanguine,
Venarum ut undam profluam manantium
Et palpitantis oris exciperet globum.

Non minus illud obſervatione dignum quod idem dixit *prodigus ignis*, pro multo & copioſo, largoque. ait enim in Apoth. ỷ. 280

— Quando eſt ut prodigus ignis
Ignem diminuat.

Sic v. c. eadem ratione videtur fere dictum, qua *luxuriantes ſegetes* ipſe alibi ex Virgil. dixit. In eodem poëmate ỷ. 372. de divinitate leg. ex v. c.

— Niſi luminis almum
Lumen.

ut etiam in ſymbolo fidei Chriſtus dicitur *lumen de lumine.* & in ipſa Apoth. paullo ante ỷ. 277

Totus & ex toto Deus eſt, de lumine lumen.

vulg. illic *numinis almum.* crebrò *numen* & *lumen* inter ſe commutarunt librarii, perperam. Ut ad Titum redeam, prior explicatio videtur commodior. II: 151

UNDIS OMNIBUS. Virgil. 1. Georg. imitatus ad matrimonium tranſtulit ỷ. 31

Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis.

VI: 1075

UNGUERE. ita ſcripſi ex vet. lib. ut ſupra *Tinguere*, ubi omiſi hunc Virg. verſum lib. 1. Æneid 749

Quid tantum Oceano properent ſe tinguere ſoles.

ita leg. ex vet. l. vide & *Urguere.* IV: 1173

UNITER, conjunctiſſime. elegans particula, quam etiam obſervavit Chariſius: ſic *longiter* dixit, &c. III: 851. &c.

UNO f. pro *uni.* Priſc. lib. 6. *Vetuſtiſſimi ſolebant*, inquit, *omnium genitivum in ius terminantium, & in i dativum, & etiam in i genitivum, & in o dativum in genere maſculino, & in neutro; in feminino verò ſecundum primam declinationem in æ diphthon. proferre*, &c. vide hic *ullæ, unæ, illæ*, &c. III: 422

VOCAMEN, idem quod nomen, vocabulum, appellatio. Utitur interdum Solinus. vide & hic *Lateramen.* II: 66

Voci f. pro voce, ut *colli*, *luci*, &c. IV: 703

Vociferari. tralatum ad inanima, ut Cicer. *clamat veritas.* & pro Roſcio 20 *Nonne ipſum caput, & ſupercilia illa penitus abraſa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur?* Græci item βοᾷν uſurpant. & Nemeſius, *vel ſola*, inquit, *colorum varietas* τὴν πρόνοιαν κέκραγε. I: 733. II: 1050

Volant tela. ita Virgil. lib. 10: 882. Æneid.

— — *Telumque intorſit in hoſtem.*
Inde aliud ſuper atque aliud figitque, volatque
Ingenti gyro.

& lib. 9: 698

Conjecto ſternit jaculo. volat Itala cornus
Aëra per tenerum.

& lib. 12. de haſta Æneæ. ℣. 923

— — *Volat atri turbinis inſtar*
Exitium dirum haſta ferens. —

vide & *Curſus veruti.* IV: 843

Volare velis. ita Virg. 2. Georg.

Pelagoque volans da vela petenti.

vide *velivolæ.* IV: 391

Volatile telum. ita Suevius lib. 5

— *volucrumque volatile ferrum.*

imitatus & Virg. lib. 4. Æneid. 71

Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum.

& lib. 8: 694

Stuppea flamma manu, teliſque volatile ferrum
Spargitur.

I: 969

Volgus, multitudo animantium. ſic de ovibus Virgil. lib. 3. Georg. 468

— *prius, quàm*
Dira per incautem ſerpant contagia vulgus.

& de cervis lib. 1. Æneid. 194

— *tum vulgus, & omnem*
Miſcet agens telis nemora inter frondea turbam.

I: 27. II: 919

Volgata, agendi vim habere videtur, ut alibi *conſulta*; πεπορευμένα, id eſt, quæ peragrarint, luſtraverint mundum. Ita autem *volgandi* verbo hîc uſus eſt, ut alibi *Pervolgandi*, & *Concelebrandi.* ſic autem ἐνεργητικῶς apud Ciceronem epiſtola ad Pætum antiquus poeta quidam:

Uſurpata duplex cubile.

Sic locutus videtur Prud. Pſych. ℣. 139

— *mediumque ferit vibrata cerebrum.*

Sic v. cod. rectiùs uti puto, quàm vulg. *librata. vibrantur* gladii, *librantur* miſſilia. V: 428

Volgivaga venus, mixtio meretricia & cum ſcortis. Sic *vulgaris mulier* dicitur in Jure Civili, quæ quæſtum corpore facit vulgò. *Volgivagus* autem conformatum eſt, ut *Solivagus* apud Cic. quæ duo planè repugnant. *Volgivaga* deniq. Venus *privatæ* Veneri (ſic enim loquitur V: 1011.) adverſatur. IV: 1065. V: 930

Volgo, paſſim. Virg. Eclog. 4: 25

— *Vulgò Aſſyrium naſcetur amomum.*

I: 239. 905

Volit, pro *velit.* vide *Pervolit.*

Volnera vitæ, eleganter pro moleſtiis, anxietatibus, & pro vitiis. III: 61. V: 1196

Volnus amoris. Virg. imitatus eſt lib. 4. ubi de amore quo incenſa erat Dido. ℣. 66.

— *eſt mollis flamma medullas*
Interea, & tacitum vivit ſub pectore vulnus.

Theocrit. in Cyclope ℣. 15

— — ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος
Κύπριδος ἐκ μεγάλας.

I: 35

Voltum, i, pro *voltus, us.* Ennius p 136

Averſabantur ſemper vos, veſtraque volta.

apud Nonium. Sic *rictum* pro *rictus*, expoſitum eſt ſuprà. Multa conſimiliter efferebant, de quibus Nonius. Vide & *Concurſo* hîc. Sic & *nexo* dixit M. Tullius Parad. 5. ubi *nexo* dixit pro *nexu.* verba ſunt hæc: *Non enim ita dicunt eos eſſe ſervos, ut mancipia quæ ſunt dominorum facta nexo, aut aliquo jure civili.* Sic ibi v. meus liber optimus, quod certè mutari non debet.

Volturius. vide *Verſus Miurus.* IV: 684

Volucrem somnum dicit, ad Homeri Rhapſodiam adluſione facta, uti puto. Virg. ut omnia ferè, imitatus lib. 2. Æn. 794

Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.

Volucres flammæ. alibi *celeres* vocat I: 1095. II: 592

Volvenda ætas, glans, ſeu telum.

Ha-

Habet illud *velvendus* hîc vim inſtantis, quod obſervatu dignum eſt. valet ergo volubilis, ſeu qui & quod volvitur, teſte etiam Servio. Ennius apud Varr. lib. 6

Clamor (ſeu *clamos*) *ad cælum volvendus per æthera vagit.*

Virg. lib. 1. Æneid. 273

Triginta magnos volvendis menſibus orbes.

hoc expreſſit ex Lucretii verſu iſto, V: 643

Quæ volvunt magnos in magnis orbibus annos.

idem Virgil. lib. 9: 6

Turne, quod optanti divûm promittere nemo
Auderet; volvenda dies en attulit ultro.

V: 1275. VI: 178

VOLVENTIA LUSTRA, volubilia; κυλινδόμενα, abſolute poſitum participium pro nomine. vide *Participia.* Servius lib. 2. Æneid. 37

— — *Subjectiſque urere flammis.*

Poëtarum, inquit, *eſt, partem pro parte ponere; ut torvum pro torve, volventibus, pro volubilibus.* Sic *glomerans* dixiſſe videtur Cic lib. 2. de Conſul.

Omina fixa tuus glomerans determinat annus.

Sic eum verſum leg. puto.

Virg. imitatus eſt Georg. lib. 1: 163

Tardaque Eleuſinæ matris volventia plauſtra.

& lib. 1. Æneid. 238

Certe hinc Romanos olim volventibus annis.

Similiter dixit idem Æn. 3: 607

— — *Genibuſque volutans*
Herebat.

QUOQUOVORSUM. particula rarior, eaque re obſervanda. II: 1052

VOMER. ſic appellat τὸ μόριον virile. nove profectò & mire tralata dictio. ſed quo loco hac tralatione uſus eſt poëta, non tam abſurda eſt. vide *ſulcus* & *arvum.* IV: 1228

URGIT. f. pro urget, ut *ridit*, *ſtridit*, &c. VI: 557

URGUERE. ſic e veteribus libris ſcripſi. ita *ninguo*, *tinguo*, *unguo* etiam dicebant veteres, teſte Priſciano, de quibus etiam ſuprà explicavimus. *Urguendi* autem verbum ita ſcriptum repperi etiam apud Horat. in lib. vet. ut lib. 1. od. pene ultima ℣. 17

Remis adurguens: accipiter velut, &c.

& lib. 2. od. 9: 9

Tu ſemper urgues flebilibus modis.

& apud Virgil in vet. lib. ut lib. 5. Æneid. 226

Quem petit & ſummis adniſus viribus urguet.

Sic & lib. 1: 115

In brevia & ſyrtes urguet (*miſerabile viſu.*)

VI: 191

USURPARE. valet crebo aliquid agere aut dicere. & ſæpiſſime a Cic. *uſurpare* pro *appellare* poſitum video, quod hodie ſatis tritum non eſt. Noſter verò dicit *uſurpare oculis*, *uſurpare ſenſibus*, id eſt, videre, ſentire, quæ multo minus ſunt nota. I: 302. IV: 972

USUS pro opus. Virg. lib. 8: 441

Arma acri faciunda viro; nunc viribus uſus,
Nunc manibus rapidis.

Dicebant *uſus eſt hac re*, & interdum *hanc rem.* Terent. Heautont. 1: 1: 28

Mihi ſic eſt uſus, tibi ut opus eſt facto, face.

ubi paullo poſt ℣. 35. elegantiſſime ſcriptum eſt in vet. lib.

Scire hoc vis? CH. hac equidem cauſſa, quâ dixi tibi.
MEN. Dicetur, at. CH. iſtos raſtros interea tamen
Adpone. ne labora.

ita ut dixi elegantiſſ. erat in veteri codice. Plaut. Pſeud. 1: 3: 151. *Uſus eſt hominem ad eam rem*, fere dixit.

UTI, ubi. ſic *ut* pro *ubi* Terent. Catullus, Virgilius, multi alii. Virg. 1. Æneid. 103

Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ut ingens
Sarpedon.

Sic ibi f. leg. eſt. nam in vet. q. cod. eſt, *& ingens.* & in *ut*, contraque *ut* in *&*, ſæpe commutantur. Sic egregie locum Ovidii ex 4. vet. lib. reſtituendum aſſero, initio lib. 1. Metamorph. 15

Utque erat, & tellus, illic & Pontus & aër.

vulg. *Quaque.* quod penitus eſt barbarum, ut mirer tam fœdo mendo adhuc contaminatum jacere initium operis ejus quod in

omnium manibus eſſe ſolet. Quis umquam diceret, *Qua* ſita eſt Ægyptus, *qua* iſtæ ſunt nubes, *qua* erat olim tellus; & non potius *ubi*, nam *qua* motum valet per locum; deinde τὸ *illic* requirit ſimilem quietis particulam: *ut*, id eſt, ubi erat tellus, *illic* etiam pontus erat & aër. Poſtremo confirmat hanc reſtitutionem noſtram perſpicue Porphyrion, cujus verba omnia adſcribam. Horat. lib. 3. od. 4: 29

Utcumque mecum vos eritis.

Utcumque *pro ubicumque accipe.* ut *enim veteres non numquam pro tali particula ponebant. Ut Virgil. in quincto.* 329

Cæſis ut forte juvencis.

pro, ubi cæſis, & Ovid. Met. I: 15.

Quaque fuit tellus, illic & pontus, & aër.

Ex quibus verbis liquido conſtat Porphyrionem legiſſe, *Utque*: etſi perabſurde & rei propoſitæ minime convenienter, etiam in verbis aut commentario Porphyrii ſcriptum exſtet, *Quaque fuit tellus.* quod procul dubio etiam mendoſum eſt. VI: 144

UTOR QUARTO CASUI JUNCTUM. hac conſecutionis ratione ſunt uſi majores. Lucilius:

Quem metuas ſæpe, interdum quem utare libenter.

vide Nonium, apud quem paullo ante, ubi *ictum* docet eſſe non ferarum, ſed etiam hominum, leg. Varronis verba mihi videntur hoc pacto: *Ante inauris nodo crobyli parvuli intorti dimittebantur ex cincinnis. Oculi ſuppetuli nigellis pupillis, quam* (id eſt, *aliquam*) *hilaritatem ſignificantes, animi rictus parviſſimus, ut refrenatus riſu roſeo.* & mox ubi de Catulis, lego. *Concurſare ægros catulos.* Sic & Prudent. uſus eſt hoc verbo in Romano ỿ. 527

Si quod carendum eſt, perdere extimeſcimus.

Sic enim leg. non dubito, etſi etiam in libris vet. hic locus in litura partim ſit demerſus. VI: 1134

UTRAQUE. Ex Marcello didici veteres τῷ *utraque* uſos eſſe pro *utrinque.* itemque poëta noſter eſt locutus. quod ab quibuſdam tamen non animadverſum, ſuo etiam permotum loco fuit, contra lib. vet. Hemina Hiſtor. lib. 4. *In Hiſpania pugnatum bis: utrâque noſtri loco moti*, &c. IV: 292. V: 513

UVESCERE, humeſcere, humidum & uvidum fieri. verbum eſt rarum, & haud ſcio an uſquam præterea lectum. tale eſt & *Sereſco*, de quo alibi latiùs. *Sereſco* autem & *uveſco* notione & vi penitus repugnant. Origo verbi videtur ab *vus* eſſe: ex *vus* enim conformetur *vuidus*, ut a *torus toridus*, &c. qua de re copioſe in *Sereſco.* I: 307

INDEX AUCTORUM

Qui in his Oberti Giphanii Conlectaneis in Lucretium citantur, illuſtrantur, notantur, tentantur, emendantur.

Ælianus. 23
Æſchynes. 241
Afranius. 36. 58. 66. 87. 100. 126. 136. 187. 195
Alexis. 110
Apollonius. 55
Apulejus. 67. 92. 132. 188. 208
Aratus. 248
Arnobius. 9. 19. 24. 32. 38. 39. 40. 77. 79. 93. 103. 123. 142. 143. 146. 147. 148. 155. 165. 171. 172. 184 187 193. 206. 219. 279. emend. 231
Athenæus. 39. 205. 209. 230. 246. 273. 276
Attius. 4. 5. 16. 37. 42 52. 60. 63 74. 76. 78. 103. 109. 117 128. 152. 153. 179. 190. 192. 200. 203. 228. 239. 274
Auſonius. 12. 61. 81. 210. 224. 230. 251
Beda. 15
Boëthius. 82
Cæſar. 3. 84. 95. 97. 103. 106. 144. 195
— emend. 7. 143. 150. 163
Cajus J. C. 109
Cato. 25. 32. 44. 77. 86. 153. 167. 196. 221. 223. 239
Catullus. 16. 21. 22. 26. 41. 44. 46. 49. 68. 78. 110. 119. 121. 128. 136. 157. 159. 173. 190 198. 200. 202. 210. 216. 222. 228. 233. 242. 281
— emend. 5. 119. 149. 164. 193. 230. 231. 256. 264. 265
Celſus. 38. 104. 204
Chariſius. 7. 89
Cicero. 2. 3. 4. 6. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18 21. 22. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 40. 41. 42. 43. 47. 48.

48. 49. 51. 57. 58. 62. 63. 64. 67. 71. 72. 74. 75. 76. 80. 81. 82. 83. 86. 87. 88. 91. 92. 93. 95. 96. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104 107. 108 *& paſſim*
— emend. 12. 27. 33. 35. 48. 49. 55. 57. 58. 59. 61. 62. 63. 87. 94 96. 105. 106. 111. 113. 117. 121. 134. 151. 152. 159. 175. 182. 194. 216 222. 223 229. 232. 232. 235. 242. 244. 247. 276. 277. 281. 284. 285, 287. 296. 297
Cleomedes. 39
Codex Juſtin. 21. — Theodos. 272.
Cœcilius. 115
Columella. 58. 76. 106. 243
Diodorus. 32
Diomedes Grammaticus. 74
Dioſcorides. 24
Donatus. 3. 4. 5. 7. 16. 43. 44. 54 84. 90. 103. 189. 198. 21. 279. 280. 284 — *notat.* 203
Ennius. 3. 4 5. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 19. 20. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 34 39. 40. 41. 49. 53. 57. 61. 62. 66. 72. 73. 79. 83. 85. 88. 90. 92. 93. 96. 100. 107. *& paſſim, ubique.*
— emend. 115. 131. 134. 135. 142. 149. 201. 239. 240. 247. 249. 257
Euſtathius. 143. Eutychius. 23
Feſtus Pompejus. 3. 14. 18. 19. 20. 24. 27. 33. 34. 42. 44. 53. 54. 60. 78. 96. 100. 101. *paſſim, ubique.*
— emend. 19. 30. 31. 53. 61. 63. 71. 106 115. 131. 135. 138. 152. 153. 157. 196 201. 203. 205. 238. — *notat.* 130
Florus. 265
Galenus. 29 — emend. 29
Gellius. 8. 12. 14. 19. 36. 50. 60. 63. 65. 67. 88. 96. 97. 98. 102. 147. 165. 167. 227. 277. 288
— emend. 72. 128. 156. 158. 165. 276. 285
Herodotus. 8. 243. Heſiodus. 95. 159
Heſychius. 13. 29. 79. 190
Homerus. 8. 25. 39. 41. 54. 55. 77. 82. 86. 106. 109. 121. 148. 177. 210. 224. 236 247. 249. 250. 253. 255. 256. 259. 281
Horatius. 9. 10. 13. 20. 21. 23. 26. 30. 31. 35. 36. 40. 42. 45. 52. 53. 54 56. 58. 59. 62. 63. 71. 77. 92. 96. 98. 103. 107. 108. 109. 114. 116. 117 124. 137. 144. 151. 152. 166. 167. 175. 177. 181. 183. 188. 192. 207. 208. 210. 213 214. 221. 222. 239 284
